BVLLA CRVCIATAE

EXPLICATA, ET ILLVSTRATA

TRACTATIBVS LOCVPLETISSIMIS OPERE
Quadripartito Comprehensis.

AVTHORE
P. FRANCISCO BARDI
PANORMITANO
SOCIETATIS IESV.

Scholasticæ, & Moralis Theologiæ Professore, In Collegio Panormitano
Studijs Præfecto, & apud Fidei Quæsitores Qualificatore,
& Consultore.

ADDITIS INDICIBVS DVOBVS TRACTATVVM,
& Rerum Notabilium.

Dom. Prof. Rom.



PANORMI M.DC.XXXXVI.
IN COLLEGIO PANORMITANO,
TYPIS NICOLAI BVA, ET MICHAELIS PORTANOVA.

IMPR. SALERNO V. G. IMPR. DE DENTI P.
CVM PRIVILEGIO.

ADM. REVER. IN CHRISTO P. N.

VINCENTIO CARAFFA PRAEPOSITO GENERALI SOCIETATIS IESV.

QVOD omnium vbique gentium, quamuis fœdæ ſuperſtitionis errore deprauatis animis, vel ipſa prodocente natura, inſitum fuit, vt bonorum omnium, quæ ſibi obueniſſent, & præſertim frugum, fructuumq; primitias illorum præſidi Deo conſecrarent, id vnus, ac verus vniuerſitatis conditor delecto à ſe populo, lege etiam lata, præſcripſit: vt, quod fictis alij Deorum nominibus obſequium, id legitimo; ſed ſibi ſoli noto Deo, ac Dominatori omnium exhiberent: nec ſolum prima quæque ex terra, pecudumque genere ſuboleſcentia, ſed ex hominibus quoque primo genita voueri ſibi, & ad aras poni præcepit. adeo hoc iuſtum, & omni iure ratum, ac debitum erat. hunc ego vel naturæ inſtinctum, vel Dei inſtitutum ſequendum, ſeruandumque mihi exiſtimaui, cum primum hunc ingenij mei, quaſi terræ diuturna, aſſiduaque ſtudiorum aratione præcultæ, ac ſubactæ fetum emitterem: vt, à quo primo Agricola germen hoc ſatum eſſet, eidem merito reponeretur. quis autem auſpex mihi, quis Deus tam operoſi aggrediendi negotij, & operis elucubrandi fuit? equidem, fatebor ingenue, non illa me inſtigauit laudis, & honorum, quæ vt Latinus poœta cecinit

Sua cuique Deus fit, dira cupido:

ſed ille, quem ad regenda, & promouenda ſtudia, actioneſque noſtras Moderatorem præfecit Deus: cuius dictum, nutuſque

prora mihi, & puppis est. itaque cum P. Mutius Vitelleschi, qui P^tis. V^rae. in gubernanda Societate praecessit, grauissimis litteris mihi significasset, placere sibi, vt maturi aliquid fructus ad Reip. & posteritatis commodum in lucem existeret ex ijs doctrinis, quae perpetuo vitae meae ministerio disseminassem in scholis; ne auribus solum tradita, & quasi ventis dispersa interirent: hoc ego monitum, ac modo non Ducis iussum sartum tectum mihi habendum statui: & opus hoc non spontaneum, sed imperatum P. quidem Mutio addicente, coepi, P^te. autem V^ra. secundante, perfeci. Nec vero Vincentium, in Mutij demortui subrogatum loco, alterum ab ipso duco. personis vos, non munere, & quodam prope numine distatis. in vtrisque insidet Deus, qui per os loquitur vestrum; qui vos quasi primarios mortalis huius Hierarchiae Angelos illuminat; nosq; exinde dictato vestro regit, agitq; quò lubet. quod cum ita sit, cui nam meliore iure dedicarem hoc qualecumque litterarium opus, quod in explicandam, illustrandamque Bullam Cruciatae per me collatum, & impensum est; quodque adeo non exiguo populorum emolumento, nisi me negotij mei fallit amor, euenturum esse confido, quam P. V. & cuinam primitiae debentur, nisi ei, quem Dei venerari loco Societatis, cui me addixi, addictusq; perpetuo viuam, instituta compellunt? & quoniam non solum mihi Deus est, quicunque Pręses est; sed idem Dei in homines charitatem, & paterna viscera imitatus, eius, qui se Patrem esse, & inuocari voluit, & à quo omnis Paternitas in cęlo, & in terra nominatur, Pater est, cuius in tabulas referrem hunc quęstum, quam cuius sunt omnia filiorum bona? Accipias igitur, Pater, hunc partu meum in adoptionem emancipatum tuam, tuoque nomini inscriptum, patrocinio ita communias, vt per omnes orbis terrę regiones bene, prospereq; peruagetur, & consequentium sęculorum faustis ominibus excipiatur.

Paternitati vestrę.

D. D. S.

Franciscus Bardi.

APPRO-

APPROBATIO.

EGo Ioseph Castelnouo V. Prępositus Prouincialis Societatis Iesu in Sicilia, cum librum cuius titulus est, Bulla Cruciatę explicata, & illustrata Tractatibus locupletissimis quadripartito opere comprehensis à P. Francisco Bardi Nostrę Societatis Sacerdote, & Theologo compositum, tres eiusdem Societatis Sacrę Theologię professores, quibus id commissum fuit, recognouerint, & in lucem edi posse probauerint: facultate nobis à R. P. Carolo Sangrio Vicario Generali communicata, concedimus, vt idem typis mandetur, si ita ijs, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & nostro Sigillo munitas dedimus. Panormi. die 24. Nouembris. 1645.

Ioseph Castelnouo.

APPROBATIO
REVERENDISS. VICARII GENERALIS.

CVm explicationem Bullæ Cruciatę Tractatibus eruditissimis illustratam à R.P. Francisco Bardi e Societate Iesu non solum à Theologis pluribus probatam acceperimus, sed ipsi etiam, & approbatione, & magna omnium doctorum commendatione dignam esse, & commodo Christiani populi futuram censuerimus, facultatem vt imprimatur, & promulgetur libentissime concedimus. Panormi, die 12. Octobris 1646.

D. Franciscus Salerno V. G.

APPRO-

APPROBATIO
R.P. Vincentij Candia Mag. ex Ord. Prędicat. Qualif. Consult. & Ordinarij in Tribunali S. Officij.

OPus hoc, cui titulus est, Bulla Cruciata explicata, & illustrata Tractatibus locupletissimis, P. Francisci Bardi Societatis Iesu, solerti studio, optima diligētia, in offenso pede totum percurri, & quidem dum opus percurrerem, iucunditatis quantum comparauerim, ex eo quisq; comprobare facile potest, quod spem meam is, quem optabam operi exitus est consecutus. Nam pręter doctrinam sanam, claritatem, & pietatem Authori mihi amicissimo propriam, nihil in eo Catholicę Doctrinę nocium, nihil morum honestati non conueniens immo omnia Christianę fidei consona, ac firmam integritatem redolētia reperi: nihilq; legibus interdictum, deuium, vel alienum: sed singula & iura, & sententias, in communem omnium vtilitatem, tum iuris prudētium, tum Theologorum, & pro foro contentioso, & sacramentali, pręsertim ad tutam, & rectam animarum gubernationem, non minus erudite quam subtiliter digesta conspexi, vt circa digesta nihil amplius videatur quod expectari possit. Ideo publicę omnium vtilitati nihil pluris fieri posse iudico, quam vt typis excusum per omnium manus diuulgetur.

Ego Fr. Io. Vincentius Candia Magister ex Ordine Prædicatorum Qualificator Consultor, & Ordinarius in Tribunali S. Officij.

AD R. P. FRANCISCVM BARDI BVLLÆ CRVCIATÆ EXPLICATOREM SCIENTISSIMVM, EPIGRAMMA.

R. P. Francisci Scorso Societatis Iesu Sacrarum litterarum, & linguæ Hebraicæ Professoris.

CÆlestes depromit opes, qui præsidet Vrbi;
Cui clauis vni credita est Ærarij.
Queis Cruce purpurea miles præclarus abundat;
Belloque quisquis aera contribuit sacro.
Tu pretia, & pondus gemmarum, aurique recenses
FRANCISCE, qualis arbiter gazæ aurifex.
Proximus Oeconomo es summo, cui debeat orbis
Grates Eous, Hesperusque plurimas.
Ille potestatis thesauros claue recludit;
Tu claue pandis abditæ scientiæ:
Ille beat dando; ditas tu Regna docendo:
At est beatus nemo, diuesque haud sciens.

SVM-

SVMMA
PRIVILEGII.

PHILIPPVS ETC.

VICEREX, & Generalis Capitaneus in hoc Siciliæ Regno omnibus, & singulis Officialibus huius Felicis Vrbis Panormi, & Regni eiusdem maioribus, & minoribus præsentibus, & futuris cui vel quibus præsentes præsentatæ fuerint, fidelibus Regijs dilectis salutem. Siamo stati supplicati del tenore sequente, Illustrissimo, & Eccellentissimo Signore il Padre Francesco Bardi della Compagnia di Giesù dice a Vostra Eccellentia che hauendo con molta sua fatiga, & spesa composta vna Opera sopra la Santissima Bolla della Cruciata a Seruitio di Dio Signor Nostro, & Sua Catholica Maestà, & vtilità de' Populi, & quella fatta stampare con l'ordinaria licenza de' Superiori, supplica perciò Vostra Eccellentia resti seruita concederli il solito Priuileggio con ordinare, & comandare che per spatio di Anni dieci detto Libro non si possa restampare senza expressa licenza dell'istesso Authore, ch'e è esso supplicante, & tutti quelli che si stampassero fuori non si possano vendere in questo Regno di Sicilia da niuno Libraro ne d'altra persona, conponere pena di perdere li Libri di detta Opera, & di pagare onze cento applicande la metà al Regio Fisco, & l'altra al reuelante il che facendo Vostra Eccellentia lo receuerà, à gratia particolare, &c. Del quale memoriale fattane relatione per lo Regio Secretario Laurenzo Marzolo prouittimo a 8. di Ottobre 1646. Concedatur prout alijs, in exequutione della quale prouista vi dicimo, & ordinamo che debiate permettere si come Noi per le presente permettiamo, & donamo licenza, & facultà ad esso supplicante di potere liberamente fare stampare, & restampare quate volte li piacerà la sudetta Opera per esso fatta sopra la Santissima Bolla della Cruciata, iniungendo, & da chi si deue facendo iniungere a tutti, & qualsiuoglia stampatori, & detentori di stampa, & alli, Librarij, & altre persone innante voi nominande che sotto pena di onze cento di applicarsi la metà al Regio Fisco, & l'altra metà al Reuelante in conto alcuno habiano, ne debiano senza expressa licenza del supplicante stampare, ne fare stampare, vendere, ne far vendere detta prenominata Opera sopra la Santissima Bolla della Cruciata per spatio d'Anni dieci da contarse dal giorno della data delle præsente, & questo non obstante qualsiuoglia Pragmatica, atti, & ordini in contrario dittanti, &

dispo-

disponenti, alli quali tutti pro hac vice tantum habbiamo dispensato, & dispensamo, & cossi essequirete ad instantia del presentante, & comparente, etiam senza procura, & essequte ce le restituerete per quanto la gratia di Sua Maestà tenete cara, & sotto pena di docati mille Fisco Regio applicanda, quibus vero pœna imponi potest. Dat. Panormi die 13. Octobris 1646.

EL MARQVES DE LOS VELEZ, Y ADELANTADO.

Dominus Vicerex, & Gen. Capit. mandauit mihi Francisco Zappullo Secretario Visa per de Morsino, Castelli, & Polizzi.

Vidit Morsinus.
Vidit Castellus.
Vidit Polizzius.

IN EXPLI

IN

EXPLICATIONEM BVLLÆ CRVCIATÆ PROOEMIVM AD LECTOREM.

SI quis non theologica seueritate, neque scholastica norma Bullam Cruciatæ definire, quod nos in operis huius prima ingressione præstamus; sed eleganti quodam, & Oratoribus aptiore schemate describere meditetur; syngrapham eam nec falso, nec inepte appellarit, qua Summus Ecclesiæ Thesauri, & custos, & Oeconomus suscipientibus aduersus Christiani nominis hostes sacram expeditionem, vel eam pro sua copia adiuuantibus, quasi quoddam militare stipendium non pecuniæ, opumque caducarum ab Argentario, ac Trapezita pecunioso, sed à Rege Regum Christo, cuius sunt omnes thesauri diuitiarum, potestatem exigendi facit, & ab eodem Gazophylacio depromendi. hæc enim profecto schedula tum plenissimas indulgentias, & gratuita indulta, tum absolutiones grauissimorum criminum, votorum permutationes, relaxationes irregularitatum, remissiones æris alieni, viuorum lucra demortuis etiam suffragatura profusè elargitur: quibus vel stipendijs, vel donarijs Christi cruce insigniti milites magis, quàm larga quauis stipe, grandiue ære, magis, quàm opimis spolijs, ac manubijs locupletantur. Ego igitur cum hoc diploma impenso studio, curaque lectitarim; atque per crebras occasiones euoluerim; & sicuti in alijs publicis tabulis, quæ ad fidem faciendam, & contestandam in ciuilibus negotijs confici, proferrique solent, multa esse deprehenderim, quæ dubitationem, ambiguitatem, obscuritatem, controuersiamque ex ipso scripto parere possent, operæ pretium non exiguum facturum me existimaui, si ingenium, studium, industriam, laborem, quæ quæ in me sunt, in id impenderem, quod esset fructuosissimum, & gratissimum futurum omnibus, qui hanc syngrapham obtinuissent, in ea scilicet explicanda omnia, explananda, agitanda, pertractanda disputationibus, & decidenda: vt nossent, quæ, & quam magna in ea donata sunt ipsis; & cum tantam haberent lucrandi facultatem, sortemque diuitiarum, scirent vti foro; ac præ ignorantia ne defraudarentur lucris. eoque impensius hoc suscepi negotium, quod viderem hanc tam vtilem scriptionis materiam, quæque tum late pertinet ad omnia Hispaniarum, Indiarumque Regna, & Insulas ijs subiectas ab hominibus Societatis nostræ doctissimis, qui tam varia moralis Theologiæ argumenta iusto, & continenti opere disceptarunt, non nisi per occasionem, quantum videre potui, ad hæc vsque tempora paucis attactam. In eam igitur & inclinauit vehementer animus; & annuente sane cœlo, hoc est Moderatorum meorum, qui vicem Numinis in terris gerunt, non solum impellente nutu, sed iussu prope cogente, nullum subter-

fugi laborem, quominus conceptum, institutumque opus illustrandæ Bullæ Cruciatæ ad effectum, exitumque perducerem. Methodum autem scribendi talem institui, quæ legentibus esset futura percommoda; & qua fierent omnia ad intelligendum eò apertiora, quò distinctiora. Nimirum vniuersam dissertationem de Bulla in quatuor partes, totidem nempe, quot multiplicitas rerum postulare videbatur, partitus sum. Primam partem, quæ præire cuicumque tractationi, & Prooemialia dici assolent, sibi sumunt: Secundam ea, quæ tangunt Bulla vtentes christiani characteris homines adhuc viuentes: Tertiam, quæ ad Generalis Commissarij potestatem, & iurisdictionem spectant: In quartam denique, quæ pertinent ad vita defunctos, quatenus eis sua Bulla prosit, conijcienda duxi. rursus hæc quasi grandiora huiusce materiæ segmenta in alias particulas concidere, in Tractatus scilicet, & hos in Capita, Capita in Sectiones; & si quando Sectio longius processura fuisset, eam in alios Paragraphos, tanquam in articulos resecare commodum visum est. Illud etiam in mentem venit futurum lectoribus apprime gratum, & vtile, si huius non modici operis initio, & quasi fronte veluti lineamenta, & Ideam totius ædificij, vnde ipsum vno oculorum coniectu contueri possent, Summariam totius Bullæ explicationem præponerem: vt in promptu haberent, si quid breuiter, & carptim vellent cognoscere; nec esset spatium, aut voluntas integrum aliquod caput, sectionemque percurrrendi. sed eiusdem puncti si pleniorem cognitionem, si opiniones ex vtraque parte perpensas, si rationes nostræ sententiæ, & ad obiecta responsiones cuperent, ab ipsis tractatibus affatim haurire posset. quos ea de caussa suo numero in singulis huius synopsis particulis præsignaui. Hæc fuerunt, quæ præfari de more scriptorum omnium, teque beneuolum lectorem admonere, antequam scribendi initium facerem, officium duxi meum. Vale.

SVMMARIA

EXPLICATIO BVLLAE CRVCIATAE.

BVLLAM in duas scinngimus partes, in inscriptionem, & in tenorem, seu cōtentum litterarum, in quo author, & gratiæ concessæ continētur.

DECLARATIO INSCRIPTIONIS.

NOS *Magister P. Frater Antonius à Sotomayor, &c.* Præscribitur de more nomen Commissarij, qui hoc tempore præsidet, qui apostolica auctoritate exequi debet, quæ in ipsa Cruciata præscribuntur: postea verò, vt personæ amplitudo fiat conspicua, tres dignitates ipsi apponuntur; prima est Archiepiscopi Damasceni: secunda Regis Confessarij: tertia Inquisitoris à consilijs status.

In Regnis, & Dominijs Hispaniarum, &c. Designantur loca, ad quæ ipsa Bulla extenditur, & in quibus valorem habet. de quo *Tract.* 1.

Philippo Regi Catholico subiectis. Ponitur qualitas, seu conditio requisita ex parte ipsorum locorum, ad hoc vt in ipsis Bulla efficaciam obtineat, videlicet, subiectio ad Regem ipsum Catholicum. *ibidem.*

Exequutor ad infrascripta. Adiungitur dignitas Commissarij Apostolici huius Cruciatæ, & pariter adduntur gratię à Pontifice præstitæ, & ideo dicitur Commissarius speciali appellatione esse adhunc effectum à Sede Apostolica electus.

Vniuersis, & singulis Christi fidelibus salutem, &c. More consueto Prælatorum salutem omnibus prædictorum regnorū subditis hanc Bullam legentibus, enuntiat.

Vidimus, legimus, & diligēter inspeximus, &c. Vt cunctis explorata sit sedulitas, & fidelitas exequutoris in his litteris promulgandis, testatur se illas diligenter, & legisse, & mente peruoluisse iuxta intentionem Gregorij Pontificis, à quo litteræ ipsæ emanarunt: venit autem Bulla ista sub nomine litterarum. litteræ autē Apostolicæ, prout

ad subiectam materiam spectant sunt in duplici differentia; quædam enim appellantur Breuia ex ipsa scribendi forma, quæ est veluti summaria quedam scriptura: aliæ verò nuncupantur Bullæ, nomen desumētes à Bulla plumbea ipsismet litteris appensa, vt animaduertunt *Sayrus in thesau. cas. lib. 3. c. 3. n. 3. & nos enucleamus.* P. 1. *Tract. 1. cap. 1.* Atque hæc ad tituli explicationem pertinent.

DILVCIDATVR IPSIVS BVLLAE TENOR.

G*Regorius Papa XIII.* Ante omnia præponitur principalis Author Bullæ, qui est Summus Pontifex. quamuis autem antiquitùs ipse Pontifex in suis litteris nomen suum proponere consueuerit, vt patet ex *cap. dilectissimis.* 12 *q. 1. & cōfirmat Panorm. in proœm. Decretal. lect. 2.* hodie tamen stylus curiæ contrarium morē induxit; dicitur Papa, nempe pater patrum, seu pater fidelium: olim etiam Episcopi tali nomine inscribebantur; vt aduertit *Duardus in Bullam cœnę lib. 1. cap. 4. q. 7. num.* 4. nihilominus postea temporis progressu nomen istud Summo Pontifici dumtaxat attribuitur.

Ad futuram rei memoriam. Non dicitur *ad perpetuam*, ad significandum has litteras non duraturas nisi tempore limitato. Discrimen inter hæc notat *Rebuff.* in Bullā cœnæ eadem verba declarans in praxi Beneficiali. Sed interdum duo ista cōfunduntur, quoniam id quod est perpetuum est etiam futurum: cæterum in præsentia futurum sumitur, vt condistinctum à perpetuo.

Cum aliàs fœlicis recordationis. Pius Papa V. prædecessor noster, &c. Fit mentio de Pio, à quo hæ litteræ cum amplitudine primo emanarunt, quas postea ipse Gregorius, & confirmauit, & ampliauit.

Cupiens, vt indulgentia, & alia gratia, &c. Per supradicta, & subsequentia verba, aperit nobis Gregorius intentionem, & desiderium, quo Pius V. voluit, vt gratiæ, indulta, & facultates huius Bullæ quæ proficiscentibus, aut mittentibus in subsidium exercitus Regis concessæ sunt ea sinceritate, qua decet promulgarētur, nempe nihil illis detrahendo, aut addendo, & in summarium redigerentur, vt sic reciperentur, & conseruarentur ab eisdem personis, quæ prædictis frui voluissent.

Cumq; postmodum tàm ipse Pius, &c. Declarat tam Pium Pontificem, quàm se successorem eius eamdem intentionem habuisse conficiendi harum gratiarum summarium, illudque ampliandi.

Hoc est summarium, &c. Illud ante omnium oculos proponit, vt indulta, & gratiæ fidelibus innotescant.

§. I.

P*Ius itaq. V. & successiuè Greg. XIII. &c.* Apponitur vterque Pontifex, quia ab vtroq; Cruciata ipsa fuit per additionem gratiarum, & facultatum extensa. P. 1. *Tract. 1. cap. 2. & 3.*

Ex caussis in litteris eorum expressis, &c. Per hæc verba significatur motiuum ob quod prædicti Pontifices inducti ad sequentes gratias elargiēdas, videlicet subsidium in sacram expeditionem contra Turcas, aliosq; infideles. *ibidem.*

Primo concedunt Philippo prædicto Regi, &c. Primo loco aperit gratiam ipsi Regi tamquam capiti exercitus concessam, consistentem in plenissima omnium peccatorum indulgentia. *Tract. 2. cap. 1. sect. 1.*

Huic defensioni, & expeditioni contra Turcas, & Infideles assidua cura, &c. Exprimitur cōditio quædam ex parte ipsius Regis, vt capitis requisita ad lucrādam prædictam indulgentiam; scilicet, vt diligenter operam det ipsi expeditioni. *ibidem.*

Nec non, & vtriusq; sexus omnibus, & singulis, &c. Extenditur fauor etiam ad alios, qui eunt, vel mittunt ad exercitum Regis contra Infideles. *Tract. eod. cap. 1. sect. 2. & 3. & 4.*

In Hispaniarum Regnis, Insulis, &c. Determinātur qui his gratijs frui possunt; ideoq; dicitur eos esse, qui vel cōmorantur, vel declinant ad loca prædicta & retinent subiectionem, siue immediatam, siue mediatam ad Regem Catholicum. *ibid. totis cap. 2. 3. 4. & 5.*

Qui intra annum à die publicationis præsentium, &c. Designatur tempus in quo obtinetur indulgentia, quod est annus, à quo Bulla incipit promulgari. *eod. Tract. cap. 6.*

Fidei zelo moti, &c. Præscribitur motiuum, quo duci debent fideles ad prehandum,

vel ad auxilium præstandum exercitui catholico contra infideles,& est zelus fidei diuinæ; si igitur alio ducerentur motiuo, non lucrifacerent indulgentiam. *Tract. eod. cap. 1. sect. 2.*

Pugnaturi, aut aliud genus seruitij, &c. Noluit Pontifex restringere gratiam adeos tantum qui accedunt pugnaturi; vel mittunt ad pugnandum; sed eam extendit ad ad illos, qui licet neutrum faciant; nihilominus obsequium aliquod in exercitu prædicto exibent. *ibid.*

Gratis facturi suis sumptibus, &c. Admonet Pontifex, adhanc obtinendam indulgentiam oportere, vt illi, qui aliquod munus ex enumeratis præstant, debeant id facere gratis, scilicet absq; stipendio; aliter non lucraturos indulgentiam in hoc paragrapho collatam. *ibidem.*

Et ibidē vsq; in finem expeditionis eiusdem anni permanserint, &c. Debent, volentes lucrari gratiam hanc, manere in expeditione vsq; ad finem anni, cum limitatione tamen inferiùs exprimenda. *ibidem.*

Si de illis corde contriti, & ore confessi, &c. Nempe si contritionē habuerint, aut de peccatis patratis, eaq; sacramentaliter confessi fuerint; aliter non lucrabuntur: sed si nequeant ita confiteri supplebit desiderium, vt immediate subiungitur. *ibidem.*

Indulgentiam, & remissionem, quæ proficiscentibus ad recuperationem Terræ Sanctæ, quaq; in anno iubilei concedi consueuit, &c. Explicatur qualitas, & excellentia huius indulgentiæ, cum dicitur ea esse, quæ concedi solita est in recuperatione Terræ Sanctæ, & in iubileo, quæ est plenissima. *ibidem.*

§. II.

D*Eclarant quod eamdem indulgentiam assequantur, &c.* Apponitur limitatio conditionis requisitæ, nempe permanentiæ vsq; ad finem expeditionis, &c. ideoq; dicitur, eamdem obtineri indulgentiam ab eo, qui ante finem expeditionis moriatur, vel recedat ab exercitu, ob infirmitatem, aut aliam necessitatem superuenientem, quæ sit vera, & non ficta. *ibidem.*

§. III.

Q*Vi illos suis impēsis miserint, &c.* Præscribitur numerus mittendorum iuxta qualitatem, seu dignitatem mittentium, qui vsq; ad denarium inclusiuè pro qualitate personæ pertingere poterit. & personæ qualificatæ ad minimum quattuor mittere tenentur: aliæ vero personæ, quæ non sunt talis conditionis, saltem vnum; & si ob paupertatem nequeant proprijs expensis id præstare, poterunt cum alijs eiusdem conditionis, & inopiæ pro rata stipendium pro vno milite erogare, aliter non poterunt hac via indulgentiam lucrari, sed debebunt data stipe Summarium Bullæ sumere. *Tract. eod. sect. 3.*

§. IV.

C*Apitula Ecclesiarum, Monasteria, &c.* His præscribitur, vt pro singulis denarijs personarum vnum mittant ab ipsis electum. *ibidem.*

§. V.

E*Adem indulgentia suffragabitur per modum suffragij animabus defunctorum, &c.* Conceditur, vt proficiscentes, aut mittentes ad exercitum aut ex proprijs bonis iuxta summam per Cōmissarium decernendā aliquid pro Religionis defensione cōferentes, possint hanc indulgētiam animabus Purgatorij applicare, & modus iste est primus, quo vi Cruciatæ fideles mortui adiuuantur *ibidem.* supersunt alij duo modi infra exprimendi. *P. 4.*

§. VI.

E*Amdem indulgentiam assequantur etiam omnes, qui mittentur, si pauperes fuerint.* Superius dictum fuit euntes ad bellum, & obsequia præstantes exercitui, debere proprijs sumptibus id facere; in hoc autem paragrapho conceditur in fauorem pau-

perum,

perum, vt possint indulgentiam consequi, si ob paupertatem alterius expensis militauerint. *ibid.*

§. VII.

C*Lerici sæculares ab Ordinarijs, & Regulares à suis Superioribus habita licentia, &c.* Ampliatur gratia huius indulgentiæ ad personas ecclesiasticas siue sint sæculares, siue Regulares quibusdam adhibitis conditionibus, scilicet, vt licentiam militandi obtineant à Superioribus, nempe sæculares ab Episcopo, Regulares à suo Prælato: Rursus debēt in exercitu commorantes nonnulla spiritualia obsequia præstare, nimirum concionari, confessiones audire, celebrare, & alia similia, quæ non oportet, vt ab vnoquoq; omnia, sed satis erit vt aliqua præstentur. *ibidem. sect.* 4.

Quibus etiam conceditur, vt beneficijs, &c. Datur eisdem facultas si beneficium ecclesiasticum habeant, subrogandi vicarium idoneum, vt eidem beneficio operam dare valeat: excipiuntur autem illi, qui beneficium curatum habent, cum residere teneantur. *ibidem.*

§. VIII.

M*Ilites in bello occupati à ieiunijs votiuis, vel Ecclesiæ excusantur.* Ad fruendum tali priuilegio oportet, vt milites actu assistant exercitui parati ad prælian-dum, quando fuerit opus; aliter non eximentur à ieiunijs præceptis. *ibid. sect.* 2.

Et quod in die festo Belli negotijs vacare possint declaratur. Verba ista non continēt priuilegium, sed tantum declarationem, per quam prædicti Pontifices declarant id, quod secundum ius commune est licitum; nam ab Ecclesia non prohibentur actiones, quæ sunt necessariæ ad bellandum quamuis de se sint opera seruilia, vt v.g. parare bellica tormenta, conficere aggeres, fossas, &c. Ita communiter Doctores; proinde ex industria Pontifex vtitur verbo illo, *declaratur*, & non dicit, *conceditur. ibidem.*

§. IX.

C*Onceditur omnibus prædictis, nec non ijs, qui nec ibunt, nec mittent, &c.* Ab hoc paragrapho incipit Pontifex proponere alium modum acquirendi indulgentiam, & lucrandi plures alias gratias in Cruciata contentas; idcirco sermonem dirigit ad omnes fideles, videlicet tum ad prædictos, qui eunt, vel mittunt ad exercitum; tum etiam ad illos, qui nec eunt, nec mittunt. *Tract.* 2. *cap.* 4.

Si tamen infra dictum annum ex bonis sibi à Deo collatis, &c. Declaratur modus lucrandi gratias prædictas, consistens in erogatione eleemosynæ in subsidium sacræ expeditionis: eleemosyna autem ista statuitur facienda ex bonis quorum dominium est apud ipsum priuilegiatum, & ideo non debet esse ex bonis alienis per furtum ablatis. *P.* 2. *tract.* 1. *cap.* 1.

Vt dicto anno durante possint in Ecclesijs, in quibus alias diuina officia interdicto durante, &c. Hoc est primum priuilegium, quod datur ijs, qui stipem in subsidium Cruciatæ erogant; conceditur autem per hoc priuilegium, vt ipsi priuilegiati tempore interdicti, intellige, locali, & generali, possint celebrare Diuina Officia, vel eisdem assistere, tum in Ecclesijs in quibus permissū erit Diuina celebrari, tum in priuato oratorio, habente debitas conditiones, nempe si fuerit visitatum, & approbatum ab Ordinario, & ad Diuinum cultum dumtaxat deputatum. *P.* 2. *tract.* 2. *cap.* 1.

Cui ipsi caussam non dederint, vel per eos non steterit quominus amoueatur. Excluduntur illi, qui delictum commiserint, ob quod latum fuit interdictum; vel impedimentum ponunt quominus interdictum auferatur; quod contingeret si omitterent præstare ea, quæ iudicantur necessaria ad ipsum interdictum tollendum. Hi autem omnes excluduntur ab hoc priuilegio. *ibid.*

Et qui facultatem eamdem à Commissario Generali habuerint, etiam per horam antequam illucescat dies, & per horam post meridiem. Per hæc verba habemus, posse à Commissario generali licentiam dari celebrandi Missam per spatium vnius horæ ante ortum auroræ quando dicitur dies illucescere, & pariter postponendi Missam per horam post meridiem, *Par.* 3. *tract.* 4. *cap.* 1.

In sua ac familiarium, & domesticorum, ac consanguineorū suorum præsentia Missas, & alia Diuina officia, &c. Sub nomine familiarium veniunt ij, qui obsequia Domino præstant, & obsequiorum intuitu aluntur, & commensales appellantur: domestici autem vo-

vocantur eidem familiares quatenus habitant in eadem domo cum ipsorum domino: & licet subnomine familiarium in iure consaguinei interdum comprehendantur; tamen in hac Bulla ponuntur, vt contra distincti; & ideo familiares pressius sumuntur; nec debent admitti in fraudem plures familiares, seu famuli præter consuetos. *Par.2.tract.2.cap.3.*

Subnomine consanguineorum in priuilegio huius Cruciatæ continentur vxor, omnesq; alij consanguinei vsq; ad quartum gradum inclusiuè; nec necesse est hos habitare in eadem Domo cum priuilegiato, seu esse domesticos. Affines non includuntur, quia affinitas nō comprehenditur sub aliquo ex illis tribus prædictis enumeratis.

Probabiliùs est non posse familiares, & reliquos, qui accessoriè se habent satisfacere præcepto audiendi sacrum absq; præsentia Domini, seu priuilegiati principalis; quia intentio Pontificis in concessione huius priuilegij est, suffragari ijs, qui hanc Bullam sumunt, & non alijs nisi accessoriè, & quia priuilegium istud, vt inuoluens actualem dispensationem iuris communis est odiosum, & restringendum.

Hoc priuilegium non habet locum tempore cessationis à Diuinis; quia in illius cōcessione de solo interdicto fit mētio; cessatio verò à Diuinis est pœna diuersę rationis; à diuersis autem non fit illatio. *ibid. sect.8.*

Neque vim habet in Ecclesia violata: nam violatio non est species interdicti. *ibidem sect.9.*

Eis tamen, qui priuato Oratorio ad præmissa vti voluerint, vt quoties id fecerint aliquas preces Deo pro vnione Principum Christianorum contra infideles, eorumq; contra eosdem victoria fundare teneantur. Oratio ista poterit esse siue mentalis, siue vocalis: quantitas orationis non determinatur; proinde sufficiet quamuis sit breuissima; neque erit de essentia huius priuilegij, sed solum erit ad licitum eiusdem priuilegij vsum: conceditur enim celebratio Missæ, & postea præscribitur oratio ista; igitur non poterit esse de substantia priuilegij Missam in oratorio concedētis. erit tamen hæc oratio sub præcepto: habentur enim verba præceptiua in eius impositione; nihilominus transgressio erit leue peccatum, ob materiæ paruitatem. *ibid. sect.5.*

Onus istud extenditur tum ad priuilegiatum principalem, tum ad accessorios, vt colligitur ex textu: atque imponitur tantum pro ijs, qui Oratorio vtuntur, non autem pro ijs, qui in Ecclesijs, vel celebrant, vel Sacrum audiunt. *ibid. sect.6.§.4.& 5.*

Materia harum precum est vnio inter Princeps Christianos, eorumq; victoria contra infideles, vt in textu clarè exprimitur, *ibidem.*

§ X.

ITem *Eucharistiā, & alia Sacramenta præter* [...] *Paschalis recipere.* Vi Cruciatæ fideles facultatem habent Eucharistiam sumendi, interdicto non obstante: & hoc non solùm in Ecclesijs, verum etiam in Oratorijs priuatis. præter Eucharistiam tempore prædicto licitus erit vsus aliorum Sacramentorum, nempe extremæ vnctionis, & Ordinis: horum autem Sacramentorum vsus prohibetur per interdictum. de contractione autem Matrimonij sine solemnitatibus est controuersia, an prohibeatur nec ne: & quia Benedictio nuptialis comprehenditur in Diuinis Officijs, quæ per interdictum vetantur; idcirco per hanc Bullam conceditur non obstante interdicto. Priuilegium istud circa prædictorum Sacramentorum exercitium intelligitur concessum cum limitationibus, sub quibus celebratio Missæ, & reliquorum Diuinorum Officiorum conceditur, videlicet, vt priuilegiatus, & locus non sint speciali interdicto affecti, neq; ipse priuilegiatus dederit caussam interdicto; aut per ipsum non stet quin tollatur. *ibid. cap.3.*

Priuilegium de receptione Eucharistiæ intelligitur datum excepto die Paschę. per diem autem Paschæ non intelligitur præcisus dies ille, in quo celebratur Resurrectio Domini; sed totum illud tempus; in quo satisfieri potest præcepto Ecclesiastico de sumenda Eucharistia, quod durat per qsindecim dies, nempe à Dominica palmarum vsq; ad Dominicam in albis inclusiuè: attamen qui intra prædictum tempus præceptum adimpleuerit probabilius est posse postea per Cruciatam, ex deuotione Eucharistiam sumere in die solemni Paschæ in suo priuato Oratorio. *ibid. sect.2.*

§. XI.

§. XI.

M*Ortuorum corpora (nisi forte vinculo excōmunicationis innodati decesserint) cum moderata funerali pompa sepeliri, &c.* Hoc est tertium priuilegium, quod per Bullam conceditur contra ius commune, dum viget interdictum; Ad eius autem vsum non sufficit, si quis tempore interdicti sumat Bullam pro defuncto sepeliendo; nam hoc priuilegium est pro viuis concessum, vt post eorum mortem sepeliri possint in loco sacro dum interdictum durat: & hoc patet, quia priuilegium istud in Bulla ipsa viuorum appositum fuit, & aperte colligitur ex verbis, quæ extant in clausula huius priuilegij, quæ diriguntur ad ipsos viuentes. Hoc priuilegium fauet etiam Clericis, non quoad substantiam sepulturæ, sed quoad aliquam circumstātiam, quia licet secundum ius commune possint tempore interdicti in loco sacro sepeliri, attamen sine pompa, sed vi Cruciatæ possunt cum moderata pompa sepeliri. *ibidem.cap.5.sect.1.2.3.*

Pompa ista, quæ per hanc Bullam conceditur est quædam solemnitas in honorem defuncti. Duplex est politica, & Ecclesiastica, de illa non est sermo; quia non cadit sub prohibitionem sacrorum canonum, consistit autem in comitatu famulorum, virorum nobilium, &c. Sed sermo est de ecclesiastica, quæ sita est im comitatu Clericorum, Religiosorum, in luminibus, pulsatione campanarum, &c. *ibidem. sect. 4.*

Moderatio requisita est attendenda iuxta consuetudinem loci, vel iuxta arbitrium Episcopi attentis omnibus circumstantijs loci, & temporis, attenta etiam qualitate personæ defunctæ, &c. Dum fit funus Missa celebrari non potest vi huius Bullæ, quia sub pompa funerali non cōtinentur Diuina Officia, inter quæ est Missa, ideoq; peracto funere claudi debent ianuæ Ecclesiæ, & excludi personæ non priuilegiatæ, & postea poterit sacrum fieri pro anima defuncti. *ibidem.*

Apponitur quædam limitatio, videlicet ne defunctus decesserit maiori excommunicatione irretitus, tunc enim non poterit sepeliri in locro sacro. Priuilegium istud Bullæ, per se loquendo, non extenditur ad locum specialiter interdictum, quia verba, quibus priuilegium conceditur diriguntur ad interdictum generale locale: secùs dicendum, si interdictum speciale in aliquo casu æquiualeret generali, quod tunc eueniret, quando omnes Ecclesiæ, & cœmiteria alicuius Ciuitatis, aut oppidi inuenirentur singulæ specialiter interdictæ, vel in eodem loco vna tātum reperiretur Ecclesia. &c. In vtroq; casu fauet priuilegium Cruciatæ in ordine ad sepeliendum in loco sacro. *ibidem. sect. 5.*

Est probabile Clericos sepeliri posse in propria Ecclesia, quamuis sit specialiter interdicta. *ibidem.*

Extra tempus interdicti probabile est posse extraneos virtute Bullæ Cruciatæ sacrum celebrare in prædictis oratorijs, si priuilegiatus sit Sacerdos etiam si ab alio celebratum sit vigore Breuis particularis à Pontifice concessi: vel virtute eiusdem Bullæ sacrum ibi audire: & hoc etiam in festis solemnioribus, in quibus vi illius Breuis non est licitum in Oratorio priuato celebrare, aut sacro assistere, attamen saltem in festis valde solemnibus, vt in die Paschæ Resurrectionis Dominicæ, & in die Natiuitatis Domini consulendum est in praxi, vt priuilegiati publice in Ecclesijs præceptum impleant interueniendi sacro. *ibidem. cap. 4. sect. 1. 2.*

Vi huius Bullæ sumi non posse Eucharistiam à quocumq; Sacerdote absq; licentia proprij Parochi quia in ipsa Bulla nulla fit mentio de tali priuilegio, licet aliqui partem affirmatiuam tueantur, satis autem erit licentia Parochi rationabiliter præsumpta. *ibidem. sect. 3,*

§. XII.

V*T dicto anno durante in omnibus, & singulis Regnis, &c. & non extra illa carnibus de consilio vtriusq; medici temporibus ieiuniorum totius anni etiam quadragesimalibus vesci, &c.* Huius priuilegij vtilitas consistit in hoc, quod quando dubia est caussa excusans à præcepto, non requiritur dispensatio ab Episcopo, aut Parocho, sed satis est consilium medici, & Confessarij: quod tamen absque Bulla non sufficeret: ideoque esset necessaria dispensatio prædicta. Consilium autem vtriusq; medici non disiunctiuè, sed copulatiuè requiritur. *Par. 2. tract. 3. cap. 1. sect. 1.*

Quoad qualitates, quæ in vtroq; medico postulantur, aduertendum est, non oportere

tere

tere, vt Confessarius in actuali confessione consilium illud præstet, neque esse necessarium, vt sit Confessarius ipsius priuilegiati, neq; vt ipse Sacerdos debeat esse approbatus ab Ordinario ad confessionem. dicitur autem medicus spiritualis, nō ex actuali iurisdictione, sed ex Ordine Sacerdotali adnexam habente potestatem absoluendi; idcirco medicus iste spiritualis debet esse Sacerdos. nam Pontifex Sacerdotibus committere voluit hoc iudicium, quia prudentiores esse solent. & hæc de medico spirituali. Medicus verò corporalis est ille, qui deputatus est ad curandos morbos hominum: & debet esse medicus per actualem professionem medicinæ. *ibid. sect. 2.*

Ac pro eorum libito ouis, & lacticinijs, &c. Pontifex extendit priuilegium, inquantum permittit in prædictis diebus, & libitum fuerit, vesci ouis, & lacticinijs. *ibidem. cap. 2.*

Ita quod qui carnes non comederint, seruata in cæteris ieiunij ecclesiastici forma, dicto ieiunio satisfecisse censeantur. Per hæc verba declaratur; eos, qui vi Bullæ oua, & lacticinia comedunt, satisfacere præcepto Ecclesiæ de ieiunando, si seruent reliqua, quæ ad substantiam ieiunij desiderantur, nempe vt vnica sit comestio circa meridiem, & vespere sit abstinentia à cœna, quamuis licita sit consueta cœnula. *ibidem. sect. 4.*

Et sub hoc indulto vescendi carnibus, ouis, &c. comprehenduntur omnes cuiusuis militiæ Regulares. Explicitè sub priuilegio isto ponuntur Regulares militares, vt sunt hierosolymitani, equites. S. Iacobi, Alcantarę, Calatrauę, &c. expressa autem horum Regularium mentio fit, quia mox, vt videbimus, excludendi sunt cæteri Regulares. *ibidem. sect. 2. §. 4.*

Patriarchis vero, Archiepiscopis, & Episcopis, alijsq; inferioribus Prælatis, nec non alijs personis ecclesiasticis Regularibus, & qui in ordine Presbyteratus fuerint sæcularibus, id minimè conceditur, nisi sexagenarij fuerint. Enumerātur personæ ab hoc indulto exclusæ, & tales sunt Patriarchæ, qui sūt sūmi Patrū: Primates vero distinguūtur à Patriarchis, inquantū sunt minus principales Patriarchæ. Excluduntur etiam Archiepiscopi, qui dicuntur Principes Episcoporum, Metropolitani, &c. Et rursus Episcopi, & alij Prælati inferiores, vt sunt Abbates, & Superiores Regulares, nempe Generales, Prouinciales, Guardiani, Rectores, &c. Excluduntur etiam Regulares, nimirum illi, qui in Religione approbata sua vota substantialia emiserunt: attamen sub nomine Regularium in hac clausula exclusiua non continentur Nouitij, qui in odiosis non veniunt sub nomine Regularium. Excluduntur deniq; Presbyteri etiam seculares. *ibidem. sect. 2.*

Cæterum in exclusione prædicta quædā apponitur limitatio, nam Pontifex eisdem personis prius exclusis concedit, vt peruenientes ad sexagesimum ætatis annum, hoc priuilegio frui valeant. *ibidem. sect. 3.*

Sub nomine autem lacticiniorum, quatenus distinguntur ab ouis, comprehenduntur lac, caseus, & reliqua ex lacte confecta, & in quibusdam regionibus sagimen ex adipe suina. *ibidem. cap. 3. sect. 1. 2. & 3.*

§. XIII.

E*Rogantes prędicti, qui diebus ieiunio non suppositis, ad implorandum Diuinum auxilium pro vnione, & victoria prædictis, &c.* Conceduntur in hoc paragrapho quindecim anni, totidemq; quadragenæ de pœnitentijs iniunctis, nempe de pœnitentijs, quæ à sacris canonibus pœnitentialibus impositæ sunt pro quibusdam grauibus delictis. Hæ autem pœnitentiæ habentur in fine Decreti post tertiam partem. Per annos, & dies in hoc paragrapho intelliguntur anni, & dies præsentis vitæ, nō autem illi, in quibus durat pœna Purgatorij, sed si agatur de Purgatorio, remittitur per hanc indulgentiam, ea pœna, quæ toto eo tempore, quod respondet quindecim annis, aut tot diebus, in quibus pœnitentia in hac vita iuxta grauitatem delicti erat luenda. Quanta autem determinatè sit pœna ista Purgatorij respondens tempori prædicto huius vitæ à nobis sciri nequit. *Par. 2. tract. 4. cap. 1.*

Indulgentiæ istæ toties quoties durāte anno promulgationis huius Bullæ lucrifieri possunt, peragendo ea, quæ præscribuntur ad illas obtinendas. *ibidem. sect. 1.*

Indulgentiæ istæ extenduntur non solùm ad pœnitentias iniunctas, verum etiam iniungendas. *ibidem. sect. 2.*

Ex vi talis concessionis non debet inferri, per has indulgentias remitti pœnitentiam à Confessario sacramentaliter iniunctam. nam & si speculatiuè probabilis sit

pœni-

pœnitentem eximi ab onore pœnitentiæ sacramentalis per acquisitionem harum indulgentiarum; tamen practicè id non est admittendum, saltem ob incertitudinem, quam in hac vita habemus de consecutione harum indulgentiarum. *ibidem. sect. 3.*

Priuilegium huius Bullę non extenditur ad remittendas pœnas impositas à Iudice in foro externo pro aliquo delicto patrato. *ibidem sect. 4.*

Additur in hoc eodem paragrapho alia gratia per quam Pontifex concedit priuilegiato exhibenti prædicta, participationem, seu communicationem omnium bonorum operum, quæ in Ecclesia ab alijs fidelibus fiunt. communicatio autē ista est specialis, & distincta ab ea quæ reperitur inter fideles vinculo charitatis coniunctas, & probabiliter consistit in participatione illarum satisfactionum, quæ fiunt ab hominibus iustis, quibus non indigent: & ideo repositę sunt in Ecclesiæ thesauro: Rursus præstantes opera prædicta iniuncta merentur, vt ipsis concedatur à Deo aliquod donum siue ordinis supernaturalis, siue naturalis mediante Impetratione aliorum fidelium iustorum, v. g. vt quis conseruetur in gratia, vel vt aliquod temporale bonum acquirat. *ibidem. cap. 2.*

§. XIV.

QVi dicto anno durante in singulis diebus Stationum almæ vrbis quinque Ecclesias seu altaria, seu in illorum defectum quinquies vnum altare deuotè visitauerint, &c.

Visitatio ista in indiuiduo debet esse moraliter bona, itaut non sufficiat esse ex suo genere honesta, si in particulari sit mala; nam præscribitur, vt patet ex tenore Bullæ, visitatio deuota; aduertendum tamen est non impediri fructum indulgentiæ, si visitatio efficiatur mala moraliter ob aliquam circumstantiā omnino extrinsecam, dummodo ex sua differentia indiuiduali sit moraliter bona; v. g. si fiat cum distractione aliqua voluntaria, cum aliqua immodestia. *ibidem.*

Visitatio debet fieri ob finem à Pontifice præscriptum. sufficit vt oratio, quæ fit in visitatione ipsa sit mentalis; probabilius est non posse pluries eadem die lucrifieri. Indulgentias harum stationum probabilius est esse plenarias, seu totales, licet aliqui velint esse partiales; & non plenarias. Hæ indulgentię stationum possunt pro defunctis per modum suffragij applicari, vt dicitur in ipsomet Bullæ contextu.

§. XV.

QVo omnes, & singuli prædicti puriùs ad Deum preces fundere, & efficacius diuinum auxilium implorare possint, conceditur, vt possint eligere Confessorem sęcularem, vel cuiuscumq; etiam Mendicantium Ordinum Regularium, ex ijs, qui ab Ordinarijs, & quoad Regulares semel tantum approbati fuerint, &c.

Datur sumentibus hanc Bullam facultas eligendi quemcumq; Confessarium siue sæcularem, siue Regularem, cum hac tamen conditione, vt approbationem habeat ab Ordinario. *Tract. 5. cap. 1.*

Quis autem sit ille Ordinarius, qui iuridicè, & legitimè approbare valeat, est valde controuersum apud Authores: nam alij volunt esse Episcopum pœnitentis, alij vero Episcopum Confessarij, alij Episcopum illius loci in quo fit confessio. *ibidem. 1. sect. 2.*

Sub Regularibus comprehenduntur in prędicta facultate etiam Equites. S. Ioannis hierosolymitani; de equitibus verò Alcantaræ, Calatrauæ, & S. Iacobi res est dubia; quia non est certum hos esse veros Religiosos. *ibidem.*

Regulares, si à proprio Superiore præsententur Episcopo, vt ab illo approbentur, ab eodem Episcopo iniustè repellantur, probabilius est non censeri sufficiēter approbatos: nam Tridentinum requirit veram, & positiuam approbationem ad hoc vt sint iurisdictionis capaces. *ibidem.*

Regulares approbati præuio examine nequeunt ab eodem Episcopo iterum examinari, neq; eorum approbatio reuocari potest per se loquendo, nisi ob aliquod delictum ad ipsum Sacramentum Pœnitentiæ spectans; per accidens autem poterit iterum examinari, vt si comperiatur Regularem aliquem obliuione, vel aliquo morbo defecisse notabiliter à doctrina, quam habebat tēpore approbationis. *ibidem.*

Et ab eo quorumcumq; peccatorum, & censurarum, (etiam Sedi Apostolicæ, & in Bulla cenæ Domini reseruatorum, & reseruatarum) plenariam indulgentiam, & remissionem semel in vita, & semel in mortis articulo: aliorum vero Sedi Apostolicæ non reseruatorum,

b ac

ac reseruatarum toties quoties confitebuntur, absolutionem, & remissionem mediante salutari pænitentia secundum culparum exigentiam obtinere, &c.

Circa casus Summo Pontifici reseruatos, (& idem dico de censuris, quæ eisdem casibus sunt annexæ) aduertendum est, quod dictio illa, semel, non restringit facultatem, quæ per hanc Bullam conceditur, ad speciem peccati tantum, sed ad genus, & sensus est, vi huius Bullæ non posse pœnitentem absolui à reseruatis Pontifici in eodem anno, nisi vna dumtaxat vice. *Parte eodem. tract. 6. cap. 1. sect. 1.*

Si quis non sit vsus potestate Cruciatæ circa absolutionem à peccatis, & censuris non poterit frui Bullis præteritis elapso anno, & virtute illarum absolui, quia elapso anno fuerunt extinctæ. *ibidem sect. 2.*

Facultas ista absoluendi à censuris, & peccatis reseruatis extenditur non solum ad commissa ante sumptionem Bullæ, sed etiam ad ea, quæ postea intra eumdem annum committentur, quia in ipsa Bulla hæc limitatio non reperitur; imò dum dicitur, ipsam Bullam vigorem habere durante anno promulgationis, videtur consequẽter affirmari eius priuilegia tum ante, tum post receptionem Bullæ habere vigorem, nisi quoad aliqua limitetur. *ibidem. sect. 7.*

Quamuis aliquis in confidentiam huius Bullæ in peccata reseruata labatur, hoc nõ obstante contra nonnullos est asserendum, posse vi eiusdem absolui ab illis peccatis; quia in ipso priuilegio Cruciatæ talis restrictio non habetur, proinde non est limitatè interpretandum. *ibidem. sect. 8.*

Spectato tenore præsentis Bullæ, absolutio à solis censuris conferri poterit extra Sacramentum Pœnitentiæ; quia nulla est connexio inter absolutionem à peccatis, & absolutionem à cẽsuris, & ista poterit ab illa separari, vt praxis manifestè indicat: hæc autem opinio est contra aliquos, qui volunt absolutionem à censuris vi Cruciatæ dandam esse intra confessionem sacramentalem, quia potestas absoluendi Confessario committitur: at ista ratio non vrget, nam commissio tribuitur Confessario non vt exercenti munus Confessarij, sed Confessario habenti potestatem excipiendi confessiones; & hoc quia Confessarij approbati præsumuntur habere sufficientem scientiam circa ea, quæ sunt necessaria ad tollendas censuras. *ibid. sect. 9.*

Casus Summo Pontifici reseruati etiam si sint occulti, probabilius videtur absolui non posse vi huius Bullæ toties quoties etiã intra eumdem annum, licet à quibusdam pars affirmatiua defendatur: & ratio est quia quod sint occulti non tollit ab illis reseruationem, & quamuis dum sunt occulti ab Episcopo remitti valeant; tamen id fit ab Episcopo tamquam à Delegato Summi Pontificis, ideoq; hi casus non debent existimari Episcopales, quia potestas ad illos auferendos non competit Episcopo iure Ordinario proprio, sed iure Ordinario Delegato, & dum in hac Bulla datur facultas absoluendi à casibus Episcopo reseruatis toties quoties, id est intelligendum de casibus, qui ad eumdem Episcopum pertinent verè proprie. *ibid. sect. 10.*

Nemo vi huius Bullæ absolui potest à crimine hæresis externæ quantumuis occultæ; nam licet in Bulla latina plumbea exceptio hæresis non habeatur, ponitur tamen expresè in transumpto linguæ Italicæ *ibid. cap. 2. sect. 2.*

In facultate absoluendi à casibus Bullæ cœnæ non comprehendi delictum hæresis, nisi de illo fiat explicita mentio censent plures, & graues Authores; licet nonnulli oppositum tueantur; alij verò distinguentes dicunt comprehendi sub illa facultate hæresim externam occultam, non autem publicam.

Delicta, quæ continentur in primo canone Bullæ cœnæ, si hæresim excipiamus, remitti possunt per Cruciatam, & ratio est, quia sola hæresis excipitur in facultate illa generali absoluendi ab omnibus casibus, & censuris, etiam contentis in Bulla cœnæ. *ibid. sect. 4.*

Virtute huius Cruciatæ absolui possunt fideles toties quoties à casibus Sanctæ Inquisitioni reseruatis, nisi casus isti sint ex illis, qui ad Summum Pontificem spectant. nam in hoc diplomate dumtaxat de casibus papalibus præscribitur, semel vi eiusdem Bullæ dari posse absolutionem, exceptio autem vnius firmat regulam pro alijs non exceptis, de quibus dicitur posse toties quoties remitti etiam eodem anno. *ibid. sect. 5.*

Si pœnitẽs nequeat ante absolutionẽ exhibere satisfactionem parti læsæ, poterit, & validè, & licitè vi Cruciatæ absolui ab excommunicatione contracta ob iniuriam cõtra proximum illatam: nam conditio satisfactionis, quæ in Bulla exigitur intelligenda est quando satisfactio est moraliter possibilis. *sect. 7.*

Si pœnitens ante absolutionem poterit satisfactionem præmittere, si Confessarius omissa satisfactione illum absoluat grauiter peccabit, nisi ob ignorantiam, aut alia ratio-

tio-

tionabili caussa excusetur, facit enim contra Ecclesiæ præceptum non seruando Ordinem Iuris. *ibidem.*

An autem inualidè det absolutionem vi huius Bullę est apud Authores controuersum: probabilius tamen mihi videtur absolutio nō esse irrita, quia clausula de satisfacienda parte ante absolutionem non se habet vt forma, sed solum, vt quædā admonitio, per quam Confessarius admonetur ne absoluat pœnitentem à censura, nisi præmissa satisfactione, quando dari potest, vt à iure præscribitur; proinde cum in Bulla petatur talis satisfactio, eo modo, quo in ipso iure communi exigitur: in iure autem, quamuis postuletur satisfactio, tamen non ita petitur, vt aliter faciendo actus irritetur. *ibidem*,

Quando satisfactio dari nequit, præstanda erit à pœnitente cautio iuris, quæ triplex est, videlicet pignoratitia, fideiussoria, & iuratoria, & inter has tres species cautionis probabilius est hunc Ordinem, sub quo enumerantur, seruādum esse, itaut in defectu primæ cautionis, quæ dari non potest detur secunda, in defectu secundæ detur tertia. *ibidem.sect.8.*

Facultas absoluendi ab excommunicatione, quæ in hac Bulla conceditur extenditur etiam ad excōmunicatos denuntiatos, quia in Bulla potestas ista non datur cum hac limitatione, videlicet, ne vi eius denuntiati absoluantur. oppositum censent alij. *Tract.eodem.cap.3.sect.1.*

Absens absolui potest vi Bullæ ab excōmunicatione ex suppositione, quod absolutio à censuris non sit necessariò præstanda in Sacramento Pœnitentiæ, nam facultas ista, vt nunc supponimus data est independenter ab actuali confessione; at sine caussa rationabili, & proportionata non erit licitum absentem absoluere. *ibidem.sect.2.*

Non potest inuitus absolui virtute Cruciatæ à censuris quia priuilegium illud est in gratiam ipsius pœnitētis, & quoad hunc effectum ab eius voluntate depēdet, proinde ipso pœnitente inuito inutiliter per hanc Bullam absolueretur. *ibiem. sect.3.*

Absolutio à censuris sub conditione de præterito, aut præsenti est valida; & probabiliùs est etiam de futuro contra nonnullos, sicuti enim potest excommunicatio ferri sub conditione de futuro sicuti præceptum, & dispensatio; ita & absolutio à censuris: quamuis adhoc vt sit licita requiratur rationabilis caussa. *Tract. eod.cap.4.sect.1.*

Vi huius Bullæ poterit dari absolutio, quam vocant ad cautelam; & ratio est, quia sicuti per hanc Bullam datur potestas absolnendi quando Confessarius certitudinem habet de censura contracta; ita intelligitur concessa facultas absoluendi; ad cautelam quando est dubium an pœnitens sit censura affectus. *sect.2.*

Non potest vi Cruciatæ dari absolutio à censuris ad reincidentiam, quia per ipsam Bullam non conceditur potestas ferendi censuram neq; eam suspendendi; sed solum datur facultas absoluendi: absoluere autem ad reincidentiam supponit in absoluente potestatem ferendi censuram illam, à qua eo modo absoluitur. *ibid.sect.3.*

Non oportet per se loquēdo in absolutione à cēsuris exprimere caussam, per quam pœnitens incurrerit censuram: in quibusdam tamen casibus est exprimenda talis caussa: & tunc licitè nequit omitti expressio caussæ. *sect.4.*

Nulla est determinata forma absolutionis à censura, & quamuis in ipso diplomate appareat quædam verborum forma: tamen illa non apponitur, vt necessaria, sed ex deuotione. eadem numero forma qua absoluuntur peccata poterit absolui censura; sufficit enim intentio absoluentis, per quam vult pœnitentem ab illa censura liberare. *ibidem.sect.5.*

Absolutio à censuris per iniustum metum extorta est irrita, & idem erit dicendum si per dolum versantem circa caussam finalem habeatur. *ibidem.sect.6.*

Cum per hanc Bullam quis absoluitur ab excommunicatione in foro tantum conscientiæ probabilius est non esse necessarium iuramentum præstandum à pœnitente de parendo præceptis Ecclesiæ; nam iura, quæ talę exigunt iuramentum loquuntur, quando absolutio confertur pro foro externo, vt pœnitens absolutus possit cogi ad implenda ea, quę per iuramentum promisit. *ibidem.sect.7.*

Absolutio data per hanc Bullam non suffragatur pœnitenti in foro externo, & iudiciali: aliter perturbarentur iurisdictiones cum scandalo, &c. hoc est iam definitum ab Vrb. VIII. per constitutionem latam anno. 1630. die 19. Iunij, quæ constitutio incipit. *In specula*, & extat *in tom.4. Bullarij. tract. eodem. cap.5.*

Si quis sit in foro conscientię per Bullam ab excommunicatione occulta absolutus poterit remoto scandalo cum alijs, qui sciunt, ipsum esse absolutum absque peccato communicare; tunc enim nullum infertur pręiudicium Iudici, qui excommunicauit:

b 2 si vero

si vero caussa delata fuerit ad forum contentiosum,& pro eodem foro absolutio data per Bullam minimè cõstet,non poterit absolutus per Bullam communicare, etiam si publicè à personis priuatis sciatur ipsum absolutum fuisse: quia dum non constat in foro iuridiciali absolutio,communicatio esset in contemptum Superioris, & contra obedientiam illi debitam.*ibidem.sect.*1.

Absolutio data per hanc Bullam in articulo mortis plura habet commoda: nam absolutus à quacumq; censura si conualescat non tenetur se præsentare coram legitimo Superiore, sicuti teneretur absolutus non vi priuilegij. *ibidem.*

Rursus excõmunicatus in articulo mortis excõmunicatione reseruata vi Bullæ,poterit absolui à quocumq; simplici Cõfessario etiã præsente Sacerdote,qui habet facultatem aliunde absoluendi censuram illam reseruatam: quod fieri nõ posset sine Bulla,aut simili priuilegio. nam licet controuersum sit loquendo de absolutione à peccatis videlicet an in mortis articulo possit quis absolui à simplici Sacerdote, quando est, pręsens alius approbatus; tamen loquendo de absolutione à censuris est certum; id absq; priuilegio fieri non posse.*ibidem sect.*2.

Idẽ puto esse dicendũ de articulo mortis pręsũpto, & etiã de periculo, quãuis nõnulli id negẽt: per Bullã Cruciatę potest priuilegiatus absolui ab omni suspẽsione quę lata est in medicinã, & etiã ab ea,quę per indebitã Sacrorũ Ordinũ susceptionem fuit contracta: nam facultas in hac Bulla nõ est limitata quoad hunc effectum. *C.7.sect.*1.

Non potest per hanc Bullam tolli suspensio,quæ datur in puram pœnam, & viridicam,nam ista nõ est propriè loquendo censura,de cuius ratio est esse in medicinam, & non in vindictam.*ibidem.*

Poterit per eamdem Bullam tolli omne interdictũ,quod est proprie censura,& est interdictum generale siue locale,siue personale.secùs autem erit si interdictum generale personale erit impositum sub ratione puræ pœnę ob peccatum pręteritum:tunc enim non erit propriè censura,proinde nõ contineretur sub obiecto facultatis absoluendi collatę per hanc Bullam.poterit etiam tolli interdictum personale particulare, nempe illud,quod fertur in vnam,aut plures personas singulares distributiuè impositum ob aliquam contumaciam earumdem personarum; debent tamen personę ipsę interdictæ,adhoc vt absolutio sit valida,recedere à contumacia *ibidem sect.*2.

Nequit per Bullam tolli cessatio à Diuinis; quia non est censura, sed pura pœna, idemque ob eamdem rationem dicendum est de depositione, & degradatione, sunt enim purę pœnę.*ibidem.sect.*3.

Nulla irregularitas auferri potest vi Cruciatæ,quia nõ est censura,licet plures partem affirmatiuam sustineant loquentes de irregularitate orta ex delicto non inuoluẽte defectum significationis.*sect.*4.

Modo etiam in casibus,in quibus necessaria erit per ipsos,vel dato impedimento per hæredes,aut alios satisfactio fiat. Declarat Pontifex his verbis conditionem quamdam, sub qua conceditur facultas,vt priuilegiati per sumptionem huius Bullæ absolni valeant à casibus,& censuris reseruatis, conditio autem est exhibitio satisfactionis illi, cui debetur,& si ab ipsismet,qui absoluuntur satisfactio ob aliquod rationabile impedimẽtum pręstari nequeat in tali casu permittit Pontifex vt per hęredes ipsius priuilegiati, fiat aut per alium,cui committatur.Conditio ista est secundum ius commune, & cum non exigatur diuerso seu strictiori modo ab eo,quo à iure præcipitur, idcirco intelligenda est iuxta regulas eiusdem iuris,& de hac re superius nonnulla tacta sunt. *Par.2. tract.6.cap.2.sect.*7.

Et illis vota omnia (Vltramarino,castitatis,& Religionis votis dumtaxat exceptis) in aliquod subsidium huius expeditionis per eumdem Confessorem commutari. Horum verborum sensus dependet à verbis præcedentibus, & cum illis connectitur, hoc modo cõceditur prædictis,nempe erogantibus eleemosynam pręscriptam,& sumentibus Bullam,vt possint eligere Confessarium approbatum,&c. Vt ab illo commutationem votorum omnium,exceptis tribus enumeratis obtineant. Quamuis vouens possit propria auctoritate suum votum in melius commutare quid autem sit melius in *Tract.7.cap.1.sect.*1.

Declaratur tamen probabilius esse non posse commutare votum propria auctoritate in euidenter ęquale;poterit autem commutatio ista fieri per Bullam; si vero coniungatur cum euidentia ęqualitatis,probabilitas, seu dubium rationabile,id in quod fit commutatio esse melius, tunc poterit vouens propria auctoritate commutare:secùs autem si non sit euidentia prædicta,& solum probabilitas, seu dubitatio cum de æqualitate, tum de excessu, tunc enim non poterit votum propria auctoritate commutare,

mutare, & hoc pacto sunt explicandi *Saurbes, & alij, quos retulimus par. 2. tract. 7. cap.1.sect.1.*

Vi Cruciatæ certum est votum in æquale commutari posse, quia tunc commutatio fit auctoritate Superioris.*ibidem.*

Probabilius est non posse fieri in bonum minus, quia vt sic includeretur dispẽsatio, ad quam Bulla hæc non extenditur.*ibidem.sect.3.*

Ad commutanda vota per facultatem Cruciatę nulla alia requiritur caussa pręter eam, quæ habetur ad ipsam Cruciatam concedendam.*ibidem.sect.5.*

Tum vota ante sumptionem huius Bullę, tum ea, quę post sumptionem emissa, sunt commutari possunt vi eiusdem Bullę quia priuilegium non restringitur ad sola vota antecedentia.*ibidem.sect.6.*

Potest commutatio vi Bullę fieri extra Sacramentum Pœnitentię: debet tamen fieri à Confessario approbato, qui non oportet, vt sit proprius vouentis Confessarius, sed satis erit posse eius confessionem audire.*ibidem.sect.7.*

In Bulla non datur potestas dispensandi in votis.*ibidem, sect.8.*

Facultas, quę datur ad commutanda vota extenditur ad iuramenta, quę sine pręiudicio tertię personę, commutari valent, quia in ordine ad talem commutationem, votum, & iuramentum soli Deo factum equiparantur.*ibidem.sect. 10.*

Hęc autem sententia locum habet etiam, quando, & votum, & iuramentum absq; connexione concurrunt circa eamdem materiam; nam vnum vinculum per alterius vinculi coniunctionem non mutat naturam, proinde si vtrumq; vinculum seorsim est commutabile per hanc Bullam erit etiam, & coniunctum.*ibidem.*

Commutationem hanc debere fieri in subsidium Cruciatę, & sacræ expeditionis est manifestum; quia in ipsomet diplomate expresse cauetur. dubium est an tale subsidium debeat esse temporale nempe in eleemosyna, an vero sufficiat esse spirituale videlicet in orationibus, ieiunijs, &c. Dicimus autem probabilius esse subsidium esse faciendum in pecunijs sacræ expeditioni applicatis. limitatur hæc sententia quando vouens, qui commutationem postulat, est adeo pauper, vt nequeat pecuniam erogare, tunc ex præsumpta Pontificis voluntate, probabile est fieri posse in subsidium spirituale.*ibidem sect.11.*

Commutatio ista debet fieri intra annum promulgationis: quia post annum Bulla præterita omnem amittit efficaciam.*ibidem.sect.12.*

Satis autem erit si intra annum seu tempore habili fiat commutatio confusè, seu generice; poterit enim transacto anno determinari.*ibidem.* §.1.

Priuilegium commutandi vota cõcessum in hac Bulla extẽditur ad omnia vota in quacumque materia sint emissa, exceptis tamen illis tribus Vltramarino, castitatis, & religionis: & idem est asserendum de iuramento, quando fertur in aliquam ex prædictis tribus materijs reseruatis.*Tract.eod.cap.2.sect.1.*

Prædicta tria vota excepta quando sunt pœnalia probabilius est posse vi Bullæ cõmutari, siue ante pœnam incursam, vt quibusdam placet, siue post, & ratio fundatur in eo, quod reseruatio ista est odiosa, proinde restringenda, & explicanda, de illis tantum votis, quorum obligationem vouens directe, & per se appetit: obligationem vero resultantem ex voto pœnali nõ appetit, imò potius detestatur sed desiderans se continere ab aliqua actione imponit sibi votum illius, cuius obligationem abominatur: hoc autem repugnat perfectioni voti, illudq; in ratione voluntarij deprimit, idcirco sub tali imperfectione non censetur à Pontifice reseruatum: nam Pontifex videtur sibi reseruare votum, cuius obligationem vouens amat, & absolute illam appetit. *ibidem.sect.2.*

Votum conditionale in materia reseruata, prout distinguitur ab eo, quod est purè pœnale; probabilius puto neque esse reseruatum: licet hoc non sit in eodem gradu probabilitatis in quo est pręcedens opinio; sed in minori, quia promissio ista conditionalis non inuoluit illam imperfectionem, quæ reperitur in promissione pœnali. at hoc non obstante dicimus non esse reseruatum siue sumatur ante, vt volunt aliqui, siue post conditionem adimpletam, quia obligatio huius voti dependet à futuro euentu, atque adeo caret illa immobilitate, quæ inuenitur in voto absolutè, emisso; & sic inbibitum habens imperfectũ consensum reddit votum ipsum imperfectum, & cum addito: at reseruatio ista coarctanda est ad vota simpliciter dicta.*ibid.sect.3.*

Quod dictum est de voto idem dicendum est de iuramento, pœnali, aut conditionali, cum cadit supra has materias.*ibidem.sect.6.*

Materia, quam Pontifex subrogauit loco materię reseruatę, si aliundè non est reser-

reseruata poterit vi Bullæ commutari in aliam materiam. *ibidem. §. 4.*

Si vouens non exequitur commutationem habitam de voto reseruato non ideo votum fit reseruatum. *ibidem.* §. 5.

Votum peregrinationis hierosolymitanæ non solùm est reseruatum quando fit in subsidium terræ Sanctæ, sed etiam dum emittitur deuotionis caussa ad visitanda loca illa pia. *Cap. eodem. 2. sect. 6.*

Votum perseuerantiæ in Religione aliqua non est reseruatum, & potest vi Cruciatæ commutari: sic etiam votum arctioris Religionis in aliam minùs arctam; tunc enim commutatio non cadit supra reseruationem, seu supra substantiam voti Religionis vt sic, sed supra qualitatem superadditam. *ibid.*

Plures alij deciduntur casus circa votorum commutationes, & demum ponitur praxis quædam, & exempla commutandi vota virtute huius Bullæ, quæ omnia habentur infra *in tract. 7. par. 2.* quam instituimus ad hanc explicationem confirmandam, & plenius intelligendam.

§. XVI.

S*I dicto anno durante contingat per repentinam mortem, vel confessorum absentiam sine confessione decedere (modo contriti decesserint, & prius statuto tempore confessi fuerint plenariam, vt supra, remissionem consequantur.* Indulgentia ista, quæ est plenaria debet applicari à Confessario, vt patet ex ipsomet cotextu, & non facta tali applicatione pœnitens indulgentiam non lucrabitur. *Par. 2. tract. 4. cap. 5.*

Si applicatio huius indulgentiæ fieri debet in ipsomet Sacramento Pœnitentiæ tũc certum erit eum, qui applicat debere esse Confessarium approbatum, & electum ab ipsomet pœnitente, aliter inualidum esset Sacramentum; si vero non oporteat applicationem hanc fieri in confessione sacramentali, vt aliqui putant tunc non erit necessaria approbatio; & hoc vltimum mihi videtur probabilius, quia nulla appareat connexio ex natura rei inter hanc applicationẽ, & confessionem sacramẽtalem; proinde facultas applicandi indulgentiam non est coarctanda intra Sacramentum Pœnitentię: quapropter si remoueatur necessitas confessionis ad applicandum, nulla erit necessitas approbationis, nam applicatio non requirit tantam peritiam in applicante, vt expostulet approbationem factam ab Ordinario. *ibidem.*

Probabile est indulgentiam istam applicari posse à nõ Sacerdote nempe ab eo, qui solam primam tonsuram habet, & in eius defectu à laico, quia non est actus Ordinis, sed iurisdictionis, licet etiam oppositum videlicet à solo Sacerdote fieri possit, & hoc est conformius textui significanti Sacerdotem. *ibidem. sect. 4.*

Indulgentia ista obtineri potest etiam in articulo mortis præsumpto; & probabiliter etiam dicimus idem de periculo mortis. *ibidem.*

Per eamdem Bullam nequit, nisi semel, obtineri indulgentia ista; quia ita præscribitur in ipso diplomate. *ibidem.*

Aliqui volunt dari posse sub conditione scilicet si mors est sequutura vi illius ægritudinis, alij vero negant. *ibid.*

Si quis repentina morte recedat ex hac vita, & non habuit opportunitatem confitendi poterit lucrari hanc indulgentiã tribus positis conditionibus, quas explicitè in ipso textu requirit Pontifex primo vt qui ita moritur habuerit antea cõtritionem peccatorum mortalium non deletorum, & si habuerit solum venialia, probabile est non requiri contritionem strictè acceptam. Secundo, vt tempore ab Ecclesia præfixo sacramentaliter sit confessus. Tertio, vt non fuerit negligens, & in confidentiam huius indulgentiæ omiserit pœnitentiam agere de peccatis commissis. *ibidem.*

§. XVII.

M*Andatur, vt summarium hoc per omnes Christi fideles ad prædictum bellum contribuẽtes, qui huiusmodi gratiarũ participes esse voluerint recipiatur, & retineatur, &c.* Quamuis ad vsum priuilegiorum, saltem in foro conscientiæ non requiratur vniuersaliter scriptura; tamen Pontifex decernit, vt ad lucranda priuilegia huius Bullæ, priui-

priuilegiato detur summarium scriptum, & sigillo signatum huius diplomatis, & ad hoc præscribendum triplicem declarat finem habuisse: primo, ne sumens Bullam erret circa indulta concessa: secundo, ne alij vsurpent Bullam alterius eaque fraudulenter vtantur pro gratijs collatis in ordine ad externum: tertio, vt ipse priuilegiatus instructus legendo summarium sciat rationem reddere qua facultate vtatur gratijs concessis. *Par.2.tract.8.cap.1.*

Non est satis sola intentio recipiendi Bullam adhoc, vt quis eius priuilegijs fruatur, nam Pontifex requirit actualem receptionem ipsius Bullæ: si autem quis soluat stipem, petat summarium à Depositario, & Depositarius inscribens in libro nomen ipsius sumentis, & loco summarij det aliam scripturam siue ex errore, siue ex dolo, quam bona fide qui eleemosynam erogauit accipiat putans esse summarium, probabile, & pium est hunc frui posse Bullæ indultis; quia in hoc casu error oritur ex parte ministri se tenentis ex parte Regis, & Pontificis veluti cuiusdam instrumēti, & cum fidelis posuerit omnia, quæ à Pontifice requirebantur ex parte ipsius sumentis, videtur Pontifex teneri ad concedendum id, quod promisit; secùs si error non esset ex parte ministri, sed alterius tertiæ personæ. *ibidem sect.4.*

Ad hoc vt Bulla effectum sortiatur debet applicari ab ipso sumente, siue sibi, siue alteri. *ibidem.*

Si nominis inscriptio in ipsa Bulla omittatur, hoc nō ostante sumens gaudebit priuilegijs; non enim videtur inscriptio ista exigi cum tanto rigore, est enim quid leue, & ideo eius omissio non tollit Bullæ efficaciam. Idem dicendum est si aliud nomen diuersum ab eo, quod habet sumens inscribatur; siue hoc fiat ex errore, sine ex alio motiuo. *ibidem.cap.2.*

Si quis pro alio sumat Bullam, eiusq; nomen in ea inscribat, poterit ante acceptationem mutata voluntate alteri applicare, non autem post acceptationem. *ibidem.*

Non oportet vt fruens Bulla, eam secum deferat; cum satis sit domi retinere: verificabitur enim retentio eiusdem Bullæ. *ibidem.sect.2.*

Si Bulla casu, & non ex culpa priuilegiati deperdatur propter hoc poterit, qui eam sumpsit eius priuilegijs gaudere, quia Pontifex requirit vt conseruatur, & non postulat ita conseruari, vt inculpabiliter amissa, fiat inefficax. *ibidem. sect.3.*

§. XVIII.

Pius præfatus voluit alias litteras ab ipso sub dato. 8. Kal. Iun. viribus carere, &c.
Declaratur reuocatio quarumdam litterarum pertinentium ad vsum huius Bullę editarum à Pio. V. ab eodem abrogatas fuisse.

§. XIX.

Omnes Ordinarij, Episcopi, & Archiepiscopi dictorum Regnorum, Insularum, &c.
Mandat Pontifex in virtute sanctæ obedientiæ omnibus Ordinarijs, &c. Qui præsunt in locis priuilegiatis per hanc Bullam, vt omnes pœnas pecuniarias impositas, & exactas durante anno publicationis eiusdem Bullæ, applicent huic sacræ expeditioni, & in hoc standum sit assertioni ipsorum Ordinariorum, quorum conscientiam onerat. *f. 144.*

Qui autem veniunt sub nomine Ordinarij declaratur *Par. 2. tract. 8. cap. 2. sect.3. num.20.*

At postea vi cuiusdam, schedulæ, quæ à Rege Hispaniarum Philippo tertio emanauit, in gratiam Prælatorum, qui Indijs, & Insulis adiacentibus commorantur, concessum fuit, vt solam prædictarum pœnarum medietatem in subsidium Regis teneātur applicare, retinentes pro ipsis aliam medietatem.

Hæc autem circa hoc præceptum iuxta Bullæ tenorem explicuimus, vtrum in praxi seruentur à Prælatis me latet. *ibidem.*

§. XX.

§. XX.

Reuerendo Domino Patri Episcopo Secobricensi, & Albaraxinensi Commissario, & Receptori Generali huius expeditionis deputato, & cõstituto, vt supra Ordinarium huiusmodi pœnis inquireret; & contra eos, qui in præiudicium huius expeditionis, aut ad eam euntium aliquid patrauerint procederet. In his verbis duplex Commissario Generali datur potestas: prima est in ordine ad inquirendum an Ordinarijs applicent pœnas iuxta præscriptum huius Bullæ: secunda, vt ipse Commissarius possit iuridicè procedere cõtra eos, qui machinãtur aliquod præiudiciũ cõtra sacrã expeditionẽ, aut cõtra eos, qui eunt ad bellandum in fauorem eiusdem expeditionis. *P. 3. tract. 1. c. 1. sect. 2.*

Ac super illicitè habitis, nec ne super medietate legatorum omnium, quæ propter malè ablata sint, si legatarij per annum in ex actione negligentes fuerint. Compositio ista intelligitur concessa pro legatis, quæ relicta sunt à testatore pro rebus malè ablatis, non autem pro alia caussa, vt patet ex ipsomet contextu.

Ad hoc autẽ requiritur, vt legatarius per annũ negligẽs fuerit in exigẽdis ipsis legatis, annus vero currere debet à die notitiæ, quã habet legatarius de lagato ipsi relicto.

Summus Pontifex potestatem habet disponendi de huiusmodi legatis, quia ipse est vniuersalis administrator piarum voluntatum testatoris: & quamuis nonnulli hanc rationem impugnent, & recurrant ad alias rationes, adhoc, vt cohonestent hãc compositiouem: tamen ista à nobis assignata est reliquis expeditior. vide, quæ dicemus *Par. 3. tract. 5. cap. 5. sect. 1. à num. 3.*

Ac super illis, quæ facta nunc, & quæ dicto anno durante fient; si legatarij inueniri non poterunt. Extendit Pontifex facultatem Commissarij ad legata facta tempore, quo summitur Bulla, & ad legata, quæ forsitan fient durante anno promulgationis huius Bullæ, cum hac conditione, vt legatarij non inueniantur: quod intelligi debet facta debita diligentia adeo inueniendos, vt infra ipso textu habetur; facultas autem ista circa compositionem legatorum est diuersa à priori, nam vi prioris concessionis si legatarius fuerit negligens per annum à die notitiæ legati relicti poterit hæres se componere in medietate legati, etiam si legatarius agnoscatur: secunda vero ista discrepat à prima in duobus, videlicet, & circa quantitatem legati, quia non restringitur ad solam medietatem legati, sed extenditur ad totum legatum; & vt sic est amplior: at verò est limitatior quatenus locum habet solum in eo casu, quo legatarius post diligentiam non inueniatur. *Tract. 5. cap. 5.*

Nec non etiam super male ablatis, & per vsurariam prauitatem, aut aliter malè acquisitis, si in omnibus præmissis casibus (præterquam dicti annalis negligentiæ) personæ, quibus restitutio, seu solutio facienda est, præstito per restituentem iuramento, de diligentia per eum facta pro inueniendo legatario, seu creditore, & minimè inuento non reperiantur, componere, & ita debitores liberari possint. Ampliatur præcedens facultas, quia non solum coarctatur ad compositionem faciendam super legata, modo explicato; verum etiam super omnia, quæ debentur ex delicto; siue sit per vsuram, siue per aliam prauitatem; attamen ad hanc compositionem licitè faciendam nonnullæ requiruntur cõditiones, primo persona, quę vult se componere virtute huius Bullæ debet esse fidelis: nam pro fidelibus præsens diploma conceditur, & iuxta sententiam in prima huius operis parte positam, debet esse baptizatus: secundo, debet accipere, qui vult se componere, Bullam compositiouis impressam, & signatam sigillo Commissarij, vt admonetur in fine prooemij huius Bullæ: tertio, debet accipiens conseruare summarium acceptum, vt declarauimus supra in §. 17. 4. non suffragatur Bulla ijs, qui ex confidentia ipsius Bullæ nempe spe compositionis ducti illicitè acquirunt; excluduntur autem expresè in ipsomet contextu; probabiliter autem censeo, sub hac conditione nõ comprehendi eos qui ex confidentia retinent bona illicitè vsurpata, si in ipsa vsurpatione confidentia non fuerit. *Tractatu eod. cap. 2. sect. 2.*

Quinto pro qualibet Bulla cõpositio excedere non potest, soluo millia marauedis, quæ in moneta Regni Siciliæ sunt scuta sex, tareni decem, & grana quattuor, stipendium quod præscriptum est in eleemosyna pro qualibet Bulla sunt duo realia argentea. At si quantitas supra quam intenditur fieri compositio excedet duo millia marauedis, debẽt Bullæ multiplicari soluẽdo eleemosynã taxatã, pro singulis Bullis duo illa realia, vsq; ad determinatã quãtitatẽ, nẽpe vsq; ad cẽtũ millia marauedis, quib⁹ in nostro Regno respõdent scuta trecẽta viginti, tareni viginti, grana sex: idcirco dum quãtitas excedit quantitatẽ prædictã pro cõpositione, est recurrendũ ad Cõmissariũ Generalẽ Delegatũ in ea prouincia in qua Bulla promulgatur, & à Cõmissario erit præscribẽda quantitas eleemosynę dandæ à debitore, quibus petit cõpositionem. *ibid. c. 3.*

Probabile est posse debitorem, accipiendo Bullas, se componere vsq; ad summam centum millia marauedis, & pro excessu recursum habere ad Commissarium, licet aliqui sustineāt in tali casu totā cōpositionē faciendā esse à solo Cōmissario. *ibid. sect. 1.*

Probabile est nō teneri debitorem ad restitutionē, si post factā debitam diligētiam, verus Dominus cōpareat, quāuis alij valde probabiliter oppositū doceant. *ibid. sect. 2.*

Quamuis potestas, quæ conceditur de compositione facienda explicite detur de rebus illicitè acquisitis, tamen extenditur etiam ad ea, quę sunt licitè obtenta, & non ex delicto; hoc enim est minus, & pro omnibus his militat eadem ratio in Ordine ad compositionem faciendam. *Tract. eod. cap. 1. sect. 1.*

Circa hanc cōpositionem plures deciduntur casus, & tum illi qui explicitè apponuntur in Bulla parua compositionis, tum etiam alij, qui cōprehendi possunt sub potestate Commissario concessa. vide. *Par. 3. tract. 5. in p. Differt. per totam.*

§. XXI. XXII.

PRædicto Commissario, & Receptori Generali datur facultas, vt suspendere possit dicto anno durante omnes similes, aut dissimiles indulgentias, & facultates exceptis ijs, quæ concessa sunt Ordinum Mendicantium Superioribus quoad eorum fratres tantum, &c. Per hæc verba, & sequētia datur Cōmissario facultas suspendēdi, durāte anno publicationis Bullæ, omnes indulgētias, & gratias similes aut aliquo pacto dissimiles indultas quæ per hāc Bullam cōceduntur, & hoc ne impediatur vsus ipsius Bullę: *Rursus in §. 22.* datur eidem Commissario potestas iterum reualidandi prædictas indulgentias, & gratias priùs suspensas pro ijs, qui Cruciatam sumunt. Quę autem sint gratię istę in particulari, quas Commissarius suspendere, & reualidare potest fusè explicantur. *Par. 3. de potest. Com. tract. 1. cap. 3. sect. 2.*

Excipiuntur ab hac suspensione indulta, quæ concessa sunt Prelatis Ordinum Mēdicantium quoad eorum subditos tantum, proinde sæculares, & alij Religiosi qui subditi nō sunt nequeūt frui indulgentijs Ordinibus cōcessis, nisi habeāt Bullā. *P. 3. tr. 1. c. 3.*

§. XXIII.

DAtur facultas eidem Commissario componendi cum his, qui ad restitutionē fructuum ex omissione horarum canonicarum tenentur, ita vt quantitas compositionis pro medietate Ecclesijs, vel alijs locis, quarum, vel quorum ratione horas prædictas recitare debēt, & pro altera medietate in subuentionem huius negotij detur. Indultum, quod in prædictis verbis continetur est in fauorē eorum, qui possidentes aliquod beneficiū ecclesiasticū, & per consequens obligationē habētes recitandi horas canonicas culpabiliter omittunt, nam si omissio erit inculpabilis nimirum ex aliquo impedimento ex illis, quę solēt assignari ab Authoribus, ob quæ cessat obligatio recitandi, tunc Beneficiarius non peccans, excusabitur à restitutione, atq; adeo compositione non indigebit. Posita igitur culpabili omissione, & obligatione restituendi fructus, concedit Pontifex, vt Beneficiari' in medietate fructuū, quos teneretur restituere iuxta cōstitutionē Pij. V. valeat se cōponere vi Cruciatæ applicādo aliā medietatē pro fabrica Ecclesiæ, in qua est beneficium. Multa quæ supra hanc materiam resolui possunt ponuntur. *Par. 3. tract. 5. dissert. 2. cap. 3. sect. 1. 2.*

§. XXIV.

SImiliter conceditur facultas dicto Commissario dispensandi, & componendi super irregularitate cum his, qui quibusuis ecclesiasticis censuris ligati Missas, & alia Diuina Officia (non tamen in contemptum clauium) celebrauerint, seu aliàs se immiscuerint, &c. Potest Cōmissarius dispēsare cum eo, qui excōmunicatione, aut alia cēsura inodat' celebrauit, aut aliquo alio modo cōtra prohibitionē Ecclesiæ se ingessit in celebrationem Diuinorū; cum hac tamen limitatione id cōceditur, vt censuratus non se intruserit in contemptum clauium Ecclesiæ, nam posito contemptu cessat potestas dispēsandi in Commissario. *Par. 3. tract. 2. cap. 1.*

Et super alia illis qualibet irregularitate præter quam ratione homicidij, &c. Extēditur facultas posita ad alias irregularitates, quę ex delicto resultant, exceptis quinq; nēpe illa quæ ex homicidio voluntario, vt ex simonia, aut apostasia à fide, aut hæresi, aut deniq; illa, quæ oritur ex mala ordinū susceptione. De hac potestate dispēsandi super irregularitate, & pœnis subsequentibus, quæ conceditur Commissario varia controuertuntur à Doctoribus, nam aliqui strictius, alij latius eam sumunt, vide quæ dicuntur de facultate Comis. *Tract. 2. cap. 1. sect. 1.*

Ac (nullis datis litteris, seu per Confessorem laceratis) cum his, qui primo, & secūdo gradu affinitatis ex fornicatione contractę gradibus coniuncti matrimoniū contraxerint, dūmodo, &c. Si quis ex copula illicita in primo, & secundo gradu affinitatē cum aliqua muliere cōtraxerit, aut mulier cū viro, & postea nō obstante tali impedimēto mutuò matrimoniū cōtrahant, quod ratione impedimēti dirimētis est irritū, poterit Cōmissarius

cum his dispẽsare validãdo matrimoniũ,& prolẽ susceptã legitimare quinq; cõcurrẽtibus conditionibus,primo,vt matrimoniũ illud bona fide saltẽ ex parte vnius cõiugis fuerit contractum:secundo, vt sit contractũ in facie Ecclesiæ iuxta formam Tridentini:tertio,vt impedimentũ illud sit occultũ: quarto,vt timeantur grauia scandala futura si matrimoniũ dissolueretur:quinto,vt alter coniux,qui bona fide inijt matrimonium certificetur de nullitate prioris cõsensus,vt iterum cõsensum exhibeat. Eandẽ facultatẽ habet ipse Commissarius dispẽsandi si impedimentũ affinitatis superueniat cõtracto matrimonio,& phibeat coniugẽ adulterũ à petitione debiti. Circa supradicta plures habentur difficultates,& dubitationes,quæ enucleantur. *Par.3.tr.3.* per totum.

§. *XXV.*

C*Onceditur facultas dicto Cõmissario,quod personis nobilibus,& qui iuxta ipsius Commissarij arbitrium qualificata fuerint,vt Missas per horã ante lucem,post meridiem audire,& celebrare facere valeant,&c.* Hora ista ante lucem intelligi debet supra illud tẽpus,in quo secundũ ius cõmune licitum est celebrare,& sic etiam post meridiẽ,quę autem personæ censeãtur nobiles,& qualificatę,quibus vi Cruciatæ dispensatur fusè exagitatur *Par.3.tract.4.* per totum.

§. *XXVI. XXVII. XXVIII.*

E*Idem Cõmissario datur etiam facultas ad sigulas prouincias Cõmissarios deputandi, & eligendi per ordinarios locorum,&c.* In his tribus paragraphis conceditur potestas Commissario Generali deputandi in singulis prouincijs Cõmissarios,qui generalẽ habeãt facultatẽ per totã prouinciã in rebus spectantibus ad Cruciatã;& pariter sunt eligendi Notarij,& alij officiales,qui videtur necessarij ad hoc idẽ munus,& ad scripturarũ exhibitionẽ huic negotio spectantiũ,quę corã Cõmissario, nõ alio Tribunali sũt iudicanda;datur etiã instructio pro harũ litterarũ promulgatione;Demum monẽtur omnes habentes pecuniam,seu alia bona in hoc opus Cruciatæ destinata, aut instrumẽta, seu scripturas quæ aliquo modo hoc negotiũ cõcernunt, vt statim eas manifestare Cõmissario, aut ei⁹ deputatis debeãt,& cõtra oppositũ faciẽtes imposita est excõmunicatio Sũmo Põtif. reseruata,& ẽt pœnę pecuniarię;& ne possint hu⁹ diplomatis indultis frui. Episcopi vero alijq; maiores Prælati suspẽsione à Diuinis, & pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ puniuntur.

§. *XXIX.*

D*Eclarãt,quod expirante anno omnes supradicta facultates,&c.* Ponitur tempus quo durat Bulla, quod est vnius anni, quo pacto autem annus sit accipiendus fusè expenditur. *Par.1.tract.2.cap.6.*

Ponitur limitatio quædam nempe quoad caussas pendentes, quæ expediri possunt etiam si annus prædictus sit elapsus,de qua re nonnulla. *ibid.c.6.* per multas sectiones.

§. *XXX.*

P*Rohibentur quicumq; ministri,& Officiales Sancta Inquisitionis,&c.* Nequeunt Officiales Sanctæ Inquisitionis eligi in Commissarios, aut in prædicatores aut in quodcumq; aliud ministeriũ Sanctæ Cruciatæ. Ignoro autẽ an hæc in praxi seruentur.

§. *XXXI.*

C*Onceditur facultas eidem Commissario,vt dictam subuctionis quantitatem à fidelibus, vt prædicitur pro viuis,& defunctis erogandam,&c.* Quantitas eleemosynæ faciẽdæ in subsidium Cruciatę relinquitur arbitrio Commissarij taxanda iuxta qualitatem personarum,de qua re egimus. *Par.2.tract.1.cap.1.*

Demũ in hoc endẽ paragrapho dicitur hoc diploma esse traducẽdum in vulgare idoma iuxta prouinciarũ ritũ vbi faciẽda est promulgatio,manẽte tamen illius substãtia, &c. trãsumptum vero, vt fidẽ faciat, muniri debet subscriptione alicuius Notarij publici,aut alterius personæ ecclesiasticæ in dignitatę cõstitutæ,& sigillo Commissarij in fine diplomatis repetitur intentio Greg. XIII. per quam cõcedit, vt eodẽ anno durante si alia Bulla siue pro viuis siue pro defunctis sumatur, possint accipientes, vel ij, pro quibus sumitur iterũ eisdẽ indulgẽtijs,& gratijs frui. Rursus in eisdem litteris in fauorẽ Cruciatæ declarat idẽ Põtifex intẽtionis suæ fuisse, & esse sub illo indulto comedẽdi oua,& lacticinia includi Archiepiscopos,aliosq; Pręlatos,Superiores, & inferiores, & presbyteros sæculares etiã si sexagenarij nõ fuerint, extra tamẽ quadragesimalia ieiunia tatũ;atq:adeo posse omnib⁹ alijs temporibus,& ieiunijs totius anni vesci ouis,& lacticinijs.& Demũ Bulla de comedẽdis lacticinijs pro Prælatis,& præsbyteris, sæcularibus etiam tempore Quadragesimæ excepta maiori habdomada quam Bullam examinamus. *Par.2.tract.3.cap.2.* per totum.

Post hęc omnia inseruntur in Bulla plumbea latina litterę extensionis,quæ emanarunt ab alijs Summis Pontificibus.

FINIS EXPLICATIONIS.

DISTRIBVTIO OPERIS TOTIVS

DIVIDITVR IN PARTES QVATVOR.

cassi-

PARS SECVNDA.

In qua fuse explanantur quę ad viuorum Bullam pertinent.

TRACTATVS PRIMVS.

De gratijs,& donis ijs concessis,qui data stipe Bullam accipiunt.

TRACTATVS SECVNDVS.

De priuilegio Bullæ circa Diuina tempore interdicti celebranda, & administranda.

Sect. II.

TRACTATVS TERTIVS.

De priuilegio circa cibos prohibitos, & ieiunia.

TRACTATVS QVARTVS.

De indulgentijs, quæ per Cruciatam conceduntur.

Sect. I.

TRACTATVS QVINTVS.

De priuilegio eligendi Confessarium.

TRACTATVS SEXTVS.

De facultate, quam habet Confessarius electus vi Bullæ ad absoluendum à culpis, & censuris reseruatis.

Sect. IX.

TRACTATVS SEPTIMVS

In eundem. §. XV. De priuilegio commutandi vota.

Sect. VII.

TRACTATVS QVARTVS.

De facultate Commissarij circa horam celebrandi prout in §. XXV.

TRACTATVS QVINTVS.

De Bulla compositionis super bona incerta, in duas dissertationes diuisus.

Prima dissertatio, quæ spectant ad huius Bullæ naturam

Secunda dissertatio de casibus particularibus, in quibus admittitur cõpositio.

PARS QVARTA.

In qua Bulla Defunctorum, & quamplura ad eorumdem pœnas, & suffragia pertinentia dilucidantur.

TRACTATVS PRIMVS.

De Purgatorio eiusq; adnexis.

TRA-

TRACTATVS SECVNDVS.

De suffragijs in genere quæ pro defunctis fieri possunt.

TRACTATVS TERTIVS.

De suffragijs in particulari.

TRACTATVS QVARTVS.

Et vltimus. De conditionibus requisitis ad effectum suffragiorum obtinendum, & de ijs quæ per hanc Bullam pro mortuis conceduntur, & seruari debent.

LAVS DEO.

PARS PRIMA
DE
PROOEMIALIBVS BVLLAE.

ANtequam ad explicanda singillatim indulta, & onera, quæ sumentibus affert Bulla, deueniamus; Hæc prius instituenda duximus; quæ veluti procemia quædam Lectorem ad omnem disputationem introducent, & sunt vtriq; Bullæ Viuorum, & Mortuorum communia: Etymologiam, Definitionem, Originem, Auctorem, ac interpretandi rationem.

TRACTATVS I.
DE EIVS NATVRA, ET CAVSSIS.

VT integram, atque perfectam huius amplissimi Priuilegij notitiam assequamur, eius veluti essentiam, & caussas, tum intrinsecas, tum extrinsecas indagare operæ pretium existimamus, idque in hoc primo tractatu diligenter præstabimus.

CAPVT I.

De Nominis, & Rei Definitione.

1 AD realem definitionem acquirendam, nō parum conducit Etymologia rei definiendæ, quapropter explicationem nominis trademus.

Etymologia Bulla. Aio igitur, duas voces esse exponendas, videlicet *Bulla*, & *Cruciata*, & à prima exordiendo, dico Bullæ vocabulum iuxta sermonis proprietatem, & primæuam significationem importare tumorem illum inanem, qui vel inflante spiritu, vel decidente pluuia, vel denique ex ipso feruore, qui ab igne concipitur in aqua existit, figuræ rotundæ, quæ simul enascitur, simul euanescit: inde prouerbium fuit à Varrone, alijsque in vsu positum. Homo Bulla, quo eum æui breuis significemus.

2 Ab his aquæ bullis crediderim deductum id nominis, ad significandum gestamen illud, seu insigne triumphantium, quod Romani in triumpho præsegerebant inclusis intra eam Bullam aduersus inuidiam præsentissimis amuletis. Hac etiam Bulla vna cum prætexta Tarquinius Priscus Quintus Romanorum Rex virtutis ergo filium

 insi-

insigniuit suum, nimirum, quod in Bello Sabino annos quatuordecim natus, hostẽ manu cecidisset: vnde deinde sumptus mos, vt hæc Bulla in vsum pucrorum nobilium vsurparetur, quod illi auream, vel argenteam è collo suspensam, iisdem contra fascinum munitam remedijs gestabant, qua etiam libertini, sed scortea vsi sunt. de ea agunt *Festus, & copiosè Macrobius lib. 5. Saturnal. cap. 18. Plinius lib. 33. cap. 1. Pierius in Hierog. lib. 41.*

3 Hoc autem gestamen, quod esset circulare, inclusam tamen habens intra se cordis humani figuram ex similitudine ad Bullas aqueas, vocatum Bullam, vt dixi, crediderim potiùs, quàm ex voce græca: βουλὴ, quæ consilium latinè dicitur, nimirum, vt significaretur ex horum sententia ætatem puerilem alterius regendam esse consilio. Ob eamdem figuræ rationem hoc vocabulũ extensum fuit ad notandum sigillum plumbeum circulare, quod rubris funiculis adnectitur quibusdam litteris Pontificijs, in quo Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli capita sunt effi&ta. Quod igitur ipsæmet litteræ, vt præter cæteros auctores asserit *Gomez in vtriusque signaturæ compendio*, ab huiusmodi appenso sigillo valorem nanciscuntur; ab eodem etiam nomen Bullæ sortiuntur, vt communiter affirmant *Canonistæ in cap. Ad audientiam de crim. fal.* proinde differunt ab alijs litteris Pontificijs, quæ tali sigillo carentes compendiosa quædam scriptura cereo Sigillo anulo Piscatoris munita continentur; ideoque Breuia appellantur. Diploma igitur Sigillo illo plumbeo decoratum Bulla nuncupatur.

4 Et hæc pro huius primæ vocis explicatione sint satis. superest vt alterius vocis nempè, Cruciatæ, significationem tradamus. Dico, præsens Diploma sortiri hanc denominationem, quia indulgentiæ, quas continet sunt similes illis, quæ concessæ fuerunt præliantibus pro liberatione Terræ Sanctæ, eisque, quæ in *Concilio Later. sub Innocentio III.* militibus pugnaturis contra infideles, & gestantibus signum Crucis in vestibus concessæ fuerunt; ideoque cruciati vocabantur: ita communiter Doctores. At *Perez de Lara in compendio trium gratiarum lib. 1. fol. 22.* expendens titulum huius sanctæ Bullæ, conuenienter, inquit, Summos Pontifices huic Bullæ talenomen imposuisse, quia vt sic milites pro quibus conceditur, distinguntur à reliquis, & sic *Pius IV. in Bulla Romæ data quinto Idus Martij. 1559.* expresse id notauit his verbis. *(quodque ad bellum proficiscentibus in eorum vestibus viuifica Crucis, pro qua pugnaturi sunt, signum imponant, vt ab alijs cognoscantur, & discernantur)* & addit *idem de Lara* iure id factum fuisse, quia indulgentiæ, quæ vi huius Bullæ fidelibus applicantur à Pontifice desumuntur ex Ecclesiæ militantis thesauro, qui se habet veluti quidam Mons pietatis ad eisdem fidelibus subueniendum, mediante pretio sanguinis Christi Domini in ligno Crucis effusi: idcirco congruũ fuit, vt milites pro Christi nomine præliantes, & in virtute eius sanguinis indulgentias lucrantes eodem signo decorarentur, & Diploma, per quod indulgentiæ istæ conceduntur, Bulla Cruciatæ nuncuparetur. vide eundẽ de Lara, multa alia dicentem in huius vocis explicatione.

Et hæc sufficiant pro declaratione nominis, seu Etymologia huius Bullæ, ex qua declaratione non erit difficile realem ipsius Bullæ definitionem colligere. 5

Ad quam assignandam aduerto, quod vt sit firma, & inuariabiliter huic diplomati conueniat, debemus solum attendere ad finem veluti intrinsecum ipsius Bullæ, qui semper est idem, nempe vtilitas spiritualis fidelium hanc Bullam accipientium: & licet per hanc eandem Bullam aliquod commodum temporale, & terrenum reportent ipsi fideles, tamen quatenus conceditur vigore Bullæ, est ordinatum ad finem spirituale. Dico igitur à nobis non esse attendendum in assignatione huius definitionis aliũ finẽ, nisi intrinsecum, nec considerãdum extrinsecum, quem habere possunt Summi Pontifices in concessione huius Bullæ. nam finis iste pro temporum, & circumstantiarum occurrentium varietate poterit esse diuersus, eodem manente diplomate quoad intrinseca, & sic de facto sicuti Summus Pontifex concedit Bullam hanc in gratiam Regis Catholici, vt ex eleemosynis, quæ à fidelibus erogantur in Bullæ receptione, ipsi Regi subueniatur pro magnis sumptibus, quos facit bellando contra infideles: ita idem Pontifex posset si vellet applicare prædictas eleemosynas in alium finem honestum, nempe in aliud opus pium; quemadmodum olim factum fuit à Leone X. applicante has eleemosynas pro fabrica Diui Petri spectando autem finem illum intrinsecum, & abstrahendo à quocunque alio extrinseco fine, sic bullam describimus. 6

Est Diploma quoddam plumbeo Sigillo insignitum, à Summo Pontifice concessum, varia continens indulta, pro spiritua- 7 *Definitio*

rituali fidelium vtilitate, sub quibusdam præscriptis, & determinatis oneribus.

8 Definitio ista conuenienter tradita videtur, cum procedat per habitudinem ad quatuor caussarum genera, vt ex eius declaratione fiet manifestum.

9 *Declarantur caussæ Bullæ* Caussa enim efficiens explicatur, dum ponitur ille, à quo Diploma istud emanat, nempe Summus Pontifex: Rursus caussa finalis significatur per vtilitatem spiritualem in ordine ad quam dirigitur ipsa Bulla. Causa autem materialis est aggregatum omnium illarum gratiarũ, seu indultorum, quæ in eadem Bulla cõtinentur: Denique caussa veluti formalis poterit esse modus ille, sub quo prædictæ gratiæ, & priuilegia conceduntur, videlicet determinata onera, sub quibus indulta conceduntur. Neque dicas, onera ista pertinere etiam ad materiam, cum non videatur maior ratio, cur potius indulta, & gratiæ se habeant, vt materia, & non ipsa onera: ne dicas hoc, quia Bulla ista est quædam vera, & realis species priuilegij, & importat quoddam totale priuilegium conflatum ex pluribus priuilegijs, quæ in ordine ad ipsum Diploma se habent vt partes: illud autem, quod in priuilegio se habet, vt materia nequit esse onus, & grauamen, vt de se patet, sed vt gratia, quæ priuilegiato specialiter conceditur; nam ex ea parte, ex qua priuilegium onus inuoluit deficit à ratione priuilegij; quoniam, vt sic formaliter loquendo non est fauor, sed potius odium: proinde onus, sub quo fauor conceditur, cum sit quædam modificatio, ipsum fauorem coarctans se habet vt forma, sub qua fauor ille, seu gratia conceditur.

CAPVT II.

De Primo huius Bullæ Auctore, & de Tempore, quo incœpit.

1 *De auctore, & tempore Bullæ.* SI sermo sit de primo, qui Bullam quoad substantiam instituit non determinando personam in particulari, sed solum spectando eius auctorem, quoad dignitatem, seu potestatem, certum est fuisse Summum Pontificem. nam priuilegia, quæ in ipsamet Bulla conceduntur, manifestè ostendunt, emanare non potuisse, nisi ab vniuersali totius Ecclesiæ Pastore, vt capite quarto sequente probabimus: at loquendo de Summo Pontifice, qui de facto Bullam ipsam instituit, conueniunt Historici fuisse Vrbanum huius nominis Secundum.

2 Quapropter supponenda est historia, quam *Alphonsus Ciacconius, Platina, & præsertim Gonzales de Illesca in vitis, & gestis Pontificum, & Baronius in suis Annalibus Ecclesiasticis* nobis exponunt, & breuiter à nobis proponitur.

Vrbanus igitur Secũdus volens transmarinam expeditionem contra Turcas, cæterosq; Christiani nominis hostes, quã prius Gregorius Septimus eius prædecessor sæpe tentauit, sed & bellis, & varijs Ecclesiæ perturbationibus ob schismata suborta perficere nequiuit, volens inquã Vrbanus eam ad finem perducere, Concilium Claromontanũ, Anno salutis nostræ MXCV. indixit, tum ad christianam disciplinam restaurandum; tum etiam præcipuè ad hanc firmandam expeditionem: & conuocato coetu Prælatis, Principibus, populisque concionem piam, & ad suadendum satis aptam habuit, qua ante ipsorum oculos posuit iniurias, & incommoda, quæ fideles Sacrum Sepulchrum frequentantes ab Ecclesiæ Catholicæ aduersarijs quotidie sustinebant; simulque obligationem, qua omnes Christi fideles deuincti ad curandam Hierosolymæ liberationem ab hostium oppressione tenebantur; tãto autem animi conatu, verborumq; vi perorauit, vt omnes ad opus tantæ pietatis se paratos conclamauerint: proinde ex diuersis Prouincijs, ac Regnis breui magna hominum multitudo congregata fuit, eosq; ipsemet Pontifex sanctissimo Crucis signo, ex rubro Panno confecto, & super dexteram militum scapulam posito decorare voluit, tum quam plurimis indulgentijs, gratijsq; ex communi Ecclesiæ thesauro ditare; omnes autem bellantes salutifero signo ornati ad trecenta millia, vt testatur *Spondanus in Epitomis Annalium Cardinalis Baronij*, & vt alijs placet, ad sexcenta millia numerati fuerunt. vnde huic expeditioni adscripti, Cruciati, ipsa vero expeditio, Cruciata, appellata fuit. 3

Ex his igitur habemus primum huius Diplomatis, quoad substantiam, vt ita dicam, institutorem fuisse Vrbanum Secundum, tempus vero, quo incœpit fuisse annum ab Incarnatione Domini Nonagesimum, circiter, Quintum supra Millesimum. 4

CAPVT III.

Inuestigatur Pontifex, qui primo Cruciatam Hispaniarum Regi concesserit.

QVamuis omni diligentia ad veritatem hanc inueniendam quam plures peruoluerim auctores, qui de re hac tractanda occasionem arripere 1

ripere possent; nempè, qui de vitis, & gestis Summorum Pontificum, & Hispaniarum Regum sermonem habent, & etiam non paucos Chronologistas, vt *Genebrardum, Baronium*, & omnes, qui referuntur in libris, quorum titulus est (*Hispania Illustrata*) nihilominus pauca quædam ex his colligere potui, quæ nunc fideliter propono.

2 *Refertur opinio Perez de Lara.* Igitur, inter auctores de Cruciata agẽtes reperi *Alphonsũ Perez de Lara, qui in compendio illo trium gratiarum, de quo supra, lib. 1. fol. 9.* testatur decerpsisse ex libris Catholicæ Maiestatis (in quibus continentur Bullæ, & Breuia, ex quo concessio ipsa continuata fuit) Iulium secundum fuisse, qui primo cruciatam in gratiam Regis Hispaniarum indulserit, Anno Domini 1509. postea Leonẽ Decimum Anno Domini 1519. & deinceps duodecim enumerat Pontifices, vsq; ad Paulum Quintum inclusiue, qui idem priuilegium concesserint. Hanc eamdẽ enumerationem postea accepit *Aegidius Trullench ex ipso Perez de Lara*, eamque ad verbum transcripsit in prooemialibus Bullæ. *dub. 2. num 5.* Nihil de nouo addens in eius confirmationem; sed addũ ego aliquid circa illud, quod asserit ipse de Lara de Iulio secundo; nam inuenio *Hieronymum Zuritam in Chronica corona Aragonensis Tom. 6. lib. 8. cap. 41. Anno 1509.* qui loquens de Rege Ferdinando refert propotuisse bellum inire contra Turcas, & Mauros partem illam Hispaniæ propè Barbariam continuò deuastantes, & decreuisse ipsummet ad bellum proficisci, & proprijs sumptibus hãc expeditionem facere, si reliqui Principes Christiani se excusarent: hac coaditione tamen si Summus Pontifex dignaretur pro tempore Belli concedere ipsi Ferdinando decimas, & cruciatas generales; de qua re certior factus Iulius Secundus Pontifex, valde rem gratam sibi fuisse indicauit. Rursus *Prudentius Sandoual in Historia Caroli Quinti Imperatoris Tom. 1. lib. 1. §. 30.* mentionem faciens de bello prædicto, quod postea executioni mandatum fuit, & ex quo victoriam reportata à Rege Catholico subdit bellum istud initum fuisse à Ferdinando expensis Cruciatæ. Ex his autem, quæ hi Auctores referunt duo video colligi posse pro Alphonso Perez de Lara, videlicet à Iulio Secundo Cruciatam, quam Rex Ferdinandus exoptabat, vt ait Zurita pro sumptibus in bello contra Turcas erogandis, de facto concessam fuisse; rursus videtur non improbabiliter inferri posse, Iulium ipsum secundũ fuisse, qui Bullam hanc Regi Catholico concesserit; nam vt in Historia Zuritæ refertur, ante bellum illud initum, Regi Ferdinando non erat hoc priuilegium Cruciatæ indultum, dum illud postulabat ad præliandum.

Sed non possum omnino acquiescere huic opinioni, quatenus ait Iulium Secundum fuisse, qui primo Regi Hispaniarum Bullam hanc concesserit, & hoc manifestè probo, ex quodã breui, quod emanauit ab Alexandro Sexto, qui ante Iulium secundum Ecclesiam rexit; Breue autem Romæ datum fuit Anno 1497. per quod ipse Alexander constituit Cõmissarium Generalem Cruciatæ, in Siciliæ Regno, & in Insulis circa Siciliam iacentibus Fr. Raynaldum de Montauro, seu Montoro, & Landolina Ordinis Prædicatorum Episcopũ Cephalædẽsem, vt patet ex tabula eiusdem Ecclesiæ Cephalæditanæ, & refertur *ab Abbate Don Rocco Pirro in lib. 3. Episcopatuum Siciliẽsium Notitia 5. num 30.* dum agitur de Ecclesia ipsa Cæphalæditana; ex quo apertè infertur Iulium Secundum non fuisse primum, qui Regi Catholico Cruciatam indulsit. 3 *Reijcitur dicta opinio.*

Sed posset quis respondere pro ipso de Lara, in serie illa Pontificum, cuius primus est Iulius, Auctorem profiteri nobis solum exponere Pontifices, qui absque interruptione concessionem Bullæ pro Rege Catholico continuarunt, & inter hos primum fuisse Iulium Secũdum; at neque hoc pacto firmum videtur, id quod asseritur à Lara, quia in illa serie, & enumeratione, sex omisit Pontifices, quorum primus fuit Adrianus, qui regnauit post Leonem Decimum, & ante Clementem Septimum, secundus fuit Marcellus inter Iulium Tertium, & Paulum Quartum, tertius Pius Quartus, qui Paulo Quarto successit, quartus fuit Vrbanus Septimus, qui præfuit post Sixtum Quintum, quintus fuit Innocentius, qui rexit Ecclesiam post Gregorium XIV. immediatè ante Clementem Octauum. Sextus denique fuit Leo XI. ante Paulũ Quintum. cæterum quo ad quatuor Põtifices ex numero isto senario, facillimè se liberabit Perez ab omni molestia; nam hi Pontifices videlicet Marcellus, Vrbanus, Innocentius, & Leo paucissimis diebus post ipsorum assumptionem ad Põtificatum ex hac vita migrarunt: & ideo posset aliquis vrgendo asserere, nullam interruptionem extitisse, quia poterant in hoc breuissimo tempore, quo vixerunt prædicti quatuor Pontifices, adhuc durare biennium, aut triennium Bullarum, quæ ab Antecessoribus emanarunt, & ideo iure omitti poterant, absque

ſque præiudicio continuitatis prædicti Pontifices.

5 Verum quamuis, ſi ſermo ſit de his quatuor Pontificibus, ſe eximere poſſet Perez de Lara ab omni difficultate; tamen non ita de alijs duobus ex relictis, nempe de Adriano, & præcipuè de Pio Quarto. ille enim poſt ſui electionem vixit annum vnum,& menſes octo;iſte verò ſex circiter annos; proinde ſaltem in iſto ſexennio,certum eſt expiraſſe Bullas ab anteceſſoribus conceſſas, quoniam ipſo de Lara fatête ante Pium Quintum Bullæ non concedebantur,niſi per biennium,aut triennium. igitur ad fugiendã interruptionem debuiſſet Pius Quartus, vel confirmare antiquam, vel nouam Bullam indulgere. cum igitur Perez de Lara nihil in ordine ad hunc Pontificem in illa ſerie nobis proponat, conſequens eſt, vt dicamus continuationem ab ipſo intentam,vel non eſſe firmam, vel ſuſpectam. Et addo à Pio Quinto reuocatam fuiſſe Cruciatam, per quinque annos, vt patet ex motu proprio dato Romæ 20. Nouembris 1563. & hoc refertur ab ipſo met de *Lara in eodem lib. fol.* 94. Rurſus idem auctor in ſerie illa Pontificum, loquẽs de Paulo Quarto,expreſsè teſtatur, quod tranſacto triennio Cruciatæ; cum noluerit eam iterum concedere, & imminentibus bellis ob rebellionem, quæ tunc vigebat in Regno Granatenſi, & deficiente ſubſidio eleemoſynæ, Archiepiſcopi,& Epiſcopi Regni Caſtellæ ſimul congregati decreuerunt quaſdam facere Bullas gratiarum, ſeu cõfraternitatis, vt ex eleemoſynis, quæ ex his Bullis colligerentur refarciri poſſet defectus illius eleemoſynæ, quæ ex Cruciata prius exigebatur. ita refert *Perez lib. cit. fol.* 13. *& fol.* 94.

6 Ex his autem infero falſum eſſe Cruciatam continenter duraſſe à Iulio Secũdo vſque ad Paulum Quintum; vt Perez affirmat.

Demum ex dictis reſpondendo ad quæſitum.

7 Dico primo. Ex his, quæ, ab auctoribus habere potui,nequeo tanquam quid certum, poſitiuè deſignare Pontificem, qui abſolutè fuerit primus;à quo Cruciata emanauerit in gratiam Regis Hiſpaniarum; nam auctores prædicti ſignanter, & poſitiuè hoc non dicunt.

8 Dico ſecundo. Si veluti negatiuè loqui velimus, non inuenio Pontificem Alexandro Sexto priorẽ, de quo aliquid dicatur, circa hoc punctum. Nam de Alexandro habemus, quod pro Regno Siciliæ inſtituerit Commiſſarium Generalẽ Cruciatæ Epiſcopum Cephalæditanũ, vt

rimus Pontifex, qui Re- i Hiſpania- um Bullam concesserit.

vidimus. de alijs Pontificibus, qui anteceſſerunt,nihil inuenio dictum circa cõceſſionem Bullæ factam in fauorem Regis Catholici.

Dico tertio. Conceſſionẽ Bullæ etiam à Iulio Secundo vſque ad noſtra tempora,non fuiſſe ſemper abſque interruptione, vt patet ex quibuſdam Breuibus, quæ à nonnullis ſummis Pontificibus emanarunt, de quibus ſupra. 9

Et hæc ſufficere poſſunt, vſque dum alia magis certa ſe offerant. 10

CAPVT IV.

An alius Summo Pontifice inferior poſſit Bullam concedere.

Quæſitum habet locum in ordine ad Prælatos Eccleſiaſticos; non autem ad Principes ſæculares: quia Bulla, de qua loquimur cum contineat indulta directè pertinentia ad bonum ſpirituale animæ, nequit emanare, niſi à poteſtate Eccleſiaſtica, & ſpirituali. 1

Rurſus eſt aduertendum, non eſſe ſermonem de Bulla ſecundum omnia priuilegia, quæ inuoluit, quia vt ſic certum eſt, eius auctorem eſſe non poſſe niſi Sũmum Pontificem; nam inter alia priuilegia continet facultatem abſoluendi à caſibus, & cenſuris, ſoli Summo Pontifici reſeruatis, & quædam alia circa ieiunia, adminiſtrationem quorumdam Sacramentorum tempore interdicti, commutationem quorundam votorum reſeruatorum, indulgentiam plenariã, quaſdam diſpenſationes faciẽdas à Commiſſario, &c. quæ omnia à Summo tantum Pontifice cõcedi queunt. igitur, ſi ſermo erit de Bulla quatenus comprehendit hæc omnia, res eſt indubitata, videlicet in ſolo Summo Pontifice, & in nullo alio Prælato inferiori inueniri hanc poteſtatem. 2

Eſt autem dubitatio de Bulla in ordine ad priuilegia, quorũ vſus non excedit poteſtatem Archiepiſcoporum, Epiſcoporum,&c. vt eſſet Bulla continens priuilegium abſoluendi à caſibus, & cenſuris Epiſcopo reſeruatis, & priuilegium diſpenſandi in votis, & iuramentis, quæ Papæ non reſeruantur: præterea poteſtatem lucrandi aliquas indulgentias nõ plenarias, quæ ab Epiſcopis cõcedi poſſunt,& ſimilia; quærimus igitur An Epiſcopus pro ſua Diœceſi valeat inſtituere Bullam cõtinentem prædicta priuilegia, cum hoc onere, vt qui velit ex ſuis ſubditis frui bulla iſta, ſoluat titulo eleemoſynæ vnum, aut alterum argenteum. 3

Pri-

4 Prima opinio defenditur à *Nauarro lib. 5. de pœnit. & remiss. conf. 18. num. 5.* ait enim non posse has Bullas à Prælatis Pontifice inferioribus concedi absque peccato Simoniæ, hoc autē probat, quia nulla res spiritualis conferri potest cum pacto dandi aliquod temporale, vt statutum est, *Cap. Ex multis 1. quæst. 3. & Cap Quam Pio eadem caus. quæst. 2.* vbi prohibetur omnis pactio, & conditio, quæ iure non inest, in rebus spiritualibus, & ideo talia pacta sunt Simoniaca, saltem de lege positiua humana; at facultas absoluendi à casibus, & censuris Episcopis reseruatis, quemadmodum potestas dispensandi in votis, & iutamētis est quid spirituale, vt est de se manifestum: ergo concedere has Bullas, cum onere soluendi pecuniam est Simonia.

5 Secunda sententia docet, id fieri posse ab Episcopis, & de facto fieri in Regnis Hispaniarum affirmat *Henriquez lib. 7. de indulg. capit. 31. num. 1. in comment. lit. C.* quam opinionem triplici posita limitatione amplectitur *Aegidius Trullench in quæst. proæmialibus Bullæ dub. 2. num 4.* primo, vt Pontifex non concesserit Cruciatam, secundo, vt ingens vrgeat necessitas, tertio vt pecunia, quæ pro Bulla erogatur, non cadat in commodum ipsius Episcopi Bullam concedentis, sed applicetur operibus pijs: quibus limitationibus præmissis, probat Trullench hanc opinionem ex eo, quod Episcopus, dum in quibusdam votis dispensat, solet imponere onus erogandi eleemosynā pauperibus, monasterijs, & hoc absque Simonia, vt notat *Lessius lib. 2. de Iust. capit. 35. dub. 9. num. 57.* & ad instantiam, quæ ex *Trident. sess. 25. cap. 18. de reform.* in contrarium fieri poterit, nempe dum in ipso Tridentino statuitur dispensationes in legibus Ecclesiasticis gratis fieri debere, respondet id esse intelligendum in ordine ad Episcopum dispensantem, videlicet ne Episcopus in sui vtilitatem onus illud Eleemosynæ imponat. Vt autem quid sit sentiendum aperiamus.

Episcopi non possunt hanc Bullam instituere.

6 Dicendum est primo, Episcopos non posse propria auctoritate per se loquendo, has Bullas constituere: probatur conclusio ex Iure Canonico, in quo cautum est, vt pro ministerio spiritualis potestatis, pecunia minimè exigatur, ita *in Cap. Ad nostrum de Simonia, & Capit. vltimo de pactis.* determinatur etiam in *Concil. Trident. sess. 22. cap. 5. & sess. 24. Capit. 6. de reform.* In his autem locis, cum præscribatur gratis fieri debere dispensationes ab Episcopis, quemadmodum, & alij actus prouenientes ab Ecclesiastica, & spirituali potestate, non diceretur gratis fieri si ille, cum quo dispensatur haberet onus soluendi pecuniam, etiam operibus pijs applicandam. nam clausula illa, nempè, vt gratis dentur, excludit quodcunque grauamen, respectu illius, cui fit dispensatio. & hoc rectè colligit *Suarez Tom. 1. de Relig. capit. 20 num. 13.* ex eo, quod non est verisimile Concilium per illam particulam gratis, voluisse solum excludere pecuniam soluendam in ratione pretij; nam hoc est iure diuino, & naturali prohibitum: ideoque nō erat necessaria noua prohibitio à Concilio facienda, neque admonitio, cum hoc apud omnes sit certum: signum igitur est per illam particulam, gratis, à Concilio exclusum fuisse quodcunque onus sub quocunque titulo subeundum. Præterea confirmari potest ex *constitutione Pij Quinti, quæ habetur in secundo Tomo Bullarij, & est 99. & incipit, Quamplenum, &c.* per hanc autem constitutionem Pontifex omnino prohibet quibuscunque Prælatis, ne aliquid recipiant pro indulgentijs publicandis, pro facultate eligendi Confessarium, qui à reseruatis absoluat, & pro nonnullis alijs priuilegijs in eadem constitutione recensitis, & assignans huius prohibitionis rationem; inquit, hæc redolere labem Simoniæ, prohibet etiam hoc fieri prætextu piarū caussarum, vt patet ex tenore eiusdem constitutionis.

Hanc sententiam tueri debent omnes illi, qui censent esse actionem Simoniacam recipere aliquod tēporale pro actibus procedentibus à potestate spirituali, & ita tenet *Suar. l. c. Filiuccius tract. 45. capit. 4. concl. 2. Sanches lib. 2. consil. capit. 3. dubit. 17. conclus. 2. Bonacina de Simonia quæst. 3. §. 17. ver. Tertio Prælati, & alij.* 7

Sed dices primo. Per hanc doctrinam nimium probari; sequeretur enim neque à Summo Pontifice concedi posse Bullam Cruciatæ, cum onere soluendi pecuniam, quia hoc pacto commutaretur spirituale pro temporali, & sic esset Simonia contra ius Diuinū, & Naturale. 8

Respondeo negādo sequelam, & cum Nauar. & alijs addo id licitè fieri posse à Summo Pontifice, quia pecunia, quæ erogatur pro ipsa Cruciata, vel aliquo simili priuilegio, destinatur ad vsum pium, nempè in subsidium belli contra infideles, proinde nulla interuenit Simonia contra ius diuinum, & naturale, & illud temporale, videlicet pecunia, quæ soluitur, non datur sub ratione pretij pro re spirituali, & licet secundum Canones sit prohibitum in quibusdam casibus 9

com-

commutare spirituale pro spirituali, cũ pacto antecedente: tamẽ prohibitio ista, cum sit de iure humano, non comprehendit Summum Pontificem, qui est supra tale ius.

10 Dices secũdo. Potest Episcopus licitè pro dispensatione, seu commutatione votorum, & iuramentorum non reseruatorum Summo Pontifici, imponere onus eleemosynæ, ita vt ipsa eleemosyna cadat in commutationem voti, aut iuramenti; seu loco illius, pariter pro dispensationibus, & præsertim pro illis, quę culpam supponunt, vt sunt dispensationes circa delicta occulta, in quæ Episcopus per Tridentinum facultatem habet dispensandi, potest inquam pro his dispensationibus, aut similibus, absque Simoniæ labe, Episcopus Bullam instituere, vt illam accipientes soluant aliquam pecuniam.

11 Respõdeo à nobis nõ negari, posse ab Episcopo dispẽsante per modũ commutationis, aut per modum pœnæ præcipi eleemosynam pijs operibus applicandam; sed negari, ab ipsis Episcopis institui posse Bullam, per quam sub onere soluendi pecuniam vniuersaliter concedatur facultas commutandi vota, iuramenta, &c. per quam fiat dispensatio in casibus Episcopalibus, quia hoc est ipsis Episcopis interdictum à Tridentino, vt supra vidimus, per illud Generale Decretum; nempè vt hæc omnia gratis cõcedantur: & addo, quod interdum dispensatio facienda ab Episcopo poterit esse debita; & tunc si fiat cum onere soluendi pecuniam etiam applicãdam pijs operibus, & cum pacto antecedente, posset ea dispensatio esse Simoniaca contra Ius positiuum, prohibens quamcunque pactionem in hac, aut simili materia.

12 Dicendum est secũdo. Licet per se, vt huc vsque probatum est, nequeant Episcopi has Bullas instituere: tamen in nõnullis casibus id nõ erit illis prohibitum: & primo si obtineãt ad id licentiam à Summo Pontifice; vel pro eorum decẽti sustentatione, vel pro aliquo pio opere: secundo si in aliqua regione vigeat consuetudo ista, vt Episcopi has Bullas concedant; nam diuturnitate temporis præsumitur id initio factum fuisse ex licentia Pontificis.

13 *Soluũtur fundamenta opposita.* Ex his autem patet responsio ad fundamentum, cui innititur secunda sentẽtia: nam Bullæ illæ, quæ in Regnis Hispaniarum concedi solent ab Episcopis, vt testatur Henriquez, loco superius citato, *& Perez de Lara in compendio illo triumgratiarum lib. 1. à fol. 94.* referens, & transcribens Bullam confraternitatis, quæ Hispanicè vocatur (Bulla de la Hermandad) concessa ab Episcopo Segutinensi. Anno Domini 1570. in defectum Cruciatæ, quæ tunc erat suspensa, talis inquã Bulla fuit ex consilio, & consensu plurĩũ Episcoporum in subsidium contra Granatenses, quos Hispani vocare solent (Moriscos.) Et hoc dici potest fuisse, vel ex licentia tunc habita à Pontifice, qui solum voluerit reuocare Bullam Cruciatæ vniuersaliorem, & ampliorem, contentus, quod Episcopi per Bullas illas cõsuluerint necessitati prædictæ: vel melius præsumendam esse consuetudinem legitimè introductam, toleratam, & nunquam à Pontifice reuocatam.

Limitationes autem, quas ponit Trullench, vel parum faciunt, vel non faciunt omnes ad rem: quia licet concessa fuerit Bulla Cruciatæ à Summo Pontifice: nihilominus, quia per Cruciatam nulla datur facultas dispensandi, poterit ex hoc capite Episcopus instituere Bullam ad dispensandum in multis casibus occultis: & sic in ordine ad hunc effectum impertinens est cruciata. secunda limitatio solum ostendit cõgruentiam ad instituendam ab Episcopo Bullam: quamuis non probet in Episcopo esse tale ius potestatem. tertia denique limitatio nõ poterit esse vniuersalis: quia interdum posset aliquis Episcopus indigere ad sui congruam sustentationem; & per consequens pecuniæ, quæ erogantur pro receptione talis Bullę, licitè pot. runt cõuerti in commodum ipsius Episcopi. 14 *Reijciuntur limitationes Aegidij.*

CAPVT V.

Vtrum Priuilegia Cruciatæ sint amplè, an verò strictè interpretanda?

Pro sententia, quæ asserit priuilegia Bullę Cruciatę esse strictè interpretanda citari solet *Nauar. lib. 2. consil. tit. de iureiur. consil 3. in 1. edit. & consil. 1. in 2. edit.* sic eum citat *Sanches lib. 8. de matrimonio disput. 2. num. 7.* & laudat etiam *Henriquez lib. 7. de indulg. cap. 30. nu. 1.* Sed *Nauar. in consilio 1. secunda editionis in 6. dub.* solum loquitur de iuramẽto, quod aliquis fecit de non ludendo in gratiam alterius: & quærit an per Iubilæum tunc promulgatum possit tale iuramentum relaxari? & respõdet inclinando in partem negatiuam: cuius negationis rationem assignans ait, id esse, quia per Iubilæum solum datur facultas dispensandi in votis, nulla facta mentione de Iuramẽtis, quæ cum sint diuersæ rationis, ex vno ad aliud non valet illatio, & præsertim in dispensationibus, quæ sunt odiosæ, & exor- 1 *Referuntur sententiæ restringentes priuilegia Bullę.*

exorbitantes. sic ex Nauarro, in quo loco nihil agit de Bulla Cruciatæ; quod verò spectat ad Henriquez, notatur Sanches à *Merolla tom. 2. disput. 4. cap. 6. num. 90. in fine*, quasi falso eum citās; nam Merolla putat oppositum ab Henriquez affirmari, nempe priuilegia Bullæ Cruciatæ esse amplè interpretanda: at re vera si Henriquez attentè spectetur, docet sententiam, pro qua à Sanches citatur, nempe priuilegia Cruciatæ esse strictè interpretanda, & ipse Merolla in hoc deceptus est, & ante ipsum *Suarez. tom. 2. de relig. lib. 6. cap. 16. nu. 3. circa medium*: licet enim, quoad sonum verborum Henriquez fideliter à Suario citetur, nihilominus Sanches potius attendere voluit ad mentem ipsius Henriquez, quam ad verba. & hoc totum manifestè probatur; nā Henriquez cap. illo 30. initio habet ista verba (*Priuilegia Bullæ Cruciatæ, imo & quæ priuatis conceduntur, licet dicantur odium iuris, ampla interpretatione extendere licet, quantum verborum propietas patitur*. (Hæc Henriquez) Censuit autem Merolla Henriquez fuisse in ea sententia, quæ asserit priuilegia Cruciatæ latè esse explicanda, & puto hoc collegisse ex eo, quod Henriquez habeat illa verba, nempe (*ampla interpretatione extendere licet*) non aduertens hæc duo esse diuersa, videlicet esse amplè extendenda intra proprietatem verborum, & absolutè dicere, esse extendenda, seu ampliāda: prima enim illa extensio est secundū quid, & limitata, nempe intra proprietatem significationis verborum, & non vltra: ista vero extensio est simpliciter talis, atque adeo fertur vltra proprietatem naturalem in totam ciuilem significationem; leges autem, & dispositiones odiosæ, vt fatetur ipsemet *Merolla eadem disput. cap. 9 num. 19* extenduntur, iuxta communiorem sententiam, ad omnia, quæ clauduntur sub significatione propria, & naturali; non vero vltra illam, vt varijs exemplis idem auctor ibidem hoc exemplificat, aitque hanc opinionem ipsummet docuisse *Tom. 1. cap. 2. nu 552.* licet loco citato oppositam sustinuerit, docens leges odiosas etiam intra proprietatem verborum esse coarctandas: sed quicquid sit de veritate huius rei, satis nobis erit Henriquez rectè citatum; fuisse à Sanches pro illa sententia, quæ vult priuilegia Bullæ esse strictè interpretanda, cum solum illis concedat extensionem intra proprietatem verborum, & ideo postea vniuersalem tradens regulā pro rebus, quæ pressam habent explicationem, inquit (*& generaliter in materia stricta potest extendi ad omne id, quod ex verbis concipi potest*,) nempe quoad proprietatem verborum, &c. & hæc per transennam in gratiam Sanches dicta sint. regrediendo autem ad hanc opinionem, quā docet Sanches, expresse eam defendunt alij, nempe *Rodriquez in Bullam* §. 9. *nu.* 38. *& 99. in qq. regular. Tom. 1. quæst 11. nu. 9. Salas de legibus disp. 17. sect. 6 in fine, & disp 20 sect. 11. nu. 100. Coninch de matrimonio disp. 33. dub. 2. nu. 14 vers. Ex quo vlterius patet.*

2 Secunda opinio est opposita: docet enim priuilegia Cruciatæ esse fauorabilia, & amplè interpretāda. ita *Lopez instruct. par. 2. de clauibus. cap. 9. Castropalao in suo opere morali Tom. 1. tract. 3. disp. 4. p. 11. nu. 7. Merolla Tom. 2 disp. 4. cap 6. dub. 2. corol. 3. nu. 91. Diana par. 1. tract. 11. resol. 98. & Suarez loco citato*, loquens de priuilegijs Cruciatæ, & similium, quoad facultates vero seu fauores spirituales nihil volens determinate de alijs indultis. *Opinio amplians.*

3 Inter has duas opiniones puto media via esse incedendum. *Authoris sententia.*

Dico igitur primo. Priuilegia Bullæ, quæ sunt contra ius commune, & inuoluunt actualem dispensationem seu relaxationem iuris, strictè sunt interpretanda, *ita Rodriquez art. 9. cit. in quæst. regul. Aegidius Trullench in expositione Bullæ dub. 4. præmial. nu. 3.* & eandem opinionem amplecti debent omnes illi, qui sustinent dispensationem iuris non amplè, sed presiè esse explicandam, vt apertè statuitur *cap. 1. de filiis presbyterorum in 6. in fine.* & ibi huius rei ratio assignatur, nempe. Quia dispensatio exorbitans à iure veluti odiosa restringi debet. Et confirmatur à fortiori, nam si lex iustè, & æqualiter omnes respiciens, lædens ius commune est restringenda, vt communiter dicunt Doctores, & colligitur ex *Cap. Cum dilectus de consuet.* multo magis restringi debet dispensatio, quæ dici solet vulnus iuris, & per cōsequens odiosa, cum quamdam inducat singularitatē in illa persona, cui fit dispensatio, nihil enim in communitate magis odiosum, quàm singularitas, secundum quam aliquis vult se eximere à lege communi.

4 Quæ autem sint dispensationes, quæ fiunt virtute Bullæ, & lædunt ius commune, inferius aperiemus, dum in proprijs locis agemus de priuilegijs huius Bullæ in particulari.

5 Hæc autem doctrina circa dispensationem iuris strictè interpretandā, varias admittit limitationes, quàs distinctè ponit *Merolla cap. illo 6. superius citato, dub. 1. à num. 7.* quarum aliquæ non faciunt ad rem nostram, aliquæ vero examinabuntur dum erit sermo de priuilegijs

Bullæ

Bullæ in particulari.

6 *Declaratur opinio auctoris.* Dico secundo. Si spectemus priuilegia Cruciatæ quatenus important potestatem relaxandi ea, quæ sunt cõtra ius commune, amplè sunt interpretanda, ita Rodriquez, & Trullench locis citatis. Suadetur conclusio ex principijs, quibus probari solet potestatem dispensandi esse latè explicandam: talis enim potestas, cum nulli afferat præiudicium nisi soli concedenti, vt bene aduertit, *Sanches lib. cit. de matrimonio disp. 2. num.* 1. & sit beneficium Principis, & non vulneret ius commune, non erit odiosa, & per consequens latam admittit interpretationem; & in hoc patet discrimen inter dispensationem ipsam actualem, & potestatem dispensandi; nam illa directè tendit ad relaxandum ius, dum actu aliquẽ eximit ab obligatione legis communis; ista vero non tendit directè ad lædendũ ius, sed potius ad alteri fauendum; in quantum Princeps, vel omnẽ, vel partẽ suæ potestatis alteri communicat, quæ quidem communicatio primario intenditur dum conceditur potestas dispensandi: immo hoc est ipsi iuri conforme, in quantum facilius subuenitur necessitatibus occurrentibus, dum plures adsunt, à quibus dispensatio rationabilis haberi poterit.

7 *Obiectio.* Sed dices. Potestas dispẽsandi tota est in ordine ad dispensationem ipsam, quæ est odiosa; ergo etiam, & ipsa potestas.

8 *Solutio.* Respondeo. In concessione potestatis si primario, & directè intenderetur relaxatio iuris argumentum concluderet. at vt dixi, non intenditur talis relaxatio, sed fauor, qui alteri fit sine vllo præiudicio tertij.

9 *Instantia in contrarium.* Sed vrgebis. Neque qui actualiter dispensat oportet vt intendat præiudicium alterius; ergo par est vtrobiq; ratio, quantum ad hoc in potestate dispensandi, & dispensatione.

10 *Solutio.* Respondeo. Quamuis dispensans nõ intendat alterius præiudicium: nihilominus ipsa actualis dispensatio lædit tertium, nõ autem potestas ad dispensandũ proinde neganda est paritas. Aliquæ autem limitationes circa rem hanc videri possunt apud *Sanches disp. 2. cit. à n. 2.* & melius hæc omnia fient manifesta in 2. par. dum loquemur de his priuilegijs.

11 *Sequitur declaratio opinionis auctoris.* Dicendum est tertio, Priuilegia Cruciatæ, quæ non sunt contra ius commune amplè sunt interpretanda, tum quoad potestatem, tum quoad exercitium: ita *Trullench. loco citato, num. 5.* & colligitur ex doctrina, quam tradit *Suarez. lib. 5. de legibus cap. 27. nu. 3. 4.* Probatur autem conclusio, quia in priuilegio, quod nullum ius commune lædit, neque inuoluit præiudicium tertij, duplex tantum respectus spectari potest, scilicet ad Principem, qui illud concedit, & ad personam, cui conceditur; at in vtroque nulla reperitur ratio strictæ interpretationis: si enim priuilegium spectetur in ordine ad ipsum Principem concedentem, ampla esse debet interpretatio, quia ad Principem pertinet, intra limites rectæ rationis, liberaliter agere, & eius præiudicium nihil obstabit, quia est essentialiter imbibitum in fauore cõcesso, ac proinde volitum ab ipsomet concedẽte; & ideo gratiæ ab eodem concessæ in ordine ad ipsum, latam habent explicationem: si verò consideretur in ordine ad personam priuilegiatam, multo magis id erit dicendum, quia quanto magis ampliatur priuilegium, eo magis cedit in commodum ipsius priuilegiati, sicuti è contra restrictio in eius incõmmodum; ergo priuilegium quatenus dicit habitudinem ad priuilegiatum, nequit sub hac præcisa ratione habere limitationem, sed potius amplitudinem; cum autem priuilegium, quod nullum ius lædit, neque est in præiudicium alicuius tertiæ personæ, nullam aliam habitudinẽ inuoluat, nisi ad concedentem, & ad priuilegiatum: idcirco ex nullo capite poterit limitationem habere, dummodo sic illimitatũ maneat intra rectam rationẽ; nam alio modo non intelligitur, neque præsumitur concessum.

TRACTATVS II.

DE MVLTIPLICI BVLLAE EXTENSIONE.

Declaratur modus procedendi, iuxta ordinem paragraphorũ Bullæ.

Optimum factu visum est mihi in Tractatibus, qui sequentur, ordinem seruare paragraphorum, quibus ipsamet authentica Bulla plumbea suas omnes spiritualium, ac temporalium donorum rationes distinguit, qui quidem paraghraphi per particulam, Item, designantur, eorumque numerus vnum supra triginta amplectitur, quibus nonnulla addentur extensiones, & declarationes, quæ tẽporis progressu ab alijs Summis Pontificibus emanarunt. Cum autem per octo paragraphos ab illis verbis (Pius itaque Quintus) *vsque ad nonum ibi* (Item conceditur omnibus) *extensiones Bullæ nobis à Pontifice explicentur; ideo secundus hic tractatus hos etiam octo comprehendet: Triplex igitur sese offert consideranda extensio, Localis, Personalis, Temporalis: & primo has tres extensiones indagabimus in eis, qui accedentes ad bellum contra infideles à Rege Catholico initum, vel qui alios mittunt plures personas, atque varias exercent functiones: Secundo magis in particulari considerabimus loca, personas, & durationem huius Bullæ.*

CAPVT I.

De Donis, quæ ad Bellum contra Infideles euntibus, aut mittentibus Conceduntur.

1 *Indulgentia pro adiuuantibus hanc expeditione.*

Pius V. & successiuè Gregorius XIII. alijque Pontifices vsque ad Innocentium X. qui hodie est Summus totius Ecclesiæ Pastor, pro defensione, & expeditione Belli contra Turcas, cæterosque infideles concesserũt Philippo Regi Hispaniarum, & omnibus, & singulis promouentibus, vel aliquo modo adiuuantibus exercitum contra Sanctæ Fidei hostes, plenissimam omnium peccatorum indulgentiam, sub quibusdã tamen conditionibus, seu oneribus, vt infra dicam, & videre est in primo paragrapho huius Bullæ ibi *(Primo concedunt.)* Onera autem consistunt in quibusdam actionibus, & actibus ab ipsis, quibus indultum datur, exercendis, vt in sequentibus declarabimus.

SECTIO I.

Quid specialiter à Rege præstandum sit ad Indulgentiam hanc lucrandam.

2 *Rex Catholicus dupliciter potest ratione lucrari indulgentiam Cruciatæ.*

Rex Catholicus in ordine ad fruendum huius Cruciatæ priuilegijs, & donis, sub duplici spectari poterit habitudine: & primo, vt caput omnium horũ, qui indulta ista Bullæ participant: Secũdo, vt priuata persona sicuti reliquæ: nũc autem illum consideramus sub primo tantum respectu, & inquirimus, quid exhibere debeat, vt indulgentiam hanc obtineat.

Dico igitur. Onus, quod à Pontifice postulatur, est sedulitas, & industria, qua Rex diligenter curet expeditionem hãc in bonũ Christianæ Reipublicæ, sic dicitur in ipso Diplomate illis verbis *(Primo concedunt.)* supple *(Pius, & Gregorius)* Philippo prædicto Regi, huic defensioni, & expeditioni contra Turcas, & Infideles assidua cura, & diligentia incũbenti, plenam omnium suorum peccatorum indulgentiam, & remissionem, &c. tenetur igitur Rex ad hãc indulgẽtiã sub hac ratione lucrandã curare defẽsionẽ Christianorũ contra infideles, quod pijssimus, & Catholicus Rex acerrimus Sanctæ Ecclesiæ propugnator, summa prudentia, & perspicacitate exequitur, & præsertim contra hæreticos, à quibus Catholici summopere infestantur. Alia conditio apponenda est contritio peccatorum, eorumdemque confessio: sed de hac conditione, cum sit Regi, & euntibus ad bellum communis, inferius loquemur. 3 *Onus Regi, vt capiti impositum.*

Dico Secundo. Si Rex non curaret sacram istam expeditionem, non lucraretur hanc indulgentiam, quæ ipsi tanquam capiti est concessa, Conclusio ista patet, quia indultum, de quo loquimur 4 *Rex negligẽs promotionem sacræ expeditionis non lucratur indulgentiam, vt caput.*

sub

sub hac conditione datur, videlicet, vt Rex diligenter incūbat in prædictā expeditionē; proinde conditione non adimpleta corruit concessio.

5 *Rex toties quoties lucrari poterit indulgentiam hanc.* Dico Tertio. Rex non tantū semel, sed toties, quoties voluerit, poterit eodē annο plenariam lucrari indulgentiā: sic notat Trullench exponens secundum paragraphum nu.6. Quod place mihi, quia concessio indulgentiæ sub eorum verborum tenore comprehendit euntes, aut mittentes ad bellum, & Regem ipsum. Euntes autem, &c. non semel, sed pluries lucrifacere possunt hanc plenariam indulgentiam, vt dicemus sectione sequenti, ergo etiam & Rex, si conditiones requisitas apponat.

6 *Rex etiam si negligat promotionem sacræ expeditionis, poterit vt priuata persona lucrari indulgentiam.* Dico Quarto. Si spectemus Regem sub alio respectu; nempe, vt priuatam personam, seu vt membrum illius communitatis, in qua viget Cruciata, poterit & plenariam indulgentiam, & cætera dona lucrifacere, recipiens summarium, sicuti reliqui faciunt, etiam si ponatur negligere expeditionem contra infideles, quia ad particulares gratias Cruciatæ, nulla deest conditio ex requisitis.

7 *Instantia.* Dices. finis adæquatus, quo Pontifex ductus est ad hanc Bullam instituendam in fauorem Regis Catholici, est illa diligentia, & cura, quam sibi promittit apponendam à Rege; ergo dum Rex omittit diligentiam hanc, cessat finis præcipuus à Pontifice intentus; atque adeo nō videtur Rex, etiam vt priuata persona frui posse priuilegijs huius Bullæ.

8 *Solutio.* Respondeo, finem proximum, & immediatum, quem habuit Pontifex ad Cruciatam instituendam, esse subsidium ipsius Regis contra infideles; videlicet constituere Regem potentiorem ad sacram expeditionem promouendam cōtra infideles: finem vero mediatum, & vltimum esse ipsam actualem promotionem, qua Rex conatur sacram expeditionē promouere: & ideo si Rex promotionem hanc negligat: nihilominus Pontifex retinebit proximum motiuum in concessione Cruciatæ, & consequēter finem proximè intentum, nimirum, subsidium regium pro expeditione illa. Ad argumentum autem respondeo, diligentiam, seu promotionem actu politam esse finem mediatum, & remotum: proinde eo cessante, persistere poterit finis immediatus, qui est Regi subuenire: ideoq; priuilegium Bullæ poterit esse efficax respectu eorum, qui eam, vt personæ priuatæ accipiunt, quia possunt adesse conditiones omnes requisitiæ pro particularibus, licet desint conditiones intentæ in ordine ad Regem, vt caput; quapropter Rex quamuis culpabiliter non apposuerit conditionem, quæ in ipso exigebatur: poterit tamen apponere illas, quæ in ipso vt parte, seu membro communitatis desiderabātur ad fruendum Cruciatæ priuilegijs.

Ex his colligitur responsio illius quæsiti, de quo olim interrogatus fui. videlicet an si lucrum prouenïens ex Cruciata Rex non applicaret pro sacra expeditione, sed illud consumeret in vsus vanos, immo illicitos, adhuc Bulla Cruciatæ sum retineret vigorem? responsio autem erit affirmatiua: nam licet Rex, si ita se gereret malè faceret, priuando Ecclesiam subsidio illo temporali in defensionem contra infideles, & ex isto capite Pontifex rationabile haberet motiuum suspendendi Cruciatam: nihilominus quia finis proximus huius concessionis est subsidium dare Regi pro expeditione illa; idcirco persistente tali fine, durabit Bullæ vigor, & efficacia. 9 *Subsisteret in sua efficacia Bulla, etiā si Rex lucrū ex illa non applicaret sacræ expeditioni.*

SECTIO II.

Discutiuntur Dona, & Onera, quæ Bellum Adeuntibus præscribuntur.

IN hac sectione consideranda nobis sunt ea, quæ in prædictis clausulis decernuntur pro ijs, qui ad exercitum proficiscuntur, quæ omnia ordinatè enumerabimus. 10

Et primo. Summus Pontifex plenissimam eisdem largitur omnium peccatorum remissionem, & indulgentiam, sub quibusdam tamen conditionibus, infra exprimendis. 11 *Pontibus ad bellum cōtra infideles conceditur indulgentia.*

Secundo. Eadem indulgentia non solum datur euntibus ad pugnandum, sed etiam illis, qui aliquod seruitij genus in subsidium exercitus gratis præstabunt: sic decretum est in primo paragrapho. 12 *Conceditur indulgentia etiā aliquod obsequium in b llo subsidiū præstantibus.*

Tertio. Omnes prædicti ad hāc indulgentiam assequendam, & ad fruendum alijs priuilegijs Bullæ, non tenentur soluere consuetam eleemosynam, & Bullam ipsam accipere, sic notauit *Ioannes Aegidius Trullench. lib. 1. §. 1. dub. 15. nu. 4.* idque clarè colligitur ex ipsomet diplomate, in quo nulla reperitur clausula, quę tales personas obliget ad Bullā hanc capiendam: & hoc non obscurè innuitur initio octaui paragraphi, dum Pontifex sermonem dirigēs ad illos, qui neq; proficiscuntur neq; ad bellum mittunt, inquit debere ex bonis à Deo collatis aliquid contribuere, vt huius Bullæ priuilegia, & dona consequi valeāt; cum autem onus stipis soluendæ solum ijs imponatur, consequens est, vt dicamus 13 *Euntes ad bellum non tenentur Bullam accipere aut soluere stipem, vt indulgentiam lucrentur.*

cun-

euntes, aut mittentes tali obligationi nequaquam subiici.

14 *Plures conse qui possunt indulgentiam.* Quartò. Qui eunt ad bellum, ibique vel prælĩatur, vel aliquod aliud obsequij genus faciunt possunt toties, quoties prædictam plenariam indulgẽtiam obtinere; *sic Rodriquez in fine paragraphi secundi num. 15. Villalobos in Bullam claus. 1. num. 3. Trullench in expositione eiusdem paragraphi. numer. 6. & apud ipsum Ioannes Garnica in huius Bullæ expositione.* Ratio autẽ est primò. Quia pro ijs, qui ad pugnandum eunt, indulgentia conceditur absque vlla temporis determinatione, & sine illa restrictione, quæ ponitur pro ijs, qui non eunt, nempe semel in vita, &c. vt infra videbimus; & hoc etiam extendit Trullench ad absolutionem à reseruatis, & commutationem votorum, &c. Verum si agatur de casibus Pontifici reseruatis, apud me hoc, quod Author iste asserit, non est certum, quia in hoc paragrapho de sola indulgentia est loquutio. In §. autem 8. licet euntibus concedantur omnia dona Bullæ: tamen id intelligitur in ea forma, sub qua reliquis dantibus eleemosynam Pontifex largitur.

15 Secũdò. Suaderi potest, quia indulgẽtia, quæ indefinitè conceditur, toties, quoties fuerit repetitũ opus iniunctũ, lucrifieri poterit, vt colligitur ex S. Thoma in 4. dist. 20. quest. 1. a 3. quæstiũcula 2. ad quartum, quem sequitur, Nauarrus de indulg. notab. 31. nu. 36. & 37. Suarez Tom. 4. in 3. p. disp. 57. sect. 1. nu. 7. & alijs.

16 *Qui ante finẽ expeditionis moriuntur, aut infirmantur, fruuntur indulgentia.* Quinto. Eamdem cõsequentur indulgentiam, qui ante huius expeditionis finem, aut dum accedunt ad exercitum, aut in eodem exercitu moriuntur, vel ob aliquam infirmitatem, aut necessitatem superueniẽtem ab exercitu discesserint. sic statuitur in secundo paragrapho.

17 *Milites eximuntur à ieiunijs etiam ex voto, vel iuramento.* Sexto. Milites in bello occupati eximuntur à ieiunijs, quæ siue ex voto, siue ex præcepto Ecclesiæ tenentur, & etiam quod possint diebus festiuis exercere opera seruilia ad bellum pertinentia, ita disponitur in paragrapho septimo.

18 Sed circa hoc priuilegium aliqua elucidanda sunt dubia, & primo. An per ieiunia votiua, à quibus milites in hoc paragrapho liberantur, comprehendãtur ieiunia, ad quæ miles ex iuramento tenetur.

19 Respondeo non solum comprehendi ieiunia ex voto emissa: verum etiamque ex iuramento: sic *Trullench. §. 2. cit. nu. 5.* & ratio est quia iuramentum, quod in honorem solius Dei, aut Sanctorũ emittitur, voto æquiparatur; vt ostendemus infra, loquẽtes de commutatione votorum vi huius Bullæ.

Secundo. An veniat ieiunium iniunctũ à Confessario in Sacramento pœnitentiæ? 20

Respõdeo. Tale ieiuniũ nõ includitur in hoc priuilegio, quia eius obligatio oritur ex capite diuersæ rationis, nempe ex ipso Sacramento: poterit tamen tali grauatus ieiunio, sequens probabilem opinionem, de qua infra, ab illo se eximere, satisfaciendo pro peccatis mediãte indulgentia plenaria, quam toties quoties acquirit confitens, & Sacramento pœnitentiæ se subijciens; nisi ieiunium iniunctum à Confessario sit in medicinam, & in præseruationem peccatorum in futurum. 21 *Nõ comprehenduntur ieiunia iniuncta à Confessario.*

Tertio. Vtrum Rex, & alij, qui sunt in exercitu, & non pugnant, sed varia in fauorem belli exhibent obsequia liberentur à ieiunijs? 22

Respondeo negatiuè; nisi Rex etiam ipse ingrediatur campum, & pugnet cũ alijs, si autem sit extra locum pugnæ nõ eximetur à votis, neque etiam sunt eximendi non prælĩantes, sed aliquod seruitij genus facientes, hi enim propriè nõ dicũtur Milites. quid autẽ requiratur ad hoc vt aliquis verè sit miles, Sex requirit cõditiones in illo *Glos. in cap. Milites, quod est penultimum, ff. ex quibus causis*. Prima enim conditio est, vt non sit negotiator. sic statuitur *lib. XII. Cod. Negot. ne milit. leg. 1.* Secũda conditio, vt prius examinetur, vt habetur *eod. lib. Cod. Qui militare possunt, aut non possunt*. Tertio, quod præstet iuramentum non fugiendi mortem ob bonum Reipublicæ. Quarto, vt cingat ensem. Quinto, vt aliquod signũ militare externus ferat. Sexto, vt in aliorum militum numero conscribatur. sic ex Glos. quæ conditiones istas, & iuribus, & auctoritate confirmat; at nõ omnes sũt in vsu, & vt ego cẽseo solũ videtur in cõsuetudine illæ, Ascribi, & Ense cingi, & Tesserã militis gestare. Qua propter dico, qui adiuuant exercitum modo prædicto non sunt propriè loquẽdo milites; & ideo non fruuntur priuilegio exemptionis à ieiunijs. Et hæc quoad dona. Aggrediamur nunc onera, quæ partim sunt spiritualia, partim verò temporalia. 23 *Nõ pugnantes non liberantur ab obligatione ieiuniorũ, quãuis aliud præstent obsequium.*

Primum onus spirituale est, vt ex zelo fidei eant ad bellũ, & pugnent si enim ex odio, & vindicta mouerentur ad pugnandum pro Rege Catholico non lucrarentur indulgentias, neque alia dona. Probatur; quia ita disponit Pontifex in primo paragrapho; & idem, si pugna non esset contra infideles, sed contra fideles. 24 *Non lucrantur indulgentiam, & alia indulta si pugnent non ex zelo, sed ex alio fine.*

Se-

Secundum vt ſint corde contriti, & ore confeſſi: circa hanc autem conditionẽ, nonnullæ inſurgunt dubitationes, quæ ſunt ſequentes. Primo. An neceſſariò requiratur vera, & perfecta contritio? Reſpondeo, ſatis eſſe attritionem illam, quæ (iuxta ferè omnium ſentẽtiam, & hodie poſt Tridentinum quaſi certam) ſufficit ad valorem, & effectum Sacramenti pœnitentiæ: quia Pontifex requirit contritionem, & confeſſionem, vt homo ſe præparet ad iuſtificationem, & vt ſic indulgentiæ beneficium obtineat: at cum detur talis attritio, quæ ſatis ſit cum Sacramento, & ſimul ponatur Sacramentum homo iuſtificabitur; igitur non eſt præſumendum exigi perfectam cõtritionem, ſed eſt dicendum ſub nomine contritionis, & perfectam, & imperfectam, includi: ſicuti ſub eodem nomine *Tridentinum ſeſſ.* 14. *cap.* 4. vtramq; amplectitur, vt manifeſtè ſe declarat.

25 Secundo petes. An confeſſio actualis ſit omnino neceſſaria?

Cõfeſſio ſacramentalis eſt neceſſaria ad obtinendam indulgentiam iſtam. ſi adſit conſcientia peccati mortalis.

Reſpondeo. Licet nonnulli ſentiant nõ eſſe ita neceſſariam, vt ſine illa nequeat indulgentia obtineri: tamen alij oppoſitum tuentur, quorum opinio mihi magis placet, quando lucraturus indulgentias conſcientiam habet peccatorum mortalium: at de hac re fuſiùs acturi ſumus infra in tractatu de indulgentijs acquirendis per Bullam, & ad eundem locum, remitto lectorem.

26 Tertio. Poſito caſu, in quo ſit neceſſaria confeſſio, an neceſſariò fieri debeat ore, an verò ſufficiat eam fieri nutibus?

27 Reſpondeo, ex vna parte videri eſſe voce faciendam: quia in clauſula iſta Pontifex loquens de his priuilegiatis, in ordine ad lucrãdam hanc indulgentiam ait, (*corde contritis, & ore confeſſis.*) Sed dicendum eſt: ſi pœnitens nequeat ore loqui, quia eſt mutus, vel quia confeſſarius non intelligit Idioma pœnitentis, & pœnitens non poteſt habere alium confeſſarium, qui percipiat genus talis loquutionis: tunc ſufficienter adimpletur hoc onus per confeſſionem nutibus, & ſignis factam; neque huic ſententiæ aduerſantur Pontificis verba: ideo enim inquit, eſſe ore peragendam, quoniam hic eſt modus conſuetus in Eccleſia, per ſe loquendo: ex hoc autem non tollitur, quin compleri valeat ſignis in caſu per accidẽs, quemadmodum ad præceptum annuale confeſſionis adimplendum ſatis eſt confeſſio per ſigna: ſi verò nullum adſit impedimentum loquelæ, confeſſio debet fieri modo ordinario; aliter, vt aliqui ſẽtiũt, id foret peccatũ; ſi verò pœnitẽs inuincibiliter hoc ignoret, puto ſatisfieri per confeſſionem ſignis factam: nam cẽſeo à Pontifice in hoc paragrapho non peti confeſſionem ore faciendam ſtrictiori modo quàm obliget præceptum Eccleſiæ: & tamen ex cauſa rationabili, vel ex ignorantia inuincibili, confeſſio per ſigna poterit eſſe valida. Hæc ſunt onera ſpiritualia: temporalia verò ſunt ea, quæ ſequuntur.

Ex vi huius Diplomatis nõ oportet, vt confeſſio fiat ore.

Primo. Debent milites abſque ſtipendio, & ſuis ſumptibus accedere ad bellum, & pugnare, & qui occupantur in exercendo aliquo ſeruitij genere, gratis id debent facere. 28

Milites ad lucrandã indulgentiã debent abſque ſtipendio accedere ad bellũ, vel aliqua obſequia exercitui præſtare.

Secundò. Debent permanere in exercitu vſque in finem expeditionis anni publicationis huius Bullæ. Dubitatio autẽ eſt, quo pacto computandus ſit annus iſte. Reſpõdeo, eſſe computandum à die, quo aliquis ſe aſcribit, vt miles ad bellãdum, vel ad præſtandum aliquod obſequium, modo explicato: ſic colligitur ex Bulla Latina, & Italica, nam in latina eodem paragrapho primo dicitur (*Qui intra annum à die publicationis præſentium inchoandum, fidei zelo moti ad exercitum prædicti Sereniſſimi Regis, &c. cõtra Turcas, & alios infideles, in illos pugnaturi, aut aliud genus ſeruitij gratis facturi ſuis ſumptibus acceſſerint, & ibidem vſq; in finem huius expeditionis eiuſdem anni permanſerint. &c.*) Ex his verbis patet, annum iſtum requiſitum ad permanendum in exercitu inchoari non poſſe ante publicationem Bullæ; poſt promulgationem vero quocunque die eiuſdem anni incipere poſſe, & durare vſque ad diem ſequentis anni, in quo completur annus ille: atque adeo nõ menſurari hunc annum cum publicationis anno, nam hic poterit prius compleri, vt patet ex verbis ſupradictis. Confirmatur etiam ex Bulla Italica, cuius verba hæc ſunt (*Moſſi dal zelo dell'eſſaltatione della Fede Catolica anderanno à loro ſpeſe perſonalmente à ſeruire alla guerra, e nell'eſercito, e con gente che S. M. manda per tempo d'vn Anno à combattere contro Turchi, & altri infedeli ò fare qualunque ſeruitio, ò aiuto perſonale nel detto eſſercito, perſeuerando in quello ſino alla fine di detto anno, &c.*) Annus igitur iſte non erit Eccleſiaſticus, ſed naturalis, incipiendus quacunque die poſt publicationem Bullæ. Hæc ſunt onera iniuncta ijs, qui eunt ad bellum.

29 *Debent in exercitu perſeuerare vſque ad finem expeditionis durante anno, qui incipere debet à die publicationis harum litterarum.*

Quo pacto Annus iſte ſit cõputandus.

SECTIO III.

De Iis, qui alios ad Expeditionem Mittunt.

30 IN forma concessionis, quam continet tertius paragraphus, habetur eãdem peccatorum indulgentiam consequuturos eos, qui bellum non adeuntes, tamen loco ipsorum, alios suis impensis mittunt: sed mittendorum numerus in hac Bulla præfixus, non est idem pro omnibus, sed diuersus pro diuersitate statuum, & personarum, vt mox declarabimus.

31 *Designatur numerus eorum, qui ad exercitum sunt mittendi.* Dico igitur primo. Si mittens erit in aliqua dignitate ex infrascriptis, debet suis sumptibus mittere quot commodè potest vsque ad decem homines inclusiuè, nec quatuor pauciores mittat, si plures non poterit. hoc autem onus habent sequentes personæ. scilicet ex Ecclesiasticis, Cardinalis, Primas, Patriarcha, Episcopus. Ex sæcularibus verò. Filius Regis, Princeps, Dux, Marchio, Comes: sic statuitur in 3. illo paragrapho.

32 Dico Secundo. Quilibet, cuiusque sit conditionis siue Laicus, siue Clericus Sęcularis, tenetur vnum tantum mittere: attamen si eius facultates sint adeo tenues, vt id facere nequeat: in tali casu duo, tres, aut quatuor, qui pariter exiles habent reditus, pro rata facultatum, vni duntaxat soluant stipendium, eumq; nomine suiipsorum mittant, & si omnes, vel aliquis ex ipsis sit adeo pauper, vt nequeat modo prædicto contribuere, non poterit indulgentiam hanc lucrari hac via; sed poterit data stipe summarium accipere, vt hane indulgentiam, cæteraque Cruciatæ dona acquirat.

33 Dico Tertio. Capitula Ecclesiarum, quemadmodum Monasteria, aliaque Religiosorum etiam mendicantium, fœminarum, & masculorum loca, si pro decem personis eorumdem Capitulorum, & locorum, vnum electum à Capitulo mittant, idem participabunt indultum, vt disponitur in §. 4.

34 *Dubitatio circa numerũ mittẽdorum, proponitur.* Sed hic occurrit dubitatio quædam: videlicet quid faciendum si in Monasterio, aut loco Regularium numerus Religiosorum, aut Religiosarum excedat denarium, & non pertingat ad vigenarium, &c. sint tresdecim, quindecim, &c. vel si non attingat neq; denarium, & sint sex, octo, &c. Ad hanc dubitationem respõdet *Emanuel Rodriquez. §. 3. Villal. clauf. 2. vers. (Ecta clausula) Aegidius Trullench in expositione secundi paragraphi n. 3.* In primo casu esse vnum mittendum pro numero denario: pro excessu vero non attingente vigenarium, deberi pro rata partiũ supra denariũ contribui. In secũdo verò casu eodem modo esse philosophandum: si enim personæ in tali Monasterio, aut conuentu erunt minus decem, contributio erit distribuenda pro rata: Alij verò existimant, quod quando numerus non attingit vigenarium, sed excedit denarium, vnum dum taxat esse mittendum absq; contributione pro excessu: sic *Ludouicus à Cruce in Bullam disput. 1. cap. 8. dub. 11.* & hoc ait esse rationi conformius: sed author iste non se explicat quid sentiat, quando numerus est denario minor: sed prior opinio est tenenda, quia tenor verborum hoc videtur nobis insinuare, non enim dicitur, Monasterium, in quo suut decem, &c. tunc enim si numerus erit minor non tenebitur monasterium, neque vnum mittere, quia talis modus loquendi indicat numerum denarium esse conditionem requisitam ad mittendum: ita vt ea non apposita, nulla sit obligatio: quemadmodum dũ magistratus Sæculares taxant ciues ad cõtribuendũ pro militia contra hostes, & vtuntur hac forma, videlicet omnes, quorum bona existimãtur valore mille aureorũ, teneantur soluere decem, vel præparare equum vnũ pro militia: tunc ille, cuius bona nõ pertingũt existimationem mille aureorum, ad nihil tenetur, neq; pro rata, & sic practicatur in hoc Regno Siciliæ, cuius vniuersitatibus prædictum onus est impositum: sed in hac Bulla tenor verborum est diuersus; nam dicitur pro decẽ vnus mittatur, modus iste dicendi est diuersus, & significat pro quolibet denario vnum esse mittendum, & pro minori numero, vel pro excessu supra decem esse ratizandum, & do exemplũ, dum enim pro censibus imponẽdis lex disponit pro centenario, aut pro singulis centenarijs ex Capitali quinque esse soluendos: sensus est, quod pro minori quantitate sit ratizandum, V. G. pro centum, & quinquaginta ex Capitali sint soluendi septẽ cum dimidio. *Resoluitur dubitatio.*

35 *Indulgentia ista potest pro defunctis applicari.* Dico Quarto. Indulgentia ista applicari poterit per modum suffragij animabus defunctorum, tum ab ipsis militibus euntibus ad bellum, tum à mittentibus, aut denique ab ijs, qui nec eunt, nec mittunt, sed ex proprijs bonis iuxta eleemosynam præscriptam à Commissario pro defensione Religionis aliquid contulerint, sic habetur in §. 5. at de indulgentia pro animabus in Purgatorio detẽtis, fusè sumus acturi in quarta, & vltima parte huius operis.

36 Dico Quinto. Pauperes, qui ad hanc mittun-

Pauperes, scilicet si alienis sumptibus prælientur, acquirunt indulgentiam.

mittitur expeditionem, quamuis alienis, & non proprijs sumptibus prælientur; tamen hoc fruuntur indulto: sic dispositum fuit in sexto paragrapho huius Bullæ.

SECTIO IV.

De Clericis, & Regularibus ad exercitum missis.

37 *Donum huius indulgentiæ extenditur ad clericos, & regulares.*

EXtendere Pontifici placuit prædictum indulgentiæ donum etiam ad personas ecclesiasticas: proinde in paragrapho septimo exponit actiones, in quibus personæ istæ se exercere debeant, & pariter apponit conditionem quãdam, vt ijdem indulgentiam lucrentur.

38 *Exponuntur actiones à prædictis exercendæ.*

Dico igitur primo, quatuor proponi actiones faciendas, quarum tres specialiter assignantur; alia verò est vniuersalis; scilicet concionari, confessiones sacramentales excipere, Missas celebrare, & demum alia ecclesiastica, & pia officia administrare, V.G. mortuos sepelire, aquam lustralem, & res alias benedicere &c. hæ autem piæ actiones non oportet, vt à singulis collectiuè efficiantur, sed satis erit, vt aliqua ex illis maioribus exerceatur: nam in eodem paragrapho per particulam disiunctiuam explicantur: & clara ratione id comprobari poterit ex fine, quem Pontifex sibi præscripsit actiones illas imperando; voluit enim, vt milites, alijque in exercitu laborantes adiuuari spiritualiter valeant; ad hunc autem finem assequendum sufficienter prouisum fuit, vt actiones istæ aliquæ ab vno; aliquæ verò ab alio celebrarentur.

39 *Possunt per alium idoneũ regere beneficium, nisi sit curatum.*

Dico secundo. Concessum etiam est prædictis, vt beneficium siue sæculare, siue regulare possidentes valeant illud per idoneum Vicarium regere: excipit tamẽ eos, qui beneficia curata habent.

40 *Clerici seculares debent habere licentiam ab Ordinario, & Regulares à suo Superiore, vt ad exercitum accedant.*

Dico tertio: Conditio ab ipso Pontifice requisita est, vt clerici sæculares priusquam ad hanc accedant expeditionem, licentiam habeant à proprio Ordinario; Regulares verò à proprio Superiore, & absque tali licentia euntes indulgentiam minimè consequuntur; quia Pontifex licentiam istam, vt cõditionem, seu vt formam antecedentem postulauit. hoc autem indicant verba ipsa, dũ dicitur, *Habita licentia &c.* ablatiuus enim iste absolutus conditionem, & formam importat, vt ex iuribus, & ex *Baldo, Felino*, & alijs ostendit *Sanchez lib. 3. De matrim. disp. 5. nu. 2.* & merito hoc dispositum fuit à Pontifice, vt debita subordinatio inferioris ad suum Superiorem custodiretur.

41 Dico quarto: Si Clericus, quicunq; sit, siue sæcularis, siue Regularis omittat prædictorum ministeriorum exercitium, & cũ alijs militibus in exercitu pugnet contra infideles, non lucrabitur hanc indulgentiam. probatur, quia Summus Pontifex indultum hoc ipsis clericis concedere voluit in hunc tantùm finem, vt in sacris actionibus exercerentur, & non in alijs: & ideo non seruantes dispositionem factam à Pontifice, non poterunt huius indulgentiæ beneficio gaudere.

Clerici siue regulares, siue seculares, nisi exerceãt se in ministerijs designatis, nõ acquirunt indulgẽtiam.

Dico quinto. Clerici non tenẽtur proprijs sumptibus accedere ad bellum in finem prædictum: & ideo quamuis à Rege, vel ab alio sustententur, per hoc nõ amittent fructum huius priuilegij. ista conclusio suadetur argumẽto negatiuo, licet efficaci, quia in paragrapho isto, in quo Põtifex de clericis sermonem instituit, nullum habet verbum, per quod significet, proprijs expensis esse alendos; & merito id factum fuit, præsertim quoad Regulares, qui per votum Paupertatis nihil vt proprium habent. rursus conueniens est, vt clerici tum sæculares, tum regulares spiritualia exhibentes, corporalia sibi necessaria à populis subministrata habeant iuxta illud S. *Pauli Prima ad Cor. cap. 9. si nos vobis spiritualia seminauimus magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* 42

Non tenẽtur proprijs sumptibus ad bellum accedere.

CAPVT II.

De extensione Cruciatæ quoad loca.

CIrca Regna, seu loca, ad quæ ipsa Cruciata extenditur, nonnulla occurrunt, quæ omitti non debent, & in ordine ad praxim sunt valdè vtilia: placet autem ea per varias sectiones examinare. 1

SECTIO I.

De locis, quibus Cruciata conceditur.

IN Bulla plumbea, quæ latino idiomate est transcripta, & hodie promulgari solet, referuntur loca, in quibus vsus huius Bullæ viget; ea autem sunt sequentia, Regna Hispaniarum, & Insulæ illis adnexæ, seu adiacentes, Regnum Sardiniæ, ac Siciliæ vltra Pharum, nec non loca, oppida, & dominia Indiarũ terræ firmæ, ac Maris Oceani, quæ Philippo Regi, siue immediatè, siue mediatè sunt subiecta. 2

Hæc autem loca in indiuiduo explicantur *ab Alphonso Perez de Lara in compendio trium gratiarum lib. 1. fol. 103.* quorum enumerationem ex ipso de Lara postea ad verbum transcripsit *Aegidius Trullench in expos. Bullæ lib. 1. S. 1. dub. 1. post tertium numerum*; idcirco non est, cur eadem nos inutiliter referamus, cùm legi possint apud laudatos Authores. 3

C His

His igitur omissis, nonnullæ circa loca prædicta se offerunt dubitationes.

4 Et primo quæri poterit, an extensio ista quoad loca tota simul incœperit, an verò successiuè incrementum, aut diuersitatem habuerit?

5 *Extẽsio quoad loca non incœpit simul in omnibus.*

Respondeo nõ incœpisse totam simul, & variationem habuisse tum in incremẽto, tum etiã in decremento: quod ostendã ex ijs, quæ ab Historicis colligere potui.

6 Dico igitur, varia emanasse Breuia à Summis Pontificibus edita, quæ sub diuersis temporibus Romæ lata, & inscripta inueniuntur, quibus manifestè ostẽditur, in hac locali extensione mutationem fuisse; nam à Clemente VII. concessa fuit Cruciata omnibus Regnis, & Dominijs Regi Catholico subiectis (excepto Regno Neapolis) *vt patet per Breue Apostolicum die 24. Augusti 1529.* postea verò Paulus III. eamdem Cruciatam promulgauit ad titulũ fabricę S. Petri in gratiam Caroli V. Imperatoris in omnibus Hispaniarum Regnis, & adnexis, excepit tamẽ Regnum Siciliæ, *per Breue latum die 1. Iulij 1537.* Siciliam verò inclusit die vltimo Augusti eodem Anno, & per aliud Breue die 29. Nouembris 1538. Sed Paulus IV. suo Breui die 15. Martij 1559. iterum Siciliam excepit. cæterum Pius V. vniuersaliter reuocauit indulgentias Cruciatæ, *Die 20. Nouembris 1563.* & deinde per aliud Breue, anno sexto sui Pontificatus, 21. Maij 1571. denuo illam promulgauit in Regnis Hispaniarum, Insulis adiacentibus, & in Regno Sardiniæ.

Excluditur Regnũ Neapolis, & Siciliæ.

Includitur Sicilia.

Excluditur iterum.

7 Deniq; Gregorius XIII. per *Breue Romæ inscriptum die 3. Martij 1573.* extendit Cruciatam ad Indias, & ad Regnũ Siciliæ.

Extenditur ad Siciliam, & Indias.

8 Ex his autem, & ex alijs Bullis, quæ à Pontificibus sequentibus emanarunt, manifestè colligimus, in hac locali extẽsione variationẽ extitisse, & nunc maiorẽ, nunc verò minorẽ amplitudinem interuenisse.

9 Secundo quæritur, an Cruciata, quæ hodie promulgatur, se extendat ad quasdam Insulas minores, quæ circa Siciliam iacent: ex his autem Insulis, aliquæ extant in parte septẽtrionali in ipsius Siciliæ prospectu, quæ à Græcis, Hephæstiades, à Latinis verò Aeoliæ vocatæ fuerunt, seu Lipariæ, aut Vulcaniæ, decem à *Thom. Fazzellio enumeratæ lib. 1. De Reb. Sicul. cap. 1.* quamuis ab antiquioribus Historicis septem, aut nouem existimatæ fuerint sub diuersis nominibus ab ijs, sub quibus in præsentia nuncupari communiter solent; inter has autẽ Aeolias omnium maxima est Liparis, quæ hodie habitatur, & Episcopali dignitate decoratur.

Extenditur ad Insulas circa Siciliã iacentes.

10 Præter has, aliæ iuxta Siciliam apparẽt Insulæ, ex parte occidentali inter Drepanum, & Africam; & maiores sũt illæ quatuor, quæ ab antiquis appellabantur Probantia, Egusa, Sacra, & Cosyra, seu Corsura: de quibus *Fazzellus*, & alij apud ipsum. hodie verò vocantur Leuantus, Fauognana, Maretimus, Pantellaria.

His præhabitis, inquirimus, an in his Insulis, aut similibus locum habeat Bulla Cruciatæ? quæsitum verò exagitabimus circa Insulã Liparis, vt pote reliquis maiorem, & digniorem, & quæ de ipsa Lipari determinabimus, de reliquis intellecta volumus. vt igitur huic quæsito plenè satisfaciamus, rationes pro negatiua, & affirmatiua parte in medium afferemus, vt tãdẽ quid probabili⁹ sit dicẽdũ, aperiam⁹. 11

An Insula Liparis sit inclusa.

Et pro parte negatiua efficax desumi poterit argumentum à praxi, secundum quam videmus, has Bullas à Commissario non trãsmitti in Liparim: & ita testatum fuit à Fortunio Arighetto thesaurario huius Regni, penes quẽ administratio Cruciatæ diutius fuit: de cuius viri nobilitate inter Senenses ciues suos satis conspicua, multa accepi ab ipsis Senensibus Patritijs testimonia: de virtute verò multa etiam in hoc Siciliæ Regno, vbi bonam ætatis partem egit, spectauimus documenta; rursus Insula Liparis dicitur pertinere ad Regnum Neapolis; & sic de facto *Barbosa De potest. Episc. tit. 1. cap. 7.* loquens de Episcopatuũ diuisione, licet ponat, Episcopum Liparensem inter suffraganeos Archiepiscopi Messanensis, quæ est Vrbs Siciliæ; tamen addit, Episcopatum illum esse in Regno Neapolitano; proinde Liparis non videtur esse intra Siciliæ Regnum, & per consequens ad ipsam hoc Diploma nequaquam extendi: præterea Sicilia, cum sit quædam Insula, nequit extendere suos terminos ad alias Insulas, quæ sunt extra ipsam; proinde priuilegia, quæ Siciliæ conceduntur, intra eiusdem Siciliæ limites continere se debẽt, & præsertim cum in ipsamet Bulla non dicatur concessa Siciliæ, & Insulis adiacentibus, seu iacentibus circa Siciliam ipsam: sanè si Pontifex hoc intellexisset, debuisset exprimere, sicuti hoc ipsum declarauit cõcedens Bullam Regnis Hispaniarum, subdens, *& Insulis ipsis Regnis adiacentibus*: cum igitur hoc omittat loquẽs de Sicilia, manifestè colligimus, noluisse includere has Insulas, quæ circa Siciliã extãt. & hæc videntur dici posse pro parte negatiua. 12

Pro affirmatiua autem parte sunt aliæ rationes; nã Insula Liparis est nũc aggregata Regno Siciliæ, & sub eius regimine inuenitur: & quamuis hodie à Cõmissario Cruciatæ nõ transmittantur Bullæ in ipsam; tamen annis præteritis illuc mittebantur, & varietas in hoc prouenire po- 13

tuit

tuit, vt reor, ex eo quod Liparis non fuit firmiter Siciliæ aggregata, sed nunc Neapoli, nunc verò ipsi Siciliæ, vt videre est apud *Abbatem Don Rocchum de Pirro in Historia Episcopatuum Siciliensium lib. 3. notitia 8. à num. 21.* idcirco mirum non est, si ex hac variatione omissa fuerit trāsmissio Cruciatæ.

14 *Sicilia consideratur materialiter, & politicè.* Pro solutione autem supponēdum est, de Sicilia dupliciter nos loqui posse, primo veluti materialiter, quatenus est quædā Insula determinata; secundo ciuiliter, quatenus est quoddam Regnum politicum, nēpe quoddā totum suas inuoluens partes, quæ veluti materia cōsistunt & in rebus, & in personis; vt de Regno in communi loquēs affirmat *Oldradus cōsil. 231. in fine.* si igitur Sicilia cōsideretur primo modo, nempe vt Insula quædam, & materialiter, tūc ei⁹ magnitudo vsq; ad litus maris proteuditur; nam Insula materialiter sumpta, pro vt de illa nūc est sermo, nihil est aliud, nisi locus vndiq; aquis circumdatus, vt inquit *Glos. ver. Insula D. Rer. Diuis. §. Insula, Bartol. tract. De Insul. initio, Cepol. De seruit. Rust. præd. c. 33. n. 1.*

15 At verò si de Sicilia loquamur, inquantum est quædam Insula, eius amplitudo terminatur ad illud promontoriū, quod reliquis magis extenditur; quamuis de facto in determinando eius districtu semper inuoluatur aliqua ciuilitas, & politica; nam eius cōfinia nō sumūtur adeo rigorosè secundū sitū naturalem, vt mathematicè desināt ad litus maris, sed vlteriùs extēduntur, ita vt aliqua pars maris existimetur esse veluti pars Insulæ, & qui ibi localiter reperitur, censeatur ciuiliter, & politicè esse intra eādem Insulā Siciliæ.

16 Si autem de Sicilia loquamur iuxta secundā acceptionē, videlicet vt quoddā Regnum politicum, tunc eius districtus amplior sumi debet, & de ea discurrere debemus, sicuti de reliquis Regnis, quæ Insulæ non sunt, quorum limites, licèt in aliquo loco finem habeant; nihilominus, vt potius in hac, quàm in alia parte desinaut, non est secundum naturam loci materialiter spectati, sed potius secūdum aliquem ciuilem respectum: nam præcisò ciuili respectu, non est maior ratio, cur magis in hac parte, quàm in alia confiuia, seu territorium alicuius Regni desinat: iste autem ciuilis respect⁹ nequit fundari in alio, quàm in regimine illo, sub quo immediatè reperitur ipsū Regnum. cum igitur Regnum, vt sic, importet aliquod totum politicum, eius vnitas secundum esse politicum est mēsuranda; esse autem politicum in regimine populorū cōsistit; atque adeo vbi erit vnitas regiminis, ibi erit consequenter vnitas Regni: vnitas verò regiminis sumi debet per ordinem ad vnitatem capitis immediati; quia non est satis caput mediatū esse vnum; aliter omnia loca subiecta eidem Regi V. C. Regi Hispaniarum conflarēt vnū Regnū, quod tamen est apertè falsum: requiritur ergo vnitas in Capite, seu in Principe, qui sub determinatis legib⁹ regat populos in talibus locis inhabitantibus; sanè si vnitas Regni quoad esse ciuile, & politicum nō desumatur per ordinem ad potestatem, & iurisdictionem, non video, ex quo capite accipi possit. his autē præmissis, deueniendo ad rem nostram, aio, Liparim esse membrum Regni Siciliæ, & de eius districtu, quia hodie manet sub eodem immediato regimine: nam Prorex Siciliæ plenam habet iurisdictionem in illa Insula; sicuti in Ciuitatibus Siciliæ, vt disposuit Maiestas Regis Catholici *per litteras regias datas in Pardo die 22. Nouembris Anno 1609.* directas ad Ducem Escalonæ Marchionem Villenæ Proregem, quæ quidem litteræ Panormi recognitæ, & admissæ fuerunt die 28. Ianuarij 1610. *Sicilia, vt Regnum politicum, hodie includit Liparim.*

Si autem Liparis est Regno Siciliæ aggregata sub eodem omnino regimine, profectò ciuiliter cēsebitur pars, & membrum eiusdem Regni; ac proinde cum priuilegium Cruciatæ sit concessum ipsi Regno Siciliæ, intelligetur etiam concessum omnibus partibus integrantibus ipsum Regnum, & per consequens Insula Liparis nullo pacto erit excludenda à beneficio eiusdem priuilegij: & confirmatur totum hoc ex illa Epistola, quam annis præteritis trasmisit D. Martinus de Cordoua Commissarius Generalis ad Cardinalem ab Auria Commissarium Cruciatæ in Regno Siciliæ, in qua epistola referuntur nonnullæ oppositiones contra Thesaurarium ipsius Cruciatæ, & pariter eius defensiones; inter alias verò oppositiones opponebatur illi, non transmisisse Bullas in Insulas iuxta Siciliam iacentes, nempè in Liparim, Pantellariam, Melitam, &c. quod redundabat in detrimentum Regiæ Coronæ. ad hanc querelam respondebat Thesaurarius, ideo Bullas in illas Insulas transmissas non fuisse, quia non extabat talis consuetudo, & à Thesaurarijs antecedentibus ita seruatum fuerat, secus ab Episcopis Liparensibus, & Melitensibus id permittendum nunquam fuisset. his tamen non obstantibus, Commissarius Generalis per eandem epistolam refert sententiam de hac re à Tribunali supremo Cruciatæ latam: verba autem eiusdem Commissarij placet hic transcribere, vt iacent, sic enim inquit, *A lo qual auemos proueydo, qua V. I. mande, que se cumpa el proueer de Bullas à* *Refertur Epistola Commissarij Generalis.* 17

ralis ad Cardinalem ab Auria Archiepiscopum Panormitanum circa transmissionē Bullarum ad Insulas propè Siciliā iacētes.

todo esse Reyno, siendo las diebas Islas del, y se sirua de auisar de que consideracion se entiende, que abrà sido el dejar de prouecr Bullas alas diebas Islas, y sobre el nos mande V. I. enformacion, y en ello interim no se ynobe con el teforero. hæc inter alia scribit Commissarius Generalis, ex quibus manifestè colligo, eius mentem fuisse, Liparim, Pantellariam, & similes Insulas esse membra Regni Siciliæ, & Cruciatam ad illas se extendere, aliter nunquam decreuisset, & mandasset, Bullas esse in talia loca transmittendas. aduerto tamen hic, non esse eandem rationem de Melita, quæ est de Lipari &c. nam Insula Melitensis, quamuis sit sub Regis Catholici protectione, eique fendataria; tamen non facit vnum Regnum cum Sicilia, cum stet sub diuerso omnino regimine; & ideo in ea Bulla Cruciatę non habet maiorem vigorem, quàm haberet in Regno Neapolis, & similibus locis; in quibus non promulgatur. maneat igitur ex dictis, Liparim, Pantellariam, & alias, quæ sub eodem communi regimine reperiuntur cum Sicilia, esse loca inclusa in priuilegio Cruciatæ; dum ipsa Cruciata conceditur Regno Siciliæ, sub quo, vt ostensum est, comprehēduntur omnes illæ partes, quæ ciuiliter, & politicè modo explicato faciunt vnum Regnum.

18 *Cruciata aliquando in Liparis Insula fuit publicata.*

Ad rationes autem adductas pro parte negatiua facilis est responsio: & ad primam, quæ ex praxi est desumpta, aio, non semper ita fuisse. nam annis elapsis Bullæ promulgabantur in Lipari, easque ibi vidisse, testatus est mihi Abbas Don Rocchus de Pirro; & non est mirum, promulgationem hanc interruptam fuisse: hoc enim ideo fuit, quia Liparis non semper retinuit vnitatem cum Regno Siciliæ; vno enim tempore adiuncta fuit Regno Neapolis; postea, verò Siciliæ, & hæc vnio pluries vatiata fuit, vt videre est apud Pirrum in descriptione Ecclesiæ Liparensis. facta enim vnione cum Regno Neapolitano, debuit in Lipari cessare promulgatio Bullæ: & quamuis iterum vnita fuerit Regno Siciliæ, non tamen redijt promulgatio Bullæ, sed non ideo hæc omissio culpæ adscribenda est Fortunio Arighetto diligentissimo, & fidelissimo in hoc Sanctæ Cruciatæ negotio: multo enim ante, quàm ipse munus hoc susciperet, prætermissa Bullarum promulgatio fuerat; accedit etiam, quod cum Cardinalis ab Auria Commissarius in hoc Regno, accepto per litteras ab Hispanijs mandato eas in Liparim trāsmittendi, id exequi inciperet, repulsā habuit ab Episcopo Liparensi, quæ repulsa fuit postea à Summo Pontifice approbata, prout testatum habeo per Epistolam Cardinalis Galli eodem Episcopo Liparensi scriptā, quam hic transcribere superfluum censeo, potest tamen legi in Ecclesiæ ipsius registro.

Citatur Abbas de Pirro.

Ad secundum argumentum ex dictis patet solutio, nam in præsentia Sicilia non consideratur à nobis materialiter, & tanquam quædam Insula, sed ciuiliter, & politicè, quatenus est quoddam Regnum sub se continens varia loca, & personas sub eisdem legibus, & sub eadem communi iurisdictione, sub qua, vt ostensum est, Liparis comprehenditur. 19

Sicilia non materialiter, sed ciuiliter à nobis cōsideratur.

Demum alo, non fuisse necessarium à Summo Pōtifice addi, Bullam esse promulgandam in Regno Siciliæ, & in Insulis iuxta Siciliam, quia vel Insulæ istæ pertinent vt partes ad Regnum Siciliæ, vel ad illud non pertinent; sed ad aliud Regnum: si primum, iam intelligūtur inclusæ absque alio addito: si verò secundum, cum intentio Pontificis non fuerit, priuilegium Cruciatæ concedere, nisi Regnis nominatis; idcirco non debuisset exprimere Insulas facientes vnum cū Regno, in quo Bulla non erat promulganda; & dum dicitur, expressas fuisse Insulas adiacentes Regnis Hispaniarum; ex quo argumentantur, Bullam non se extendere ad has Insulas iuxta Siciliam, quia nō sunt sicuti illæ expressæ; neganda est paritas, quia Insulæ illæ adiacentes non constituunt vnum Regnum cum Regnis Hispaniarum, & manent sub distincta iurisdictione; & ideo si Pontifex illarum non meminisset, absque dubio exclusæ omnino fuissent. 20

Nō fuit opus in Bulla addere, vt promulgetur in Insulis iuxta Siciliam, vt ad ipsas Insulas extendatur.

SECTIO II.

An subiectio ad Regem Catholicum sit conditio necessaria ad huius Bullæ priuilegia obtinenda.

SVB varijs formis præsens quæsitum proponi potest iuxta diuersos casus, qui contingere queunt circa hoc punctum. vt autem clariùs procedamus, & plenè quæsito satisfaciamus, aduerto, sermonem vel esse de subiectione in ordine ad personas, vel in ordine ad aliquam cōmunitatem, nempè ad aliquod Regnum, Prouinciam, Oppidum, &c. rursus vel loquimur de subiectione prædicta tēpore promulgationis Bullæ, vel post promulgationem in progressu anni: denique vel in ordine ad dominium, vel ad realem, & naturalem possessionem illius Regni, Prouinciæ, &c. his præmissis, 21

Di-

22 *Subiectio personalis non est necessaria ad fruendum Bulla.*

Dicendum est primo. Si loquutio erit de personis, subiectio ad Regem Catholicum non erit conditio necessaria, vt sumens Bullam in locis priuilegiatis ea fruatur. Conclusio ista potius est supponenda in hoc loco, quàm probanda, quia inferius de ea fusè sumus acturi, breuiter tamen nunc eam declaramus, nam si exter, qui non est Vassallus Regis Catholici; V. G. Gallus, aut Germanus accedat ad locum, in quo est vsus Bullæ, vt ad Regnum Castellæ, aut ad Regnum Siciliæ, statim ad propria reuersurus, si Bullam sumat, & postea recedat, poterit eius priuilegijs frui in Gallia, Germania, &c. excepto priuilegio, quoad comestionem ciborum prohibitorum, vt videbimus, igitur subiectio personalis ad Regem Catholicum non est conditio necessaria ad vtiliter Bullam capiendam.

23 *Subiectio loci requiritur, vt in eo Bulla publicetur.*

At difficultas est de subiectione in ordine ad loca, & vt dixi varios casus fingere possumus. Dicendum est secundo, adhoc, vt Bulla vtilis sit in ordine ad sua priuilegia, necesse est, vt locus, in quo ipsa publicatur, & sumitur, subijciatur Regi Catholico, seu sit sub eius dominio, Pro hac conclusione, sicuti, & pro sequentibus nullum laudamus authorem, & non debet esse mirum, quia neminem reperi, qui hoc punctum exagitauit: conclusio autem clarè colligitur ex ipsomet cõtextu; nam in primo paragrapho post procemium inseritur tenor Bullæ cõcessæ à Pio V. & successiuè à Gregorio XIII. & demũ ab alijs Pontificibus vsque ad Vrbanum VIII. inclusiuè confirmatæ, cuius Bulla adhuc durat; in tenore autem prædictæ Bullæ expressè dicitur concessam esse Philippo tertio huius nominis, Regi Catholico, & non ratione dignitatis Regiæ, vt sic, sed tali determinato subiecto, in quo residebat Regia dignitas, nec nõ omnibus, & singulis Christi fidelibus, qui cõmorantur in Regnis, & locis siuè immediatè, siuè mediatè ipsi Regi subiectis, & etiam illis, qui ad hæc Regna, seu loca declinant: Cum igitur Pontifex præsens diploma dirigat ad Regem, & ad fideles, qui reperiuntur in locis, quæ sunt sub dominio eiusdem Regis, consequens est, vt dicamus, vt Bulla ista sumenti sit vtilis, necessario prærequiri, vt locus, in quo ipsa promulgatur, & accipitur sit eidem Regi subiectus, & sub eius maneat dominio, & de hoc nulla alia est inquirenda ratio, cum habeamus expressam Pontificis mentem, & priuilegium istud sit totaliter dependens ab eiusdem Pontificis beneplacito: proinde pro Regula sufficit eius voluntas, nullum enim priuilegium operari potest vltra intentionem concedentis, & ideo si Princeps concedit priuilegium à tali, vel tali conditione dependens, si conditio illa non subsistit inualidũ erit priuilegium.

24 Ex hac autem conclusione, quæ est basis omnium, quæ in hac sectione ponimus satisfaciendo quæsito, nonnullæ aliæ deduci possunt conclusiones quapropter.

25 *Si Rex transferret dominium alicuius regni in alium, in eo Regno inutiliter Bulla promulgaretur.*

Dicendum est Tertio. Si Rex Catholicus à suo dominio immediato, & mediato abdicaret aliquod Regnum illud donando, & in donatarium transferendo dominium, tunc inutiliter Bulla promulgaretur in Regno illo, atque adeo existentes in eo Regno non possent post dominij translationem priuilegijs huius Bullæ gaudere. Conclusio clarè firmatur ex dictis in præcedente conclusione, in qua ostendimus subiectionem loci ad Regem esse cõditionem necessariam, vt Bulla Cruciatæ validè, & vtiliter publicetur, si ergo subiectio ista est necessaria ad valorem Bullæ, negatio talis subiectionis constituet locũ ineptum ad validitatem Bullæ.

26 *Si Regnum se eximeret ab obedientia Regis Catholici vel rebellaret nõ esset locus aptus ad validam Bullæ publicationem.*

Dicẽdum est Quarto. Si ipsum Regnũ non vi donationis factæ à Rege, sed se eximeret ab obedientia Regis, vel rebellando, vel alio modo, idem esset asserendum, si per talem exemptionem, aut rebellionem Rex Catholicus dominium amitteret, & deperderetur actualis subiectio illius Regni in ordine ad Regem, dixi si per exemptionem Rex Catholicus amitteret dominium &c. quoniam si Regnum sit inuasum ab aliquo iniustè illud sibi vsurpante, & detinente, & adhuc dominium maneret apud Regem, licet non haberet illius Regni actualem possessionem, censeo in tali casu validè promulgari Bullam in eo loco, & ab ijs, qui ibi existunt vtiliter sumi, nam verè maneret subiectio talis Regni ad Regem, proinde persisteret cõditio illa requisita ex parte loci ad valorem publicationis, & nihil obstaret possessionem seu iniustam detentionem esse penès alium, quia per iniustam possessionem, & detentionem non amittitur semper dominium in vero Domino, sicuti si quis furetur gemmam alterius, sanè eam possidet, at dominium non erit apud furem, sed apud verum Dominum.

27 *Proponitur contraria instantia.*

Sed contra primam partem prædictæ conclusionis fieri poterit argumentum hoc pacto. Si aliquod Regnũ se subtraheret, aut rebellaret à Rege, quamplures reperirentur in eo Regno innocentes, proinde non videntur absque eorum culpa beneficio huius Diplomatis esse priuandi.

28 *Soluitur instantia prædicta.*

Respondeo parùm in hac materia referre, in Regno illo inueniri posse plures innocentes, qui nec directè, nec indirectè

tè

tè, cooperati sunt in iniusta exemptione, hoc enim per accidens est; cum enim priuilegium fuerit concessum sub illo respectu determinato ad Regem Catholicum, vt ex eleemosynis, quæ à fidelibus erogātur subueniatur pugnando contra Infideles, idcirco cessante tali respectu, cessabit etiam priuilegium in ordine ad personas in eo loco existentes. Et confirmari potest à pari in alia materia, nam Interdictum generale, quod fertur contra aliquam cōmunitatem ob culpam, Capitis, nēpè Domini illius communitatis redūdat in multos innocentes eiusdem communitatis, & tamen hoc non obstante dicunt Doctores omnes personas illius communitatis affici illo interdicto, cum satis sit esse partes talis communitatis, & sub vno, eodemquè Capite, ob cuius culpam latum fuit interdictum. sic in casu nostro, quamuis facto seu delicto alterius deperderetur in illo Regno subiectio ad Regem hoc tamen nō obstāte omnes personæ illius Regni remanerent priuati priuilegio Bullæ, quod primariò respiciebat communitatem, secundariò vero personas particulares.

29 *Qui sumpsit Bullam tempore, quo locus erat Regi subiectus, si intra annum se eximeret à subiectione, adhuc Bulla non amitteret totaliter vigorem.*

Dicendum est quinto. Si tempore publicationis Bullæ Regnum erat sub dominio Regis, eiq; subijciebatur, & manente eadem subiectione, aliquis accepit Bullā, si postea durāte anno promulgationis Regnum se eximeret ab Imperio Regis, vel rebellaret: adhuc omnes illi, qui tempore habili Bullam sumpserunt possunt illius priuilegijs frui, excepto illo circa comestionem ciborum. Probatur cōclusio ista, quia in tali casu locus iste se haberet eo modo, quo se habent Regna, & loca, quæ sunt sub alterius dominio, vel in quibus nō est Bulla; & sicuti, si quis Bullam capiat in loco priuilegiato, & postea durante anno promulgationis illius Bullæ, transeat ad locum non priuilegiatum: poterit, hoc nō obstante, vt infra ostendemus, vti Bulla quoad omnia priuilegia, excepto illo circa cibos, sic est discurrendum in casu nostro de Regno, aut loco tempore publicationis Bullæ subiecto Regi, & postea exēpto à tali subiectione, nulla enim videtur posse assignari disparitas.

CAPVT III.

Expenduntur quædam Difficultates Circa loci circumstantiam.

1 PRO complemento eorum, quæ dicta sunt de locis, in quorum fauorē Bulla conceditur, remanent examinanda quædam alia, ex quorum solutione huius diplomatis efficacia melius nobis innotescet.

SECTIO I.

An Priuilegia Cruciata sint Localia, an vero Personalia.

INter alias priuilegij diuisiones, celebris est illa, qua priuilegium in communi diuiditur in Reale, & Personale; illud adhæret immediatè rei, istud vero Personæ. Hanc diuisionem apertè colligimus ex vtroque iure Canonico, & Ciuili: nam *in cap. mandata de præsumpt.* Summus Pontifex committēs cuidam Maximo Episcopo officium legationis super omnes Siciliæ Ecclesias, ait vices sedis Apostolicæ non loco, sed personæ esse concessas. In iure autem ciuili diuisio ista habetur *in l. priuilegia. ff. de Reg. Iur.* vbi dicitur, aliqua priuilegia esse causæ, alia vero Personæ, videlicet quædā pertinere ad Rem, quædam ad Personam. Rursus *in l. forma. §. Quamquam. ff. de Censib.* dicitur priuilegium immunitatis, quod ibi sub nomine Beneficij nuncupatur; aliud esse concessum Personis, aliud vero locis, aut Ciuitatibus. Ex his autem Iuribus manifestè habemus, prædictam diuisionem, quam puto adæquatam esse, quoad genus priuilegij, licet *Rodriquez in qq. Regul. Tom. 1. qu. 7. a 2.* triplex assignet membrum, nempe Reale, Locale, Personale, sed melius *Salas de legibus tract. 14. disp. 17. sec. 2. nu. 9. Azor. Inst. moral. Tom. 1. lib. 5. cap. 22. quæst. 2.* & alij bimembrem faciunt diuisionem; nam Locale sub Reali comprehenditur, quatenus omne priuilegium, quod immediatè non afficit Personā, rectè dici potest Reale, seu adhærens rei, siue res sit locus, siue causa. — *2 Diuiditur Priuilegium in vniuersum.*

Aduertere tamen hic oportet cum *Suarez de legib. lib. 2. cap. 2.* ne fit æquiuocatio, & quæsitum inutile reddatur: priuilegium Personale, quatenus est membrū contradistinctum à Reali, diuidens generalem rationem priuilegij, non appellari illud, quod in vtilitatem, seu commodum personæ redundat; quia vt sic omne priuilegium esset personale, cum nullum reperiatur, quin sit in beneficium alicuius personæ: sed vocari illud, quod immediatè afficit Personam ipsam, & Reale illud, quod non Personam, sed rem ipsam afficit; quamuis vltimo tendat in beneficium personæ. Inter hæc autem duo priuilegiorum genera varia sunt discrimina, præcipuè autem notatur illud, quod personale ipsam personam sequitur vbicunque commoratur, at locale non ita. vt statuitur *in Reg. iur. in 6. Reg. 7.* — *3 Priuilegium personale bifariam sumitur, & transcendentaliter, & personaliter.*

Et quia aliquando dubium esse poterit an priuilegium sit Reale, an vero Personale, multæ solent assignari ab auctoribus regu- — *4 Quandoq; est dubium an Priuilegium sit Reale, an Personale.*

regulæ ad id agnoſcendum, ſed quia hoc non ſpectat ad noſtrum inſtitutum, ideo de eo non eſt in præſentia agendum, videri poſſūt *Menoch. de præſumpt. lib. 3. præſumpt. 103. Suarez loco citato, & alij.*

5 *Proponitur ſicultas.* His omnibus breuiter præhabitis. Quærimus, an priuilegia Cruciatæ ſint Localia, an vero perſonalia: eſſe autem perſonalia abſolutè docere videntur *Rodriquez in Bullam §. 1. dub. 3. Gomez in eamdem Bullam cap. 3. quæſt. 16. nu. 2. Ludouicus à Cruce diſp. 1. cap. 9. dub. 2. nu. 3. Trullench lib. 1. §. 1. num. 1.*

6 Sed alijs videri poterunt eſſe localia; quia pro determinatis locis conceduntur, vt patet ex tenore ipſius diplomatis, & nos ſupra, aliter Italus V. G. poſſet hoc priuilegio frui, ſi ad ipſum è Sicilia, aut Regnis Hiſpaniarum ab amico traſmittatur Bulla nomine ipſius Itali accepta, quod cum nemo concedat; ſignum eſt priuilegia huius Bullæ eſſe Localia.

7 *Ponitur concluſio.* At media via puto eſſe incedendum. Dico igitur. Priuilegium Cruciatæ ſi ſpectetur per modum vnius, & vt quoddam totum, vt mox videbimus, participat aliquid de Locali, & aliquid de Perſonali. Hanc opinionem docet *Nuñus in addit. ad 3. p. tract. de Bulla §. 1. in ſolutione ad primum*, & cenſeo huic ſententiæ in re non contradicere auctores primæ opinionis. Declaratur autem, & ſimul probatur concluſio iſta. Aio igitur priuilegia Bullæ eſſe non poſſe merè perſonalia; quia illa ſunt perſonalia, quæ afficiunt perſonam independenter ab omni loco, vt eſt V. G. priuilegium, quo mediante quis eximitur à ſolutione decimarum, à ieiunando, à recitandis horis Canonicis ante horam præſcriptam, & multis alijs, quæ non dantur cum dependentia à loco; ſed priuilegia Bullæ non ita ſe habent, quia nemo independenter ab omni loco poteſt talibus frui priuilegijs, & ſic, vt exemplificatum eſt in relatione ſecundæ ſententiæ, non poteſt Italus abſens à Regnis, in quorum fauorem Bulla eſt conceſſa, illam accipere, quod ſignum manifeſtum eſt, eſſe priuilegium participans de localis priuilegij natura. Contra vero neque priuilegia iſta dici poſſunt omnino localia, quia, vt videbimus, in aliquo caſu poteſt quis vti priuilegijs Bullæ extra loca illa, quibus ipſa Bulla eſt conceſſa: ſi autem eſſent omnino localia, deberent eſſe ita addicta locis, vt extra illa nullū habere poſſent vſū, vt accidere videmus in omnibus priuilegijs, & exēptionibus purè localibus V. G. ſi commorantes in hoc Regno tenerentur quolibet anno ſoluere Regi determinatū Tributi genus, & Rex vellet ſolum eximere ciuitatem illam, in qua ipſe reſidet, ita vt omnes, qui illam habitant immunes eſſent à tali onere; tunc priuilegium eſſet merè locale, quia extra Ciuitatem illam omnes in qualibet alia tenerentur tributum perſoluere; ſimile eſt priuilegiū, quod habent aliquæ Eccleſiæ, & altaria ad lucrandas indulgentias &c. Cum autem priuilegia Bullæ habeant aliquid de perſonali, aliquid de locali non debemus aſſerere eſſe merè perſonalia, neque localia, ſed mixta.

Dices. Loci determinatio eſt ſimplex cō-ditio pro tēpore receptionis; hoc autem non tollit, quin priuilegium Cruciatæ ſit perſonale, eſt enim conceſſum in gratiam Regis Hiſpaniarum, & conceditur locis, & commorantibus in eiſdem locis intuitu eiuſdem Regis, & ideo accepta Bulla in locis ſignatis poterunt accipientes vbique eius priuilegijs frui. 8 *Argumentū in contrariū.*

9 *Solutio* Reſpōdeo priuilegium conceſſum in gratiam alicuius, non trahere neceſſariò eſſe perſonale; quia ſtat eſſe conceſſum loco, ſeu rei, intuitu perſonæ, & eſſe priuilegium locale, ſeu reale: vt enim adnotauimus ſupra omne priuilegium ordinatur in beneficium perſonæ, ſiue ſit reale, ſiue ſit locale, ſiue perſonale, & ideo addidimus ad diſcernendum vnum ab alio, eſſe attendendum immediatum ſubiectum, quod afficitur à priuilegio, vt ibi declarauimus, ſi enim eſt res, erit Reale, ſi perſona, erit Perſonale; quapropter aio, quod quamuis Cruciata emanauerit in cōmodum Regis Hiſpaniarum ex hoc præciſè, eius priuilegia non ſunt cenſenda perſonalia, ſicuti ſi in gratiam eiuſdem Regis Pontifex concederet vni, aut alteri Regno aliquod priuilegium ſpirituale, ita vt extra illa regna nemo tali poſſit frui priuilegio; abſque dubio priuilegium eſſet locale, conceſſum tamen in gratiam Regis: applicādo autem doctrinam caſui noſtro. dico ex eo, quod commorantes nequeant Bullam hanc accipere, eiuſque priuilegijs gaudere, niſi illam recipiant in locis, pro quibus eſt conceſſa: ſequitur ex hac parte eſſe priuilegium locale, & ſi aliud non haberet admixtum, eſſet purè locale, ſed quia extra loca ſignata, vt dicemus poſſunt, qui illam receperunt, vti nonnullis priuilegijs eiuſdem Bullæ: ſequitur ex hac parte eſſe perſonale; non eſſe autem merè perſonale habemus ex illa conditione ſecundum quam præſcribitur Bullam hanc accipi non poſſe, niſi in talibus determinatis locis; proinde remanet, vt ſit priuilegium mixtum, vt declarauimus. Et addo reſpectu alicuius determinati priuilegij, quod in hac Bulla continetur, eſſe merè beneficium, ſeu priuilegium locale, & non perſonale, tale autem priuilegium eſt

est posse comedere diebus prohibitis lacticinia, carnes &c., vt infra, exponemus. Ex his autem patet præsens diploma non rectè esse appellandum absolutè,& simpliciter, priuilegium personale, aut Locale, sed mixtum.

SECTIO II.

An Bulla pro ijs, qui loco distant, validè sumatur.

10 Casus, qui in hac Sectione proponitur, cum varijs modis euenire possit, vt planè illum dilucidemus, sequentes paragraphos instituimus.

§. I.

An Sortes vtiliter applicet Bullam Titio absenti, & alibi vbi ea viget commoranti.

11 Loquimur de Titio absente, siue resideat in diuerso loco, seu Ciuitate eiusdem Regni, vbi commoratur Sortes, qui Bullam applicat, siue in alio Regno distanti: dummodo ibi vsus Cruciatæ habeatur. His præmissis,ad casum.

12 *Decisio quæsiti.* Respondeo affirmatiuè. Ita docent cõmuniter auctores *Henriquez in Summa lib. 7. de indulg. cap. 20. n. 6. Aegidius Trullench in expositione Bullæ lib. 1. §. 1. dub. 3. num. 1.* & alij. Probatur autem ex verbis eiusdem Bullæ, in quibus priuilegium hoc conceditur omnibus, qui in aliquo loco ex assignatis cõsistunt; nec obstat, quod ab alio Bulla sumatur; quia actio ista sumendi Bullam non debet esse adeo personalis, & immediata, vt per alium fieri nequeat, nam iuxta *regulam 72. iuris in 6.* Qui per alium facit, perinde est, ac si per se ipsum faciat; & licet regula ista non semper verificetur vt iacet; quia sæpe non sufficit per aliũ præstare id, ad quod faciendum obligamur: tamen id oritur, vel quia obligatio siue fit per legem, siue per quodcunq; aliud decretum, seu constitutionem, præcipit talibus verbis, vt indicet actionem exigi, vt immediatè à nobis exercendam, vt sunt indulgentiæ, quæ ad ipsas lucrandas requirunt actionem personalem illius, qui intendit eas lucrari; at in casu nostro ex nullo capite ostendi potest requiri actionem illius, cui Bulla applicatur, neque ex tenore ipsius Diplomatis, neque ex consensu auctorum, qui Bullam hanc exponunt, id colligitur; ergo sufficit, vt qui sumit Bullam nomine alterius eidem applicet: dummodo sequatur acceptatio eiusdem, cui applicatur, vt infra explicabimus.

§. II.

Quid, si in eo loco, in quo Titius degit non sit vsus Bullæ?

Ponamus claritatis gratia exemplum. Sortes in Regno Siciliæ residẽs Bullam nomine Titij accipit eo tempore, quo Titius commoratur Neapoli, vbi priuilegium Bullæ non reperitur, & postea Sortes Bullam Neapolim ad Titiũ transmittit. Quæritur an Titius validè, & vtiliter Neapoli manens, Bullam illam acceptet: sub alijs terminis fere idem significãtibus proponi posset casus hoc pacto. 13 *Declaratur quæsitum.*

Titius Neapoli manens scribit, & mittit epistolam ad Sortem, qui in Sicilia residet, vt sumat Bullam nomine ipsis Titij, & ad ipsum Neapolim transmittat: quæritur, an Titius in Regno Neapoli tali Bulla frui valeat? 14

Pro affirmatiua parte *Vincentius Riccius in addit. ad explicationem Bullæ. §. 1. num. 2. refert quemdam Franciscum Gomez in expositione huius Bullæ, & tacito nomine quosdam recentiores,* qui dicunt Bullam illam valide sumi, & acceptari à Titio: fundantur in fine, ob quẽ Cruciata ipsa conceditur, qui est subsidium, & eleemosyna pro expeditione Belli contra infideles, & si contra ipsos vrgeatur verbis ipsius Bullæ, in qua dicitur priuilegium hoc concedi consistentibus in Regnis designatis, vel ad illa declinantibus, respondent id verificari siue per se, siue per alium. 15

Sed partem negatiuam aio esse omnino amplectendam, quam docent auctores citati in præcedente paragrapho, & *Ludouicus à Cruce disput. 1. cap. 1. dub. 3. n. 4. Vincentius Riccius loco citato, & communiter alij.* Ratio huius conclusionis desumitur ex verbis Bullæ, per quæ expressè signantur personæ, quibus hoc priuilegium conceditur, videlicet, dum dicitur esse concessum omnibus consistentibus, & declinantibus ad Regna, de quibus in ipso Diplomate fit mentio: requiritur ergo ad validam acceptationem, vt qui Bullam sumit, aut eam acceptat, habitet vel alio modo reperiatur in locis priuilegiatis, aliter priuilegium esset omnino personale sine vllo ordine ad locum, & frustra loca illa specialia designarẽtur, si nulla daretur locorum coarctatio. 16 *Conclusio.*

Dices primò. Ex data doctrina sequeretur mansionem in loco priuilegiato fore necessariam non solum ad receptionem Bullæ, verum etiam ad priuilegiorum consequutionem, seu vsum post acceptationem V.G. si quis in locis assignatis Bullam accipiat, & postea discedat à locis priuilegiatis, & accedat ad non priuilegia- 17 *Obiectio in contrarium.*

giatum, E.C. sumat Bullam in Sicilia, & postea petat Regnum Neapolis, non posset Neapoli residens Bulla vti, quod à nemine, neque à nobis conceditur ex ijs, quæ supra asseruimus *sect.* 1. huius capitis: proinde argumentum non probans hoc, nihil aliud probare poterit; cum non sit maior ratio quare consistentia illa requiratur in primo tantum momento acceptationis, & non postea.

18 *Soluitur obiectio.* Respondeo manifestam disparitatem haberi ex tenore Ipsius Bullæ, in qua dicitur priuilegium istud concedi non solum cõmorantibus in prædictis Regnis, sed etiam ad ea declinantibus, vt clariùs infra declarabimus: declinare autem, vt condistinctum à commorari importat, quod ille, qui declinat recedat, & non moretur, & de tali persona sic declinante, & recedente dicitur posse frui Bulla. Requiri autem consistentiã in eijsdem locis ad hoc, vt Bulla validè accipiatur, patet ex eodem tenore Bullæ; si enim nullo modo illam requireret non esset apponenda clausula illa, in qua dicitur priuilegium istud concedi consistentibus in locis signatis, &c;

19 *Altera obiectio.* Dices secundo. Finis præcipuus huius concessionis est præstare subsidium Regi Catholico mediante pecunia, quam fideles Bullam hanc accipientes erogant titulo eleemosynæ; ergo cum finis iste haberi valeat etiam si recipiens Bullam sit extra Regna, in quibus ipsa conceditur, sequitur posse validè huic extra tales ditiones commoranti validè Bullam applicari, eius nomine sumptam.

20 *Diluitur obiectio.* Respondeo quamuis finis huius Diplomatis sit subsidium Regis Catholici, tamen non est quocunque modo accipiendus, sed determinato modo, nempè pro eleemosynis erogandis ab ijs, qui in illis locis Bullam accipiunt, & de hac re nulla assignari poterit ratio præter intentionem Pontificis volentis cũ hac cõditione Bullam concedere.

21 *Tertio obijcitur.* Dices tertio. Ideo nominari à Pontifice prædicta loca, quia in illis tantum locis voluit Bullam promulgari, quæ sunt subiecta Regi Hispaniarum: attamen ex hoc non rectè infertur, non posse alicui existenti extra talia loca applicari Bullam, siue nomine illius per alium sumi.

22 *Solutio.* Respondeo. Si Pontifex noluisset alligare Bullæ acceptionem, & applicationem locis assignatis, sed in ijs tantum voluisset fieri promulgationem, relinquẽdo libertatem exteris, vt commorantibus extra loca ipsa possent Bullam accipere, nulla esset ratio cur ibi deberet Bulla promulgari: neque valet id, quod dicitur, videlicet voluisse ibi promulgationem fieri, quia sunt loca subiecta Regi Catholico, nam vt sic & Neapoli, & Mediolani deberet etiam promulgari; cum etiam subijciantur eiusdem Regis ditioni, & tamen experientia est in contrarium: & addo his omnibus praxim; nam Italus nunquam visus est per alium Bullam accepisse, neque ipsi applicatam fuisse Bullam ab aliquo commorãte in his Regnis, in quibus Bulla publicatur, quod signum euidens est id nequaquam fieri posse, aliter Itali nullo pacto negligerent tale priuilegium, cum facillimè id assequi valerent.

23 *Quarto obijcitur.* Dices quarto. Ponamus casum, quod Titius moretur Neapoli, ibique domicilium habeat, sed eius pater sit Siculus, & in Sicilia habitet, tunc videtur à Patre Titij vtiliter validè sumi posse Bullam pro Titio, quia vt habetur *in l. assumptio. §. filius. ff. ad municipalem.* filius quantum ad ciuilitatem sequitur originem Patris, sicuti Libertus originem Patroni, & sic Titius licet nunquam ad Siciliam venerit, poterit in tali casu frui priuilegijs huius Bullæ, ratione domicilij originis, non habitationis.

24 *Satisfit obiectioni.* Respondeo negando Bullam prædictam vtiliter sumi posse pro Titio; quia ad hoc, vt quis huius diplomatis indultis gaudeat, requiritur actio personalis, nempè illius, qui Bulla frui desiderat, quæ quidem actio, vel est consistentia realis in loco priuilegiato, vel accessus verus, & proprius ad locum aliquem ex priuilegiatis, & hoc apertè sumitur ex verbis ipsius Bullæ, dum dicitur concessam esse consistentibus in his Regnis, vel ad illa declinantibus.

25 *Consistentia in loco propria, & ciuilis.* Consistentia autem, seu commoratio siuè propriè, siuè ciuiliter sumatur semper requirit aliquam realem mansionem; si enim est propria inuoluit veram permanentiam in loco, si autem est ciuilis supponit initio fuisse veram, & propriam existentiam personæ in tali loco, quo acquisitum sit domicilium: declinatio autẽ, seu accessio ad vnum ex his locis semper importat verum, & realem accessum, vt infra declarabimus.

26 *Quinto obijcitur.* Dices quinto. Qui per alium facit, videtur per se ipsum facere, *iuxta 73. regulam iuris in 6.* ergo dum Titius scribit epistolam, eamque mittit ad Sortem in Sicilia commorantem, vt suo nomine Bullam sumat, perinde est, ac si Titius per se ipsum illam sumeret.

27 *Soluitur obiectio.* Respondeo regulam illam iuris esse interpretandam iuxta materiam, circa quam versatur; nam interdum verificari potest, interdum vero minimè, vt colligitur in multis casibus, qui cen-

censentur *Cap. Quoniam Apostolicam de officio delegati, & Glos. ibi ver. personaliter, immo Panorm. cap. iacet, de Decimis, num. 3.* asserit in materia de priuilegijs regulam istam falli: In casu autem nostro nequit semper verificari; quia si ille, pro quo sumitur Bulla, neque moratur in locis priuilegiatis, neque ad illa habet accessum, caret qualitate requisita à Pontifice, ad hoc, vt Bulla fruatur: proinde cum in hoc Diplomate ad validè illud sumendum expostuletur mansio tempore acceptationis, vt actio personalis; si illa deficit, nequit Bulla pro eo, qui tali conditione caret vtiliter sumi. postulari autem actiones personales ad validè recipiendam Bullam, patet ex his, quæ supra diximus in solutione argumentorum.

§. III.

Quid dicendum, si Titius post applicationem sibi factam declinet in locum, in quo Bulla promulgari solet?

28 *Respondetur directè ad quæstum.* Dicendum est in casu posito, Titium frui posse priuilegijs huius Bullæ: ita *Trullench. lib. 1. §. 1. dub. 3. nu. 3.* Et probatur, quia tunc adessent omnes conditiones requisitæ ad hoc, vt Bulla prosit; nam eleemosyna à Sorte soluta fuit, & nomine Titij sumpsit Bullam, illi eam applicando. Rursus est acceptatio ex parte Titij, & in eo loco, in quo Bulla promulgatur; ergo omnes conditiones ad validè acceptandam ipsam Bullam reperiuntur, cum nihil aliud expostulandum videatur.

29 *Vrgetur contra* Sed vrgebis, applicationem illam factã à Sorte inutilem fuisse; quia eo tempore, quo ipse Bullam pro Titio sumpsit, eique applicauit, Titius non erat habilis ad illã acceptandam, commorabatur enim extra loca, in quibus non est vsus huius Bullæ.

30 *Responsio.* Respondeo, ista duo inter se valdè differre, nempè applicationem esse validam & applicationem esse firmam; nam poterit esse valida, sed adhuc suspensa, & nõ firma, quatenus ad eius firmitatem requirit aliquam conditionem, postea apponendam: sicuti donatio facta absenti, non acceptata, potest esse valida; sed ante acceptationem factam ab eo, cuius interest, remanet suspensa, & non firma, firmatur autem dum primo acceptatur; sic in casu nostro applicatio Bullæ, quæ est veluti quædam donatio, poterit esse valida licet ante acceptationem maneat veluti suspẽsa, & non firma, vsque dum acceptetur; & ideo cum Sortes in eo momento, quo Bullam acceptauit degat in loco habili nempè in loco priuilegiato, nihil deesse videtur ad valorem ipsius applicationis, qui quidem valor secundum se est independens ab acceptatione; & per consequens etiam independens ab illis conditionibus, quæ requiruntur ad validam acceptationem: quapropter accedens Titius ad locum, in quo vsus Bullæ reperitur, ibique Bullam acceptans, sibi à Sorte prius applicatam; statim illa applicatio prius suspensa, veluti retro trahitur, & omnino firmatur in eo momento, quo Titius eam acceptat, quemadmodum cæteræ donationes, quæ personæ absenti fuerunt factæ, & adhuc non sunt acceptæ: dum primo acceptantur, robur incipiunt habere.

§. IV.

An quis vtiliter Bullam sumat, si tantum ciuiliter in Regnis priuilegiatis consistat, aut ad illa accedat.

Dubium, quod decidendum proponimus, non debet censeri speculatiuum, & in ordine ad praxim inutile; cũ, vt mox videbimus sit practicum, & valdè curiosum. Pro cuius solutione præmittendum est, mansionem, seu commorationem in aliquo loco bifariam sumi posse; videlicet propriè, & ciuiliter; propriè autem dicitur, quando quis physicè, seu personaliter in loco aliquo inuenitur, ciuiliter autem tantum, cum personaliter verè abest ab eo loco, sed ibi domicilium, vel quasi domicilium retinet, ibique familiam habet, &c. & ideo, si è tali loco recedat in alium, breui tamen ad pristinum locum reuersurus; ius fingit, adhuc in priori isto loco adesse, & mansionem, seu commorationem nequaquam interrupisse, atque adeò talis mansio appellatur ciuilis; quatenus non à natura, sed à iure ciuili, propter bonum commune est adinuenta; sic communiter Doctores, *Bartol. l. prima verb. maneat. ff. de lib. agnosc. & in l. Dies cautioni §. Prætor. ff. de Dam. inf. Felin. cap. Quoniam de off. Iud. ord. nu. 2. Rebuff. de priuileg. schol. 23. per totum. Gonzales super Reg. 8. cancel. Glos. 43. nu. 5. Angelus consil. 270. Ignatius del Villar in sylua respons. 7. par. 5. à nu. 11. Sanches lib. 3. de matrimonio disput. 18. num. 7.* & alij apud ipsos; hanc sententiam communiter colligentes, ex *l. Postlim. §. Captiuus. l. nihil ff. de capt. & postlim. reuer. l. diuortium. ff. de diuortijs. Cap. diuortium distinct. 1. de pœnit. Glos ibi, & hanc tandem sententiã approbat Concilium Tridentinũ sess. 23. cap. 1. de reform.* Vbi agẽs de resi- 31 *Commoratio in loco sumitur propriè, & ciuiliter.*

den-

dentia, ad quam iure diuino tenentur Episcopi, cæterique animarum curam habentes, sic inquit *Quoniam autem, qui aliquantisper tantum adsunt, ex veterum canonum sententia, non videntur abesse, quia statim reuersuri sunt*) Hæc Concilium. His autem omnibus, tanquam certis ex iure communi præhabitis, pro solutione præsentis quæsiti, ponamus tale exemplũ: sit V. G. Titius Panormi domicilium, suamque familiam habens, & ad aliquod negotium expediendum recedat Panormo Neapolim, cum intentione statim reuertendi; interim dum Neapoli manet, promulgetur in Regno Siciliæ, more solito, Bulla Cruciatæ, & ideo Titius mittat epistolam ad quendam suum familiarem Panormi residentem; vt nomine ipsius Titij Bullam sumat, eamque ad ipsum Neapolim transmittat; Quæritur an Bulla pro Titio vtiliter sumatur, eademque possit Titius, dum Neapoli moratur, validè vti.

32 *Qui censent priuilegia Cruciatæ esse strictè intelligenda, præsupsumunt mansionem in loco.*

Partem negatiuam sequi deberent Doctores illi, qui cẽsent priuilegia huius Bullæ strictè esse interpretanda, & cohærenter loquuntur, quia in odiosis, seu in priuilegijs illis, quæ strictam habent interpretationem, verba non debent ampliari vltra significationem naturalem; immo secũdum aliquos intra hanc significationem debent restringi; *vide Suarez lib. 6. de legib. cap. 2. nu. 3. Merollã. tom. 2. disp. 4. cap. 9. nu.* 18. 19. & ideo cum verbum, *Commorari*, secũdum propriam, & naturalem significationem importet realem, & personalem mansionem: inde est, vt in ijs, quæ strictam habent significationem, verbum istud nequeat extendi ad significationem ciuilem, secundum quam lex fingit, aliquem non abesse, si statim sit reuersurus; & sic in casu nostro deberent omnes hi auctores asserere Bullam inutiliter sumi pro Titio existente in Regno Neapolis; atque adeo non posse Titium Neapoli commorantem eiusdem Bullæ priuilegijs frui; quia verè, & realiter nequit de illo verificari mansio in Regno Siciliæ, aut in alio loco priuilegiato, eo tempore, quo eius nomine Bulla fuit sumpta: sicuti requirit Pontifex in ipsomet Diplomate.

33 *Qui vero amplè accipiunt priuilegia ista latè sumunt mansionem.*

Cæterũ secũdũ alios, qui sunt in cõtraria sententia, & existimant priuilegia huius Bullæ amplam habere interpretationem, videtur oppositum omnino esse sustinendum; nempè verbum, *Commorari, seu habitare* in hac Bulla extendendum esse, vsque ad ciuilem significationem; atque adeo comprehendi sub illo omnes, qui licet personaliter non resideant; nihilominus, cum breui sint reuersuri; secundũ iuris fictionem, dici debent esse præsentes; ac proinde in casu nostro Bullam validè pro Titio sumi, & ipsum Neapoli commorantem, vtiliter ea vti posse; quia cum domicilium habeat in loco, quo est vsus Bullæ, & statim sit ad eundem reuersurus, censetur in eodem loco commorari; & per consequens comprehendi in clausula Bullæ, in qua priuilegium conceditur omnibus, qui consistunt, nempè commorantur, in Regnis, & locis designatis, sicuti propter eandem rationem Episcopi, & reliqui, quibus incumbit animarum salus, censentur esse præsentes, si *tantisper tantum*, vt ait Tridentinum, recedant à propria Diœcesi, seu loco beneficij, ad eundem statim reuersuri; vt dicunt de Parochis. *Posseuinus de officio curati cap. 1. nu. 3. Graph. in decis. aur. par. 1. lib. 2. cap. 97. nu. 57. Barbos. de off. Paroch. cap. 8. nu. 42. & alij.* Rursus sicuti etiam incola Mediolanensis, qui primis diebus quadragesimæ, secundum consuetudinem illius loci, vesci potest carnibus, si inueniatur hospes, & per modum transitus in alio loco, vbi seruatur ius commune præcipiens abstinentiam à carnibus; poterit, remoto scandalo, carnes comedere; vt docet Sanches loco citato; nam quamuis priuilegium illud sit locale; tamen possunt eo gaudere non solum, qui verè, & realiter Mediolani commorantur, sed etiam, qui secundum Iuris fictionem existimantur Mediolani præsentes, sic docet Sanchez, an autem vera sit hæc opinio, in præsentia examinare non curo; atque hoc possemus in multis alijs similibus exemplificare.

34 *Alij accipiunt mansionẽ largè in quibusdam priuilegijs, & strictè in alijs.*

Potest esse alia sententia, partim conueniens cum prima, partim vero cum secunda, quatenus admittit ciuilem commorationem, seu moralem præsentiam, suffragari posse sumenti Bullam in ordine ad aliqua priuilegia, non autem in ordine ad omnia: videlicet esse vtilem in ordine ad ea, quæ amplè debent explicari, & nõ in ordine ad ea quæ strictè interpretari debent: iuxta principia, quæ à nobis superiùs posita fuere tract. prædecente cap. 5. vbi statuimus priuilegia, quæ solum inuoluunt potestatem dispensandi, esse largè exponenda, ea vero, quæ actualem includunt dispensationem, quæ sit contra ius commune, strictè esse declaranda; secùs si contra tale ius minimè sit. Ex quibus colligitur iuxta hanc tertiam opinionem, quod illi, qui extra loca priuilegiata ad tempus commorantur, retinentes domicilium in locis priuilegiatis, si Bullam modo explicato per alium sumant, gaudere possunt quibusdam tantũ priuilegijs, nempè illis, quæ non lædunt

ius commune, vt est V. G. priuilegium, quo datur facultas eligendi confessarium, absoluendi à reseruatis, & alia similia, de quibus suo loco distinctè erit agendum; alia vero, quæ tendunt contra ius, vt facultas comedendi cibos prohibitos tempore ieiuniorum, &c. & alia indulta, quæ conceduntur tẽpore interdicti, &c. pressè sunt interpretanda; ac proinde non potuit Titius sumens Bullam, modo explicato, & manens extra Regna assignata, si nunquam eam in locis priuilegiatis acceptauit, frui prædictis, aut similibus priuilegijs.

35 *Obiectio contra hanc tertiam sententiam.* Sed dices ex hac opinione sequi pluribus priuilegijs gaudere extraneum, quam habentem priuilegium in locis assignatis, quod videtur absurdum, sequela probatur; nam extraneus accedens ad hæc loca, in quibus est Bulla, eamque sumens etiam si postea recedat ad alium locum, in quo non est Bulla, poterit omnibus indultis eiusdem Bullæ gaudere, vt infra dicemus, excipiendo priuilegium circa cibos prohibitos, de quo est peculiaris difficultas examinanda; at domicilium habens, si inueniatur in locis non priuilegiatis, ibique manens per alium Bullam sumat, non poterit secundum hanc tertiam sententiam, nisi quibusdam tantum frui priuilegijs; proinde plus dabitur extraneo, quam commoranti; hoc autem esse absurdum patet; nam Diploma istud primò, & per se commorantibus est concessum, & solum per quandam extensionem illud conceditur alienigenis; igitur non minùs, sed plùs debet suffragari commoranti quàm extraneo, quem veluti per accidens respicit.

36 *Solutio, quæ dari potest.* Responderi poterit comparationem non esse rectè dispositam; comparatur enim fictè commorans cum extraneo, verè, & realiter existente in locis priuilegiatis; proinde non debet esse mirum, si plus huic, quàm illi concedatur: inconueniẽs autem esset, si plus daretur commoranti extraneo, quam verè, & realiter habitanti, si autem quæratur, cur plus iuxta hanc opinionem detur extraneo manenti in his Regnis, & ab illis postea recedenti, quã fictè commoranti? Respondeo, rationem huius rei esse, quia extraneus realiter ad hæc Regna accedens, & accipiens Bullã, statim acquirit ius, & priuilegium istud cum verè, & propriè adhæret personæ, eamq; sequatur; sed dum quis solum fictè commoratur, nequit illi realiter, & propriè adhærere, nisi solum ob iuris fictionẽ; atque adeo priuilegia, quæ strictam habẽt interpretationem, nequeunt, se extendere ad eos, qui solum, secundum Iuris fictionem, censentur habere qualitatem requisitam, vt hoc diplomate vtantur; poterunt tamen, se extendere ad eos, qui verè, & propriè habent qualitatem prædictam.

Hæ sunt sententiæ, quæ circa rem hanc proponi possunt. Superest vt quid absolutè sit à nobis amplectendum, in medium afferamus. 37

38 *Opinio Authoris.* Dicẽdũ igitur est primo, omnes has sententias esse probabiles, & ideo vnũquemque posse ad sui libitum quam velit, sequi; tertiam vero esse nostris, & Iuris communis principijs conformiorem.

39 *Verbum, Declinare in hac Bulla nequit sumi fictè.* Dicendum est dicendum secundo. Accessus, qui in hoc diplomate explicatur, per illud Verbum, (*declinantibus*) nequit fictè sumi, sed propriè, & verè; Probatur conclusio, quia qualitas, seu conditio prærequisita ad huius Bullæ valorem, est mansio in locis prædictis, siue permanens, quæ importat habere domicilium, vel quasi domicilium in eo loco, in quo aliquis dicitur cõmorari permanenter; siue transeũter, quæ cũ nequeat fundari in domicilio, aut quasi domicilio, non poterit contingere alio modo, nisi per verum, & realem accessũ ad eum locum, in quo Bulla publicatur, quod sic declaro, vel aliquis accedit, vel non accedit: si primum iam habemus verũ, & realem accessum, si secundum: tũc fictè diceretur cõmorari, sed nõ diceretur fictè accedere: quia accedere & cõmorari opponũtur, & ideo dato vno, aliud negari debet: si autem aliquis nullum habet domicilium in loco priuilegiato, & moretur in loco non priuilegiato; nullo pacto accederet; igitur in hac materia nequit dari accessus tantùm ciuilis, sicuti datur ciuilis mansio, & commoratio.

40 *Inquiritur, quodnam sit tempus Modicum.* Sed ad completam doctrinam, tria quæri possunt.

Et primo quodnam tempus in præsentia dicatur modicum, ratione cuius quis dici posset breui reuersurus?

41 *Referuntur variæ sententiæ.* Respondeo, non posse id ex iuribus ita facilè determinari, ob diuersos modos loquendi, quos in ipsis met iuribus inuenimus; nam interdum spatium triũ dierum signatur vt breue *ita in l. final. C. de Iudic. §. illico, & l. final. C. de Error. Aduoc. Glos. §. Incontinenti*; Interdum vero modicum tempus vocatur interuallum decem dierum. *sic ex l. Quod dicimus ff. de solut. Glos. ver. intelligendum est & l. promissor. ff. de constit. pecun.* vbi expressè declaratur, modicum tempus esse decem dies.

Aliqui vero Auctores intelligunt modicum tempus esse spatium vnius, aut alterius mensis: sic habemus ex Surdo *cõsil. 550. nu. 6. lib. 4.* vbi honestum interuallum, vt ipse loquitur, ad excusandum Tutorẽ à negligentia proprij officij, quod confe- 42

stim

stim fungi tenetur distrahendo res pupilli ne pereant: ait, esse vnum mensem: alij rursus doctores, declarantes, quod nam censeri debeat modicum tempus, intra quod iuxta Decretum Vrbani VIII. de celebr. miss. tenetur Sacerdotes stipendijs pro missarum celebratione acceptis, satisfacere: dicunt esse circiter duos menses. *ita noster Persicus de officio Sacerd. lib. 2. cap. 7. dub. 9. nu. 98. & ex Petro Ledesma & Villalob. in summa Cardinalis de Lugo de Sacram. Euch disp. 21. sect. 2. nu. 34.* Alij vero inquiunt esse quadrimestre. *vide Menoch. de arbitr. Iud. li. 2. cent. prima casu 7. & seq.* Et sic vt videtis, breuitas temporis, quam inquirimus, non potest à nobis certò statui; quia vario modo loquuntur Doctores, iuxta qualitatem materiæ: & ideo loquẽdo in communi, indubitatum apud me est; non posse regulam fixam, & determinatam præscribi: nam aliquod tempus, respectu alicuius materiæ, censendum est breue; respectu alterius longum. *vide Menoch. cas. 7. in relatione septima sẽtẽtiæ* vbi loquendo de purgatione moræ, id reuocat ad arbitrium Iudicis, & addit, esse statuendum iuxta qualitatem rei, & personarum.

43 Verum loquendo de subiecta materia, posset aliquis dicere; illud existimari modicum, seu breue tempus, quod requiritur ad cõstituendum in aliquo loco, quasi domicilium; tale autem tempus est illud, quod excedit semestre: nam, vt dicunt, Doctores tempus requisitum ad acquirẽdum domicilium, est tempus perpetuum, incohatum; & ad acquirendum quasi domicilium, est maior pars anni similiter incobati. *vide Sanches lib. 3. de matrimonio disp. 23. per totam*: cum autem maior pars anni requiratur ad quasi domicilium, totum illud tempus, quod est infra, non tollit quin aliquis dicatur breui reuersurus: & ideo in hac sententia fuisse nostrum Patrem Bernardinum Piccinum, virum in rebus moralibus, & in sanctitate insignem dum in Academia Panormitana Bullam Cruciatæ exposuit, *testatur Diana par. 4. tract. 4. resol. 190. & iterum par. 5. tract. 14. resol. 20.* quamuis ipse ibi nihil determinet.

44 *Præmittũtur nonnulla ad decidendum quod nam sit tempus modicum.*

Pro solutione autem huius difficultatis præmittendum est breuitatem; aut longitudinem temporis non esse absolutè semper eamdem; sed esse respectiuam, iuxta qualitatem rerum, & personarum, de quibus agitur; inde est, vt in iuribus nunc minus, nunc maius assignetur tempus, dum est sermo de breuitate temporis, vt supra diximus; habetur enim respectus ad causas, de quibus est controuersia. proinde non debet esse mirum, si in legibus tãtam diuersitatem inueniamus; cum autem de breuitate, aut longitudine temporis, in re nostra, apud Iura, & Doctores nihil certũ reperiamus, recurrere debemus ad moralem hominum existimationem, tanquam ad mensuram, & ideo breuitatem, quam inquirimus, puto non esse mensurandam per ordinem ad illud tempus, quod Doctores expostulant ad acquirendum quasi domicilium; tale enim tempus videtur tollere breuitatem requisitam, ad hoc, vt quis dicatur breui reuersurus: proinde, spectando consuetum hominis iudicium, censeo à nobis non iudicari aliquem breui reuersurum, si per notabilem totius anni partem abesse debeat; quapropter breuitatem istam, & longitudinem oppositam iudico esse mensurandam per ordinem ad annum: & illud tempus censeri longum, quod est pars notabilis totius anni; contra vero breue illud, quod respectu totius anni moraliter existimatur minimum, vel exiguum; & sic vt aliquid determinatè statuamus; censeo tunc aliquem dici posse breui reuersurum, quando abest ex intentione regrediendi infra, aliquos dies, aut infra mensem circiter. Et si vltra tale tempus moretur, non dicetur breui reuersurus, & sic directè videtur responderi posse ad dubium propositum. *Deciditur quãnam sit breuitas tẽporis.*

45 *Proponitur dubium.*

Secundo quæritur, si ponamus Titium recedere è loco priuilegiato, vbi habet domicilium, cum intentione regrediendi intra paucos dies; sed postea quibusdam negotijs occurrentibus successiuè vnum post aliud moretur in loco extraneo, non priuilegiato, per spatium temporis notabilis, V. G. per sex, aut octo menses; vtrũ possit ita commorans sumere Bullam per alium, modo superiùs explicato, an vero statim ac tempus moræ incipit esse notabile nequeat Bullam per alium sumere.

46 *Resoluitur.*

Respondeo, si Titius, bona fide procedens, verè animum habeat reuertendi intra breue tempus, non præuidens impedimentum; censeo validè pro illo sumi Bullam, & posse eadem vti, secùs antem esset dicendum, si id fiat in fraudem; vel negotia sint talia, vt requirant longum tempus, idque præuideatur; tunc enim neque validè pro ipso Titio Bulla acciperetur, neque ipse posset illius priuilegijs frui.

SEC-

SECTIO III.

De Exteris Bullam sumentibus.

47 Quæ circa exteros in ordine ad vsum huius Bullæ difficultatem aliquã habent, in subsequentibus paragraphis expendemus.

§. I

Vtrum exteri, qui transeunter inueniuntur in locis, in quibus est Bulla valeant eam vtiliter sumere?

48 *Qui sint exteri.* Per exteros in præsentia intelligimus eos, qui domicilium, vel quasi domicilium non habent in regionibus illis, in quibus Bulla ipsa Cruciatæ promulgatur, sed per aliquod breue tempus in prædictis locis reperiuntur, vel recreationis causa, vel expeditionis alicuius negotij, aut quid simile; De his autem quæri potest, an vtiliter sumant Bullam; si per modum transitus inueniantur in locis illis, etiamsi transitus sit per vnum diem, aut etiam per horam, qua absoluta, statim debeant recedere ad proprias nationes, in quibus nullo pacto viget vsus huius Bullæ. His autem præmissis.

49 *Extranei in locis priuilegiatis vtiliter sumūt cruciatam, etiã si transeunter ibi inueniantur.* Dicendum est. Alienigenæ, qui inueniuntur in Regnis vbi viget Bulla Cruciatæ, possunt eius priuilegijs frui. Conclusio est communis; & expresse colligitur ex ipsomet Diplomate, in quo dum signantur loca, & personæ, quæ gaudere possunt hoc priuilegio, claré dicitur concedi consistentibus in Regnis Hispaniarũ; Siciliæ, Sardiniæ &c. *Henriquez lib. 7. de indulg. cap. 20. nu. 6. lit. M. Trullench. lib. 1. in Bullam §. 1. dub. 5. n. 1. Sebastianus Acosta quæst.* 16. quamuis auctor iste discrimen ponat inter hæc duo verba, nempe *commorantes*, & *degentes*, quæ verba apposita sunt in Bulla pro Regno Lusitaniæ, quam dictus Auctor transcribit: ponderans autem Verbum, *Commorantes*, ait cadere supra illos, *qui in prædictis Regnis domiciliũ habent*, Verbum autem, *Degentes*, comprehendere eos, qui tempore Bullæ ibi resident; siue per modum permanentis, siue transeuntis.

Acosta agnoscit discrimen inter commorari, & degere.

50 *Reijcitur Acosta.* Sed differentiam istam, quam agnoscit Acosta, censeo prorsus esse vanam; nam idem importare videtur commorari in aliquo loco, & in eo degere; vtrumque enim dicit mansionem in loco, prout declarant Grammatici; ad quos in re hac me remitto, proinde oritur difficultas; nã videntur excludi, qui per transitum in locis prædictis inueniuntur, de quibus, neque Verbum *commorari*, neque Verbum *Degere* verificari poterit.

51 *Soluitur difficultas.* Soluo tamen difficultatẽ; quia et si per Verbum *Commorari* quod apponitur in Bulla Lusitaniæ concessa; sicuti per Verbum *Consistere* appositum in Bulla latina, pro Regnis Hispaniarum, Siciliæ, Sardiniæ, &c. importetur mansio, seu habitatio permanens, quæ est per domicilium, aut saltem per tempus non ita breue, vt quis posset dici esse in his locis per transitum: nam habitare in aliquo loco dicitur is qui nõ momẽti causa moratur, vt aduertit *Rebuff. de verb signif. in lege Censoria §. Igitur quæri solet*, quod ibidem, & iuribus & auctoritate confirmat; nihilominus puto exteros transeuntes comprehendi per aliud Verbum in Bulla Hispanica appositum, nempè per Verbum, *declinantibus*; dicitur enim concedi consistentibus in prædictis Regnis, & locis, & ad illa declinantibus, quod idem significat, ac venientibus; quod Verbum in tota sua latitudine sumptum præscindit à mansione permanente, & transeunti; & ideo si quis Neapolim petat, & illuc perueniat, de illo verificabitur Verbum declinare, siue permanenter, siue transeunter Neapoli sistat spectando tenorem Bullæ, quæ Lusitaniæ fuit concessa nequeũt exteri declinantes ad Lusitaniam absque animo ibi commorandi vtiliter Bullam sumere. Veruntamẽ cum Bulla Lusitana cõcedatur Commorantibus, & degentibus, quæ idem important, & non apponatur Verbum, *Declinãtibus*; aut aliud æquiualens sequitur ex vi verborum non posse extraneos in Lusitania vtiliter Bullam illam sumere; nisi intentionem habeant ibi manendi per tantum temporis spatium, vt possint verè dici commorantes, seu degentes.

§. II.

An Exterus accedens ad portum alicuius Regni Priuilegiati, si terram non attingat vtiliter sumat Bullam.

Quidam recentior, explicans Bullã in quibusdam suis manuscriptis docuit; quod si quis in portu reperiatur, & non figat pedem in Regno priuilegiato probabiliùs esse, inutiliter Bullam accipere; huius rei rationem assignat dicens, quod quando quis est in portu, incipit esse extra Regnum; idque sic probat, quia de facto qui iurisdictionem in Regno exercet, rigorosè loquendo, non potest in portu eam exercere; ita inquit recentior iste. 52

Opinio cuiusdam Recentioris qui negat exterum accedentem ad portum loci priuilegiati, terram non attingentem posse validè Bullam hanc accipere.

Sed hæc opinio est omnino reijcienda; ali-

53 *Refellitur prædicta opinio.* aliqua enim asserit, quæ sunt apertè falsa, vt mox videbimus. Aio igitur solum sufficere, vt exter quamcunque regni priuilegiati partem attingat, nec aliud requiritur, adhoc, vt Bullam validè sumat, siue pars illa sit in mari, siue in terris. Et ratio *Portus est pars Ciuitatis, cui proximè adhæret.* est, quia portus restringitur ciuitati proximiori, tanquam eius pars, vt rectè docent Canonistæ, & iuris ciuilis periti, ex- *Probatur variis iuribus.* pressè autem *Felin. cap. Rodulphus de Rescript. nu. 7. concl. 2. bis verbis (appellatione Ciuitatis venit etiam portus, & mare illi adiacens.) quod probat ex Glossa cap. vbi periculum ver. Territorium de Elect. in 6.* ibi enim Glossa ponēs casum, in quo Summus Pōtifex in mari moriatur: sic inquit (*Cardinales debent conuenire in Ciuitate, per quā locus ille maris distringitur*) vide quo pacto Glossa, prædictis verbis, supponat locū illius maris esse partem Ciuitatis. Rursus *Dominic.* ibidem, ait, appellatione Territorij alicuius Ciuitatis comprehendi etiam mare districtum per illā Ciuitatem. Præterea *Bartolus l. Insula ff. de iudic.* & Angelus, ibidem, aiunt, delictum commissum in portu, esse puniendum in Ciuitate vicinior; & addunt ita decisum fuisse Pisis. huius autem rei rationem assignantes, inquiunt, id esse; quia particula maris, quantum ad hoc, intelligitur subiacere Ciuitati Pisarū; quamuis sit valdè remora, vt aduertit Angelus; nisi esset sub imperio alterius Territorij propinquioris; *& Bartolus in l. Cæsar ff. de publicanis*, mentionem faciens de casu supradicto, Pisis successo, ait, portum Insulæ esse Insulas.

54 *Mare etiam habet fines, ciuiliter spectatum* Demum non est nouum apud Doctores, mare etiam fines habere, & mensurari in ordine ad iurisdictiones; & ita affirmāt *Bald. l. penul. in fine C. de institut. & substit.* dum *nu. 3.* ait, *Reperiuntur fines etiam in mari, & cap. Ex litteris de probat.* inquit in mari etiam potest agi finium regundorū: si controuersia est de iurisdictione maris, inter habentes confines; & addit, aquam maris esse alicuius; nam sicut Genes. primo dicitur, *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas*; ita fertur super mare potestas habētis iurisdictionem conformem huic, & quod maximè facit ad nostrum intentum, est id, quod asserit *l. 1. in fine C. de sent. ex breui recitanda*; ait, enim, quod nō dicitur esse extra districtum ille, qui est in mari, quod per Ciuitatem maritimam regitur.

55 *Pertinet ad territorium propinquius.* Cum autem hi, & alij auctores, qui citari possent, apertè doceant, mare pertinere ad Ciuitatem, seu Territorium propinquius, ac esse de illius districtu, & sub eius iurisdictione, & hoc ipsum in specie affirment de portu, vt vidimus: miror quo pacto recentior ille, ita confidenter, & absolutè pronūtiet; *qui est in portu alicuius Regni non est in Regno illo*, immo dicat esse extra Regnum, & qui iurisdictionem exercet in Regno, non posse eam in portu exercere: cū Doctores, passim, oppositum dicant: Bone Deus? quis audeat asserere de eo, qui actu manet intra Panormitanum, aut Neapolitanum portum, nō esse in Regno Siciliæ, aut in Regno Neapolis, immo nō esse Panormi, Neapoli? &c. quia, vt aiunt auctores, & præsertim Felinus, loco citato, nomine Ciuitatis venit Portus, & mare adiacens. Maneat igitur ex dictis: quod si exter perueniat ad portum illius Regni, in quo viget Bulla; poterit in portu manens, siue per se immediatè, siue per aliam personam, validè Bullā accipere, eiusque priuilegijs gaudere.

§. III.

An Italus, solo animo sumendi Bullam Siciliam petens, statim inde recessurus, eius priuilegijs frui valeat?

Negatiuam sententiam amplexus est *AEgidius Trullench. in expositione huius Bullæ lib. 1. §. 1. dub. 5. nu. 2.* & pro ea citat *Ludouicum à Cruce disp. 1. cap. 1. dub. 3.* sed falsò quia Ludouicus nihil de hac re agit; hanc AEgidij opinionem postea sequutus est quidam Doctissimus recentior nostræ Societatis, dum in Academia Panormitana ipsam Bullam publicè explicaret. Et ratio esse potest, quia id videtur esse in fraudem ipsius Bullæ: fraus enim nemini patrocinari debet, vt habetur *cap. Sedes & cap. ex tenore de Rescript.* & etiam quia Italus iste, neque commoratur in locis pro quibus Bulla conceditur, neque obiter in illis alicuius negotij causa inuenitur; quod videtur ipsummet Diploma expostulare. 56 *Non posse frui Bulla Italum accedentem ad locum priuilegiatum ex sola intentione sumendi Bullam censuerunt aliqui.*

Sed dicendum est. Etiam si Italus, aut quilibet alius forensis, ea intentione recedat à Regnis non priuilegiatis, & accedat ad priuilegiata, vt Cruciatam accipiat, cum animo statim reuertendi ad Italiam validè, & licitè Bullam sumere, eiusdemque gaudere posse priuilegijs. Et ratio est in promptu: nam Italus iste ponit conditionem requisitam à Pontifice ad Bullam vtiliter capiendam: nam verè, & propriè declinat ad loca illa, in quibus promulgatur Bulla, & dat eleemosynam præfixam, & nullum aliud habet impedimentum adhoc, vt Bulla vti possit; & hanc sententiam sequuti sunt docti recentiores. 56 *Oppositum deciditur.*

Neque in casu posito est fraus patrocinans, vt putat Trullench, sed ius, quod habetur 58 *Vtés iure suo nō dicitur fraus committere.*

betur ad accedendum ad hæc Regna, fauet fumenti Bullam; nemo autem dicitur fraudem committere, dum iure suo vtitur, vt hac ratione effectus impediatur ita *Sanches lib. 3. de matr. disp. 18. quæst. 4. n. 29. vers. cæterum displicet*, idque probat, & rectè ex regula illa 56. Iuris ciuilis; in qua dicitur, *Nullus videtur dolo facere, qui iure suo vtitur*, & idem expressè docet, *Couar. in lib. 4. decretal. par. 2. cap. 8. §. 2. nu. 10.* & ex hoc probat per matrimoniũ contractũ ab infirmo propè mortem, filios antea natos effici legitimos, & per consequens excludi substitutum; nam sic contrahens iure suo vtitur. Rursus hoc eodem principio probat Sanches, quod si quis habitans in loco, vbi obligat Concilium Tridentinum, si recedat, & cõfluat ad locum vbi ipsum Tridentinum non viget, posse ibi contrahere matrimonium absque Parocho, & testibus; etiam si hac intentione petierit locum, in quo Concilium non obligat, vt matrimonium sine tali solemnitate contraheret. Igitur in casu nostro omnino est dicendum, Bullam validè sumi ab Italo declinante in Regnũ Siciliæ, aut aliud, in quo est ipsius Bullæ vsus; quamuis statim sit reuersurus in proprium locum, in quo non est Bulla; etiam si hac tantum intentione ad Regnum priuilegiatum accedat.

59 *Instantia.* Obijcies. Si quis recedat à loco, in quo habet domicilium, & in quo est proprius Parochus, cui tanquam ordinario poterit Sacramentaliter fateri, & ad illum fugiendum accedat ad alium, hac sola intentione, vt coram alio Sacerdote confiteatur, dicunt communiter Doctores, confessionem hanc esse inualidam; quia accessus ad hunc alium locum, & confessio alteri facta, est in fraudem proprij Parochi, & Confessarij, vt docet *Suarez Tom. 4. disput. 25. sect. 2. nu. 9. Vasquez in 3. p. quæst. 93. a. 1. dub. 4. nu. 4. Bonacina de pœnit. disp. 5. quæst. 7. puncto 2. n. 5. 6. Cardinalis De Lugo disp. 19. sect. 1. nu. 7. & alij*, ergo idem est asserendum in casu nostro, cum par vtrobique ratio videatur.

60 *Confessio facta extraneo quando secludum aliquos est inualida.* Respondeo antecedens illud non esse omnino certum; & sic de facto *Filiucius in summa tract. 7. cap. 7. num. 195.* probabile putat ex consuetudine esse introductum; vt si quis hac sola intentione vitandi proprium Sacerdotem, vt alibi confiteatur, iter agat, validam esse confessionẽ, sicuti validum est matrimonium contractum absque Parocho, & testibus in loco vbi non est receptum Concilium Tridentinum, etiam si quis, vt hoc pacto contrahat locum illum adeat, vt vidimus supra ex Sanches; tamen quia illud antecedens magis communiter est receptum: idcirco etiam illo admisso, nego consequentiam, ob disparitatem, quæ inter vtrumque casum reperitur; nam circa primum casum, in quo subditus recedit à domicilio ad inueniendum alium confessarium sine licentia sui Superioris: poterit ipse Superior in tali casu rationabiliter esse inuitus; ac proinde neque explicitè, neque implicitè facultatem dare confessario extraneo; at in secundo casu res non ita se habet; quia id, quod primò, & per se conceditur per Bullam, est indulgentia plenissima omnium peccatorum, quam concedere nõ potest proprius Ordinarius; quemadmodum plura alia indulta; proinde nullum præiudiciũ fit proprio confessario; & quamuis inter alia priuilegia sit facultas eligendi confessariũ in ordine ad absolutionem etiam reseruatorum: tamen quia hoc conceditur, veluti medium ad indulgentiam obtinendam, & est priuilegium concessum à Summo Pontifice sine tali modificatione; idcirco, quod dicitur de primo casu, non debet extendi ad secundum, de quo non est eadem ratio.

Matrimonium cõtractum absque Parocho, & testibus in loco vbi Tridentinum nõ est receptum non est irritũ

§. IV.

An exteri accipientes Bullam in locis priuilegiatis, possint ea vti extra talia loca.

SI Titius in Hispaniam aut Siciliam declinet, ibique Bullam accipiat; & postea proficiscatur in Italiã, vel in aliquod aliud Regnum, in quo Bulla non est cõcessa. Quærimus, an Titius manens in loco non priuilegiato, vti valeat Bulla prius accepta. 61

Dicendum est externum, qui modo dicto Bullam accepit, posse eius indultis frui; si excipiamus facultatem comedendi cibos prohibitos. Ita docet *Henriquez in Summa lib. 7. de indulg. cap. 20. num. 6. lit. M. Rodriquez in explicatione Bullæ. §. 1. dub. 3. & ibi in addit. Vincentius Riccius num. 35. Acosta quæst. 16. Gomez ad tertiam. quæst. cap. 3. Ludouicus à Cruce disp. 1 cap. 1. dub. 3. num. 2. Vega in Summa Tom. 1. cap. 43. cas. 8. & Tom. 2. cap. 7. cas. 17. Villalob. in summa Tom. 1. tract. 27. in titulo nu. 3. & clausl. 6. n. 4. Lezana in Summa Tom. 3. ver. Bulla Cruciata nu. 2. Diana in resol. moral. par. 1. trac. 11. resol. 1.* Cõclusio ista duas cõtinet partes: prima est affirmatiua, asserẽs, si quis habeat Bullã potest ea vti extra Regna, & loca, pro quibus concessa est. Ratio autem huius partis affirmatiuæ desumitur ex cõditione huius priuilegij, quod est personale in eius veluti continuatione; licet sit locale, quoad receptionem, proinde 62 *Exteri extra locum priuilegiatum tali pacto Bulla fruantur.*

inde ſemel ac incipit adhærere perſonæ, ſemper illam ſequitur iuxta naturam priuilegiorum perſonalium; eſſe autem hoc modo perſonale, ſupra probauimus.

Limitatio concluſionis ſuadetur.

63 Secunda autem pars, quæ priorem limitat, excipiens ex omnibus his priuilegijs indultum comedendi cibos prohibitos, oſtẽditur ex ipſomet Diplomate latino, quod appellari ſolet Bulla plumbea; nam in clauſula, in qua conceditur tale indultum, ſic dicitur, *Item, vt dicto anno durante in omnibus, & ſingulis Regnis, Inſulis, Locis, Terris, Oppidis, & Dominijs prædictis (& non extra illa) carnibus de conſilio vtriuſque medici, temporibus ieiuniorum totius anni etiam quadrageſimalibus veſci, ac pro eorum libito ouis, ac lacticinijs; ita quod, qui carnes non comederint, ſeruata in cæteris ieiunij eccleſiaſtici forma dicto ieiunio ſatisfeciſſe videantur*. cum autem verba priuilegij ſint adeo clara, non videtur dubitari poſſe de hac ſecunda parte limitatiua: & ideo illam amplectuntur Doctores ſuperiùs citati, qui ſemper excipiunt vſum prædictorum ciborum in diebus prohibitis virtute Cruciatæ.

Affertur teſtimonium P. Piccini, ſed eſt incertum.

64 Sed pro oppoſita ſententia *à P. Diana in ſuis moral. Reſol. par. 4. tract. 4. reſ. 190. & par. 5. tract. 14. reſ. 20.* citatur P. Bernardinus Piccinus noſtræ Societatis, quaſi vt probabile docuerit, cum Panormi Bullã publicè declararet, limitationem prædictam, nempe, *& non extra illa*, eſſe intelligendam de conſilio ad ſcandalum vitandum; ex quo infertur poſſe ab habente Bullã extra loca priuilegiata, vi eiuſdem Bullæ, comedi cibos prohibitos, ſi remoueatur ſcandalum. ſed vt verum fatear, in exemplaribus, quæ videre potui, ſcriptis manu ipſorum eius Auditorum, non reperio talem doctrinam à P. Piccino traditam, puto autem, P. Dianam eam legiſſe in alijs exemplaribus forſitan P. Piccino ſuppoſitis, alioqui vir diligentiſſimus, & fideliſſimus eam non retuliſſet in ſuis moralibus Reſolutionibus. verum quicquid ſit, an in opinione hac fuerit Piccin⁹, ego quidem arbitror, eam nullo pacto eſſe recipiendam, neque video, quo pacto verba illa interpretari poſſint de cõſilio; nam cum extet lex prohibens cibos illos, & priuilegium legi derogans limitatè procedat; non videtur limitatio ſumi poſſe tanquam de conſilio: nam ipſa limitatio priuilegij facit, vt indultum non ſe extendat ad caſum, circa quem verſatur limitatio: atque adeo caſus ille exceptus remanet in diſpoſitione legis communis, quæ, cum de hac materia particulari loquendo prohibeat cibos illos, & Bulla coarctet indultum, vt intelligatur intra regna priuilegiata, conſequens eſt, vt dicamus, non ſe extendere extra Regna; ac proinde in ordine ad perſonam exiſtentẽ extra loca deſignata perindè ſe habere, ac ſi non eſſet.

Excuſatur P. Diana prædictum teſtimonium adducens.

In Bulla Italica nõ habetur reſtrictio loci quoad priuilegiũ comedẽdi cibos prohibitos.

65 Dices. In Bulla Italica non apponitur talis limitatio, ſed abſque reſtrictione loci conceditur indultum comedendi cibos prohibitos; & cum Bulla iſta ex latino ſermone in italicum ſit trãſlata ex iuſſu Cõmiſſarij, ſequitur eos, qui tale Summariũ recipiunt, poſſe cibos illos, etiam extra regna priuilegiata comedere.

Hoc non obſtante, Summarium italicum eſt interpretãdum iuxta latinũ.

66 Reſpondeo. Trãſlationes huius Diplomatis è latino ſermone in vulgarem iuxta Prouinciarũ ritum, vbi fit publicatio, quãuis fiant auctoritate Commiſſarij; nihilominus non debent quoad ſubſtantiam eſſe diuerſæ ab ipſo latino Diplomate, vt præſcribitur in clauſula illa, quæ incipit, *cæterum, vt omnibus illud pateſiat, &c.* & habetur in ipſamet Bulla plumbea, quæ immediatè emanat à Cõmiſſario Generali; nam reliqua Summaria fiunt à Commiſſarijs ſubdelegatis in vnaquaque Prouincia; quæ quidem Summaria ſubordinantur Bullæ, quę ab ipſo Cõmiſſario Generali immediatè procedit; idcirco Summariũ, quod eſt in lingua italica, & quodcunq; aliud interpretãdum eſt iuxta latinum; & ideo licèt in Summario italico nõ apponatur limitatio illa; tamen facultas quoad comeſtionem ciborum prohibitorũ eſt intelligenda eo prorſus modo, quo conceditur in Bulla plũbea; atq; adeo cum illa reſtrictione circa comeſtionem horum ciborũ extra Regna priuilegiata.

CAPVT IV.

De extenſione Bullæ quoad perſonas.

EGimus de prima huius Diplomatis extenſione, quæ eſt circa loca, pro quibus ipſum Diploma conceditur: deinceps ſermo erit de eius amplitudine, ſeu extenſione in ordine ad perſonas, eiuſque conditiones requiſitas, adhoc vt eius priuilegijs gaudere valeant. 1

SECTIO I.

An fideles non baptizati Bullæ priuilegijs fruantur.

Infideles non baptizati excluduntur omnino ab vſu Cruciatæ.

2 EXcludimus eos, qui ſunt omnino infideles nõ baptizati, nempè Ethnicos, Turcas, & Iudæos; tum quia sũt incapaces priuilegiorũ, quę in hoc Diplomate continentur, vt patet diſcurrenti per ſingula; tum etiam, quia initio ipſius Bullæ ſtatuitur, fidelibus cõcedi; ac proinde manifeſtum eſt, excluſos omnino remanere

Infideles non baptizatos; quia de baptizatis, quales sunt Hæretici, est peculiaris difficultas inferiùs expendenda.

3 *Quo pacto differant Catechumeni, & Competentes baptismum parati.* Fideles autē nō baptizati, si instruūtur, & nō sūt satis instructi in reb⁹ fidei, appellātur Catechumeni, si autē sūt sufficiēter instructi, & desiderant Baptismum, illumq; petunt, antiquitus appellari solebant Cōpetentes, quasi cum instructione Baptismum simul petentes. ita explicat *Isidorus* distinctionē inter Catechumenos, & Cōpetentes *lib. 2. De orig. Eccles. offic. cap. 20. & Antoninus Ricciullus tract. De iur. Pers. lib. 3. cap. 1.* quāuis omnes isti possint Catechumeni appellari; nos autem in præsentia loquimur de fidelibus nō baptizatis, vt sic, abstrahendo ab eo, quod actu instruantur, siue sint perfectè, siue imperfectè instructi, & edocti: nam omniū horū eadē est ratio in ordine ad id, quod quærimus. his præhabitis, dubitatio est, an isti gaudere queant gratijs Cruciatæ.

4 *Catechumeni secundū Henriquez gaudent indulgētijs, quæ per Bullam conceduntur.* Est opinio *Henriquez in Summa lib. 7. cap. 20. nu. 8.* qui vult, Catechumenum, si est fidelis, gaudere posse indulgentijs, quæ per Bullam conceduntur, & forsitan posse virtute eiusdem Bullæ commutari illi vota, & iuramenta, & componi pro debitis incertis. quam opinionem postea sequuti sunt nonnulli recētiores, inter quos aliquis asseruit, fidem requisitā, ad hoc vt Catechumenus gaudeat Bulla, debere esse habitualem, & non sufficere actualem.

5 *Refertur opinio Trullench circa Catechumenos.* Cæterum *Aegidius Trullench in Bullam lib. 1. §. 1. dub. 6. nu. 3.* loquendo de indulgentijs, probabilem vocat opinionem Henriquez, & loquens de commutatione votorum, & compositione incertorum, licèt piam sententiam eam appellet; tamen asserit, in rigore theologico non esse admodum veram, quia commutatio ista, cum sit actus iurisdictionis spiritualis, nequit habere locum in Catechumenis, ad quos iurisdictio ista ecclesiastica se extēdere non potest.

6 *Aliqua priuilegia Cruciatæ certum est, non posse se extendere ad Catechumenos.* Dicendum est primo. Certum est, Catechumenum frui nō posse multis priuilegijs huius Bullæ; quia nequeunt illi conuenire ratione status, in quo inuenitur, vt sunt priuilegium eligendi Cōfessarium, à quo absoluatur à censuris, & casibus reseruatis; quia ante actualem receptionem Baptismi, non est capax Sacramenti Pœnitentiæ, neque aliorum Sacramētorum, neque ligari potest cēsuris ecclesiasticis. rursus neque illi prodesse potest facultas comedendi carnes, & lacticinia diebus prohibitis; quia non Baptizati non habēt præceptum abstinēdi à talibus cibis, cum præceptum istud sit ecclesiasticum: & ideo solos Baptizatos obligare valeat. præterea facultates illæ audiendi Sacrū, assistendi Diuinis officijs, & recipiendi Eucharistiam, nequeunt prodesse Catechumenis ante Baptismum, vt de se est manifestum. igitur certum esse debet, Bullam in ordine ad hæc priuilegia inutilem esse Catechumenis. solùm remanet dubitatio de alijs indultis, nempe de commutatione votorum, compositione bonorum incertorum, indulgentijs, & forsitan de sepultura ecclesiastica tempore Interdicti: & ratio dubitandi mouetur ex eo, quod facultates istæ non videntur repugnare statui Catechumenorum; quia cum Catechumeni sint capaces votorum, & iuramentorum, & possint obligari, & cum valeant per fidem, & charitatem esse membra viua Ecclesiæ, & consequenter participare bona opera fidelium, videntur posse indulgentias acquirere, quæ per hanc Bullam conceduntur. vlterius possunt obligari ad restitutionem bonorum incertorum; nam talis obligatio fundatur in iure Diuino, & naturali; proinde nil prohibet eximi à tali onere per Bullam compositionis, quæ in hoc Diplomate continetur. demum licèt sit in opinione positum, an Catechumenis danda sit sepultura ecclesiastica; & aliqui partem negatiuam amplectantur: nihilominus alij affirmant, casu quo creditur, eos decessisse ex hac vita cum Baptismo flaminis, nempè cum vera cōtritione. vide *Auellum Persicum De officio Sacerdotis lib. 1. cap. 7. dub. 8. nu. 76. Rodriquez in Summa par. 1. cap. 153. conclus. 5.* qua opinione posita, statim locum habet dubitatio, an Catechumenus, qui moritur cum signis contritionis, possit virtute Bullæ tempore Interdicti sepeliri in loco sacro cum moderata pompa, vt cōcedit Bulla.

Dicendum est secundo. Nullum ex his quatuor priuilegijs, & gratijs vltimo loco recensitis prodesse potest Catechumenis. 7 *Catechumeni nequeūt frui quatuor prædictis priuilegijs.* conclusionem hanc, quia non est omnino certa, eo quod aliqui, vt vidimus, oppositā tueantur, amplector, vt longè probabiliorem: & quia continet quatuor partes probandas, quæ non habent etiā apud me æqualē gradum certitudinis, seu probabilitatis, neque omnes procedunt ex eodē principio, placet singillatim quamlibet partem per distinctos paragraphos ostendere.

§. I.

Catechumenis nequeunt vota, seu iuramēta per Bullam Cruciatæ cōmutari.

8 *Refertur opinio Sanchez pro cōmutatione votorū.* Hanc opinionem sustinet *Thomas Sanchez in Decal. lib. 4. cap. 37. num. 37. 38.*

37.38. & ratio fundamentalis est, quia cõmutatio, quæ fit per Bullam necessariò fundatur in iurisdictione spirituali; at Ecclesia nullam habet iurisdictionem spiritualem in Catechumenos, cum adhuc nõ se subiecerint per professionem externam mediante Sacramento Baptismi; cum igitur commutatio, de qua loquimur sit actus Ecclesiasticæ, & spiritualis iurisdictionis, nequit exerceri nisi in eos, qui iurisdictioni Ecclesiasticæ subduntur.

9 *Commutatio votorũ, quæ fit vi Bullæ fundatur in iurisdictione spirituali.*

Quod autem commutatio votorum, (& idem assero de commutatione iuramenti soli Deo facti,) quæ fit virtute huius Bullæ fundetur in iurisdictione spirituali est euidens; nam talis commutatio non potest fieri ab aliquo Superiore temporali; neque ab Ecclesiastico, vt exercẽte iurisdictionem temporalem. Et ratio est manifesta, nam materia talis commutationis tota est spiritualis, & quia commutatio fit à Prælatis, quatenus gerunt vicem Dei, & potestatem hanc habuerunt à Christo Domino illis verbis, quando Apostolis dixit. *Quodcunque solueritis super terram erit solutum, & in cœlis &c.* tunc enim dedit potestatem Apostolis, & successoribus ad soluendum omne vinculum quo fideles ligari poterant; & hoc fuit conueniens ad bonam, & conuenientem totius Ecclesiæ gubernationem; vt probatur in tractatu de pœnitentiæ Sacramento; & tunc supponitur, hanc scilicet commutationem esse actum spiritualis iurisdictionis. & euidẽtius est, dum fit per Bullam, quæ est priuilegium totaliter emanãs à potestate Ecclesiastica.

10 Sed dices, potest vnusquisque proprium votum commutare in euidenter melius, ergo commutatio voti non est actus iurisdictionis spiritualis; nam commutans poterit esse laicus, qui non habet iurisdictionem spiritualem.

11 *Aliqua cõmutatio independens à Bulla nõ fundatur in iurisdictione spirituali.*

Respondeo nos non loquutos fuisse de quacumque commutatione, sed de illa, quæ indiget potestate Ecclesiastica. Scio enim posse ab vnoquoq; commutari proprium votum in euidenter melius; & secundum aliquos in euidenter æquale, sed de tali commutatione non est præsens sermo; & ex his patet responsio ad argumentum.

12 Dices secundo. Quamuis Catechumeni non subdantur iurisdictioni Ecclesiæ; nihilominus poterunt voluntariè illi se subijcere in ordine ad hunc effectum cõmutandi vota. Et assero duplicem paritatem: primò enim Nouitij non comprehenduntur sub nomine Religiosi; & ideo non ligantur præceptis Religionis directè, & per se: attamen comprehenduntur in fauorabilibus. Secundo possunt Religiosi exempti, Episcopo voluntariè subdi cum licentia propriorum Prælatorum, in ordine ad obtinendas nonnullas dispensationes, & solutiones; ad quas non extenditur potestas Prælati Regularis, vt ex multis docet *Sanches lib. 4. cit. cap. 39. num. 32. & 33.* ergo à pari licet Catechumeni sint excepti à iurisdictione Ecclesiæ: tamen poterunt voluntariè illi se subijcere in ordine ad obtinendam commutationem votorum mediante Bulla.

Respondeo negando paritatem: & ad primum, aio, Nouitios licet non comprehendantur in odiosis sub nomine Religiosi, & secundum longè probabiliorem sententiam non obligentur statutis, & præceptis religionis, & comprehendantur in fauorabilibus: nihilominus sunt capaces, vt in ipsis exerceatur iurisdictio Ecclesiastica; & dum manent in statu nouitij subduntur Prælato Spirituali: & Catechumeni non sunt ita capaces, neq; subduntur Prælatis Ecclesiæ, quoad spiritualia; quia non sunt apti ad iurisdictionem Ecclesiasticam, tum actiuè, tum passiuè; nisi prius recipiant Sacramẽtum Baptismi: ideo subiectio ista non dependet ab eorum voluntate, cum repugnet statui; at non repugnat statui Nouitiorum subiectio voluntaria. 13 *Discrimen inter Nouitios, Religionis & Catechumenos.*

Ad secundum dico, exemptionem à potestate Ordinariorum esse concessam in fauorem ipsorum Religiosorum, seu Religionis; & ideo posse ab ipsis Religiosis, ex licentia Prælati, gerentis vicem religionis renuntiari in ordine ad prædictũ effectum, qui redundat in bonum ipsius Religiosi: atque adeo non est par ratio de Catechumenis, quorum exceptio sequitur necessariò ad statum independenter ab eorum voluntate. 14 *Exemptio à potestate Ordinariorũ est concessa in fauorem Religionis.*

Dices tertio cum *Nauarro in comment. de Iubileo Notabili 31. sub nu. 48.* Catechumenos subesse aliquibus Ecclesiæ præceptis, vt colligitur *ex Cap. Ante Baptismum, & cap. ante viginti dies*, cum multis alijs sequentibus: Vbi statuitur quid faciendum sit ab ipsis Catechumenis antequam Sacramentum Baptismi recipiant; tum quoad Catechismum, tum quoad tempus, tum quoad locum Baptismi. 15

Respondeo. præscriptiones illas, in dictis iuribus apponi, vt licitè, & decenter conferatur Sacramentum Baptismi; proinde potius statuta illa respiciunt Ministros Baptismi, quam Baptizandos: & etiam si demus afficere etiam ipsos Catechumenos Baptizandos, nihil contra nos probabitur: quia licet Ecclesia 16 *Ordinationes quædam Ecclesiæ circa baptismum potius sunt pro ministris quã pro baptizandis.*

Cathecumeni indirectè subduntur ordinationibus Ecclesiæ in collatione baptismi.

directè, & per se nequeat suis legibus spiritualibus Catechumenos obligare: tamẽ indirectè, & per accidens potest; quatenus ex suppositione, quod velint Baptizari, tenentur seruare modum, & ritum ab Ecclesia præscriptum, qui est conueniens secundum rectam rationem; & ideo Cathecumeni, omittentes talem ritum, censentur magis transgredi præceptum Ecclesiæ negatiuum, quam positiuum, nempè, de non recipiendo Baptismo absque prædicto ritu &c, & ideo ipsa indebita receptio Baptismi erit contra legem Ecclesiæ, quæ in eodem instanti, concipitur esse in homine subdito Ecclesiæ per ipsum Baptismum.

§. II.

Catechumeni nequeunt lucrari indulgentias, quæ per Cruciatam conceduntur.

17 *Catechumeni non lucrantur indulgentias Cruciatæ. decidstur contra aliquos.*

EST contra *Nauarrum comment. de Iubileo notabili 31. sub nu. 48. & notab. 32. nu. 10. Henriquez loco superiùs citato*; quibus videtur adhæsisse *Bartholom. à San. Fausto de sacris indulgentijs lib. 2. quæst. 80.* dum sustinet Catechumenos esse capaces indulgentiæ; quia possunt esse membra Christi viua, & appellari Christiani; non quidem nomine, sed merito: idcirco postea concludit, quod dum Pontifex concedit omnibus fidelibus indulgentias, cõcessionem se extendere etiam ad Catechumenos. Ex hac autem doctrina, quam auctor iste tradit, clarè colligitur, ipsum non negaturum Bullam Cruciatæ, quæ conceditur omnibus Christi fidelibus, quoad indulgentiam prodesse Catechumenis.

18 *Laudantur Auctores pro nostra sententia.*

Sed nostram conclusionem tueri debẽt omnes illi auctores, qui absolutè aiunt Catechumenos non esse indulgentiarum capaces, & ita docent *S. Antoninus par. 3. tit. 21. cap. 5. §. 6 Suarez de pœnit. quæst. 53. sect. 4. nu. 8. Sanches in Decal, lib. 4. cap. 37. Riccius l. de iure person. lib. 3. cap. 6.* & alij apud ipsum. si enim iuxta horum Doctorum mentem Catechumeni incapaces sunt acquirendi indulgentias, per euidentem consequentiam infertur, secundum eorumdem Auctorum opinionem, esse etiã incapaces ad lucrandas indulgentias huius Bullæ. Nam argumentatio negatina à Superiori, seu ab vniuersali ad inferius, seu particulare, rectè procedit. Non est animal, ergo non est homo; igitur, si Catechumenus non est capax indulgentiæ vt sic; ergo neque erit capax talis indulgentiæ.

19 Pro huius nostræ sententiæ probatione supponendum est, indulgentiam adæquatè diuidi in eam, quæ est per modum absolutionis, & solutionis; & in eam, quæ est per modum solius solutionis, seu suffragij: & quamuis inter vtrumque modum concedendi indulgentias varia discrimina excogitentur ab auctoribus, vt videre est apud *Suarez disp. cit. sect. 2. & Cardinalem de Lugo tract. de pœnitentia disp. 27. sect. 5.* tamen certum est, indulgentiam per modum absolutionis esse talem, vt necessariò importet actum iurisdictionis in absoluente, & remittente, vt docent communiter Theologi, paucissimis exceptis, & notat *Bartholomeus à S. Fusto lib. cit. quæst. 25.* Nam potestas concedendi indulgentias includitur tanquam pars in illa plenissima potestate, quam Christus Dominus *Matth. 16.* concessit Petro, eiusque successoribus, dicens, *Quodcumque solueris super terram &c.* Nemo enim potest validè Reũ seu debitorem absoluere, eiusque debitũ remittere, nisi iurisdictionem habeat ad id faciendum, vt ex se patet; at indulgentia per modum solius solutionis non ita se habet; quia soluere debitum alterius non præsupponit iurisdictionem in soluẽte; & ita si Titius V. G. soluat centum ex proprijs bonis, pro totidem debitis à Sorte in carceribus detento, non oportet, vt liberet Sortem exercendo actum iurisdictionis, sed liberalitatis, qua solutione præstita, Iudex ex officio absoluit Sortem, eum à carceribus liberando; si autem idẽ Iudex, vel alius eius nomine, ex bonis ipsiusmet Iudicis soluat: tunc diceretur Iudex eximere Sortem vtroq; modo, nempè, per modum absolutionis, & solutionis; sic in casu nostro Summus Pontifex, in quo residet plena potestas, ex Thesauro Ecclesiæ, concedendi indulgentias pro pœnis, quæ debentur pro peccatis, potest vtroque modo exercere suam potestatẽ: Nam respectu subditorum, qui sunt fideles Baptizati in hac vita degentes, concedit indulgentiam directè, & per se remittendo per actum iurisdictionis pœnam ipsis debitam, applicando merita Christi; at respectu non subditorum, quales sunt animæ existentes in pœnis Purgatorij; cũ nequeat eas directè, & per se absoluere, & exercere actum iurisdictionis; quia solum in Baptizatos viatores habet iurisdictionẽ, offert Deo creditori pretium, quod dicitur per modum solutionis, seu suffragij; vt ipse Deus auctoritatiuè remittat pœnã. Hæc omnia, quæ spectant ad prædictorũ terminorum declarationem supponenda sunt à nobis in præsentia: quibus positis, deuenio ad probationem conclusionis in hunc modum.

Indulgẽtia adequatè diuiditur in eã q̃ est per modum solutionis, & modũ suffragij.

Omnes indulgentiæ, quæ in gratiam fidelium 20

Indulgẽtie concessa viuẽtibus sunt per modum absolutionis.

delium viatorum à Summo Pontifice emanant sunt per modum absolutionis, vt patet ex forma, sub qua traduntur: per illam enim Pontifex iudiciaria auctoritate, qua pollet absolutè ait, *indulgentiam, & remissionem peccatorum concedimus*, & interdum ad significandam abundãtiam gratiæ addit, *plenam*, seu *plenissimam*: interdum verò nõ est plenaria, sed solum terminatur ad aliquos annos, seu dies; & ideo dicitur, *concedimus decem annos indulgentiæ*, aut *quadraginta dies*, &c. forma autem ista importat quandam iudiciariam potestatem, quam cum Pontifex non habeat erga Catechumenos; idcirco nequeunt tales indulgentiæ illis prodesse. vtrum autem Catechumenis, qui ex hac vita decesserũt cum gratia sanctificante, & detinentur in purgatorio, prosint indulgentiæ sub alia forma concessæ, nempè per modum suffragij, est alia consideratio examinanda, dum erit sermo de gratia indulgentiarum, quæ per Bullam mortuorum conceditur.

§. III.

Obligatio debitorum incertorum non extinguitur in Catechumeno, Bullam accipiendo.

21 *Catechumeni nequeunt vi Bullæ se cõponere pro incertis.*

EST contra Henriquez loco superiùs citato, *& cap. 34. nu. 3. Trullench in expositione Bullæ compositionis lib. 2. dub. 2.* At nostra conclusio, prius quam probetur, supponit controuersiam illam, quæ à nonnullis exagitatur, videlicet, an lex, seu dispositio loquens de christianis se extendat ad Catechumenos: & quamuis cõmuniter dicant in dispositionibus odiosis non se extendere: tamen in fauorabilibus non est apud omnes eadẽ opinio; Nã aliqui negatiuã partẽ amplectuntur, inter quos est *Ricciullus. vt supra cap. 7. nu. 15.* quam sententiam valdè probabilem appellat *Merolla. tom. 2. disp. 4. cap. 9. dub. 3. resol. 3. nu. 31.* alij vero affirmatiuam sequuntur, vt ipse *Merolla nu. 32.* proindè, si priorem negatiuam sustinere voluerimus, ex hoc capite rectè firmaretur cõclusio: sed quia regula ista, quæ negat, apud me non est adeo certa, & forsitan probabilior est affirmatiua, ne videar, principio apud me valdè dubio, conclusionem tueri; idcirco etiam si admittamus in fauorabilibus sub appellatione chistianorum comprehendi Catechumenos infideles: tamen, quia censeo priuilegium huius compositionis esse odiosum: idcirco aio non se extendere ad Cathecumenos; esse autem odiosum, atque adeo strictè interpretandum, docet *Ludouicus à Cruce de exposit. Bull. compositionis disp. 3. dub. 4. num. 6.* Et ratio est quia derogat iuri, & aliquo modo est in præiudicium tertij: talia enim priuilegia presẽ sunt explicanda, vt communiter dicunt auctores in tractatu priuilegiorum. Ius enim canonicum statuit, vt incerta, quæ sunt illicitè acquisita cedant in vtilitatem pauperum; proindè pauperibus sunt distribuenda, vt colligitur *ex cap. Cum tu de vsuris, & cap. Cum sit de Iudæis.* Quamuis Pontifex possit illa applicare alteri piæ causæ in bonum Ecclesiæ, vt dicemus inferiùs, dum erit sermo de Bulla compositionis. dum igitur Pontifex ex plenitudine potestatis concedit priuilegium, per quod fieri potest compensatio, sumendo Bullas, soluendo eleemosynam præscriptam, & relaxando partem debiti: dispensat contra ius commune; proindè talis dispensatio est odiosa, atque adeo strictè interpretanda, & per consequens sub appellatione fidelium Christianorum, seu fidelium Christi non veniunt Catechumeni.

Est incertum an lex loquẽs de Christianis, in fauorabilibus extẽdatur ad Catechumenos.

Priuilegium se componendi strictè interpretãdum esse.

Dices, licet actualis dispensatio contra ius sit strictè intelligenda: tamen potestas dispensandi, quam habet Commissarius Cruciatæ ad admittendos fideles ad compensationem, erit latè explicanda; ac proindè extendi poterit ad Catechumenos; quod autem potestas ista latè sit interpretanda videtur communis opinio. Ita *Molina tract. 2. de iust. disp. 173. vers. Obseruandum est: Sanches lib. 8. de matrimonio disp. 2. nu. 1. Suarez de legibus lib. 6. cap. 17. nu. 11. Bonacina de legibus disp. 1. quæst. 3. p. 7. §. 1. nu. 15. & alij* apud ipsos. 22

Respondeo primo. Compensationem hanc bifariam procedi posse, videlicet ab ipso Commissario immediatè, quando scilicet summa, de qua fit compositio excedit quantitatem præscriptam in singulis Bullis. Rursus potest fieri illa compositio non immediatè ab ipso Commissario; sed per acceptationẽ Bullarum, quæ in hunc finem sunt institutæ intra certam summã; vt suo loco declarabitur; nos autem loquuti sumus de compositione hoc secundo modo, quæ inuoluit actualem dispensationem, cum dicat relaxationem maioris quantitatis debitæ contra ius: & hanc dicimus esse odiosam; ac proindè strictè sumendam; quicquid sit de facultate illa, quam habet Commissarius, per quam potest forsitan admittere Catechumenos fideles ad compositionem absque receptione Bullarum. 23

Compensatio per Bullam potest fieri à solo Commissario, & etiã mediantibus Bullis.

Respondeo secundo. Etiam hanc potestatem Commissarij puto esse restringendam; quia licet demus aliquam potestatem esse latè explicandam: tamen eam, quæ aliquo modo tendit in præiudicium 24

Potestas compensandi strictè est sumenda.

cium tertij, est stricti iuris, & odiosa, & per consequens est presse sumenda; quia Princeps censetur velle quàm minimum potest damnum tertio inferre; vt docet *Suarez lib.8. de legibus cap.27. nu.9. Couarr. in 4. decret. par.2. cap.8. §.8. nu.9. Felinus in cap. postulasti nu.11. cas.2. de Rescript. Sanches loco citato nu.3* & alij, quos laudat, & sequitur *Merolla Tom.2. disp.4. cap.6. n.83. limit.2. qui nu.* 84. ampliat etiam si potestas ista motu proprio à Pontifice sit concessa, & se remittit ad ea, quæ dicit *Tom. 3. disp.6. cap.6. dub.5. de priuilegijs.*

Princeps censetur quàm minimum potest velle inferre tertio præiudiciũ in cõcessione priuilegij.

§. IV.

Catechumenus, quamuis moriatur cũ signis contritionis, nequit sepeliri in loco sacro interdicto.

25 *Hoc priuilegium nõ extenditur ad Catechumenos.*

HOc est vltimum priuilegium: de quo, vt proposuimus, dubitatio esse potest, an se extendat ad Catechumenos? Partem autem negatiuam libenter amplector; quia priuilegium istud cum sit contra Ius commune, insertum in corpore Iuris, debet strictè intelligi: prohibetur autem *in capite Quod in te. de pœnit. & remiss.* & alibi, sepeliri corpora in loco sacro interdicto, quod Ecclesia facit adhoc, vt contumaces terreantur, & resipiscant; idcirco priuilegia, quæ derogant tali Iuri, cum tollant remedium salutare, & medicinale ab Ecclesia institutum, sunt odiosa; atque adeo strictè intelligenda, & eius verba non sunt amplianda: quapropter priuilegium concessum in hac materia Christi fidelibus non est extendendum ad Catechumenos.

26 Dices. Leges pœnales sunt restringendæ; & per consequens priuilegia, quæ modificant, aut dispensant in prædictis legibus sunt amplianda; proinde cum lex prohibens Ecclesiasticam sepulturam sit pœnalis, priuilegium Bullæ talis legis derogatiuum, non erit odiosum, sed fauorabile, & latè intepretandum.

27 *Lex pœnalis instituta, vt medicina in bonum Religionis non est restringenda.*

Respõdeo. Quicquid sit de lege purè pœnali, nego tamen de lege instituta tanquã medicina, & in bonum Religionis, sicuti sunt leges, quæ decernunt censuras Ecclesiasticas, tanquam salutiferas medicinas spirituales, vt rebelles recedant à sua contumacia, & obediant Ecclesiæ mandatis.

§. V.

28 *Catechumenis inutiliter sumunt Bullã*

EX his omnibus concluditur, Bullam Cruciatæ minimè prodesse Catechumenis; atquè adeò ab illis iuutiliter sumi: tum quia ratione status non sunt capaces quorumdam priuilegiorum, quæ per ipsã Bullam conceduntur: tum etiam quia licet capaces quarumdam gratiarum videantur; nihilominus ex vi huius Bullę nequeũt illis frui; nam sub forma, qua ipsa Bulla emanat, non potest se extendere, nisi ad fideles Baptizatos: vt ex superioribus est manifestum.

SECTIO II.

An Hæretici, & schismatici gaudeant Bullæ priuilegijs.

29 *Hæretici in duplici differentia.*

POssumus loqui de Hæreticis, tum internis, tum etiam externis, siue hi sint occulti, siue publici; nam de his omnibus, alijsque fiunt difficultates, mox explanandæ.

§. I.

Vtrum Hæreticus, qui prodit in actum hæresis externum, vtiliter sumat Bullam?

30 *Hæreticus pertinax inualidè sumit Bullam.*

SI sermo sit de tali Hæretico; qui adhuc in sua pertinacia permaneat; aio inualidè ab ipso Bullam hanc sumi. Conclusionem hanc expressè docet *Ludouicus à Cruce in expositione Bullæ disp.1. cap.1. dub. 8. nu.* 2. & quidam etiam docti recentiores; est tamen contra. *AEgidium Trullẽch. lib.1. §.1. dub.8. nu.3.* Ratio autem vnica, & potissima pro nostra conclusione est, qnia Bulla conceditur Christi fidelibus; at Hæretici, præsertim, qui sunt externi, non sũt Christi fideles: & vt asserit, & fusè probat *Bellarminus lib.3. de Ecclesia militante cap.4. Ricciullus de Iure person. lib 5. cap.12. nu.9.* non sunt intra Ecclesiam, sed extra illam, simpliciter loquendo, ergo illis Bulla minimè prodest.

31 Sed dices cum AEgidio. Quamuis Hæreticus non sit fidelis formaliter, quia caret habitu fidei; potest tamen dici fidelis virtualiter, quatenus est charactere Baptismali insignitus; proinde frui poterit priuilegijs Bullæ.

32 *Character nõ constituit virtualiter fidelem.*

Contra est, quia per characterem dici non potest virtualiter fidelis. Nam character nõ est principium fidei & est compossibilis cum infidelitate: licet per talem characterẽ sit, quoad iurisdictionem, Ecclesiæ subditus, simpliciter tamen, vt dixi, non est enumerandus inter Ecclesiæ mẽbra; Vt enim colligitur *Ex cap. Damnamus de sum. Trin. & fid. cath.* fides est illa forma, quæ Ecclesiæ vnitatem constituit; proinde sicuti anima est vnica forma, per quam omnia membra faciunt vnum corpus; & dum definit ipsa anima informare ali-

aliquod membrum, statim membrum illud informe non censetur actu pars corporis animati: ita, & fides respectu fideliũ, quatenus sunt plura membra, facientia vnum corpus sub eodem capite.

33 *Hæreticus diebus prohibitis comedẽs lacticinia vi Bullæ lethaliter peccat.*

Ex his ergo colligitur, quod talis Hæreticus, si diebus prohibitis, virtute Bullæ comedat lacticinia, carnes &c. peccabit mortaliter; quia Bulla ista ob rationem assignatam, illi suffragari non poterit. Rursus nullo alio priuilegio per hanc Bullam frui validè poterit.

34 Quid autem sit dicendum de Hæretico externo recedente à sua contumacia, & abiurante suos errores postea declarabimus.

§. II.

An Hæreticus, qui sola mente retinet Hæresim, sit capax huius Bullæ?

35 *Hæreticum purè mentalem frui Bulla censuit Ludouicus à Cruce.*

Affirmatinam sententiam sustinet *Ludouicus à Cruce supra citatus num. 3.* quem postea sequutus est *Trullench.*

36 *Refellitur.*

Sed omnino oppositum censeo esse dicendum; quia etiam si Hæreticus purè mentalis in foro externo reputetur fidelis, nihilominus in foro interno, & coram Deo non est fidelis; ac proinde caret illa forma, quam prærequirit Pontifex ad cõcedendas gratias in hoc diplomate contentas; non enim sufficit esse fidelem secũdum hominum existimationem; si reuera ille non sit talis; & ideo qui fictè ostendit se esse fidelem, & abscondit errores, quos contra fidem Catholicam habet; nequit simpliciter, & absolutè appellari fidelis, sed solum secundum quid; videlicet secũdum faciem hominum, quod non est satis adhoc, vt Bulla ista prodesse valeat, quæ postulat veros, & non simulatos Christi fideles.

37 *Obiectio.*

Obijcies primo. Excommunicatio, quæ fertur ab Ecclesia contra Hæreticos, non respicit Hæreticus mentales, vt omnes concedunt: igitur dum in Bulla excludũtur infideles, debet id intelligi de infidelibus externis, non autem de infidelibus purè mentalibus *ita Ludouicus.*

38 *Diluitur.*

Respondeo negando paritatem; nam Ecclesia nequit punire peccatum, quod agnoscere non potest; quia, vt dici solet, non iudicat de occultis; proinde non debet esse mirum, si nequeat censuram imponere peccato omnino interno: at de gratijs non ita, quoniam nil prohibet, quin gratiam aliquam concedat sub aliqua conditione, seu forma, quæ ab ipsa nõ agnoscatur. sicuti si concederet aliquod priuilegium fidelibus contritis de peccatis, & aliquis peccatum mortale haberet, de quo non esset contritus, vel aliud non deleret per Sacramentum pœnitentiæ, vtique gratias illas non lucraretur: sic in casu nostro Pontifex intendit Bullam hanc concedere fidem Chisti habẽtibus; idcirco, qui illa carent, non sunt habiles ad Bullam vtiliter sumendam.

Obijcies secundo. Si Hæreticus mentalis esset inhabilis ad Bullam recipiendã, puniretur ab Ecclesia pœna exteriori, nempè inhabilitate ad Bullam hanc sumendam; quod videtur inconueniens. Nam, vt diximus, pro peccato purè interno nequit homo subijci Ecclesiasticis pœnis. ita *Ludouicus à Cruce.* 39

40 *Hæretici mentales licet nequeat vti Bulla ex hoc non sequitur puniri ab Ecclesia.*

Respondeo negando sequelam; quia inhabilitas ad recipiendam Bullam non est pœna, quæ ab Ecclesia imponatur; quia vt sic sequeretur, quod omnes alij fideles, qui non inueniuntur in locis priuilegiatis, & per consequens ratione loci non sunt habiles ad Bullam capiendam, punirẽtur ab Ecclesia; quod est manifestè falsum; nam negare alicui priuilegium illi non debitum, non est illũ punire; idcirco aio, inhabilitatem in Hæreticis mentalibus causari ex defectu formæ ab Ecclesia iure requisitæ; nempè fidei diuinæ, qua carentia posita, Ecclesia non vult priuilegium Cruciatæ concedere.

41 *Obiectio.*

Obijcies tertio cum quodam recentiore oppositum sentiente; sub nomine Hæreticorum absolutè non veniunt Hæretici mentales: inde est, vt peccatum internum hæresis neque sit reseruatum, neque censuræ subiectum.

42 *Hæretici mẽtales quo ad pœnas ecclesiasticas non veniunt sub nomine hæreticorũ, secus quo ad vsum Bullæ.*

Respondeo licet sub nomine Hæreticorum in ordine ad pœnas Ecclesiasticas tum temporales, tũ spirituales non veniãt Hæretici purè mẽtales; ob rationem assignatam; quia Ecclesia non habet ius puniendi peccata omnino interna: tamen in ordine ad incapacitatẽ recipiendi priuilegia omnino gratuita nego non venire Hæreticos mentales; nam hi verè, & propriè sunt formaliter Hæretici. Et confirmatur hæc responsio, quia gratiæ, quæ in hac Bulla continentur, vel inuoluunt relaxationem iuris communis, proindè sunt odiosæ, & strictè intelligendæ; vel nequeunt ratione status competere Hæreticis, vt electio confessarij, absolutio à reseruatis, indulgentiæ, nam durante pertinacia nequeunt ipsi Heretici vti Bulla in ordine ad has gratias; idcirco sub nomine Christi fidelium, quibus conceditur Bulla veniunt tantum hi, qui sunt fideles; & excluduntur, qui solum exterius sunt tales, qui absolutè, & simpliciter nequeunt dici fideles, sed solum cum addito, & secundum quid nempè fideles secundum

cundum hominum existimationem; fides autem putatiua non est simpliciter fides, neque absolutè potest ita appellari.

§. III.

An Hæreticus suum abiurans errorem si fide habituali careat, sit sufficienter dispositus ad vsum Bullæ per fidem actualem.

43 *Proponitur casus.* POtest casus ita contingere: si fingamus eum, qui in hæresim lapsus, & exteriùs eam manifestauit, postea resipiscens, illam verè abiuret; sed solam attritionem supernaturalem habeat; atque adeo non sit adhuc iustificatus; quamuis firmiter credat fidei mysteria: & per cõsequẽs sit priuatus habitibus infusis, nempè habitu charitatis, spei, & fidei. &c. nam licet à nonnullis, inter quos est *Suarez. Tom. 2. de gratia lib. 9. cap. 4.* asseratur habitum fidei primò infundi posse absque habitu charitatis, si quis eliciat verum actum fidei supernaturalis: tamen longè probabilius est oppositum, videlicet in prima infusione, hos habitus esse inseparabiles; & colligitur *ex Trid. sess. 6. cap. 7.* in quo dum explicantur causæ nostræ iustificationis, habentur hæc verba (*Vnde in ipsa iustificatione cũ remissione peccatorũ hæc omnia simul infusa accipit homo, per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem*) docet enim Concilium in homine, qui prius per actus prædictarum virtutum Theologalium disponebatur, simul à Deo infundi habitus; posita igitur hac opinione, secundum quam locum habet quæsitum; inquirimus an ad lucrãdam Bullam sit necessarius habitus fidei? ita vt si ponamus in aliquo homine nondum iustificato esse verum actum fidei supernaturalis, absque habitu, sed vi gratiæ præuenientis; Bulla prodesse possit tali homini, neque hoc quæsitum existimari debet speculatiuum: nam facilè euenire poterit, & præsertim in Hæreticis, qui abiurantes hæreses præteritas, incipiunt de nouo credere articulos fidei; quamuis, de culpis præteritis non habentes perfectum actum coutritionis, careant habitibus infusis.

Habitus supernaturalis in sua prima infusione sũt inseparabiles.

44 *Refertur opinio asserẽns sufficere fidẽ actualem.* Quidam doctus recentior in expositione Bullæ deuenit in hanc sententiam, putans requiri habitum fidei, & non sufficere fidem actualem ad hoc, vt quis frui valeat priuilegijs Bullæ; ductus fuit ad hanc opinionem astruendam ex eo, quod ipse inquit, deest in tali homine vera forma fidelium Christi, quæ est fides habitualis, quæ facit Christianum, quia per fidem ipsam habitualem inserimur Christo, eique vnimur, & efficimur eius membra, licet non viua, nisi per charitatem; sic recentior iste suam confirmat sententiam: ex qua necessariò sequitur, quod Hæreticus recedens à contumacia, & absolutus ab excommunicatione, nequeat Bulla gaudere; nisi habeat contritionem perfectã, aut dilectionem Dei, super omnia, aut demum per Sacramentum pœnitentiæ recipiat gratiam iustificantem, & simul habitus infusos deperditos.

Sed hanc sententiam puto non esse admittendam; tum quia nullum habet patronum, vt ipse sciam, præter recentiorem istum, qui illam excogitauit; tum quia firmæ rationi minimè innititur; tum denique quia est contra communem existimationem; nemo enim in praxi damnabit eum, qui in Tribunali Sanctæ Inquisitionis abiurans hæresim, in quam lapsus fuit, & recipiens absolutionis beneficium ab excommunicatione diebus vetitis V. G. comedat lacticinia virtute Bullæ, quam accipit; etiam si adhuc non se disposuerit ad gratiam per contritionem, aut per confessionem Sacramentalem. 45 *Reijcitur prædicta opinio.*

Probatur autem nostra conclusio hac ratione fundamentali. Bulla prodest omnibus, qui sunt veri Christi fideles (suppono adesse reliquas conditiones requisitas) at habẽtes verum actum fidei supernaturalis, licet careant habitu, sunt verè Chisti fideles; ergo Bulla illis prodest. maior est certa ex ipso Bullæ contextu, & conceditur ab omnibus: minor verò, in qua est difficultas ostenditur. Nam actus ille, proueniens ab auxilio supernaturali, est actus veræ fidei, ideoque est aptus ad denominandum hominem credentem, atque adeo fidelem; & quia est actus fidei Christianæ denominabit hominẽ, in quo est, Christi fidelem, non solum dum actu afficit hominẽm, sed etiam dum præterit; quia dum semel extitit, & non retractatur, censetur moraliter permanere; & per consequens hominem denominare, sicuti ob eandem rationem, peccatum actuale, etiam post quam desijt, est sufficiens ad denominandum hominem peccatorem habitualiter, dum non sufficienter retractatur, etiam si ponamus, carentiam gratiæ non habere rationem maculæ, neque ingredi essentiam peccati habitualis, vt declaratur in p. 2. 46 *Suadetur cõclusio ratione fundamẽtali.*

Et addo, quod si in hoc ab aduersario vis efficiatur, ego sanè ad superãdã omnẽ difficultatẽ pono, quod in eo tẽpòre, quo Hæreticus ille iam cõuersus vult Bullam accipere, aut ea vti, eliciat semper actum fidei supernaturalis, tunc absque dubio diceretur actu fidelis; proinde nulla apparet 47

paret sufficiens ratio, quare requiratur habitus.

84 Ad fundamentum autem contrariæ sententiæ; responsio patet ex dictis; & insuper addo concedendo hominem denominari Christi fidelem per habitum fidei, sed nego denominari non posse per actũ; quo transacto, licet non dicatur fidelis per aliquod permanens physicè positiuum, poterit appellari fidelis per aliquod permanens moraliter positiuum. Et demum aio formam, per quam homo constituitur fidelis, & Christo Domino vnitur, esse fidem, tum habitualem, tum actualem; cum hoc tantum discrimine, vt ab habituali denominetur permanenter fidelis, per formam physicam; ab actuali verò per formam moralem: neque est ratio, vel vel auctoritas oppositum efficaciter suadens.

Soluitur fundamentũ cõtrarium.

49 Quæ dicta sunt de Hæreticis, applicari possunt Apostatis, quia in hoc eadem est ratio de vtrisque.

§. IV.

An Bulla prosit Schismaticis?

50 SVpponimus Schismaticos appellari à Schismate, quod est scissio, seu diuisio ab Ecclesia, & eius capite, qui est Summus Pontifex. & quia scissio ista bifariam contingere poterit; idcirco Schismaticus est in dupplici differentia; nam Christianus potest se diuidere ab Ecclesia, fidem Diuinam relinquendo; & vt sic non erit purus Schismaticus, sed etiam Hæreticus, & si totaliter eam deserat, amplectendo aliquam sectam erit Apostata, de quo non occurrit specialis difficultas; si verò Christianus ille se diuidat ab Ecclesia, non deserendo fidem Diuinam, sed solum se subtrahendo ab obedientia capitis; tunc erit purus Schismaticus, & de Schismatico in hac acceptione nunc loquimur.

Qui sint Schismatici.

51 Dicendum igitur est primo, certum esse Schismaticum pertinacem, quibusdam Bullæ priuilegijs frui non posse, vt sunt ea, quæ concernunt ad Sacramentum pœnitentiæ, & absolutionem à reseruatis; dum enim perseuerat in Schismate, non est capax absolutionis Sacramentalis. Rursus neque est capax ad lucrandas indulgentias, vt patet; quia non est in statu gratiæ, neque gaudere poterit beneficijs concessis tẽpore interdicti circa Diuina officia, sumptionem Eucharistiæ, &c. Nam ratione excommunicationis habet impedimentum; ne talibus vtatur priuilegijs.

Schismaticus pertinax aliquibus Cruciatæ priuilegijs frui non potest.

52 Dicendum est secundo, circa commutationẽ votorum, & iuramentorum, cum distinctione esse loquendum. nam si commutatio ista vi Bullæ requirit confessionẽ Sacramentalem, vt multis placet, tunc consequenter est asserendum, non posse Schismaticum obtinere talem commutationem virtute Bullæ; quia non est dispositus ad Sacramentum pœnitentiæ: si verò commutatio ista fieri poterit extra confessionem, & independenter ab illa, vt alij sustinent; tunc aio posse validè fieri commutationem hanc per Bullam. Probatur quia purus Schismaticus simpliciter, & absolutè loquendo, cum retinet fidem Diuinam, vocari potest Christi fidelis: ac proindè ex isto capite nihil illi deest, quin possit vti Bulla in ordine ad hãc commutationem: quid verò sit absolutè dicendum, an commutatio ista postulet nec nè confessionem, suo loco à nobis declarabitur.

Schismaticus vi Bullæ validè recipit suorum votorum commutationem extra cõfessionẽ.

53 Dicendum est tertio, ob eamdem rationem, posse Schismaticum vesci lacticinijs diebus vetitis; præterea poterit componi circa debita incerta, & demum vti Bulla in ordine ad omnia alia priuilegia, quæ nõ impediuntur ratione excommunicationis.

Possunt vesci lacticinijs diebus prohibitis & se componere pro debitis incertis.

SECTIO III.

An Excommunicatus, vel alijs censuris, seu pœnis Ecclesiasticis affectus Bulla vti valeat.

54 LOquimur de Excommunicatis maiore excommunicatione; & ratio dubitandi est, quia excommunicatus videtur esse extra Ecclesiam, vt fatetur *Bellarminus lib.3. de Eccl. milit. cap.6. Alterius de cens. Tom.1. lib.1. disp.5. cap.10. Ricciul. de iur. & person. lib.4. cap. 1. nu.2.* qui id probat diuersis iuribus Canonicis. ex hoc autem posset quis dubitare, an excõmunicatus manens in sua contumacia, possit vti Bulla in ordine ad illa priuilegia, quæ non important sumptionem alicuius Sacramenti. & videtur pars negatiua esse amplectenda; quia cum, iuxta prædictorum auctorum sententiam, excommunicatus sit extra Ecclesiam, non poterit adiuuari priuilegijs, & gratiis, quæ membris Ecclesiæ conueniunt.

55 Pro solutione huius quæsiti aduertendum est, priuilegia huius Bullæ esse in multiplici differentia, quædam enim requirunt in subiecto priuilegiato gratiam sanctificantem; vt sunt indulgentiæ, quæ supponunt Dei amicitiam; quædam verò sunt priuilegia, quæ supponunt vnionem, seu communionem inter ipsos fideles,

Aliqua Bullæ priuilegia, quo ad vsum requirunt gratiam sanctificantem in priuilegiato.

quæ quidem vnio, seu communicatio tollitur per ipsammet excommunicationem, & talis excommunicatio, pro vt facit ad rem nostram, consistit in quibusdam actionibus spiritualibus, vt interesse Diuinis, sepeliri in loco sacro, tempore interdicti, &c. quædam vero sunt priuilegia, quæ non habent connexionem cum gratia sanctificante, neque concernunt communicationem prædictam, vt commutatio votorum, si fieri potest independenter à confessione, comestio lacticiniorum, & carnium, compositio incertorū, &c. His præhabitis.

56 *Excommunicatus vtiliter sumit Bullā.*

Dico primo. Excommunicatus etiam persistens in excommunicatione vtiliter sumere potest Bullam, eaque vti. Conclusio ista absolutè prolata, & vt iacet ponitur *à Rodriquez in addit. ad §. 1. Bulla circa numerum decimum. ab Henriquez in Summa lib. 7. cap. 18. num. 2. Nauar. de indulg. notab. 19. num. 19. Ludouico à Cruce in exposit. Bull. disp. 1. cap. 1. dub. 4. num. 2. Villalob. in Summa par. 1. tract. 27. clauf. 1. num. 6. Vincentio Riccio in addit. super Rodriquez §. 1. nu. 17. Aegidio Trullench in eamdem Bullam lib. 1. §. 1. dub. 8. num. 2.* & alijs. Probatur autem conclusio, quia excommunicatio non tollit fidem Diuinam ab excommunicato; ac proinde excommunicatus poterit esse fidelis fide Christiana; & ideo si habeat reliquas conditiones, nihil illi deest, quin gaudeat Bulla. Probatur hoc vltimum; nam Pontifex concedit Bullam Christi fidelibus, & non requirit in subiecto aliam conditionem in ordine ad vsum Bullæ, vt sic: ergo cum excommunicatus possit esse verè fidelis, nihil illi deerit. &c.

57 *Inutiliter ea vtitur, quo ad priuilegia requirentia gratiam, si est contumax.*

Dico secundo. In ordine ad illa priuilegia, quæ primo, & secundo loco enumerata à nobis sunt, Bulla non prodest excōmunicatis, videlicet, in ordine ad priuilegia, quæ supponunt in subiecto gratiam sanctificantem, vt est lucrari indulgentias; nam excommunicatus pertinax, de quo in præsentia loquimur, est in peccato mortali, & per consequens manens in tali statu est incapax indulgentiæ. Quid autem esset dicendum si pœniteat, & non sit in mora culpabili ad absolutionem petēdam? Aliqui partem negatiuam, alij vero affirmatiuam tuentur, sed hoc punctum examinabitur, cum erit sermo de priuilegio indulgentiarum. Rursus neque Bulla suffragatur excommunicato in ordine ad priuilegia concernentia communicationem cum fidelibus; nam ratione status non poterunt locum habere in excommunicato, qui ante absolutionem nequit sacris assistere, neque in loco sacro sepeliri.

Non fruitur priuilegijs cō cernētibus cō municationē cum fidelibus

Dico tertio. Potest excommunicatus vti Bulla ad commutationem votorum, si fiat extra Sacramentum: ad comedendos cibos prohibitos; ad se componēdum pro incertis, & malè ablatis, & ad similia. Conclusio ostenditur; quia cum ista priuilegia nullo modo sint incompatibilia cum excommunicatione, non est cur excommunicatus illis priuetur.

58 *Excommunicatus confess. & cōmutat.*

Dico quarto. Suspēsus, Interdictus, depositus, & degradatus frui possunt Bulla, secundum ea priuilegia, quæ non pugnāt cum his censuris, vt probauimus de excommunicato; cum eadem quantum ad hoc, sit omnium horum ratio.

59 *Inodalijs cen. fruitur Bu. non autē ad priuil. pugnantia censuris si se censuram est pertin.*

Ad rationem autem illam dubitandi, initio huius sectionis positam pro parte negatiua. Respondeo excommunicatum esse extra Ecclesiam, quoad aliqua, nempe quoad communicationem cum fidelibus, tum in spiritualibus, tum in temporalibus; non autem esse extra, quoad omnia, quia retinet fidem, quæ est forma vniens omnes fideles sub vno communi, eodemque capite, & quia fides est illa forma, quæ requiritur in Bulla, adhoc vt eius vsus sit vtilis respectu gratiarum, quæ non pugnant cum statu excommunicationis; idcirco respectu vsus Bullæ, vt sic præscindendo ab hoc, vel illo priuilegio, excommunicatus non censetur esse extra Ecclesiam; Iura autē illa, quæ afferuntur à Bellarmino, & à Ricciullo, dum aiunt excommunicatos esse extra Ecclesiam loquuntur iuxta primam, & non secundam acceptionem.

60 *Responsio rationē dubitandi in. positam.*

Sed obijcies primo *caput primum de rescript. in 6.* vbi statuitur rescriptum, seu litteras Apostolicas non valere, si ab excommunicato impetrentur, nisi pro articulo excommunicationis, vel appellationis: igitur Bulla, cum non sit impetrata pro altero ex his duobus, nihil proderit excommunicato.

61 *Obiectio ex iure canonico*

Respondeo litteras huius diplomatis nō fuisse impetratas ab excommunicato, qui illam accipit, sed à Rege Catholico, in cuius gratiam fuit concessa, & ideo argumentum nihil contra nos probat. Rursus aliam responsionem dat *Ludouicus à Cruce*; videlicet in multis casibus litteras Apostolicas prodesse excommunicatis, à quibus impetratæ fuere, & citat *Angelum in cap. Illud de rescrip. Geminianum verb. rescriptum. §. 1.*

62 *Solutio.*

Obijcies secundo. Accessoriū sequitur naturam sui principalis. Igitur si excommunicatus nequit lucrari indulgentias, quæ se habent, vt quid principale inter omnia priuilegia Bullæ, neq; poterit frui reliquis priuilegijs, quæ se habent, vt quid accessorium; destructo enim principali

63 *Accessorium sequitur principale.*

cor-

corruit accessorium *l. qui liberis. ff. de vulg. & pupil. substit.*

64 *Non omnia priuilegia Bullae sunt accessoria ad priuilegium indulgentiae.* Respondeo negando omnia priuilegia, quae in hac Bulla continentur esse accessoria ad priuilegium indulgentiarum: Nam aliqua sunt per se, & independentia ab indulgentijs, quia nulla interuenit connexio, vt est priuilegium circa cibos vetitos, priuilegium commutandi vota, componendi pro iniustè ablatis, & alia multa similia. Rursus addo, accessorium bifariam se habere posse ad principale; *In quo sensu sit verum, quod accessorium sequitur principale.* primo inseparabiliter, & tunc necessario sequitur naturam principalis V. G. obligatio fideiussoris sequitur naturam obligationis principalis, & si quis vendat equũ cum ornamentis, venditio ornamẽtorum sequitur, vt quid accessorium venditionẽ equi, & sic in multis alijs similibus: secundo potest accessorium separabiliter se habere respectu principalis; & tunc non oportet, vt remoto principali remoueatur minus principale, E. C. vendo domum aliquam, & equum; tunc venditio equi non se habet accessoriè ad venditionem domus; licet vtriusque venditio fiat in eodem contractu: proinde etiam si venditio domus corruat, vel quia vendi non poterat à tali persona, vel ob aliam causam: firma remanebit venditio equi; nullam enim inter se connexionem habent, sed solum per accidens, & merè concomitanter se comparabãt, quatenus simul vendebãtur. Regula autem agnoscendi, quando vnum se habeat accessoriè ad aliud, quando vero minimè, traditur à iuris peritis, & non pertinet ad nos eam in praesentia examinare; videri potest *Sanches* multa de regula ista expendens *lib. 7. in Summa cap. 1.* Redeuntes autem ad rem nostram dicimus, inter priuilegia indulgentiarum, & multa alia, quae continentur in Bulla, vt de se patet, nullã esse connexionem, & concomitanter se habere; proinde, quãuis priuilegium indulgentiarum respectu excommunicati, saltem durante contumacia, suspendatur; nihilominus multa alia poterunt prodesse eisdem excommunicatis.

65 *Obiectio probans excõmunicatos frui Bulla.* Obijcies tertio. Bulla vim habet tollendi excommunicationem, qua ablata excommunicatus frui poterit omnibus eiusdem Bullae priuilegijs; ergo falsum est Bullam non prodesse excommunicatis secundum omnia priuilegia, quae continet.

66 *Soluitur, & explicatur cõclusio quo ad excommunicatos pertinacer.* Respondeo nos loquutos fuisse de excommunicatis in sua pertinacia manentibus, aut saltem perseuerante statu excõmunicationis absque contumacia ipsius excommunicati, quatenus per ipsum non stat, quin absoluatur, & ideo diximus frui non posse omnibus priuilegijs Bullae; at si accipiat Bullam, vt ab excommunicatione liberetur, tunc nulla est difficultas vti posse Bulla ipsa, quo ad omnes gratias, vt rectè probat argumentum.

SECTIO IV.

An Peccatores participare valeant huius Diplomatis indultis.

Duplex peccatoris genus considerare possumus: primò eos, qui sunt in statu pecati mortalis, vt sic: secundò quatenus peccarunt ex mala huius Bullae cõfidentia: & de vtroque genere erit sermo. 67 *Duplex peccatorum genus*

Dico igitur. Ad validam huius Bullae acceptationem, & vtilem vsum, exceptis indulgentijs, non requiritur status gratiae. est communis opinio; *ita Sotus in 4. dist. 21. quaest. 2. a. 3. Nauar. de indulg. notab. 19. nu. 19. Henriquez in Summa lib. 7. cap. 9. nu. 6. Riccius in addit. ad 1. §. num. 22. Trullench. lib. 1. §. 1. dub. 8. num. 1.* Ratio autem desumitur ex natura priuilegij, quod non est incompossibile cum peccato mortali, nisi in dupplici casu; primo, quando in ipsomet priuilegio expressè postulatur, vt homo se ponat in statu gratiae, siuè per Sacramentum poenitentiae, siuè per actum perfectae contritionis, ad hoc, vt vtiliter priuilegio vtatur: secundo quando res, quae per priuilegium conceditur, ex se supponit hominem in gratia, vt sunt indulgentiae. praescindendo autem ab his casibus, non pugnat priuilegium cum peccato: ac proinde cum priuilegia nostrae Bullae, exceptis indulgentijs, non habeant connexionem cum gratia sanctificante; inde est, vt peccator validè, & vtiliter Bullam hanc accipiat, & ea vtatur. Dixi (exceptis indulgentijs.) Quia cũ indulgẽtiae versentur circa poenam illam, quae erat debita, non poterũt suum sortiri effectum, nisi supponãt peccatum remissum quoad culpam, vt suppono ex tract. de Indulgentijs. Posset autem aliquis dubitare, an quis manens in peccato, si praestet ea, quae in Bulla requiruntur ad lucrandas indulgentias, visitando V. G. altaria, si postea poeniteat, & recuperet gratiam iustificantem, indulgentia illa reuiuiscat? Solutio huius dubij habebitur, cum agemus infrà de indulgentijs, quae per hanc Bullam fidelium dantur. nunc vero dicimus Bullam minimè prodesse peccatori, manenti in statu peccati, quoad indulgentiam. 68 *Ad acceptionem Bullae nõ requiritur gratia sanctificãs* *Limitatio.* *Indulgentia non sortitur effectum nisi supponat peccatum remissum.* *Dubitatio an homo apponens opera requisita ad indulgẽtiam & manes in peccato an habeat effectum remisso peccato.* *Solutio remissiuè.*

F 2 lu-

lucrãdam, & hæc de prima parte quæsiti.

69 Dico secundo. Praua illa fiducia, qua illectus aliquis peccauit, nō impedit, quin ipse peccator gaudeat eiusdem Bullæ indultis cū restrictione mox explicanda; loquimur autem in hac Conclusione de confidentia, quæ se habet antecedenter, & non concomitanter ad peccatū, nempè de illa, quæ est causa primò, & per se mouens hominem ad peccatum, & quæ à quibusdam appellatur positiua; alia vero nūcupatur ab ipsis negatiua, quatenus nullum habet influxum in peccatum, & non mouet ad peccandum. Conclusio est contra plures, & præsertim contra *S. Anton. 1. par. tit. 10. cap. 33. Felinum serm. de Indulg. vers. 3. Couarr. 2. variar. resol cap. 2. num. 26. Cordub. in summ. quæst. 22.* & alios quos affert, *Ludouicus à Cruce in exposit. Bullæ disp. 1. cap. 1. dub. 5. num. 1.* attamen eam tuentur quamplures doctores. *Rodriquez in Bullam §. 9. nu. 97. Suarez. tom. 2. de Relig. lib. 6. cap. 13. nu. 6. loquens de priuilegijs commutandi vota, dispensandi, & absoluẽdi à reseruatis; Sanches in decal. tom. 2. lib. 4. cap. 54. nu. 18. Henriquez lib. 7. cap. 9. num. 6. Acosta in Bullam quæst. 33. Villal. in summa tom. 1. tract. 7. claus. 9. §. 2. nu. 19. Ludouicus à Cruce l. c. Trullench. lib. 1. §. 1. dub. 9. nu. 5. Diana par. 1. tract. 11. resol. 16.* & alij apud ipsos. Probatur autem conclusio, quia cum in Bulla Pontifex, concedens prædicta priuilegia nec distinguat, nec limitet, eodem modo sunt à nobis intelligenda, videlicet absque tali limitatione. Dixi conclusionem esse intelligendam cum restrictione; quia Bulla ponit limitationem in duobus tantum priuilegijs, & primo in indulgentia tempore mortis repentinæ, vt si quis spe huius indulgentiæ fuerit negligens ad fatenda sacramentaliter peccata temporibus ab Ecclesia statutis; in tali enim casu Pontifex non concedit indulgentiam: rursus est limitatio in compositione incertorum, quæ fieri nequit, si quis ex fiducia Bullæ bona illa surripuit: exceptis autem his duobus casibus in reliquis priuilegijs nulla reperitur limitatio; proinde secundum totam eorum amplitudinem sunt à nobis sumenda; nā si Pontifex voluisset cum restrictione priuilegia hæc cōcedere, apposuisset eamdē limitationem, quā posuit in illis duobus; & cum solùm in quibusdam expressit, & non in alijs, signum est in illis, & non in istis eam voluisse.

Peccans ex fiducia Bullæ gaudet eius priuilegijs, & limitatione.

Conclusio est cōtra aliquos

Non gaudet quibusdam indultis.

70 Sed pro sua sententia affert *Couarr.* non nulla iura canonica, & ciuilia, in quibus dicitur, quod sub spe, & fiducia veniæ peccans est magis puniendus; & qui sub eadem spe differt baptismum vsque in vitæ extremum, illud forsitan non recipiet. Iura autem sunt ista *Cap. quando de consecrat. dist. 4. Cap. Illud; de Cler. excom. ministr. & in iure ciuili l. prima §. Hæc autem actio ff. si quis testam.* ergo qui peccat sub spe recipiendi absolutionem vi Bullæ nō videtur posse tali priuilegio frui; quia vt sic esset magis puniendus, cum liberandus veniat.

Argumenta aduersariorū

71 Respondeo. Ex testibus citatis solum colligimus, quod peccans ex praua fiducia absolutionis, siue absolutio sit danda potestate ordinaria, siue delegata, esset dignus maiori pœna: at non colligimus inualidum esse vsum priuilegij ad absoluendum; proinde ad argumentum neganda est consequentia; in hoc enim argumento fit transitus à pœna, quam meretur delinquens, ad inualidum vsum alicuius priuilegij, seu facultatis: modus autem iste argumentandi nihil probat; sicuti si quis ex praua fiducia misericordiæ diuinæ, liberius peccet, fit indignus venia: attamē ex hoc non sequitur inualidè recipere Sacramentum pœnitentiæ, per quod Deus ex misericordia condonat culpam. Peccator est indignus paue quo vescitur, vt ex Augustino asserit Acosta; & tamen eo ipso, quod delinquit, non priuatur pane.

Solutio.

72 Solet etiam adduci pro sententia contraria *Textus in cap. Nulli: de sentent. excomm.* vbi scribentes probant priuilegium non prodesse, si subministrat materiam peccandi, aut reddit hominem audaciorem, & liberiorem ad delinquendum; nam qui priuilegio abutitur, eo priuatur.

Prosequuntur alia argumenta contraria ex iure.

37 Sed Textus ille nihil contra nos probat; cum solum statuat excommunicatum, per violentam manuum iniectionē contra clericum, esse vitandum etiam à priuilegiatis, nihil autem dicit de mala fiducia instigante ad peccandum.

Solutio.

74 Dices secūdo. In Bulla excipiuntur illi duo casus, nempè, quando quis spe indulgentiæ obtinendæ in articulo mortis, negligens fuit ad confessionem Sacramentalē, tempore ab Ecclesia præscripto; & qui furatur sub spe compositionis postea faciendæ: ergo à fortiori, qui labitur in peccata reseruata sub spe absolutionis per Bullam, non debet tali priuilegio gaudere, nam eadem est ratio de omnibus; quia ob solam similitudinem rationis, seu paritatem lex disponens de vno casu, extenditur ad alium similem, vt docet *Panorm. in cap. translato de constit. nu. 1.* & vult hoc etiam verificari in legibus pœnalibus, quā opinionē plures alij sequūtur, & possumus huius rei rationē reddere; nā licet Pontifex exprimat vnū tantū casum, id facit ad exēplū, in quo residet ratio dispositionis,

& ideo

& ideo in alijs ſimilibus caſibus, cum vigeat eadem ratio, cenſentur & ipſi comprehendi ſub lege illa diſpoſitiua, & caſus expreſſus ſolùm materialiter videtur ſe habere ad exemplificandum.

75 Reſpondeo negando conſequentiam, nõ enim eſt ſatis ſola ſimilitudo per æquiualentiam; niſi ſit identitas rationis ſpecificæ, hoc eſt, idem adæquatum motiuum, vel virtutis promouendæ, vel vitij vitandi ad hoc, vt lex, diſponens de vno caſu, extendatur ad alium ſimilem; ſi caſus iſte ſub verbis legis non contineatur. Sic docet *Euerardus in Topicis loco à ratione legis nu.40. Suarez lib.6.de legib.cap.3. nu.6.* & plures alij apud ipſum; videri poterit. *Suarez* multa exagitans ſuper hoc punctũ *cap.3. cit. & cap.4.* fundamentum autem, quo ducimur ad amplectendam hanc sẽtentiam præter auctoritatem eorum, qui eam defendunt, eſt, quia formalis ratio conſtitutiua legis eſt mens, & voluntas legiſlatoris; ſola autem paritas, ſeu ſimilitudo inter vnum & alium caſum non oſtẽdit vtrumque caſum comprehenſum fuiſſe ſub mente legiſlatoris; quia non oportet, vt intentio ferentis legem ſub illa lege comprehendat omnia ſimilia: poteſt enim legiſlator pœnam imponere, & obligare ſubditos in vno caſu, & nihil diſponere de alijs ſimilibus, vt multis exemplis probat *Suarez loco citato.* Applicando autem doctrinam hãc ad argumentum ſoluendum; aio in caſu noſtro non ſolum nõ eſſe identitatem, ſed neq; eſſe paritatẽ, ſeù ſimilitudinem rationis, & hoc eſt manifeſtum; quia ratio mouens ad excipiendos duos illos caſus eſt ſpecialis; nam in primo caſu, motiuum eſt vitare dilationem pœnitentiæ; in ſecundo autem caſu eſt vitare latrocinia. Hæc autem motiua non militant reſpectu reliquorum priuilegiorum, vt de ſe patet; igitur cum lex iſta diſponens, per prauam confidentiam Bullæ impediri vſum illorum duorũ priuilegiorum, nullam inueniat identitatẽ, aut paritatem rationis in ordine ad cætera priuilegia eiuſdem Bullæ: idcircò aio, diſpoſitionem ad alia nõ ſe extẽdere; & etiã ſi reperiret aliquam ſimilitudinem rationis, cum non ſit identitas, non erit ſufficiens ad extenſionem illam, vt diximus; Authores autem, qui in oppoſitum citantur ſunt explicandi de ſimilitudine fundata in identitate ſpecifica rationis. Cæterum cum hæc pertineant ad tractatum de legibus, ſatis ſint, quæ attulimus ad diluendum argumentum.

76 Dices Tertio. Qui propè Eccleſiam delinquit ſub ſpe immunitatis, priuatur priuilegio immunitatis, vt aſſerit *Couarruuias* argumẽtans à paritate, & qui matrimonium ſcienter contrahit cum conſanguinea in gradu prohibito, ſub fiducia obtinendi diſpenſationem, priuabitur ſpe diſpenſationis, vt determinat *Tridentinũ Seſ.24. cap.2.* ergo qui ſub ſpe gaudendi priuilegijs Bullæ peccat, eiſdem priuilegijs priuabitur.

Reſpondeo negando primam partem antecedentis; nam quamuis quis delinquat propè Eccleſiam ſub ſpe immunitatis, non priuabitur immunitate; & præſertim poſt conſtitutionem *Greg.14.* vt docet *Suarez tom.p.de relig lib.3. cap.x1.nu.9. & quamplures alij apud Dianam par.p.t: ac. de immunitate Eccleſiaſtica reſol.3. & par.6. tract.p. reſol.10.* Ad ſecundam autem antecedentis partem reſpondeo, id eſſe ſpecialiter cautum in Concilio; at in Bulla hoc non ſtatuitur, niſi in duobus illis caſibus, & ideo neganda eſt conſequentia. 77 *Diſparitas inter delinquentem ſub ſpe immunitatis & delinquentem ſub ſpe fruendi Bulla.*

Dices Quarto. Cum Priuilegium incipit eſſe pernicioſum ipſimet priuilegiario ſtatim euaneſcit; igitur cum quis ſpe fruẽdi gratijs Bullæ, liberiùs peccat, ipſummet priuilegium erit illi pernicioſum, & ideo euaneſcet: antecedens confirmari poterit ex iure Canonico *Cap. ſuggeſtum de Decimis, & Gloſ. ibi, §. Priuilegia*; docet priuilegium deperdi, ſi quis illo abutatur; tũc enim incipit eſſe pernicioſum. 78 *Priuilegium dum incipit eſſe priuilegiato pernicioſum euaneſcit.*

Reſpondeo cum diſtinctione antecedentis, priuilegium bifariam dici poſſe pernicioſum; primo ob aliquam circunſtantiam ipſiuſmet priuilegij, Secundo ex praua voluntate ipſius priuilegiarij, qui ipſo priuilegio abutitur: ſi primo modo incipit eſſe nociuum, tunc ceſſat; quia certum eſt in iure gratiam alicui conceſſam non poſſe in eius damnum retorqueri: quando ſecundo modo eſt nociuum, nego priuilegium ceſſare; nam ipſum, quãtum eſt ex ſe eſt fructuoſum, & ideò ſi priuilegiarius benè illo vtatur, erit vtile, & non nociuum, & ſi velit poterit rectè illo vti. 79 *Bifariam poterit priuilegium dici pernicioſum.*

SECTIO V.

An Bulla aliquomodo proficua eſſe poſſit vſu rationis carentibus.

Comprehendimus perſonas, quæ vſu rationis carent, pro vt ad præſentem materiam ſpectant, ſub triplici capite; vel enim ſunt infantes, vel adulti amentes, vel Phrenetici, & de his omnibus erit agendum. 80 *Vſu rationis carentes ſũt in triplici differentia.*

Dico primo. Infantes antè vſum rationis aliquo huius Bullæ priuilegio gaudent: nẽpe vt ſepeliri poſſint in loco ſacro, & cũ moderata pompa, tẽpore Interdicti localis. *Infantes aliquo Bullæ priuilegio gaudent.*

lis. Conclusio est communis, eamque docet *Rodriquez in addit. ad §. 5. num. 32. Henriquez in summa lib. 7. de indulg. capit. 20. num. 8. Ægidius Trullench. in Bullam lib. 1. §. 1. dub. 6. num. 1.* Ratio autem ea est, quam assignat *Henriquez l. c. in com lit. Q.* nempè, quia Bulla vniuersaliter loquitur absquè distinctione, seu limitatione ætatis: proinde cùm infantes isti sint Baptizati, vt supponimus, & per consequens fideles Christi habitualiter, & sint in locis, in quibus Bulla Cruciatæ vigorem habet, debet comprehendi sub hoc indulto, cuius ipsi sunt capaces. Dixi, (gaudere aliquo priuilegio,) ad denotandam negatiuam in ordine ad illa priuilegia, quorum ratione ætatis sunt incapaces, vt sunt priuilegia, quæ cōcernunt absolutionem à peccatis, & censuris, commutationem votorum, comestionem ciborum &c.

82 Posset tamen quis interrogare, an virtute huius Bullæ tempore Interdicti licitū sit administrare infantibus Sacramentum Eucharistiæ? nam, & si in Ecclesia Latina id sit prohibitum, etiam independenter ab interdicto: nihilominus in Ecclesia Græca id permissum est; proinde iure quærere possumus, an tempore interdicti id sit licitum?

83 *Tempore interdicti infantibus Græcis vi Cruciatæ poterit dari Eucharistia.*

Respondeo affirmatiuè. quia cum Bulla sumptionem Eucharistię concedat, debet id intelligi respectu illarū personarū, quibus si interdictum non esset, liceret sacram Eucharistiam sumere. Præter sepulturam sacram, & sumptionem corporis Domini, modo explicato; nullum aliud priuilegium in Bulla contentum prodesse potest pueris ante vsum rationis.

84 *Debet alius pro illis in loco priuilegiato Bullam sumere.*

Dico secundo. Ad hoc vt infantes gaudeant prædicto priuilegio, debet pro illis aliquis, manens in locis signatis, sumere hanc Bullam.

85 Sed vrgebis. Vt Bulla ab alio sumpta, prosit illi, cui applicatur, debet ab isto positiuè acceptari, (vt infra fusius explicabimus:) at talis acceptatio nequit fieri ab infantibus, cum careant vsu rationis: ergo nullo modo illis prodest.

86 *Henriquez reijcitur.*

Respondet *Henriquez in comm. lit. cit.* interpretatiuè acceptatā pueris: sed non placet, quia interpretatiuus actus, vel inuoluit vsum rationis, vel illum supponit, cum semper reperiatur implicitè inclusus in aliquo alio actu positiuo libero; & ideò in pueris antè vsum rationis nequit inueniri.

Refutatur Trullench.

At Trullench. lib. 1. §. 3. dub. x. loquendo de infantibus, ait, sufficere indigentiā ipsius Bullæ pro eo tempore, nempè pro tempore sepulturæ: at hoc non admitto; quia indigentia rei non est formalis acceptatio eiusdem rei; sed ad summum poterit esse motiuum ad acceptaudum. Igitur expeditiùs mihi videtur dicendum, sufficere pro infantibus voluntatem parētum, vel alterius, qui pro illis Bullā accipiat sicuti ad recipiendum Baptismū satis est fides parentum, seu illius, qui suscipit infantem à Fonte Baptismatis: quemadmodum enim credimus, à Deo acceptari fidem alienam, quando Baptizandus incapax est actus humani; ita piè possumus, & debemus nobis persuadere intentionē Pontificis Bullam concedentis esse, vt infantes gaudeant priuilegio prædicto, cuius capaces esse possunt. proinde sufficere voluntatem illius, qui pro illis Bullam sumit.

Sufficit voluntas eius, qui pro infantibus Bullam sumit.

Dico Tertio. Amentes, & Phrenetici, si antè amentiam, & Phrenesim Bullam sumpserint, vel pro illis alius acceperit, gaudent nonnullis priuilegijs huius Bullæ videlicet, vt tempore interdicti sepeliantur in loco sacro eodem modo, sicuti supra hoc ipsum dictum est de infantibus. Secundo vt eis detur Sacramentum Eucharistiæ, ac extremæ vnctionis tempore mortis. Tertio, vt absoluantur à censuris, si in illas incurrerint. Quarto, vt applicetur indulgentia, si nullum aliud impedimentum sit, præter interdictum. *ita Henriquez, & Trullench locis citatis.* Dixi, (si nullum aliud impedimentum,) &c. nam requiritur, vt tales Amentes, & Phrenetici piè vixerint; quia si præsumitur, mortuos in statu peccati mortalis, non debent prædicta Sacramēta illis administrari, sed solum absolui à censuris: si in vita recessērint à cōtumacia, & sepeliri in loco sacro. verum hoc nō proueniret ex defectu priuilegij, sed aliunde, nempè ex praua dispositione, in qua mortui sunt, per quam impedimentum habent recipiendi Sacramenta, vt declaratur in materia de censuris, & in præsentia à nobis supponitur. 87

Amentes, & Phrenetici possunt in quibusdam Bulla frui.

Difficultas tamen esse potest, an Bulla, vi cuius infans tempore interdicti sepelitur in loco sacro, satis sit, vt in ordine ad hunc effectum sumatur à parentibus, vel ab alio post eius mortem, an vero requiratur sumi durante vita eiusdem infantis? 88

Refertur prima sententia de sumptione Bullæ post mortem.

Fuit opinio, quam ponit *Henriquez ca. cit. in fine comment. lit. T. Z.* quæ asserit, Bullam viuorum sumi posse pro defuncto excommunicato, aut tempore interdicti, vt defunctus ille absoluatur à censura reseruata, & sepeliatur in loco sacro. quam sententiam *Trullench lib. 1. §. 3. dub. 10.* putauit, non esse improbabilem, & licet ipse sit in opposita, tamen conatur illam defendere, ponderando verba ipsius Bullæ, quæ inferius examinabimus. 89

Alia vero sententia negat, aitque ad hoc, vt infans tempore interdicti in loco sacro sepeliatur, oportere, vt antequam moriatur, alius pro illo capiat Bullam viuo- 90

Proponitur alia opinio.

viuorum, quæ dat priuilegium, vt poſt mortem defunctus ſepeliatur in loco ſacro, etiam tempore interdicti; & hāc opinionem tuetur *Riccius ſuper Bullam §. 1. n. 7. & ipſe Trullench, qui citat Rodriquez in addit. ad §. 5. nu. 32.* licet ipſe *Rodriquez* non examinet hoc punctum, ſed tantum dicat, quòd parentes pro ſuis filijs, etiam carentibus vſu rationis debent ſumere Bullam in hunc finem, vt ſi tempore interdicti moriantur, poſſit illis dari Eccleſiaſtica ſepultura: ex quibus verbis apertè colligitur pars affirmatiua: nēpè per Bullam viuorum infantes gaudere poſſe tali priuilegio; quia Bulla, quæ pro ipſis ſumi poteſt, dum viuunt, nequit eſſe Bulla defunctorum, ergo remanet, vt ſit Bulla communis viuorum: at ex eiſdem verbis non colligitur negatiua, quam nunc examinamus; videlicet virtute Bullæ, ſumptæ poſt mortem haberi non poſſe eumdē effectum. citat etiam *Trullench pro hac opinione Villalobos tract. 27. clauſ. 3. nu. 2.*

91 *Admittitur poſterior ſententia.* Dico quarto, hanc ſecundam ſententiam eſſe omnino amplectendam, videlicet pro defuncto ſepeliendo in loco ſacro non ſuffragari Bullam viuorum, ſi ſumatur poſt eius mortem. Probatur primo concluſio ex verbis ipſius Bullæ: poſtquā enim dictum fuit, gratias concedi omnibus, qui nec ibunt pugnaturi contra infideles, nec mittent, &c. ſubdit enumerando priuilegia, & inter alia, ſic habet. (*Itē mortuorum corpora (niſi fortè vinculo excommunicationis innodati deceſſerint) cum moderata funerali pompa ſepeliri:*) ex his autem poſtremis verbis, vt connexis cum præcedentibus colligimus intentum; nā corpora, quibus conceditur ſepultura Eccleſiaſtica debent eſſe eorū hominū, de quibus verificatur, aliquid ex bonis à Deo collatis in ſubſidium belli contuliſſe, vt patet ex ipſo cōtextu, ſed de mortuo hoc verificari nequit. nam & ſi viuentes pro fidelibus, qui ex hac vita migrarunt, pia opera per modum ſuffragij offerant: tamē numquam dicitur à mortuis talia opera offerri, ſed ſolum pro illis ab alijs offerri; & ſic oblatio, vt offerentes reſpicit tantū viuentes; licet eius fructus mortuis communicetur. cum igitur Bulla expreſsè cōcedat priuilegium ſepulturæ corpori illius qui elemoſynam obtulit, & erogauit, ipſam Bullam ſumendo; & talis nequeat eſſe, niſi viuens, conſequens eſt; vt dicamus, eos dumtaxat hoc priuilegio poſt mortē frui poſſe, qui dum viuebant eleemoſynā erogarunt Bullam hanc capientes.

92 *Argumentū contra concluſionem.* Sed contra hanc noſtram expoſitionē validum fieri poterit argumentum. ex ea enim ſequi videtur, infantes gaudere non poſſe hoc priuilegio; etiamſi eorum parētes, ſiuè alij pro ipſis infantibus adhùc viuentibus Bullam hanc acceperint. hoc autem videtur eſſe contra nos; probatur ſequela eodem argumento, quo ſupra vſi ſumus; vt enim dictum eſt ſepultura Eccleſiaſtica corpori illius conceditur, de quo verificatur aliquid obtuliſſe; ſed de infante non magis hoc verificari poteſt, quàm de mortuo; ergo vel de vtroque, vel de neutro verificabitur; atq; adeò, vel vterque, vel neuter priuilegio fruetur, cum par vtriuſque videatur ratio.

Reſpondeo negando antecedens; eſt enim manifeſta diſparitas inter infantem, & mortuum in ordine ad hunc effectum; licet enim ſi phyſicè rē ſpectemus, paritas currere videatur; tamen moraliter, ſeu ciuiliter non eſt ita; Nam infans viuens, & Baptizatus, cum actu ſit membrum Eccleſiæ militantis, & ſub directa iuriſdictione ſpirituali vnius communis capitis, nēpè Pontificis, talem cum reliquis membris eiuſdem corporis habet connexionē, & commmunicationem, vt alius nomine ipſius infantis, offerendo eleemoſynam, & Bullam ſumendo, faciat hæc omnia, veluti inſtrumentum ipſius infantis; & ideò verè dicatur, ſi moraliter, & ciuiliter rem conſideremus, ipſum infantem offerre eleemoſynam; Bullam ſumere &c. In hoc autem caſu locum habebit regula illa iuris in ſexto (*qui facit per alium eſt perinde ac ſi faciat per ſe ipſum;*) & quāuis regula iſta in multis fallat, & ideò debeat declarari apponendo aliquas conditiones; nihilominus in caſu noſtro eſt firma. Neque ad eludēdum argumentum regula retorqueri poteſt, eā applicando homini mortuo; pro quo, dum ſumitur Bulla videtur proinde eſſe, ac ipſe mortuus eam ſumat; non poteſt, inquam, regula retorqueri, quia ipſa ſupponit habilitatem extremorum, nempè illum, cuius nomine negotium geritur, eſſe capacem, vt ipſi tribui poſſit actio; idcircò ſufficit habilitas ciuilis, ſeù moralis, quidquid ſit de phyſica; ſicuti dum tutor, aut procurator emit V. G. prædium nomine pupilli, aut domini principalis; licèt phyſicè loquendo pupillus; aut dominus non emat; ciuiliter tamen dicitur emere, & dominium rei emptæ acquirere, quæ de homine mortuo numquam verificantur, cum ille careat, & phyſica, & ciuili habilitate: ſic in caſu noſtro, cum in mortuo nulla talis ſit capacitas, ſeu habilitas, quæ, de morali loquēdo, fundatur in illa connexione, & communicatione membrorū vnitorum ſub vno capite: inde eſt, vt diſpar ſit ratio de infante viuo, & de mortuo in ordine ad hunc effectum. 93 *Diluitur.*

Per

94 Per hanc expositionem, & rationem à nobis factam super verba Bullæ corruit solutio, quam excogitauit Trullench ad tuendam aliqualem probabilitatem sententiæ Henriquez; ait enim ipse, quod licet à Commissario verba, per quæ conceditur priuilegium sepulturæ Ecclesiasticæ in Bulla viuorum scribantur; nihilominus verba absolutè loquuntur, & videtur quasi nouum priuilegium concedere, distinctum ab alijs supra enumeratis in eadem Bulla. Et hoc confirmat ex verbis Bullæ latinæ, & Bullæ Hispanæ: sed nihil probat, quia nos non negamus, esse distinctum priuilegium à reliquis, sed dicimus cõcessum esse directè solis viuentibus pro tempore mortis; quod si *Trullench* per nouum priuilegium intelligat, vt sentire videtur, concedi sine relatione ad personas, de quibus antea Bulla dixerat, obtulisse ex bonis à Deo collatis aliquid in subsidium, &c. decipitur, vt patet consideranti seriem verborum.

SECTIO VI.

An Bulla viuorum prodesse possit defunctis, si pro illis à viuente sumatur.

95 QVæsitũ potest tripliciter sumi. Primo si aliquis det eleemosynam, & Bullam viuorum capiat pro aliquo defuncto tempore receptionis. Secundo si quis condens testamentum, vel alio modo relinquat hæredi onus sumendi Bullam pro ipso testatore ex bonis eisdem testatoris. Tertio si ante mortem quis actu Bullam pro se ipso capiat; secundum omnes tres modos præsens quæsitum procedere poterit.

96 *Bulla viuorũ pro defunctis nihil prodest.* Dicendum est primo, Bullam viuorũ, acceptam pro eo, qui tempore receptionis est iam mortuus, nihil illi prodesse. Conclusionem hanc non alia ratione confirmare possum, nisi ex tenore ipsius diplomatis, in quo habetur, Bullam istam esse vtilem ipsi viuenti, qui eam accipit; proinde si defunctus, pro quo sumitur, dũ viuebat illam non sumpsit, aut saltem aliquem influxum in Bullæ receptionem non habuit, certum est, Bullam istam ipsi post mortem nihil prodesse: Dixi (si aliquem influxum non habuit;) nam si habuit, poterit esse dubitatio, de qua in sequenti conclusione dicemus. Et confirmari totum hoc potest ex praxi, per quã habemus, numquam solere pro mortuis accipi Bullam viuorum, sed aliam, quæ pro ipsis defunctis pro indulgentia per modum suffragij est instituta.

97 Dicendum est secundo. Si quis relinquat stipem præscriptam in hunc finem, vt post ipsius mortẽ Bulla pro anima sua sumatur, putauit quidam doctus recentior, sumptionem hanc profuturam relinquenti stipem illam in ordine ad sepulturam Ecclesiasticam tempore interdicti, & pro sua sententia laudat *Rodriquez in expositione Bullæ defunctorũ dub. vltim.* sed *Rodriquez* expressè loquitur de Bulla mortuorum, & non de illa viuorum, vt patet legenti, probat autem *Neotericus*, iste hanc suam opinionem, quia, vt ipse inquit, homo iste reuera adhùc viuens Bullam sumpsit: nam eleemosyna realiter fuit ad hunc effectum relicta.

98 *Quãuis ante mortem stipẽ pro Bulla in mẽdo relique rit.* Sed oppositum censeo esse dicendum, nempè si quis relinquat stipem, si dum viuens Bullam actu non sumpsit, non posse post mortem ei Bullam prodesse, etiam in ordine ad sepulturam. Ducor ad hanc opinionem tuendam; quia ex vna parte, vt suo loco ostendemus, numquam Bulla incipit esse vtilis, nisi realiter, & cum effectu sumatur; ex alia vero parte intentio capiendi illam, & destinatio eleemosynæ, non est formaliter acceptio Bullæ, sed solum quædam veluti applicatio mediorũ ad illam capiẽdam: ergo nequit defuncto prodesse, quamuis dum erat viuens stipẽ legauerit, & per consequens aliquem influxum habuerit in sumptionem ipsam, quæ fit post mortem: probatur ista consequentia, quia eo momento, quo Bulla sumitur nõ inuenitur subiectũ habile, seu capax, inde est, vt inutiliter pro ipso defuncto sumatur.

99 *Accipienti Bullam dum viuebat prodest post eius mortẽ quoad aliquid.* Dicendum est tertio. Dum quis in humanis degens Bullam accipit, certum est illi prodesse post mortem, ita vt eius virtute tempore interdicti, sepeliri valeat in loco sacro. Conclusio ista sufficienter probatur ex ijs, quæ diximus in præcedenti sectione. At pro indulgentia Bulla ista viuorum non prodest mortuis; pro quibus alia est concessa, vt declarabimus in vltima parte huius operis; reliqua vero priuilegia, quæ in Bulla pro viuis continentur, non iuuant pro anima defuncti; quia non est illorum capax, vt patet consideranti singula.

CAPVT V.

De Bulla Cruciata quoad Regulares.

1 HActenus loquuti sumus de cõditionibus, seu qualitatibus, quæ poterant esse vtiles, & necessariæ ex parte personarum ad hoc, vt ad personas ipsas Bulla extẽderetur, & pariter de qualitatibus hanc extensionem impedientibus, non descendendo ad statum earundem personarum; nunc vero aggredimur peculiarem

rem difficultatem, quæ hac tempestate suborta fuit, examinantes an priuilegium Cruciatæ locum habere possit in Regularibus. & quia ad plenam huius rei notitiā plura se offerunt exagitanda, idcirco controuersia in varias *Sectiones* est distinguenda, & primo loco proponimus agendum de priuilegio circa electionem Confessarij, & absolutionem à reseruatis, &c. de quo est maior difficultas, acturi postea de reliquis.

SECTIO I.

Varia referuntur sententia, earumque fundamenta circa electionem Confessarij.

2 *Refertur opinio, quæ sine limitatione affirmat.*

PRima opinio potest esse eorum, qui absolutè, & sine vlla distinctione, & limitatione loquentes, inquiunt, Regularem virtute huius Bullæ posse confessorem approbatum sine licentia sui Prælati, immò ipso inuito; & ab eodem à reseruatis absolui; & hanc sententiam *Suarez tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 16, nu. 2.* quibusdam tribuit suppresso nomine; eam indistinctè tenet *Alphonsus Perez de Lara lib. trium gratiarum fol. 27.* & probabilem existimat *Ioannes de la Cruz de statu relig. lib. p. cap. 6. dub. 12. Sancius in Selectis disp. 44. num. 10. 13. Ioannes Valerus de differ. vtriusque fori diff. p. concl. 5. & diff. 5. nu. 2. & apud Trullench lib. p. §. 7. cap. p. dub. 9. nu. 9. Sotus in 4. dist. 18. quæst. 4. à 3. ad primum. Lopez de clauib. cap. 8. §. propterea hoc* Attamen *Trullench* malè pro hac sententia citat *nostrum Henriquez in Summa lib. 7. cap. 22. nu. 4.* quasi docentem priuilegia huic Bullæ contraria, quibus gaudent Mēdicantes, per Bullam ipsam esse reuocata, & ideò posse ab ipsis Mendicantibus eligi confessarium, etiam sæcularem, à quo à reseruatas remittantur, absque suorum Prælatorum licentia; malè, inquam, citatur *Henriquez*, qui expressè ibidem initio illius numeri asserit apud quosdam Ordines Mendic. permissu Prælatorum cum sapientum ordinis consilio, id factum esse & sic cum licentia saltem tacita Prælatorum; non autem docet *Henriquez* id factum esse absque Prælatorum licentia, vt testatur *Trullench*, immò *in Com. lit. x.* apertè ait, id fieri ex consuetudine per Superiores tolerata, quæ licentiæ expressæ æquiualere poterit. Et demum *apud Ioānem Delugo de pœnit. disp. 20. sect. 9. nu. 152. Seraphinus de Freitas in quodam Memoriali de hac re, & plures alij*: fundamentum præcipuum desumunt ex ipsamet Bulla, quæ vniuersaliter dicit concedi omnibus Christi fidelibus, sub quibus, & maximè in fauorabilibus comprehenduntur Regulares; ac proinde cum omnia priuilegia Regularibus concessa virtute ipsius abrogentur tamquam contraria, consequens est, vt dicamus posse ipsos Regulares priuilegio Bullæ in ordine ad prædictum effectum vti.

Henriquez malè citatur à Lopez.

Fundamentū prædicta opinionis exponitur, & confirmatur.

Franc. Bard. in Bull; Cruc.

Neque dicas, in ipsamet Bulla à Commissario excipi priuilegia Mēdicantium, dum inquit, se derogare omnibus priuilegijs, & facultatibus; quæ concessa sunt Superioribus Mendicantium in ordine ad suos fratres; Nam loquitur de priuilegijs indulgentiarum, & non de illis, quæ prohibent electionem confessarij pro reseruatis, quia ista nō dicuntur facultates, aut gratiæ cōcessæ Superioribus, in ordine ad fratres, cum respectu illorū non debeant appellari fauores, in quantum eisdem adimunt potestatem eligendi confessarium, ideò potius respectu eorumdem odia sūt dicenda, quam fauores. His, & similibus argumentis conantur prædicti authores hanc sententiam suadere. 3

4 *Opinio affirmatiua, quæ limitatè procedit.*

Secunda autem opinio modificat præcedentem diuersas adhibendo limitationes. Nam *Rodriquez*, & apud ipsum *Doctores Salmāticenses in summa tom. 3. cap. 7. n. 2.* volūt, Religiosos vi Bullæ eligere posse confessarium in ordine ad peccata non reseruata tantum, idque probat ex Clementis VIII. constitutione, in qua cum Religiosis prohibetur vsus Cruciatæ, sermo est solum de reseruatis: quod colligit idem author ex proœmio eiusdem constitutionis; proinde conuenit cum prima sententia, in quantum ad non reseruata, & recedit ab illa, quoad peccata reseruata ob constitutionem Clementis. At *Villalobos in summa tom. p. trac. 23. clausula. 9 §. 2. nu. 12.* diuersam adhibet restrictionem; nam concedit facultatem ad eligendum confessarium, etiam in ordine ad reseruata, dummodo Confessarius electus sit ex deputatis, & approbatis à proprio Prælato Regulari ipsius eligentis: & citat quosdam alios. Probant autem hanc facultatem cum prædicta limitatione, ex eò quòd constitutio Clemētis prohibet electionem fieri de confessarijs extra propriā Religionem; at si hoc, quod Villalobos docet, esset verum; facultas subditorum per Bullam, etiam posita constitutione Clementis non coarctaretur ad eligendos confessarios deputatos, sed extenderetur ad quamlibet infra eandem Religionem approbatum ab Ordinario. Hanc secundam sententiam, cum prædictis limitationibus probabilem, & in praxi tutam putauit *Pater Diana par. 1. resol. mo*

G ral.

ral. tract. 11. *resol.* 14. *in fine*; licet ipse vt probabiliorem negatiuam, mox referendam, amplectatur, *& in addit. post tertiam partem resol.* 9. dicat non esse probabilem, nec in praxi tutam sententiam, quæ asserit posse Regulares per Bullam eligere Confessarios extra ordinem; & hoc, stante constitutione Vrb. VIII. & ideò in fine illius resolutionis, ait ita esse dicendum, saltem dum viuit Vrb. VIII.

5 *Proponitur sententia absolutè, & vniuersaliter negans.*

Tertia denique opinio absolutè negat posse à Regularibus fieri talem electionē virtute Bullæ, sine consensu proprij Prælati, & præter authores antiquos ex recētioribus est *Suarez capite superiùs cit: num. 3. Acosta in Bullam quæst.* 107. *Reginaldus in praxi tom. 1. lib. 8. cap. 3. sect. 3. nu. 37. Coriolanus de casibus reseruatis par. 1. sect. 3. art. 14. Portel. in dub. regul. ver. Bulla Cruc, num. 1. & nouissime in respons. moral. tom. 2. cas. 3. Ioannes Delugo loco cit.* & alij.

6 *Fundamentum secundæ opinionis.*

Præcipuum, & firmum fundamentum huius vltimæ opinionis in quamplurimis Pontificijs constitutionibus consistit, per quas omnino Regularibus interdicitur eligere confessarium virtute Cruciatæ, & ab eodem beneficiū absolutionis à reseruatis obtinere: & pariter sectatores huius sententiæ sustinent, nullo pacto derogari his constitutionibus per subsequentes Bullas, quæ promulgautur. Præter hanc rationem fundamentalem sunt nonnullæ aliæ, quibus ijdem authores suadent hanc sententiam, quas infra afferemus.

7 Hæ sunt opiniones, quæ circa hanc materiam inuenire potui, superest, vt quid sit iuxta rei veritatē sentiendū, in mediū adducamus.

SECTIO II.

Statuitur vera sententia, eiusq; fundamenta expenduntur.

8 Circa hanc materiam, cum plura, & valdè necessaria sint à nobis aperienda, quorum aliqua certa, aliqua minùs certa, aut tantum probabilia censeri debeant; idcirco vt horum omniū doctrina distinctiùs clariùsque procedat, diuersos constituimus paragraphos, præmittendo priùs conclusionem.

9 *Deciditur controuersia.*

Dicendum igitur est, veram, ac certam esse sententiam, non posse .s. Religiosos absque licentia proprij Prælati vti Bulla Cruciatæ ad eligendum Confessarium, & ab eo absolutionē à reseruatis habere; atq; adeo oppositam sententiam primo loco relatam, esse improbabilem, & ad minus falsam. Hæc autem Conclusio efficacissimis innititur fundamentis, quæ nunc examinabimus.

§. I.

Primum, & potissimum fundamentum desumitur, ex Apostolicis Constitutionibus.

Qvamplures diuersorum Pontificum constitutiones, & declarationes adducere possemus, per quas interdixerunt vsum Cruciatæ Regularibus. 10 *Declarationes Pōtif. circa absolutionem à reseruatis relatæ à Rod.* Eas autē omnes refert *Rodriquez in quæst. regul. tom. 2. quæst. 62. art. 4.* & alij, sed eas omitto, quia loquuntur de quibusdam Regularibus in particulari; & non sunt vniuersales, neque sunt ita amplæ, vt sunt illæ, quas ponderare intendimus.

Se offerunt igitur Breuia *Clem. VIII. & Vrb. VIII.* & quia hoc postremum est confirmatio, & approbatio prioris, illudq; innouat, & ampliat; ideò per extensum est à nobis ponendum: sic enim habet. 11

VRBANVS PAPA VIII. ad perpetuam rei memoriam.

IN specula Militantis Ecclesiæ, nullo licet meritorum suffragio diuina dispensatione constituti, & attentè considerantes sacros Regularium ordines, tātas Ecclesiæ Dei, omni tempore, vtilitates attulisse, vt ad eas considerandas, & instaurandas Romani Pontifices prædecessores nostri magnam iure optimo diligētiam semper adhibuerint dignū, quin potius debitum reputamus, vt eorumdē Pontificum vestigijs inhærentes ad eas pastoralis vigilantiæ partes iugiter intendamus, vt in iisdem Ordinibus regularis obseruantia sarta tecta conseruetur, & si quæ illi obesse dignoscuntur, opportunæ constitutionis ministerio salubriter remoueantur. 12 *Refertur per extensum Bulla Vrb. VIII.* *Alias si quidem fel. recordationis Clementi Papæ VIII. prædecessori nostro, per procuratorem Generalem Fratrum de Monte Carmelo nuncupato exposito, quod cum in Bulla S. Cruciatæ, & alijs priuilegijs ab Apostolica Sede concedi solitis, detur facultas eligendi Confessarium idoneum ab ordinario approbatum, qui possit Christi fideles absoluere à casibus Ordinario, & Sedi Apostolicæ reseruatis, Religiosi prædicti ordinis, seu eorum nōnulli, etiam prædictis facultatibus vti præsumebant in detrimentum eorum regularis disciplinæ.* *Finis huius constitutionis est conseruatio regularis obseruantiæ.*

Quare idem Clemens prædecessor sua perpetuò valitura constitutione declarauit facultatem, & concessionem Sanctæ Cruciatæ, & aliorum indultorum prædictorum, quantum ad prædictum articulum eligendi Confessariū, & absoluendi à casibus reseruatis nō habe- 13 *Sit mentio de simili Bulla edita à Clem. VIII.*

habere locũ cũ Fratribus, & Sororibus Monialibus quorumcumque Ordinum, & Congregationum cuiusuis instituti Mendicantium, & non Medicantium, tam in Prouincia Hispaniæ, quam extra eam vbilibet constitutis, neque eis suffragari, sed eiusdem Clementis prędecessoris intẽtionis fuisse, quod ijdem Fratres, & Moniales quantum ad Sacramentum pœnitentiæ, seu Confessionis administrationem dispositioni suorum Prælatorum subiecti essene, prout in dictis Clemẽtis prædecessoris in simili forma Breuis, desuper sub die 23. Nouembris anno 1599. Pontificatus sui anno octauo. expeditis litteris, quarum tenores pro expressis haberi volumus pleniùs continetur.

Sensus Pontificis circa facultatem eligendi confessariũ vi Cruciatæ.

14 *Nihilominus quod, sicut nobis, nõ sine animi nostri molestia, innotuit, nonnulli Ordinis Fratrum Prædicatorũ Professores, prætextu Bullæ eiusdem Sanctæ Cruciatæ, ac dictorũ indultorum, Cõfessarium huiusmodi, qui eos, vt præfertur, absoluat, eligere posse prætendant, & forsan eligant etiã ad præsens, post q̃ litteræ nostræ sub die 14. Iunij anno 1624. Pontificatus nostri anno primo, super facultate eisdem Regularibus Cõfessariũ ad effectum huiusmodi eligendi ad quinquennium tunc proximum concessa emanata pridem ab anno, & vltra expirauerunt, in maximum status, & regularis obseruantiæ praiudicium.*

Declarat Põtifex vellein commodis occurrere.

15 *Nos præmissis, quantum nobis ex alto cõceditur obuiare, ac felici tàm eorũdem Fratrum Prædicatorum, & Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Religiosorum, quàm omniũ, & quorumcumque aliorum cuiuslibet ordinis, Congregationis, Societatis, & instituti, etiam speciali mentione, & nota digni, vtriusque sexus, tàm Mendicantium, quàm non Mendicansium statui, atque directioni, & aliorum Christi fidelium saluti consulere volentes. Præfataque Clementis prædecessoris declarationi inhærentes, illamque tenore præsentium innouantes, ac quatenus opus sit, ampliantes; Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ plenitudinis potestate, concessionem Sanctæ Cruciatæ, quæ respectu facultatis huiusmodi etiam Laicis, & Clericis Secularibus cuiuscumque status, gradus, & qualitatis, & conditionis etiam speciali nota dignæ, quoad casus reseruatos, etiam in Bulla Cœna Domini (hæresi excepta) consentos, non nisi in foro conscientiæ, non autem in foro externo suffragatur, aliorumque indultorum huiusmodi, quantum ad prędictũ articulum eligendi Confessarium, & absoluendi prædictis à casibus reseruatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, eum Fratribus, & Monialibus prædictis Fratrum Prædicatorum, & aliorum quorumcumq; Ordinum, & Cõgregationum Societatisque & instituti prædictorum Mendicantium, & non Mendicantium, tàm Prouinciæ Hispaniæ, quam extra eam vbilibet constitutorum, locum minimè habuisse, neque habere, neque illis vllo modo suffragari potuisse neq; posse, excepto dumtaxat illo quinquennio, quo litteræ nostræ huiusmodi, vt præfertur, durauerunt Si quidẽ die 14. Mensis Iunij 1629. proximè præteritis, iam expirauerunt. Sed nostri intentionis fuisse, & esse, quod ijdem fratres, & Moniales, quantùm ad Sacramentum pœnitentiæ, seu Confessionis administratione, ordinariæ dispositioni suorũ Prælatorũ, & Sedi Apostolicæ, quoad sibi reseruata subiecti sint, ea; ũdẽ tenore præsentiũ perpetuò declaramus.*

Declarat motu proprio nullum Regularẽ includi in priuilegio Cruciatæ quo ad effectum eligendi Confessariummcos.

Apponuntur clausulæ præseruatiuæ

Decernentes præsentes nostras litteras de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intẽtionis nostrę, aut alio quocũq; defectu, à quoquam impugnari non posse. Sicq; & non aliter, in omnibus, & singulis premissis per quascunque Iudices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores, ac Sanctę Romanę Ecclesiæ Cardinales, etiã de latere legatos, Vicelegatos ac Sedis Apostolicę Nũtios, ac Cruciatæ Cõmissarios, & quosuis alios quauis auctoritate fũgẽtes, sublata eis, & eorũ cuilibet quauis aliter, iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, interpretari, & iudicari deberi, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Ita iudicari mandat.

Non obstantibus præmissis, ac omnibus, & singulis illis, quę in prędictis Clemẽtis prędecessoris litteris cõcessa sunt nõ obstare, cęterisque contrarijs quibuscunque. Quibus omnibus, & singulis illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs, quibuscumque.

Derogatio omnium contrariorum.

Vt autem præsentium tenor omnibus innotescat, volumus eas in valuis Basilicę Principis Apostolorum, & in acie Campi Flore de Vrbe, vt moris est, publicari ipsasque sic publicatas omnes, & singulos vbique existentes ita afficere, ac si omnibus personaliter intimatę essent. Quodque præsentium transumptis, etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personę in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus vbique fides adhibeatur, quę præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensę. Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem, sub anulo piscatoris die 19. Iunij 1630. Pontificatus nostri anno Septimo.

Mandat has litteras Basilicæ publicari in Vrbe, & omnes, & singulos afficere

Iubet fidem dari Transumptis.

Ponderãtur alquã notabilia in hac Vrbani constitutione.

16 In hac Vrbani constitutione nonnulla sunt ponderanda, vt nostræ sententiæ veritas, & argumenti efficacitas, quo illam probabimus; omnibus meliùs innotescat.

17 Primo enim Vrbanus refert constitutionem Clemẽtis, præmisso proœmio, & inci-

incipit ab illis verbis (*Alias felicis recordationis.*) &c.

Secundo, ponit finē, quo Clemens ductus fuit ad constitutionem illam faciendam; ibi (*Religiosi prædicti ordinis*) &c. finis autem fuit vitare detrimentum regularis obseruantiæ, quod vt experientia demonstrat, eueniebat:, dum nonnulli Religiosi vti præsumebant facultate Cruciatæ in ordine ad electionem Cōfessarij. In his autem verbis se offert cōsiderandū verbū illud, quo vtitur Pontifex (*Præsume bāt*) p quod voluit ostēdere absq; ratione, & fundamēto à Religiosis illis virtute Cruciatæ electū fuisse confessariū pro reseruatis; atque adeò ex defectu iurisdictionis in Confessario electo, confessiones fuisse irritas, & nullas; nunquam enim dicimur præsumere, si exerceamus aliquid, ad quod veram, & realem habemus potestatem V.G. si quis vtitur priuilegio, sibi cōcesso, non dicitur, præsumptuosè se gerere in talis priuilegij vsu. Igitur dum Pontifex, inquit, Religiosos illos præsumpsisse vtendo Cruciata, quo ad illum effectum: necessariò infertur, ad talem vsum caruisse facultate.

19 Tertio, ipse Vrbanus declarat sui animi molestiam, prouenientem ex notitia prædicti vsus: sic ibi (*Nihilominus cum sicuti, &c.*) & ait, nōnullos regulares prætendisse, prætextu Bullæ, posse Confessarium eligere, qui ipsos à reseruatis absoluat. In his est notandum verbum illud, quod vsurpat Pōtifex, scilicet (*Prætextu*) quod enim fit ex prætextu alicuius facultatis, seu priuilegij, non fundatur in vera, & reali potestate, sed in apparenti, & falsa; non enim dicere solemus, aliquid fieri ex prætextu facultatis, si facultas illa sit vera, & realis; modus enim iste loqnendi indicat facultatem, cuius prætextu exercetur actio, esse falsam, & apparentem; proinde si Vrbanus censuisset Cruciatam, quo ad prædictum effectum, locum habuisse in regularibus, non dixisset, prætextu Cruciatæ à religiosis id factum fuisse.

20 Quarto, in illis verbis (*Nos præmissis, quantū nobis ex alto cōceditur, &c.*) statuere incipit Pontifex ea, quæ in hac re expediebant; & ideo motu proprio, ex certa scientia, ac de Apostolicæ plenitudinis potestate innouat, confirmat, & quantum opus est, ampliat declarationem Clementis. Illa autem tria, nempe, Motu proprio &c. maximum præstant robur dispositioni, cui adduntur, vt ex communi Doctorū cōsensu aduertit *Portellius in Responsi. moral. tom. 2. cap. 3. nu. 8.* si vna ex illis clausulis seorsim accepta, priuilegium firmat, quanto magis eundem effectum facient, si omnes illæ tres coniunctim apponantur. Postea vero Pontifex procedit declarando ibi (*Concessionem, &c.*) & ait (*Concessionem Sanctæ Cruciatæ, quo ad prædictum articulum eligendi Confessarium, & absoluendi à reseruatis locum non habere, neque habuisse cum Fratribus, & Monialibus quorumcumq; ordinum, Congregationis, Societatis, & instituti prædictorum Mendicantium, & non Mēdicantium, tàm in Prouincia Hispaniæ, quàm extra eam, vbilibet constitutorum; neq; illis suffragari potuisse, neq; posse: sed nostræ intentionis esse, vt iidem Fratres, & Moniales, quantum ad Sacramentum pænitentiæ, seu confessionis administrationem, ordinariæ dispositioni suorum Prælatorum, & Sedi Apostolicæ, quoad sibi reseruata subiecti sint.*) In his autē verbis continentur aliqua, quæ clariùs demonstrant nostrum intentum; dum enim Pontifex declarat Cruciatam in Regularibus quoad electionem Confessarij, &c. non habere, neque habuisse locūm, nequè illis suffragari potuisse, nequè posse; vtitur verbo non solum præsentis, sed & præteriti temporis, & ideo per necessariā sequelam declarat, Confessiones virtute Cruciatæ fuisse irritas, & inualidas, ex defectu potestatis in confessario absoluente à reseruatis. Si autem constitutio illa fuisset reuocata, & vigorem amisisset, non potuisset Vrbanus affirmare, illam non habuisse locum in Regularibus; hæc enim duo sunt inseparabilia, & vnum necessariò trahit alterum; videlicet, Cruciatam non habuisse locum in religiosis, & non fuisse reuocatam constitutionem Clemētis; idcirco Pontifex vnum declarando censetur, & aliud declarare;

Quinto denique, ab illis verbis (*Sicque, & non aliter in omnibus, & singulis, &c.*) 21
decernit, quæ in hac sua constitutione statuta, & declarata sunt, à nemine impugnari posse; & ideo aufert potestatē interpretandi oppositum à quacunque persona, & etiam à Commissario ipsius Cruciatæ, & omnia contraria præmissis declarat esse irrita, & nulla.

Ad hæc omnia solent communiter aduersarij respondere: esto viuente Pontifice, qui constitutionem hanc edidit, Bullam suffragari non posse Regularibus; tamen eo mortuo per Bullas subsequentes concessas à successoribus reuocari hanc; & similes constitutiones virtute clausularum, quæ in ipsa Bulla inuoluuntur: & consequenter potuerunt Regulares sumere Bullam, etiam pro electione Confessarij, & absolutione à reseruatis. 22 *Communis aduersariorū responsio.*

Hæc responsio est aduersariorū Achilles; sed eius falsitatem sequenti argumento sic ostendo. Regulares numquam fuerunt 23 *Ostenditur prædictæ responsionis falsitas*

runt inclusi in Bulla Cruciatæ, quoad priuilegium eligendi Confessarium, & absoluendi à reseruatis, saltem independenter à dispositione suorum Superiorum: ergo per Cruciatas sequentes post mortem Clem. & Vrb. non derogantur, neq; reuocantur constitutiones illæ, & consequenter non possunt Regulares ad prædictum effectum vti ipsa Cruciata. Consequentia est certa: quia si decreta illorum Pontificum non sunt reuocata; manentquæ in suo vigore, euidens est per Bullas posteriores non posse Regulares eligere confessarium, quantum ad illum articulum &c. Tota autem difficultas in antecedenti residet, quod sic probatur.

24 *Declaratio Pontificis circa electionem Confessarij vi Bullæ, quo ad Regulares procedit ex plenitudine potestatis.*

Pontifex de plenitudine Apostolicæ potestatis, & non vt priuatus Doctor, sed vt Summus Pastor certa scientia, & motu proprio declarauit, declaratione perpetuò duratura, Bullam Cruciatæ non habuisse locum, neque habere in Religiosis, quo ad illum articulum eligendi Confessarium pro reseruatis; ergo numquam Religiosi in dicto priuilegio comprehensi fuerunt: idem enim in præsentia importat, Cruciatam non habuisse, neque habere locum in Regularibus, & Regulares non fuisse inclusos, neque includi in ipsa Cruciata; per illa enim verba, *non habere locum*, significatur, non inclusio in ipsa Cruciata. Ex hoc autem infero à Pōtifice ita declarante, implicitè etiam declaratam fuisse Generalitatem illam subiectorū, quibus hoc priuilegium conceditur, fuisse insufficientem ad comprehendendos Religiosos: si enim fuisset sufficiēs Vrbanus non rectè dixisset Bullam non habere locum, non suffragari Regularibus &c. Igitur cum vniuersalitas ista subiectorum in sequentibus Bullis sit prorsus eadem cum illa, quam Clemens, & Vrbanus insufficientem declararunt, infertur vtrāque esse insufficientem. Quod sit eadem, patet; quia Pontifices, qui Clementi successerunt, quorum Bulla nunc sub Innocentio Decimo promulgatur, sub eodem tenore, & sub eisdem omnino clausulis illam concedunt: quapropter nisi addantur verba, per quæ indicetur voluntatem Pontificis esse includere Regulares non obstante contraria declaratione Decreta, & Declarationes prædictæ semper in suo vigore manebunt; nam Decreta Summi Pontificis, si edita sunt, vt perpetuò vigeant, nisi reuocentur à successore, semper in eodē vi permanebunt. Igitur à primo ad vltimum aduersarij, vel coguntur sequi nostram sententiam; vel asserere declarationes illas Pontificias fuisse falsas; hoc autem nefas est viro Catholico affirmare; quia in his declarationibus, vt supra diximus, Pontifex, vt Pontifex, per publicum decretum declarauit verba ipsius Cruciatæ.

25 *Argumētum includens Regulares.*

Dices, ideò Generalitas illa à Papa insufficiens existimata fuit ad comprehendendos Regulares; quia Pontifex voluit per illas constitutiones hos excludere; & nō quia insufficiens ex se esset; atque adeò ipsa Generalitas solum videtur veluti impedita ad consequendum suum integrum effectum per volūtatem Pontificis; proinde succedente alio Pontifice, & non excludente Regulares, & si concedat Bullā cum eisdem clausulis derogatorijs; statim intelligitur auferre impedimentum illud extrinsecum, & Generalitatē se extendere ad omnia subiecta, etiam ad Regulares.

26 *Responsio eosdem excludēs*

Contra est; quia Generalitas ista non habet hanc insufficientiam à declaratione Pontificis; nam Pontifex ideò processit ad illam declarandam, quia illam tanquam obiectum supponebat. Cæterum inueniri in verbis Bullæ talem insufficientiā, non solum colligimus ex declaratione Pontificis, quæ nobis satis foret, sed etiā ex iure canonico *ex regula 81. de Reg. iur. in 6. & Cap. si Episcopus de pœnit. & remiss. in 6.* vbi habemus per generalem concessionem non venire ea, quæ quis in specie verisimiliter non esset concessurus, quo principio communiter vtuntur Doctores in multis casibus, & præsertim loquentes de Gratijs, & Priuilegijs. Hæc autem regula à Pōtifice approbata, est magni ponderis, fundaturque in ratione, & lumine naturæ: quia cum in aliquo particulari militare possit specialis ratio, quæ locum non habeat in reliquis, ideo ad illud particulare concedendum, requiritur maior consideratio, & vrgentior caussa: pono tritum exemplum; si enim Episcopus alicui Confessario dicat, se concedere suā potestatem, per hæc verba non censentur cōcessi casus ipsi Episcopo reseruati, vt rectè notat *Suarez de pœnit. disp. 30. sect. 1. num. 3.* & hoc fundat in regula ista iuris; maior autem consideratio, & prudentia exigitur per se loquendo ad absoluendum pœnitentem à reseruatis ob maiorem illorum grauitatem, quàm ad absoluendum à nō reseruatis.

Confirmatur Regulares nō includi ex iure canonico.

27 *Generalis cōcessio absoluēdi ab omnibus peccatis non extēditur ad reseruata.*

Idcircò ad reseruatorum cōcessionem nō sufficit generalis illa facultas; ita etiam in casu nostro, in quo est longè maior ratio ad id asserendum in illa vniuersalitate personarum, quibus Cruciata conceditur circa electionem confessarij, ne quentur includi Religiosi; quia ex tali concessione magna sequerentur inconuenientia, quorum maximum est illud, quod ponunt Summi Pontificis: nempè detrimentum regu-

regularis obseruantiæ; si enim quilibet Religiosus haberet liberam facultatem eligendi sibi quemcumquè confessarium, etiam extraneum pro absolutione à quibuscumque peccatis; & hoc non vna, aut altera vice, sed perpetuò, vel ad longum tempus: ex hac libera potestate grauissimum detrimentum contra religiosam disciplinam resultaret; nam Religiosi ob facilitatem obtinendi veniam à reseruatis, amitterent verecundiam Religiosam, eligendo quemcumque confessarium, etiam extraneum, & sæcularem; & sæpè laberētur in grauia peccata, & scandalosa, cum præiudicio tertij, videlicèt Religionis ob infamiam, quæ ex tali modo viuendi oriretur contra Religionem ipsam: Rursus læderetur grauiter potestas, & iurisdictio ordinaria Prælatorum Regularium, in quibus secundum iura residet facultas approbandi, & designandi confessarios pro suis subditis: at si subditi possent quotiescumque sibi id arrideret, eligere confessarium independenter à voluntate, & approbatione Superioris; corrueret potestas ordinaria in Superioribus; proinde ex his omnibus non est credendum, Pontifices voluisse tale priuilegium, (quod prudenter dari nō potest) concedere Religiosis, eosque includere sub illis verbis generalibus; & ideò cum hoc non sit verisimile; immò oppositum sit moraliter certum; locum habet regula iuris citata; nempè, sub *generali contenire*, non venire ea, quæ in specie quis non esset verisimiliter concessurus; verisimilitudo enim negationis concessionis in specie facit, vt verba generalia sint insufficientia ad se extēdendū ad illa particularia, in quibus est specialis ratio, quæ ratio si non esset, verba illa forent sufficientia ad hanc extensionem.

28 *Soluitur argumentum contrarium.* Ad instantiam autem contra nos, Respondeo falsum esse Generalitatem istam esse insufficientem ad comprehendendos Religiosos, quia Pontifices voluerunt illos excludere per has constitutiones, vt enim hactenus ostendimus, Generalitas ista habet insufficientiam à Iure, posita illa verisimilitudine negationis concessionis in specie, quæ in materia præsenti non est solum verisimilitudo, sed moralis certitudo; quia cum talis cōcessio non sit prudens, non remanet dubitatio aliqua, quòd Pontifices numquam voluerint Regularibus illam concedere; & dum eam rarò concedunt, vt in magnis Iubileis ob caussas grauissimas, pertinentes ad bonum cōmune, exprimunt in specie Regulares; & hoc quia sciunt sub vniuersali verborum concessione comprehendi non posse secundum iura Canonica, & tunc pro vna tantum vice facultatem illam concedunt. Præterea nego, Generalitatem istam, de qua est sermo, ad consequendum suum integrum effectum, esse impeditam à voluntate Pontificis, per prædictas constitutiones: sed aio esse impeditam ab ipso iure, vt explicatum est. Et addo, per prædictas constitutiones primò, & per se, seu directè nō fuisse exclusos Regulares, quasi prius fuissent inclusi, & postea exclusi à priuilegio Bullæ; sed primò, & per se fuisse declaratum numquam inclusos, & consequenter, & veluti indirectè exclusos.

Denique, quod attinet ad Pontificem successorem, à quo Bulla emanat cum clausulis derogatorijs, & à quo nō est editum Breue exclusiuum Regularium, seu declaratiuum; sicuti fuit Breue Clementis, & Vrbani: aio ex hoc non posse inferri impedimentum, quo Generalitas verborum in Cruciata intelligatur auferri; atq; adeò se extendere ad Regulares; quia manente illa verisimilitudine, quam diximus in casu nostro esse certitudinem moralē, semper à iure caussatur impedimentum; proindè etiamsi Pontifex succedens concedat Bullam, si eumdem tenorem seruet, & non apponat clausulam, per quā ostendat velle includere Regulares; numquam erunt comprehensi ob impedimentum Iuris, neque per clausulas illas derogatorias Bullæ sequentis intelliguntur Regulares comprehensi, si sunt illæ eædem, quæ erant prius; Et ratio est, quia declaratio Pontificis fuit vera; ac proinde necessariò infertur tale debuisse esse obiectum, qualis erat declaratio, aliter fuisset falsa. Igitur si Pontifex declarans censuit clausulas illas non fuisse sufficientes ad hoc, vt in illa vniuersalitate Religiosi, quantum ad prædictum effectum comprehenderentur in Bullis subsequentibus, si eædem sint clausulæ, remanebunt cum eadem insufficientia. Rursus addo, quod per clausulas istas Pontifex successor intendit fauorem præstare illis personis, quæ sunt inclusæ in priuilegio eiusdem Bullæ, & non alijs, vt de se est manifestum; proinde derogando omnibus contrarijs, derogatio contrariorum erit solum pro personis in facultate illa inclusis, & ideò concludo per Bullas concessas à Pontificibus successoribus, si seruetur eamdem formā, & aliquid de nouo non apponatur, per quod extendatur illa Generalitas; nunquām intelligentur comprehensi Regulares. Et confirmatur tali discursu. Post mortem Clementis vsque ad Vrbanum fuerunt tres alij Pontifices, nempè Leo XI. Paulus V. & Gregorius XV. a quibus non emanauit Breue aliquod vniuersale pro omnibus Religiosis, prohibens illis vsum

Per Bullas Cruciatæ sub sequentes non derogatur declarationi Vrbani.

Bul-

Bullæ, quoad illum effectum, aut declarans non esse comprehensos, seu Bullam non habere locum in illis; proinde iuxta aduersariorum opinionem post mortem Clementis toto illo tempore intermedio, vsque ad Vrbanum renocata fuisset constitutio Clementis per Bullas Cruciatæ, quæ concessæ fuerunt ab illis tribus Pontificibus; atquè adeò potuissent Religiosi illam sumere in ordine ad electionem Confessarij, & absolutionem à reseruatis; & tamen Vrbanus in sua Constitutione oppositum declarauit, videlicet Bullam post mortem Clementis non habuisse locum in Regularibus, quo ad illum articulum Confessarij; nequè illis suffragari potuisse; & non sine animi molestia sibi innotuisse: quod aliqui Religiosi prætextu Bullæ elegerint, & forsitan eodem etiam tempore eligebant Confessarium pro dicto effectu: igitur si post mortem Clemētis, Cruciatæ subsequentes non fuerunt sufficientes ad suffragandum Regularibus, quo ad articulum prædictum, nequè nunc post mortem Vrbani, nequè in posterum vim habebunt suffragandi Regularibus, dum sub eodem tenore, idest sub eadem forma verborum, sub eisdemque clausulis concedentur; est enim prorsus de præterito, & futuro, quo ad hoc, eadē omnino ratio, imò potiùs identitas rei, vt de se patet.

30 *Confirmatio conclusionis ex quadã reuocatione Pij IV.* Confirmatur secundo ex concessione Pij IV. per quam in Bulla Cruciatæ pro Lusitania voluit, vt Regulares etiam Mēdicantes facultatem haberent eligendi Confessarium, etiam inuitis proprijs Prælatis, & ab eodem à reseruatis absolui, hāc autem Concessionem abstulerūt Successores in Pontificatu: immo vt refert, *Ludouicus à Cruce in Bullam disp. 1. cap. 1. dub. 14. in fine.* Idem Pius IV. in sequentibus Bullis ab eo expeditis abstulit prædictam clausulam; & hoc ipsum confirmat *Portellius Tomo sæpè citato casu quinto nu. 10.* quod signum est habuisse intentionem non comprehendendi Religiosos; aliter nulla esset ratio, cur talis clausula tolleretur.

31 *Reijciunt responsio Trullench.* Neq; valet responsio *Aegidij Trullench lib. 1. Bullæ §. 7. cap. 1. dub. 9. nu. 24.* respondet enim, quamuis in Bullis præsentibus clausula illa non apponatur, tamen non apponitur contraria: sed Pontifex indifferenter concedit tale Priuilegium omnibus Christi fidelibus.

32 Sed contra ex isto præciso Capite præscindendo ab al ijs: si Pontifex omnino indifferenter se gessisset, neque auferendo clausulam, nequè apponendo cōtrariam, vtiq; responsio *Trullench* aliquam haberet probabilitatem ex vi præcisa huius capitis: at semel clausula illa apposita, eius ablatio manifestè indicat oppositum, nempè, noluisse Pontificem includere Regulares; & nulla alia excogitari poterit sufficiens ratio, prædictæ ablationis. Et id magis cōfirmāt apertæ Declarationes eorumdem Pontificū, qui abstulerunt clausulam illam. & minùs probat alia responsio eiusdem authoris, scilicet vbi lex non distinguit, nequè nos distinguere debemus. transeat hoc: at in casu nostro res non ita se habet; quia non lex, sed legislator ipse declarat intentionem suam, & quo pacto lex illa sit intelligenda; Declaratio autem legislatoris, & præsertim Sūmi Pontificis pro veritate est recipienda.

Secunda responsio, quam nonnulli excogitarunt ad soluendum nostrum principale argumentum, deducitur ex natura contractus onerosi; putant enim aliqui ex aduersarijs intra Regem Catholicum, & Papam interuenisse obligationem, per quam Rex se obligauerit soluere singulis, quibusque annis duodecim mille aureos, pro S. Petri fabrica Romæ, & Pontifex ex altera parte in gratiam eiusdem Regis, & in eius leuamen concedere Cruciatam, quæ licet sit priuilegium dependens à voluntate Pontificis: tamen nequit reuocari ex toto, aut ex parte per posteriores cōstitutiones, etiam si amplissimas inuoluāt derogationes, nisi de contractu ipso oneroso expressa fiat mētio, vel in indiuiduo, reuocando ipsum contractum, vel saltem per verba æquiualentia, abrogando quoscumq; contractus onerosos contrarios, etiamsi de illis fieri debeat mētio explicita, &c. At in constitutionibus prædictis non habemus clausulas derogantes contractui oneroso, ac proindè nihil detrahunt ex efficacia Bullæ, quin se extendat ad omnes Christi fideles, comprehendendo Regulares; aliter Rex Hispaniarū, si fieret exclusio Religiosorum, detrimentum pateretur, amittens illud lucrum, quod ex Bullis acceptis à Regularibus reportaret. Et confirmatur, quia ob hanc rationem tempore Iubilei vniuersalis in Anno Sancto Bulla Cruciatæ non censetur suspensa, vt communiter dicunt Doctores, & aiunt Bullam esse per modum contractus. 33 *Alia responsio contra nostram fundamentalē rationem.*

Respondeo hoc argumentum nullius prorsus ponderis esse; quamuis aliqui Neoterici illud magni faciant; eius verò infirmitas fiet manifesta ex nostris respōsionibus, quæ plures sunt. 34

Et primo, aio me non esse certum de tali contractu oneroso inter Regem Catholicum, & Summum Pontificem, & qui eum allegant deberent eum ostendere, vt videatur, sub qua forma initus fuerit; nam eo 35 *Non extat contractus onerosus inter Pontificem & Regem in concessione Bullæ.*

eo modo, quo proponitur, non videtur verisimilis, & certo existimo, sub forma contractus onerosi, hoc est cum pacto reciproco, & rigoroso numqnam celebratum fuisse; quia vt animaduertit *Portellius tom. 2. respons. moral. cas.* 4. oblatio illa pecuniæ, quam Rex fecit, vel fuit per modum eleemosynæ, vel ex pacto rigoroso, cuius intuitu Pontifex se obligauit concedere Cruciatam: si primũ eligatur, oportet consequenter dicere non esse contractum rigorosum; nam contractus rigorosus obligat contrahentes ex iustitia ad adimplendũ, quod promittitur, sed oblatio per modum eleemosynæ longè recedit ab onere iustitiæ: si vero dicatur secundum contractus ille inuolueret Simoniã contra ius naturale, & diuinum, quia Pontifex concederet indulgẽtias per Cruciatam obtinendas, & alia priuilegia quæ fundantur in iurisdictione Ecclesiastica, & quamdam includunt spiritualitatem, ob pecunias illas, ad quas Rex se obligaret, quod foret aperta Simonia, & nullo pacto est credendum hoc interuenisse inter tales personas, nempè inter summum Ecclesiæ Pastorem, & Regem Catholicũ.

36 *Ex parte Põtificis non est cõtractus onerosus etiam si demus esse ex parte Regis.*

Secundo. esto demus initio concessionis Cruciatæ initum fuisse contractum, quo Rex se obligauerit soluere pecuniam illam, tunc contractus non diceretur onerosus ex parte vtriusque, quia Pontifex liberaliter, & gratuito, absque vlla penitus obligatione motus fuit ad Cruciatam Regi Catholico concedendã; poterat enim illam absque vlla iniuria non concedere; proinde enim concedendo potuit imponere onus; videlicet solutionem tot pecuniarum ex redditibus Bullæ pro fabrica S. Petri, vel alterius operis pij per modum cuiusdam pensionis, quemadmodũ onus pensionis passim solet imponere, dũ varia Ecclesiastica concedit beneficia; & quia concessio ista est merè gratuita, non poterit Beneficiarius, cui onus imponitur, conqueri: ita à pari, quia concessio Cruciatæ est ex simplici fauore, non poterit rationabiliter Rex conqueri, si ex redditibus eiusdem Cruciatæ cogatur soluere partem aliquam applicandam arbitrio Pontificis.

37 *Admittitur responsio Cardinalis Delugo.*

Tertio placet etiã responsio *Cardinalis Delugo disp. 20. de pœnit. sect. 9. nu. 192. in 2. respon.* eam autem referam, & in eius confirmatione aliqua addam. licet enim prima concessio fuisset ex pacto oneroso, & ideo non potuerit, vel debuerit reuocari, vel limitari; tamen quia concessio ista numquam fuit perpetua, sed ad biennium, triennium, & nunc ad sexennium; quo peracto cum Pontifices iterum voluerunt Cruciatam concedere, potuissent pro suo beneplacito apponere quascumque limitationes idcirco transacto primo tempore cõcessionis, quæ fuit cum pacto reciproco, vt volunt aduersarij, cessauit omnis obligatio, tum ex parte Regis, tum ex parte Pontificis; ac proinde dum Põtifex iterum Cruciatam concedebat, sicuti poterat simpliciter eam non concedere, ita poterat apponere limitationem, nolens comprehendere Regulares in ordine ad electionem confessarij, & absolutionem à reseruatis, & imponere Regi idem onus, qnod prius: & hoc absque vlla iniuria, quia in libertate Regis est acceptare, vel refutare priuilegium Cruciatæ cum tali onere.

Ad rationem vero illam, cui innitũtur aduersarij circa clausulas necessarias ad renouandum contractum onerosum. Respondeo primo, procedere ex falso principio; ostendimus enim talem contractũ inter Regem, & Papam minimè extare; proindè cessat fundamentum contrarij. Respondeo secundo: quænam clausula sufficiat ad reuocandum contractum onerosum, est positum in controuersia; aliqui enim volunt satis esse illam clausulam generalem, per quam dicatur *(Non obstantibus contrariis, quibuscumque quorum tenores hic habemus pro expressis, &c.* vel alia clausula similis æquiualens, & pro hac opinione nõnulli laudantur à *Portellio loco citato*, sed quicquid sit de hoc: sufficit nobis, non inueniri contractum onerosũ ex vtraque parte, nempè ex parte Pontificis, & Regis, & potuisse Papam, vt probauimus, tollere, aut limitare priuilegia Cruciatæ. Et hæc sufficiant pro confirmatione primi argumenti desumpti ex varijs Pontificum declarationibus. 38 *Diluitur ratio aduersariorum.*

§. II.

Expenditur alia ratio quorumdam recentiorum pro nostra sententia; & refellitur.

Aliqui probare conantur hãc sententiam ex verbis ipsius Bullæ Cruciatæ, in qua dum Commissarius auctoritate Apostolica suspendit omnes gratias, indulgentias, & facultates similes, aut dissimiles concessas à Summo Pontifice excipit eas, quæ concessæ sunt Superioribus Ordinum Mendicantium, quoad eorum Fratres. 39 *Quidã Neotorici probãt conclusionem ex facultatibus quas habent Superiores in ordine ad Fratres, quæ p Bullã non suspendũtur.*

Ex his verbis colligunt, & præsertim *Cardinalis Delugo*, per Bullam non suspẽdi, neque reuocari facultates illas, quas Pontifices concesserunt Ordinibus Mendicantium, vt eorum Superiores valeant continere suos subditos in disciplina regulari; 40

gulari;

gulati, per reseruationem casuum.

41 *Responsio cõtrariorum.* Ad hoc verò argumentum respondēt contrarij, exceptionem illam non esse intelligendam in ordine ad aliquod indultum, quod habeant Mendicantes, ne eorum Religiosi possint virtute Cruciatæ eligere Confessarium; sed esse intelligendam in ordine ad indulgentias, & facultates absoluendi subditos à casibus Pontificiis reseruatis, dispensandi in eorum votis, & in quibusdam alijs rebus circa comestionem ciborum prohibitorum, &c.

42 *Impugnatur à Cardinali Delugo.* At Cardinalis Delugo, l. c. impugnans hãc responsionē, inquit, nullũ esse fundamentum, cur exceptio illa non extendatur ad omnia; sed tantum ad quædam. Præterea, *nu.* 174. argumentatur ferè in hunc modum. Indultum, quod habent Superiores Religionum in ordine ad reseruandos casus, & ad eorum absolutionē, vel est gratia, vel non; si primum, ergo comprehenditur in illa exceptione, in qua est sermo de omnibus gratijs; proinde nulla est ratio excipiendi aliquam. Si secundum; ergo non comprehenditur in reuocatione, & suspēsione illa vniuersali, quam facit Commissarius, quia solum gratiæ, & facultates suspenduntur, hæc, & nonnulla alia ponderat supradictus author.

43 *Ratio prædicta non probat conclusionem.* Sed, vt verũ fatear, ratio ista desumpta ex verbis Bullæ, pro nostræ sententiæ confirmatione, numquam mihi placere potuit; puto enim nullum habere robur, & facilè ab aduersarijs eludi posse.

44 *Priuilegia suspenduntur à Commissario ne Cruciata impediatur.* Pro huius autem rei intelligentia supponendum est, suspensionem illam, ad quam auctoritate Apostolica Commissarius potestatem habet, fieri in hunc finem ne Bullæ, videlicet, receptio impediatur; quia si fideles haberent ex vi alterius priuilegij facultates, quas Bulla concedit, nõ curarent illam sumere; idcirco omnes istæ facultates siuè similes, siuè dissimiles, quæ vsum Bullæ impedire possunt, suspēduntur; sed ab eodem Commissario reualidantur pro illis, qui Bullam sumunt. Hoc autem posito patet illas indulgẽtias, & facultates suspendi, quæ sunt similes, aut dissimiles ijs, quæ continentur in Bulla: excipiuntur tamen illæ, quæ sunt concessæ Ordinum Mendicantium Superioribus, quoad suos subditos. V. G. Si est concessa indulgentia omnibus visitantibus Ecclesiam S. Francisci in die eius festiuo; talis indulgentia in ordine ad alios, qui non sunt subditi remanet suspensa: at manet in suo vigore respectu Fratrum subditorum. In hac autem exceptione comprehendi nequeunt omnia priuilegia, & facultates, quibus gaudent Monasteria, Confraternitates, aliæquè Communitates, immò, & personæ particulares; aliter priuilegium cõcessum alicui Communitati religiosæ, & non regulari, circa retentionem bonorum temporalium, vel eorum alienationem, circa diuina officia, & similia essent suspensa, illisque frui non possent sine receptione Bullæ, & sequeretur, quod Clerici in Sacris, qui interdum habent priuilegium recitandi ante tempus, Matutinum sequentis diei, vel recitandi vnum officium pro alio quibusdam determinatis diebus: non possent vti tali priuilegio sine receptione Bullæ, quod tamen nemo asserere potest, & consuetudo est in oppositum. Maneat ergo, vt certum non omnes facultates comprehendi in illa suspensione, sed solum illas, quæ impediunt Cruciatam, siuè sint similes, siuè differentes.

Et si dicas, facultates, quam habent Superiores reseruandi sibi casus, & prohibēdi subditis, ne alijs sine licentia confiteantur, est contraria Bullæ, & aliquo modo eius vsum, & receptionem impedit, aut saltem retardat, quia non poterunt Regulares illam sumere pro electione Confessarij, & absolutione à reseruatis. Si inquam hoc pacto objiciatur, respondere possent aduersarij negando illam potestatem, quam habent Superiores Regulares circa reseruationē, &c. esse ex priuilegio, & indulto, seù esse gratiam; quia omnis Prælatus ob bonum regimen suorum subditorum, innatam habet potestatem reseruandi casus, & hoc valdè commendatur à *Concilio Tridentino sess.* 14. *cap.* 7. & nemo potest, vt determinauit idem Concilium, sacramentaliter alicui confiteri; nisi habenti iurisdictionem in ipsum pœnitētem, quæ iurisdictio potestate ordinaria residet in Superiore, & per delegationem, & concessionem ab eodem, in alio Confessario, proindè talis potestas, quæ reperitur in Superiore, nequit appellari facultas gratiosa, de qua agitur in illa suspēsione: at hoc non obstante dicerent aduersarij, quòd Pontifex per Bullam derogat huic potestati, & ipse, vt Supremus Pastor concedit sumentibus Bullam, facultatem eligendi Confessarium, vt ab illo etiam à reseruatis absoluantur; quæ quidem derogatio habetur in amplissimis illis clausulis, quæ continentur in fine Bullæ, per quas irritantur omnia contraria: sic respondere possent aduersarij ad prædictum argumentum, & ita respondentes non possent efficaciter impugnari ex hoc capite. At efficacissimè contra eos vrgeremus ex declarationibus Pontificijs, per quas Pontifices expressè declararunt, suã intentionem numquam fuisse, aut futurã esse;

45 *Instantia.* (margin, beside "Et si dicas")

Responsio aduersariorum. (margin, beside "possent aduersarij negando")

esse; vt in facultate illa eligendi Confessarium, & absoluendi à casibus reseruatis comprehendantur Regulares; vt fusè supra à nobis probatum fuit; neque derogationes illæ, quæ sunt in Cruciata, quamtũuis amplissimæ, extenduntur ad Religiosos: vt colligitur ex dictis in nostra principali, & fundamentali ratione, superiùs posita.

§. III.

Soluuntur quædam obiecta minoris momenti.

46 SOlent ab aduersarijs contra nostram sententiam obijci nonnulla, quæ licèt magnum non habeãt pondus; tamen pro complemento huius controuersiæ, expedit illa, quamuis minoris momenti examinare, eaque diluere.

47 *Refertur quædam Declaratio Commissarij in fauorem Aduersariorum.* Dices igitur primò. Commissarius Sãctæ Cruciatæ sæpè declarauit, Bullam prodesse Regularibus, etiam Mendicantibus, quo ad illũ articulum eligẽdi Confessariũ, & ab eo obtinendi absolutionem à casibus reseruatis, & talem declarationem fecit Anno 1630. die 7. Martij Commissarius Lusitaniæ: igitur cum Commissarius potestatem habeat à Sede Apostolica interpretrandi ea, quæ continentur in Bulla, dicendum consequenter est, per talem declarationem posse Regulares vti Bulla, etiam ad prædictum effectum; immò *(vt refert Portellius casu citato nu.* 14. quidam recentior in suo tractatu de Bulla Cruciatæ n.33. affirmat à Commissario Generali eiusdem Bullæ Anno 1630. per quandam vniuersalem reuocationẽ, irritatum fuisse Breue illud, quod emanauit ab Vrbano VIII. prohibens Patribus nostræ Societatis Iesu, ne vtantur Cruciata in ordine ad electionem Confessarij, & absolutionẽ à reseruatis.

48 *Impugnatur.* Respondeo primò à Commissario Cruciatæ non posse, interpretando Bullam, reuocari decreta Pontificia; quia inferior non potest annullare, quæ fiunt à Superiore, vt de se notum est, proinde etiam posita tali interpretatione, manent Constitutiones Papales contrariæ in suo robore, & prorsus nulla erit declaratio Cõmissarij; & vt animaduertit *Henriquez in summa lib.7. de indulg. cap.22. §.3. in commento lit. G. & lit. H.* per derogationem quamcumque factam à Commissario, excedi non posse eius commissionem, & intentionem Pontificis; & ideò eius declarationem esse strictè intelligendam, ne bono communi Religionis noceat: hæc *Henriquez*. Igitur cum Pontifices per varia Breuia suam declarauerint intentionem, exprimentes, Bullam Cruciatæ in ordine ad articulum sæpè dictum non habere, neque habuisse locum in Regularibus: non poterat declaratio Commissarij aliquid operari cõtra Papæ intentionem.

49 *Vrbanus ... bibet ... pretatio... suæ consti... tionis.* Respondeo secundò in prædictorum confirmationem, ab Vrbano VIII. in sua cõstitutione ablatam fuisse à quibuscumque personis, exprimendo inter alias ipsũ Commissarium Cruciatæ, omnem facultatem interpretandi suum Breue, & irritum, & inane omne contrarium declaratum fuisse.

50 *Commissa... Cruciatæ ... reuocauit ... ne, quod ... bet Socie... nè eius ... giosi v... hac Bulla.* Ad illud verò, quod asserit recentior ille circa reuocationem Breuis in ordine ad Societatem; aio reuocationem illam nullius roboris fuisse, ob rationem superiùs assignatam, & vt notat *Delugo sec. cit. num.* 185. ob hãc fortasse caussam editam fuisse ab Vrbano eodem Anno, post tres circiter menses nempè 19. Iunij constitutionem vniuersalem superiùs enarratam, per quam specialiter ablata fuit potestas aliter declarandi.

51 *Bullæ sub... quentes ... dentur d... gasse cons... tioni Clem... tis.* Dices secundò. In Bullis subsequentibus constitutiones prædictas sunt clausulæ derogatoriæ, reuocantes priuilegia Mẽdicantium, dum dicitur *(quorum tenores pro expressis habentes in præsentibus)* quæ quidem clausula non reperitur in Breui Clementis, & ideò virtute harum Bullarum poterant Religiosi, post mortem Clementis, vsque ad tempus, quo Vrbanus suam edidit constitutionem, vti Bulla in ordine ad electionem Confessarij.

52 *Ostenditur ... Bullas ... tes non ... derogatam ... prædictis ... stitutionem.* Respondeo primò, quamuis in constitutione Clementis non inueniatur talis clausula: nihilominus non erat necessaria; satis enim fuit Põtifici declarasse suam intentionem, & declarasse Cruciatam nõ habere locum in Religiosis, & circa Sacramẽtum pœnitentiæ, subiectos esse dispositioni suorum Prælatorum; vt etiam declarauit Vrbanus in sua constitutione, in qua est clausula illa derogatoria, & cum sit posterior, irritat contraria antecedentia: addo constitutionem Clementis non expirasse post eius mortem, cum fuerit perpetua, vt ipsemet statuit, & vt supra ostendimus declarauit Vrbanus, à tempore Clementis Regulares quoscumque numquam potuisse virtute Cruciatæ eligere Confessarium, &c.

Respõdeo secũdò ex multis authoribus, quos laudat *Portellius tom. cit. casu* 4. *nu.* 5. quòd ad hoc, vt reuocetur priuilegiũ, non est opus clausula derogatoria, sed sufficere quòd qui concessit priuilegiũ illud nõ ignoret, & hac scientia nõ obstante aliquid cõtra priuilegiũ statuat; per hoc autem contrarium decretum expressè significatur 53

volun-

voluntas Principis, volentis irritare priuilegium: quæ opinio mihi non displicet, cũ limitatione apponenda; & ratio est, quia cum priuilegium totaliter dependeat in fieri, & conseruari à voluntate illud concedentis; etiam si contineat quascumque clausulas derogatorias amplissimas, si Princeps sciat hæc omnia, & his non obstantibus decernit contra illud: statim perire censetur voluntas illa, à qua in cõseruari dependebat priuilegium, & per consequens ipsum cessare debet, ob defectum caussæ conseruantis. Ponamus exemplum, quod clarè hoc probet: fingamus priuilegium cum clausulis prædictis alicui à Pontifice concessum, per quod priuilegiatus eximatur à ieiunijs Ecclesiasticis; si postea contingat, quod Papa dicat, etiam priuatim, ipsi priuilegiato, nolo vt amplius vtaris priuilegio nõ ieiunãdi, illudque reuoco: sanè iste talis, si aliunde non excusetur, non poterit absq; peccato mortali, frangere ieiunium, & nemo est ex Catholicis, qui oppositum audebit asserere, & practicare; quia stante scientia priuilegij, & voluntate contraria Pontificis, desinit influxus voluntatis oppositæ, per quam priuilegium conseruabatur; clausulæ verò istæ sunt necessariæ, quando nõ est scientia in Superiore de priuilegio cõcesso, & hoc, quia vt rectè docet *Reginaldus in praxi tom. 1. lib. 13. nu. 239.* & plures apud ipsum, priuilegium in facto consistit, atquè adeò Princeps poterit illud ignorare: & cum sit impossibile, vt de omnibus priuilegijs specialem, & explicitam mentionem faciat, nõ posset illa reuocare; idcirco à iure, & stylo curiæ, clausulæ derogatoriæ in hunc finem adinuentæ sunt, vt per ipsas in reuocatione comprehendantur etiam priuilegia ignorata: in casu autem nostro non potuerũt Pontifices ignorare priuilegium Cruciatæ, cum singulis annis de nouo promulgetur; proindè quã uis in constitutione Clementis non fuerit apposita clausula illa derogatoria: tamen cum declarauerit aliquid contra ipsum priuilegium Cruciatæ, tum de præsenti, tum de futuro, & per modum legis, de cuius natura est perpetuitas, ideò decretum habet suam efficiam.

54 *Instantia contra conclusionem.* Dices tertio. Quando Pontifex vult excludere Regulares ab aliquo effectu Bullæ, eos apertè excludit, sicuti de facto excipit Regulares ante sexagesimum annum à priuilegio comedendi lacticinia in diebus quadragesimæ. ergo cũ in electione Confessarij eos nõ excluserit; signũ est eosdem includere voluisse in illa generalitate omnium fidelium.

55 *Solutio.* Respondeo. In priuilegio comedendi lacticinia, cum inuoluatur dispensatio iuris cõmunis, & Pontifex iudicauerit personas aliquas Ecclesiasticas ob decentiã status, quæ manifestè apparebat, esse excludendas; necesse fuit eas exprimere: at priuilegium eligẽdi Confessarium approbatum non continet dispensationem iuris communis, neq; forsitan ab initio apparebat, ita clarè deformitas, quæ reperitur relinquendo in libera voluntate Regularium talem facultatem, quia initio non ita inualuit abusus Regularium in electione Cõfessarij, &c. & ita Superiores Regularium non habuerunt occasionem statim reclamandi, & recurrendi ad Pontificem: deformitas autem illa cæpit progressu temporis innotescere; dum plures Religiosi abutebantur priuilegio illo in perniciẽ Religionis; proindè Prælati Religionum supplicarunt Põtifici, vt remedium opportunũ adhiberet: idcirco Pontifices per varia decreta declararunt expressè, in priuilegio isto nõ includi Regulares; & esto talis declaratio non inueniatur in Bulla, sufficit, vt sit per varia decreta, quæ successiuè à diuersis Pontificibus emanarunt.

Dices quarto. Constitutiones istæ Pontificiæ nõ sunt iuridicè promulgatæ, neq; à Superioribus intimatæ Religiosis subditis, neq; demum ab eisdem Regularibus acceptatæ: *ergo* vim non habent. Antecedens quo ad primam partem suadetur; licet enim probabile sit ad hoc, vt leges Pontificiæ obligent per totum orbem sufficere si Romæ publicentur: tamen probabile etiam est oppositum, videlicet non satis esse; sed requiri, vt promulgẽtur in particularibus Diœcesibus, sicut plures doctores sustinent; aliæ verò duæ partes, nempè secunda, & tertia eiusdem antecedentis sunt manifestæ; quia talis intimatio facta Regularibus subditis, non apparet, & multi ex ipsis nolunt easdem constitutiones acceptare, neq; videntur receptæ saltẽ à maiori parte Monasterij. 56 *Constitutiones Clementis, & Vrbani non videntur sufficienter promulgatæ.*

Respõdeo. Quicquid sit de illa opinione, quæ requirit promulgationẽ in singulis Diœcesibus, quã in præsentia examinare non curo. Ad argumentum, nego primam partem antecedentis; quia ad hoc, vt Breuia Pontificia censeantur iuridicè promulgata, satis est vt promulgatio procedat ab habẽte potestatẽ, & deueniat in notitiã moraliter certã subditorum: quapropter cũ prædicta Breuia circa rẽ hãc sint publicè, & auctoritate Superioris impressa; & libri, in quibus impressa sunt omnibus fidelibus proponantur; nullũ habere potest locũ ignorantia, ad hoc, vt tuta cõscientia Regulares cõtra manifestã Papæ voluntatẽ, constitutionibus illis cõtrauenïant. Ad secundam partem aio non 57 *Ostenditur illarum constitutionũ sufficiens promulgatio.*

esse necessariam intimationem Prælatorum Regularium, cum non ab ipsis; sed à Supremo Pastore constitutiones illæ emanauerint. Ad tertiam partem dico in Decretis istis non contineri legem, quæ expostulet acceptationem; sed contineri declarationem mentis Pontificiæ circa vsum huius Priuilegij, quod potest, & totaliter auferri, vel modificari ad libitum Priuilegiantis; in reuocatione autem, & limitatione priuilegij non desideratur cōsensus priuilegiati: immò contra eius voluntatem fit; quibus positis neganda est consequentia.

58 *Argumentum probans Regulares esse inclusos ex eo quod reseruatio est stricti iuris.*

Dices quinto. Casuum reseruatio est stricti iuris, proindè pressè est interpretāda; & præsertim, cum tot sint graues authores, qui defendant sententiam nobis contrariam; ideo saltem erit existimanda per principia extrinseca probabilis, & tuta in conscientia.

59 *Stricta interpretatio reseruationis nō facit, vt Regulares in hoc priuilegio includantur.*

Respondeo concedendo casuum reseruationem esse stricti iuris: sed quid inde? non controuertimur hoc punctum: Sed an priuilegium Bullæ se extendat ad Regulares, quod est longè diuersum, & omnino independens ab interpretatione lata, aut stricta casuum reseruatorum; authores verò, qui contrariam opinionē tuentur, vel fuerunt ante constitutiones istas vniuersales; vt fuit *Rodriquez, qui edidit Tomum primum quæst. regul.* in quo agit de hac re, anno 1597. Constitutio verò Clementis fuit anno 1599. Vrbani verò 1630. & idem est asserendum de quibusdā alijs antiquioribus: vel est dicendum hos authores post constitutiones istas omnino deceptos fuisse, omnemque eorum decisionem contrariam, esse irritam, vt decreuit Vrbanus; proinde hodie sententia aduersariorum non solum est manifestè falsa, verum etiam acriori nota censuranda; & ideo non immeritò à nonnullis temeraria adminus censetur, inter quos est *Cardinalis Delugo sect. illa cit. nu.* 168. *& Portell. tom.* 3. *resp. moral. cas.* 50. *num.* 17.

60 *Abusus huius priuilegij videtur æquè militare in Regularibus, & Secularibus.*

Dices sexto. Si propter abusum Religiosorum decens, & necessaria fuit prædicta declaratio, qua ipsi Religiosi excluderentur, eadem indecentia, & abusus militat in sæcularibus, nam ex confidentia Cruciatæ circa absolutionem à reseruatis liberiùs peccant.

61 *Assignantur plures disparitates.*

Respondeo esse plures disparitates: primo enim sæculares independenter à Bulla ad sui libitum possunt eligere Confessarium quemcumque posita approbatione Ordinarij. Secundo facultas Cruciatæ in ordine ad absolutionem à peccatis nō dat sæcularibus magnum libertatis excessum circa electionem prædictam, supra illam libertatem, quam ipsi habent, præscindēdo à Bulla; quia vel loquimur de peccatis Pontifici reseruatis, quæ non sunt in Cœna Domini, & ab his possunt obtinere absolutionem à Religiosis per priuilegia à Papa concessa, vel sunt in Cœna Domini, & ista non ita frequenter accidunt; neque per se loquendo facultas circa casus istos facit, vt liberiùs peccetur; vel sunt casus Episcopales, & ab his facilè possunt liberari, petendo absolutionem ab Episcopo, mediante Confessario, vel à Delegatis Confessarijs, quorum multi ab Ordinario habent hanc facultatem. Tertio cū Regulares sint exempti à iurisdictione Episcopi, eorum Confessarius debet esse approbatus à proprio Prælato. Quarto quod est potissimum, Religiosi cum profiteantur non solum perfectionem vitæ spiritualis, sed etiam sæculares dirigere debent arctiùs detineri circa libertatem electionis Confessarij, & absolutionis, ne habeant occasionem liberiùs peccandi cū detrimento Religionis, & populorum scandalo.

Dices septimo. Prohibitio Clementis solum est, ne Regulares vi Bullæ eligant Confessarium extra proprium ordinem; non autem, ne eligant confessarium eiusdem Religionis, à quo absoluantur à reseruatis; quæ opinio defenditur à *Ludouico à Cruce disp.* 1. *cap.* 1. *dub.* 9. *num.* 2. & id confirmat ex decreto Clementis, dicens ex eius proœmio colligi. 62

63 *Prohibitio Clementis extenditur ad Confessarios intra ordinē.*

Respondeo. Miror quo pacto vir alioquin accuratus potuerit non solum docere, sed somniare in decreto Clementis nō prohiberi, nisi electionem Confessarij extranei, cum expressè statuatur Religiosos tàm viros, quàm fœminas circa Sacramētum pœnitentiæ dispositioni suorum Prælatorū subiectos esse; & declaretur priuilegium Bullæ, quoad prædictum articulum non habere locum in Fratribus, &c. Si autem solum prohiberetur electio Confessarii extra ordinem, cum veritate non diceretur absolutè Bullam non habere locum, &c.

64 *Dubitatio an prohibitio cōprehendat cōfessarios ordinariè deputatos a Superiore.*

Dices octauo, saltem poterunt Religiosi eligere vi Bullæ Confessarium intra ordinem, qui deputatus est à Prælato, quæ est sententia *Villalobos in Sum. par.* 1. *tract.* 27. *clauf.* 9. *§.* 2. *num.* 23. Et probatur, quia propriè loquendo respectu subditi non est electio, sed potius admissio confessarij electi, & deputati à Prælato.

65 *Comprehēdit omnes, qui nō habent specialem facultatē circa reseruata.*

Respondeo negando id fieri posse virtute Cruciatæ, cum ipsa nullum habeat locum circa hūc articulum in Religiosis, vt declararunt Pontifices. Ad probationē dico esse proprijssimam electionem factā arbitrio subditi, & non Superioris, qui nūquam posuit, & deputauit talem Confessarium

sarium pro absolutione à reseruatis, sine speciali licentia ipsius Superioris.

66 *Constitutiones Pontificię de solis Fratribus videntur loqui.*

Dices nono. In vtraque constitutione Clementis, & Vrbani non fit mentio, nisi de Religiosis illis, qui Fratres vocari solēt, & licet nomen istud latè acceptum connenire possit omnibus Religiosis; tamen in odiosis est strictè sumendum, vt docet *Panormit. cap. Caussam 1. de Iudicijs num. 2.* asserens in odiosis sub nomine Fratrum non comprehendi Monachos.

67 *Explicatur quid veniat nomine fratrum.*

Pro solutione huius instantiæ satis nobis esset asserere extensionem ad omnes Religiosos in vtraque constitutione haberi ex eo, quod Pontifices per illas constitutiones dicant Bullam non habere locum in Religiosis tum Mendicantibus, tū non Mendicantibus: nam istæ duæ qualitates extendunt suum proprium significatum ad omnes Religiosos, qui adęquatè diuiduntur in Mendicantes, & non Mendicantes, & sub primis comprehenduntur, qui apud nos Fratres, nomine, presè sumpto appellari consueuerunt; & omnes, qui per priuilegium Pontificis sub ordine Mendicantium aggregati fuerunt: sub secūdis autē, nempè sub non Mendicantibus, omne aliud Religiosorum genus includitur; & hoc, vt dixi, nobis satis foret ad soluendam contrariam instantiam: sed placet, occasione accepta, aliquantulum digredi, & declarare acceptionem huius vocis, Fratres, pro vt ad rem nostram spectare potest.

68 Pro qua re aduertendum est, hoc nomen, Fratres, illis conuenire, qui connexionem aliquam habent siuè naturalem, siuè moralem in ordine ad vnum, eumdemque communem Patrem, seu Matrē, siuè talis vnitas sit physica, siue iurisfictione: connexio autem ista magnam habet latitudinem, & ex diuersis principijs originem sortiri poterit, proinde iuxtà diuersitatem connexionis, diuersa resultabit fraternitas, & hoc rectè declarat *S. Hieronym. epist. aduersus Heluidium cap. 8.* ponēs quatuor capita, ex quibus connexio prædicta proueniat; nempè ex Natura, Gente, Cognatione, & Affectu: relictis autem primis tribus, vt potè ad rem nostram nō facientibus, vltimum assumo videlicet ex affectu, fundato in re morali, seù Spirituali, & secundum latitudinem huius connexionis, erit latitudo Fraternitatis; poterit igitur sumi latissimè, minùs latè, & strictè per quamdam appropriationem. Latissimè sumitur, dum dicitur de omnibus fidelibus Christianis, qui dum per Baptismum regenerantur, respiciunt eumdem communem Patrem, nempe Deum, & Christum Dominum, & sic in primitiua Ecclesia viri fideles, Fratres; & Fœminæ, Sorores appellabantur, vt colligitur *ex D. Paulo ad Rom. cap. 12. & 16.* in Sacro Euāgelio sæpè Discipuli Christi Domini Fratres vocantur; immò ipsemet Dominus, vt homo, eos, Fratres, nuncupabat, quatenus agnoscebant eumdem Deum, vt communem Patrem, & ipsi Discipuli cōnexionem inter se habebant per vnitatem fidei, & charitatis; proinde *S. Chrysostom. Hom. 80. in Matth.* loquens de hoc nomine in sua amplissima acceptione inquit (*Non Monachos dumtaxat, qui montes habitant, sed fidelium singulos, etiam saeculares, Fratres, appellari; & vt tales constitui per Baptismum*) quod etiam asseruit *S. Hieronym. l. c. & definitur in cap. Ad mensam 11. quæst. 3. bis verbis Fratrem in hoc loco omnem fidelem simpliciter intellige non Monachum tantum; quid autē mest, quod facit Fraternitatem; nisi lauacrum regenerationis quod facit posse vocari Deum Patrem, &c.* & hæc sufficiant de latissima huius vocis acceptione. Minus autem latè conuenit solum Religiosis, quatenus connexionem, & vinculum habent ratione eiusdem instituti, sub quo vitam degunt; ideoque strictiori vinculo, quam sæculares connectuntur, & respicientes eamdem Religionem; vt communem matrem, meritò fratres nuncupantur; & sic in Sacris canonibus hoc nomen tribuitur indifferenter Religiosis; qui tantum Monachalem vitam ducunt: habemus textum *in cap. caussam p. De Iudicijs* vbi Religiosi Albani nuuc Monachi, nunc Fratres indiscriminatim vocantur. Demum hoc nomen Fratres, sumitur strictè, quatenus conuenit tantū Mendicantibus, qui vt distinguerentur à cæteris Religiosis, nimirum à Monachis, Canonicis, seù Clericis Regularibus, in prima sui institutione voluerunt sibi retinere commune nomen, & Fratres appellari.

Ex his omnibus colligitur in hac Vrbani constitutione, sicuti in illa Clementis sub nomine Fratrum omnes Religiosos comprehendi, & vocem istam nou fuisse vsurpatam in strictissima acceptione, sed in latiori; in quantum ad omnes Religiosos extenditur, & clarè confirmatur, quia illæ duæ qualitates, quæ in constitutione exprimuntur, scilicet Mendicantes, & nō Mendicantes cuiuscumque Ordinis, absorbent etiam quodcumque Religionis genus; omnis enim Religio, vel est Mendicans, vel est non Mendicans. Maneat igitur vt certum sub nomine Fratrum in hoc Breui omnes Regulares comprehendi. 69 *Sub nomine Fratrum cōtinentur omnes Religiosi.*

Ad id verò, quod docet Panorm: Respondeo limitationem, quam ipse ponit vni- 70 *Reÿcitur Panormitanus.*

vniuersaliter non esse admittendam; nam etiam in odiosis potius attẽdenda est materia, de qua est sermo, & si eadem prorsus erit ratio alicuius iuridicæ declarationis, sub nomine Fratrum omnes Religiosi comprehenduntur; & ideò *Suarez tom. 4. de Relig tract. 8. lib. 2. cap. 16. n. 5.* in terminis fortioribus docet, quod si Pontifex declaret, Cruciatam non habere locum in Religiosis alicuius Ordinis particularis circa hunc articulum: tamen extenditur ad alios Religiosos; si finis iuridicæ declarationis militet in alijs Ordinibus, vt euenit in casu nostro: nam finis constitutionum prædictarum est obseruantia regularis, quæ debet esse in omnibus Religiosis.

71 Quæres, an in prædictis constitutionibus sub nomine Fratrum veniat etiã Superior, seu Prælatus Religionis, & sub nomine Sororum veniat Abbatissa?

72 *Veniant sub nomine fratrum in prædictis constitutionib⁹ etiã Superiores.*

Respõdeo. In subiecta materia decisionẽ quæsiti esse facilẽ; quia Abbas, & quilibet alius Superior cum habeat secundum ius commune potestatem ordinariam, poterit alteri Confessario eam delegare, & ab illo absolui à reseruatis. Dixi, secundũ ius commune, quia Societas nostra circa hoc habet ius speciale; nam Superiores locales immediati si labantur in casus reseruatos debent sistere coram Prouinciali, vel licentiam habere ab ipso, vt ab alio Confessario absoluantur: & si Prouincialis incidat in aliquem casum reseruatum, debet eodem modo sistere coram Generali, & idem esset asserendum, in quo sit idem, vel simile ius speciale: at præscindendo à casu posito, si quæratur an sub nomine fratrum veniat Prælatus, & sub nomine Sororũ Abbatissa, etiã in odiosis?

73 Respondeo, fuisse opinionem *Panorm. in cap. Quoniam nu. 2. de Simonia* asserentis sub nomine Sororum nõ venire Abbatissam; & ideò data ista opinione, posset quis à simili inferre, sub nomine Fratrum non venire Prælatos.

74 *Sub nomine Sororũ venit interdũ Abbatissa.*

Cæterum licet aliquando sit admittenda Panormitani sententia: nihilominus in aliquo casu speciali, non erit amplectenda; quando scilicet ratio disponendi eodem modo militat in subditis, ac in Superioribus; tunc etiam in odiosis sub illis nominibus comprehenditur, & Prælatus, & Abbatissa. Hoc autẽ confirmo *ex cap. Quoniam citato*, vbi de Sororibus, & Monialibus indiscriminatim est sermo, & ibidẽ Sorores, seu Moniales distinguntur in subditos, & Superiores, & ex hac doctrina in fero in hac constitutione; dũ Põtifex declarat Cruciatam non habere locum in Fratribus, & Sororibus, seu Monialibus; sub his verbis comprehendi Abbatissam, quæ non potest sine licentia sui Superioris Bullam sumere in ordine ad prædictum articulum.

75 *Religiosi militares an excludantur?*

Quæres an sub nomine Regularium in hac constitutione comprehendantur Religiosi ordinis Militaris.

76 *Recentior quidã putat excludi.*

Respõdeo, præsens quæsitũ maximè fieri posse de Equitibus Hierosolymitanis, qui sunt regulares sine controuersia, & de his, & de alijs Equitibus alterius militiæ, si sunt veri Religiosi. Quidã doctus recẽtior censet ipsos in hac constitutione includi & ideo debet asserere nõ posse vti Bulla pro electione Cõfessarij. Sed *Trullench lib. 1. dub. 7. n. 2. & alibi*, propouẽs idem quæsitum concludit frui posse omnibus priuilegijs Bullæ, etiã inuitis Superioribus, & hoc deducit ex clausula, in qua Regulares excluduntur à facultate comedendi Oua, &c. includuntur vero Militares, ex quo Trullench infert sub nomine Regularium non comprehendi Militares, proinde deberet dicere, dum à Pontifice declaratur in facultate eligendi Confessarium, &c. nõ includi Regulares, declarationem hanc non extendi ad Militares. Verum coniectura prædicta est valde deficiens. primò, quia non valet illatio; nam poterat Pontifex includere Religiosos Militares in facultate comedendi illos cibos, excludendo cæteros Regulares; quia illi non profitentur tantam vitæ austeritatem, sicuti isti: sed ab alia facultate potuit omnes excludere. secundò, quia ista constitutio excludens Regulares cuiuscunque ordinis est diploma diuersum à Bulla, & continet diuersum motiuum; proindè gratis à prædicto authore sententia ista huic rationi innixa videtur defendi. Igitur melius firmaretur, si diceremus consuetudine quadam esse introductum, vt scilicet Religiosi Militares vtantur Bulla in ordine ad omnia indulta, id sciente, & non contradicente Magno Magistro; atque adeò videntur habere tacitam licentiam circa talẽ vsum: esse autẽ talem consuetudinẽ relatũ mihi fuit à viris fide dignis.

Oppositum alij.

Gaudent hoc priuilegio ex consuetudine recepta.

77 *Regula iuris cui innititur nostra sententia solum de casibus, & nõ de personis vi detur loqui.*

Dices decimo. Regula illa iuris canonici, in qua fundatur nostra sententia, scilicet Regulares non fuisse inclusos in illa Generalitate Cruciatæ, locum habet in casibus, & non in personis; & sic Episcopus concedens alicui Confessario suam potestatem, non intelligitur concedere casus reseruatos ipsi Episcopo; nam in illa generali concessione nõ veniunt reseruati, quia requiritur specialis concessio: at in præsenti locutio est de personis, non de casibus, vi enim illius regulæ volumus non includi Religiosos; nulla autem est exceptio casuum, qui omnes conceduntur.

Respondeo negando illam regulam, 78
non

Non extenditur etiam ad personas. non ſe extendere ad perſonas: nam *Gloſ. ibi verſ. Exemplificat*, & in caſibus, & in perſonis, & in rebus; idem facit Ioannes Monachus Cardinalis S. Eccleſiæ, ponens quinquaginta modos reſtrictiuos illius regulæ, & inter modos ponit reſtrictionem in illis tribus: Præterea non eſt maior ratio, cur regula illa non debeat intelligi etiam de perſonis, quod ſi in ipſis ſit ſpecialis ratio, in conceſſione generali non debent includi, quia veriſimiliter alias non eſſet conceſſurus aliquid pertinens ad tales perſonas.

79 Dices vndecimo. Dum Pontifex concedit Iubileum extraordinarium, & per illud facultatem eligendi Confeſſarium approbatum, abſolutionem à caſibus, & cenſuris reſeruatis Regulares poſſunt ad libitum ſine licentia Superiorum vti prædicta facultate; & tamen in diplomate Iubilei non magis derogantur priuilegijs Religionis, quàm derogantur in Bulla Cruciatæ. Ergo ſicuti Religioſi poſſunt Iubileo frui independẽter à conſenſu proprij Prælati; ita etiam frui poterunt priuilegijs Cruciatæ.

80 *Motiuũ dubitandi.* Vt huic inſtātiæ ſatisfaciamus duo ſunt attendenda. Primò an ſicuti diximus eſſe inconueniens dari Religioſis illam libertatem eligendi Confeſſarium, quam concedit Bulla, ita etiam ſequitur inconueniens libertatem concedendo per Iubileum. Secundò an reuera per Iubileum concedatur omnibus Regularibus facultas circa electionem Confeſſarij abſolutionem à caſibus, &c.

81 *Aſſignatur diſparitas inter Iubileum & Cruciatã à Lugo.* Ad primum. Reſpondeo inueniri magnam diſparitatem inter Iubileum, & Cruciatam, etiam admiſſa libertate prædicta triplicem affert diſparitatem *Cardinalis Delugo ſect. illa 9. ſæpe citata à num.* 186. prima diſparitas eſt, quia in Bulla expreſsè excipiuntur facultates conceſſæ Prælatis Mendicantium in ordine ad ſuos fratres: in Iubileo autem talis exceptio non inuenitur.

82 *Non placet diſparitas aſſignata.* Sed diſcrimen iſtud non eſt ſolidum, quia, vt ſupra oſtendimus, per has facultates non intelligit Pontifex prohibitionẽ, ſeu excluſionem Regularium ab vſu Bullæ, in ordine ad electionem Confeſſarij, & ad minus eſt valdè dubium & incertum; proindè nequimus tale diſcrimẽ aſſignare

83 Secunda ratio eiuſdem authoris ſumpta eſt, ex diuerſitate formulæ, quæ habetur in Iubileo, & Cruciata; per quam formulam reuocantur Indulta, & Priuilegia contraria: nam in Iubileo ſunt clauſulæ ampliſſimæ omnium contrariorum, quomodocumq; conceſſorum, etiam ſi de illis fieri debeat ſpecialis, & indiuidua mẽtio: at in Cruciata non inueniuntur tales derogationes: vtriuſque diplomatis formulam idem author tranſcribit, ex hoc autem colligit per Iubileum reuocari pro illa vice priuilegia Religionum in ordine ad prædictum effectum, non autem per Bullam Cruciatæ.

84 *Clauſulæ derogatoriæ, q̃ in Cruciata continentur, ſunt ampliſſimæ.* Cæterum hæc ratio innititur falſo principio, videlicet in Bulla Cruciatæ non inueniri clauſulas derogatorias, ita amplas, quemadmodum in Iubileo; nam Cruciata continet derogationes contrarias ampliſſimas, vt patet ex originali ipſius Bullæ conceſſæ à Pio V, quæ ab alijs ſucceſſoribus Pontificibus fuit confirmata vſque ad præſens: fateor tamen in ſummario latino, ideſt in Bulla plumbea, non recenſeri omnes illas derogationes, quæ habentur in originali, ſed paucas quaſdam, & hoc potuit eſſe deceptionis occaſio in aſſignanda hac diſparitate.

85 *Iubileum raro conceditur & parum durat.* Tertia, & vltima ratio, quam idem author accepit à *Suarez tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 16. num. 7.* mihi valdè placet, & hæc eſt per Iubileum vna vice tantum conceditur facultas prædicta, & intra pauciſſimos dies, quibus tranſactis expirat: at facultas conceſſa per Bullam in perpetuum durat, quia Bulla ſemper renouatur: maximum autem inconueniens eſſet, relinquere in libertate omnium Religioſorum facultatem perpetuam ad eligendum Confeſſarium pro reſeruatis; & toties quoties ipſi voluerint; vt ſic enim præberetur manifeſta occaſio deſtruendi regularem obſeruantiam; & tolleretur iuriſdictio ordinaria, quam habent Prælati circa deſignationem; & approbationem Confeſſarij in ordine ad ſuos ſubditos. *Secus Cruciata.*

86 *Iubileũ quo ad clauſulas derogatorias multiplex eſt.* Ad ſecundum autem, dico Iubilea, etiã extraordinaria, eſſe in duplici differentia; nam aliqua ſolum cõtinent clauſulas derogatorias generales, & non particulares, ſeu indiuiduas: alia vero inuoluunt clauſulas derogatorias omnium priuilegiorũ; etiam ſi in indiuiduo de illis mentio facta fuiſſet: per Iubileum autem primi generis non abrogantur omnia priuilegia cõtraria; ſecùs eſt dicendum de Iubileo ſecundi generis.

Nonnulla alia parui momenti, quæ obijci poſſunt, facili negotio ex principijs & reſponſionibus poſitis diluuntur: quapropter ad nimiam prolixitatem fugiendam iure optimo ea omitto.

An

§. IV.

An Regulares virtute Cruciatæ valeant eligere Confessarium, vt ab eo à Mortalibus non reseruatis absoluantur.

88 *Posse Regulares vi Bullæ eligere Confessarium vt absolutionem à non reseruatis obtineat, Nonnulli existimarunt.*

FVit sententia *Rodriquez in summa tom. 3. cap. 7. quem cap. præcedenti sect. p.* citauimus, dum secundam sententiam referebamus, & apud eumdem Doctores Salmaticenses, qui dicunt posse Regulares Cruciatæ beneficio eligere Confessarium ab Ordinario approbatum, vt ab illo absoluātur à mortalibus non reseruatis; neque obstare Decreta Pontificum; quia loquuntur de electione Confessarij in ordine ad reseruata, & nihil statuunt de non reseruatis, vt ex eorumdem Decretorum tenore est manifestum. Hanc opinionem sequutus est *Aegidius Trulleneh in Bullam lib. p. S. 7. cap. p. dub. 9. nu.* 28. & quidam alij.

89 *Refertur contraria opinio.*

Aliam contrariam opinionem tuetur *Delugo sect. illa 9. à nu.* 194. videlicet per constitutiones Apostolicas, de quibus supra, non solum Religiosis prohiberi electionem Confessarij pro absolutione à reseruatis, sed etiam ipsammet electionem, præscindendo à reseruatis; atque adeò duas illas facultates esse prohibitas non solum in sensu copulatiuo; verum etiam in disiunctiuo, ita vt quælibet sit interdicta; quam sententiam multi Recentiores amplectuntur.

90 *Approbatur ista opinio.*

Dicendum est cum hac secunda opinione, quam colligo ex Pontificijs constitutionibus, & omissis decretis, quæ sunt directa ad particulares Religiones, vt fuit illud, quod emanauit à Pio V. Anno 1571. pro ordine Prædicatorum; & illud, quòd edidit Gregor: XIII. pro nostra Societate, in quibus absolutè decernitur, quoad Sacramentum Pœnitentiæ, nempè electionem Confessarij personas Religiosas illorū Ordinum, debere esse subiectas dispositioni suorum Prælatorum, & hoc auctoritate Apostolica perpetuò declaratur: in istis autem decretis hi duo Pontifices verbis generalibus loquūtur, nulla facta restrictione quoad reseruata: sed omissis, inquā his decretis particularibus, venio ad Generalia, vt est illud Clementis VIII. pro omnibus Religiosis, quod Decretum postea Vrban: VIII. vt vidimus, innouauit, confirmauit, & ampliauit, & repetijt, circa finem, supradicta verba, quæ à Clemente apposita fuere; immò Gregor: XV. per suum Breue editum pro Societate Iesu 26. Februar. 1622. assignans motiuum eiusdem Decreti sic inquit (*Cum ratio doceat, & experimento compertum sit Religionibus valdè perniciosum existere, vt earum Religiosis licitum sit Confessarium sibi eligere*) loquuntur igitur Pontifices de electione, Confessarij, nihil dicentes de reseruatis.

Ratio autem pro hac nostra opinione ea est, quam declarat Gregor: nempè detrimentum Religionum, ex quo principio probauimus Religiosis non suffragari Cruciatam in ordine ad illos duos effectus; & si enim maius scandalum, & Regularis disciplinæ detrimentum resultaret ex vsu illorum duorum effectuum: tamen negari non potest ex electione Confessarij ad libitum pro mortalibus, nasci magnam peccandi libertatem in Religiosis, quia facilitas obtinendi absolutionem, incentiuum subministrat delinquendi, vt dicitur *in cap. est iniusta 23. quæst. 4. & cap. vt Clericorum de vit. & honest. Cler.* & sic in ipsis Religiosis daretur occasio frequentiùs labendi, & rarò contingeret emendatio; quod esset maximum inconueniēs, & generaretur scandalum in Populis. 91 *Ostenditur prædicta sententia.*

Sed Dices. In motu proprio Vrbani videri restrictam esse constitutionem Clementis; quoniam circa finem illius Motus apponit verba ista (*Nostra intentionis fuisse, & esse, quod ijdem Fratres, & Moniales, quantum ad Sacramentum pœnitentiæ, seu Confessionis administrationem, ordinariæ dispositioni suorum Prælatorum, & Sedi Apostolicæ, quoad sibi reseruata subiecti sint, eorundem tenore præsentium declaramus*) & sic videtur decernere Religiosos esse subiectos quoad reseruata, quæ Verba cum apposita minimè fuerint à Clemente, videtur Vrbanus voluisse limitare, & modificare illud Decretum; si enim voluisset absolutè prohibere electionem Confessarij, etiam quoad non reseruata, non erat necessarium illud limitatiuum, nimirum quoad reseruata, sed simpliciter sufficiebat, dicere Religiosos esse subiectos ordinariæ dispositioni suorum Prælatorum, ita vt sic vtrumque Peccatorum genus comprehendisset, videlicet, & peccata reseruata, & non reseruata. 92 *Obiectio probãs Regulares posse vi Bullæ eligere Confessarium pro non reseruatis.*

Respondet, ad hanc instantiam *Cardinalis Delugo sect. illa nu.* 199. sensum prædictorum verborum esse diuersum: nam verba illa ab Vrbano addita, non referuntur ad Prælatos Religionum, sed ad Sedē Apostolicam, cui immediatè apponuntur, ita vt sensus sit, Religiosos subijci debere dispositioni suorum Prælatorū, atq; etiam Sedis Apostolicæ; quo ad reseruata eidem Sedi Apostolicæ; voluit autem Vrbanus addere verba ista, non vt limitatiua Decreti Clementis, sed ne daretur occasio errandi fortasse, dum absolutè dicebatur, Religiosos omnino dependere à suis Superioribus, quo ad Sacramentalem absolutionem; aliquis posset putare, eos 93 *Proponitur solutio Cardinalis Delugo.*

ita

ita dependere, vt sicut sine licentia suorũ Prælatorum à nullo peccato mortali absolui possunt, ita ab eisdem licentia obtẽta possent ab omnibus peccatis absolui, quod tamen de iure communi falsum est, ob aliqua peccata Papæ reseruata, à quibus Religiosi absque speciali licentia Papæ nequeunt à Prælatis absolui; & ideò ad tollendum periculum talis erroris addita fuere verba illa (*et Sedi Apostolicæ quoad sibi reseruata:*) quoad reliqua verò dependent à sola Prælati dispositione. Confirmat dictus Delugo, hunc esse illorum verborum sensum, ex eo, quod ob maiorem certitudinem consulere voluit de vero sensu D. M. A. Maraldum, à quo ex iussu Vrbani, constitutio ista fuit composita, & subscripta, & à quo verba illa fuerunt apposita, & Maraldus respondit, hunc fuisse sensum intentum in prædictis verbis, admirans, quo pacto à nonnullis accipi potuissent in alium sensum: sic respondendo ad obiectionem discurrit Delugo, & quamuis responsio ista sit probabilis, & præsertim posita testificatione prędicta, licet ore tenus, nihilominùs alia responsio mox explicanda mihi magis placet.

94 Pro solutione autem huius rei aduertẽdum est, in verbis prædictis duo esse spectanda, & declaranda, videlicet terminum ad quem diriguntur verba illa, & sensum in eisdem verbis à Pontifice intentum.

Declarantur verba illa) Sedi Apostolicæ quoad sibi reseruata) & soluitur obiectio.

95 Quoad primum, aio, terminũ, ad quem prædicta verba referuntur, esse tantùm Sedem Apostolicam, cui immediatè annectuntur; vt rectè docet Delugo; & non esse Prælatos Regulares. Probatur; quia si Prælati essent terminus, & verba ad ipsos referrentur; per hanc constitutionem Vrbanus eorum potestati circa Sacramẽtum Pœnitentiæ administrandum, quam habent in Subditos, apertè derogaret; & per consequens non ampliaret, vt ipsemet Vrbanus profitetur, sed limitaret decretũ Clementis; Clemens enim per illud suum Breue nolens restringere Prælatorum Regularium potestatem, declarauit, Religiosos, quoad electionem Cõfessarij propriorum Prælatorum dispositioni esse subiectos: per hunc autem loquendi modum absolutum, & absque coarctatione, extenditur declaratio prædicta ad vtrumque peccatorum genus, tum reseruatorum ipsis Prælatis, tum etiam eisdem nõ reseruatorum; & decernitur, vt respectu horum omnium, Religiosi in electione Confessarij maneant subiecti dispositioni suorum Superiorum. Intendens igitur Vrbanus innouare, confirmare, & ampliare hoc Clementis decretum, non poterat illud restringere; nam vnũ est alteri repugnãs; proinde neque poterat verba illa, in quibus est sermo de reseruatis dirigere ad Prælatos; quia vt sic solùm prohiberet Religiosis electionem Confessarij quoad reseruata, & non quoad peccata non reseruata; atque adeò restringeret dispositionem Clementis.

96 Sed si quis obijciendo vrgeat: Quicumque sit ille terminus, ad quem verba ista referuntur; cum ex se limitationem importent, & apponantur ab Vrbano, & non à Clemente, negari non poterit aliquam limitationem inueniri in constitutione Vrbani, quæ deest in constitutione Clementis; & ideò illam esse huius limitationem.

Verba prædicta videtur limitare constitutionem Clementis.

97 Respondeo quamuis verba illa ex se quamdam afferant limitationem: tamen non ponũt limitationem, quæ aliquo modo non habeatur in constitutione Clemẽtis. Et ad hoc intelligendum supponendum est Vrbanum per talia verba voluisse declarare conditionem aliquam, quæ de iure inest, & intelligitur implicitè imbibita in dispositione Clementis; conditio autem est de se nota, nempè posse Pontificem ita sibi reseruare casus, vt ab omnibus inferioribus adimat facultatem, illos remittendi, omneque priuilegium contrarium irritet; at cum Vrbanus, sequens Clementis vestigia, subiecisset Religiosos, quo ad electionem Confessarij totali dispositioni Prælatorum; statim declarat hoc non esse intelligendum de reseruatis Sedi Apostolicæ, pro quibus Religiosi dispositioni eiusdem Sedis, & non propriorum Prælatorum subiecti esse debent.

Limitatio ista simpliciter est imbibita in constitutione Clementis.

98 Contra hanc veritatem omnibus notam non potuit Clemens oppositum statuere; & licèt absolutè sine expressione talis conditionis sit loquutus: nihilominus conditio, cum de iure insit, intelligitur inclusa in eo modo loquendi, ideoque id, quòd Vrbanus, ad deceptionem vitandam, explicitè asseruit, Clemens implicitè apposuit; proindè hæ duæ Constitutiones non sunt contrariæ, neque constitutio ista Vrbani est restrictiua constitutionis Clementis, neque continet limitationem, quæ in constitutione Clementis aliquo pacto non inuenitur. Et hæc de primo puncto.

99 Circa secundùm, scilicet de sensu verborum; distinctione vti debemus: & ideò dico supponendas esse duas opiniones, quarum prima agnoscit nonnulla priuilegia concessa Prælatis Regularibus, ad absoluendos suos Subditos, quæ collectiuè sumpta absorbent; vt ita dicam, omnem casum Papalem, nullumque relinquunt, tum extra Bullam Cœnæ, tum in illa, (etiã comprehendendo hæresim) à quo Prælati absoluere possunt Subditos: hæc au-

Aliqui volũt per priuilegia Regularium omnem casũ Papalem absolui posse.

Franc. Bard. in Bull. Cruc.

autem priuilegia si quis scire desiderat, legat *Portellum tom. 1. dub. reg. verbo Abbas. nu. 12, & tom. 2. respon. moral. cas. 3. num. 5. & cas. 41. post numerum tertium, Item Suarez tom. 4. de relig. lib. 2. cap. 30. nu. 12. Merollam in disp. moral. tom. 2. disp. 4. cap. 6. nu. 136. & alios, legat etiam Compendium priuilegiorum nostræ Societatis verb. absolutio. §. 7. 10.* Præterea prima ista sententia negat, priuilegia prædicta esse reuocata per Bullam Cœnæ.

100 *Alij oppositũ censent.* Secunda autem opinio censet, priuilegia contraria Bullæ Cœnæ per eamdem Bullam esse reuocata; & per consequens aliqua inueniri peccata soli Summo Pontifici reseruata; ita vt in Prælatis regularibus nulla sit potestas ab eis absoluendi Subditos, etiam in foro conscientiæ: has opiniones in præsentia examinare non curo; de illis enim egi in tractatu de casibus reseruatis. His autem positis, aio, quod si admittatur prima opinio; tunc verba illa *(Quoad sibi reseruata)* non sunt accipienda, vt designatiua temporis præsentis, & actualis reseruationis, quæ sit de facto; *Respondetur difficultati secundũ vtrãque opinionẽ.* quia iuxta hanc sententiam priuilegia auferunt à Prælatis, in ordine ad subditos, omnem reseruationem actualem; idcircò nõ potuit Vrbanus loqui de tali reseruatione, nisi reuocando priuilegia contraria, quod tamen non fecit; proinde verba illa essent sumenda, vt designatiua temporis futuri, seu aptitudinalis reseruationis, aut indifferenter cum abstractione ab actuali, aut aptitudinali tantùm reseruatione, & sensus erit veluti conditionatus; nimirum si datur, aut dabitur casus soli Sedi Apostolicæ reseruatus, tunc Religiosi eidem Sedi tantùm pro talibus reseruatis subiecti esse debebunt, & non eorum Superioribus.

101 Si verò magis placebit secunda sententia: sensus erit de reseruatione etiam actuali, & de præsenti, videlicet quoad sibi reseruata, quæ de facto sunt talia, vel in posterum reseruabuntur, subjicientur Religiosi pro illorum absolutione, Sedi tantum Apostolicæ.

§. V.

An Regulares, saltem cum licentia Superioris valeant sumere Cruciatam in ordine ad illos duos effectus.

102 *Declaratur quæsitum.* Decreuimus cum vera sententia, non posse Regulares virtute Cruciatæ eligere Confessarium, & ab eodem absolui à mortalibus: sed quoad hunc articulum subijci dispositioni proprij Prælati, vt Pontifices in prædictis constitutionibus aperte declararunt: nunc autem est inquirendum; an saltem posito consensu Superioris valeat Religiosus vtiliter sumere Cruciatam, & eius virtute ad sui libitũ eligere Confessarium, & ab eodem absolui, siuè à peccatis reseruatis, siuè à non reseruatis? Antequam autem aperiamus quid sit in hac re secundùm veritatem amplectendum,

Pro solutione controuersiæ aduertendum est, quod primo aspectu præsens quæsitum inutile prorsus alicui videri posset, quia legitimus Superior, cum ordinariam habeat potestatem in Subditos circa administrationem Sacramenti pœnitentiæ, poterit siuè ex toto, siuè ex parte eam alteri, ad sui libitum delegare, vt ex communi Doctorum consensu est certum, & in præsentia supponitur, proindè quærere, an cum licentia Superioris valeat Religiosus Bullam Cruciatæ sumere, vt Confessarium eligat, & ab illo absoluatur, videtur omninò vanum: quoniam eo ipso, quod Superior concedit facultatem accipiendi Bullam in illum finem, implicitè, & virtualiter videtur Confessario eligendo potestatem in suum subditum delegare: si enim potest absolutè, & simpliciter vices suas alteri committere, quid prohibet, quin hoc ipsum faciat cũ illo addito, nempè cum Bullæ sumptione? Quapropter controuersia ista inutilis videtur. Cæterũ res non ita se habet; quia si termini huius controuersiæ rectè proponantur; statim videbitur quæsitum vtile, & non vanum esse: nam si vera est sententia multorum, qui sustinent, in Prælatis regularibus non esse facultatem absoluendi subditos à casibus in Bulla Cœnæ contentis, & Religiosus labatur in aliquem casum ex illis V. G. legat curiosè libros prohibitos ab Hæreticis editos tractantes de hæresi, vel de religione; vel in aliquem alium casum, tunc cum in Bulla detur potestas absoluendi ab his casibus (hæresi excepta) poterit Religiosus iste vtiliter licentiam petere à suo legitimo Superiore ad Bullam capiendam, & ad eligendum Confessarium, vt vi eiusdem Bullæ absoluatur. Et licet altera opinio, quæ in Superioribus respectu subditorum agnoscit talem facultatem, sit valdè probabilis: nihilominus poterit Religiosus pro maiori securitate, per Bullam absolui; quia vt sic in Confessario electo erit facultas absoluendi certa, & non probabilis; si Superior poterit vsum Bullæ ad talem effectum concedere. Rursus potestas quæ in Superiore reperitur, est diuersa ab ea, quæ per Bullã datur; proinde poterit

103 *Quæsitum ut est inutile.*

Su-

Superior, ob aliquem finem esse contentus, vt electio Confessarij, & absolutio fiat virtute vnius, & non alterius potestatis, nimirum virtute Bullæ, & non vi suæ facultatis; & quamuis vltimus iste casus sit potius speculatiuus, quàm practicus, cû vel numquam, vel rarissimè contingere queat: tamen cum non sit impossibilis, in eo locum habere poterit quæsitum. His præhabitis.

104 *Refertur prima sententia negatiua.* Prima sententia est negatiua, quam nônulli tuentur, videlicet *Collector priuileg. Mendic. verb. Cruciata ad §. 5.* cui adhæret *Suarez tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 16. num. 9. in fine, & Alij.* Fundamentum autem, cui innituntur hi Authores sequenti argumêto declaro, & tali pacto côfirmo. Regulares non sunt inclusi in priuilegio Cruciatæ, quoad effectum eligendi Confessarium, & absolutionem à reseruatis; Ergo non poterit eorum Prælatus regularis illis concedere facultatê vtendi Bulla quoadhunc effectum. Antecedens nunc supponitur, vt fusè probatum in præcedentibus: Côsequentia verò sic ostenditur. Inclusio ista, aut nô Inclusio totaliter depêdet à voluntate Summi Pontificis; igitur cum Pontifex declaret suam intentionem esse, eos non includere, vt vidimus in constitutionibus relatis, non poterit Prælatus regularis, qui est Pontifice inferior, eos includere; ita discurrere possumus probantes hanc negatiuam sententiam.

105 *Alia sententia affirmat.* Secunda autem sententia est affirmatiua, eamq; docent *Ludouicus à Cruce in Bullam disp. 1. cap. 1 dub. 12. nu. 2. & clariùs dub. 13. sequente. Trullench lib. p. §. 7. cap. 1. dub. 1. ex communi Doctorum opinione, vt ipse inquit, & ex antiquioribus Rodriq. in Bullam §. 9. nu. 25. idemq; videtur asserere Henriquez in summa lib. 7. cap. 22. nu. 4.*

106 *Posse Regulares cum licentia Superioris vti Bulla quoad absolutionem à reseruatis.* Dicendum est, cum licentia legitima Superioris, posse Religiosum frui priuilegio Cruciatæ in ordine ad illos duos effectus; proinde verissimam censeo sententiâ, secundo loco relatam; quam efficaci argumento in hunc modum ostendo. Facultas illa, quæ datur per Cruciatam ad eligendum Confessarium pro absolutione à reseruatis, quantùm est ex se præscindêdo ab illo inconuenienti, quod diximus sequi, si in libertate Religiosorum foret, vti Bulla in ordine ad absolutionem, & præscindendo à præiudicio Tertij, nempè Superiorum regularium, in quibus residet ordinaria potestas approbandi, & designandi Confessarium pro Subditis, & pro absolutione à reseruatis, præscindendo inquam ab his, illa Generalitas personarum, quibus conceditur facultas sumêdi Bullam pro dicto effectu, includeret Regulares; quia tunc, facta prædicta præcisione, Concessio huius facultatis nullam specialem rationem, & deformitatem Inuolueret, atque adeo Regula illa iuris in 6. non haberet locum, & etiam cessaret declaratio facta à Pontificibus per supradictas constitutiones, quæ fundantur in inconuenientibus, quæ sequerentur; ratione quorum Ius in illa generalitate non includit Regulares, & dum Superior dat licentiam vtendi Bulla ad illos effectus, cessant inconuenientia prædicta; nam Superior cedit iuri suo. Rursùs dum Subditus se manifestat, & Superior dat licentiã, regularis disciplina non patitur detrimêtum, quia omnia fiunt cum debita subordinatione, & dispositione Prælatorum, & sic desinit omninò motiuum, quo Ius statuit sub illa generalitate non comprehendi ea, quæ verisimiliter alius non esset côcessurus; ac proinde verba illa vniuersalia, ablato impedimento, incipiunt se extendere ad Religiosum illum, carente hic, & nunc speciali illa ratione, ob quam secundùm ius non poterat includi in illa generalitate.

Neque dicas esse impedimentum proueniens à decretis prædictorum Pontificum declarantium Bullam non habere locum in Regularibus, quoad illum effectum quia. 107

Impediuntur Regulares in vsu Bullæ nô à Pontifice imponente nouum impedimêtum, sed declarâte impedimentum Iuris communis. Respondeo. Declaratio ista non ponit distinctum impedimentum ab eo, quod ponit Ius, sed solùm procedit declarâdo impedimentum iuris; immò id, quod dicimus circa validitatem huius concessionis magnum habet fundamentum in verbis illarum constitutionum: nam post declarationem factam, Pôtifices statuerunt Religiosos, quantùm ad hunc articulum subijci debere ordinariæ dispositioni suorum Prælatorum: quæ verba indicant Religiosos non esse inclusos; quia inclusio esset præiudicialis potestati ordinariæ Superiorum, & Regulari disciplinæ; si electio Confessarij fieret independenter à voluntate, & consensu Superioris. Et côfirmatur hæc opinio ex nonnullis decretis diuersorum Pontificum, quæ referuntur *ab Aegidio Trullench lib. 1. in Bullam §. 7. cap. 1. dub. 9. nu. 5. 6. 7.* sed satis nobis erit aliqua afferre, & primum sit: Motus proprius Pij V. qui interdicens Fratribus Ordinis Prædicatorum vsum Bullæ pro electione Confessarij expressè ponit prohibitionem, quando electio illa fieret absq; Superioris licentia, & quod maius est In eodem Breui præcepit Superioribus, vt in vsu huius potestatis benigni, & faciles se exhibeant suis subditis, & hoc ipsû expressè colligitur ex decr. Greg. XIII. pro nostra Societate, per quod prohibet Nostris Religiosis vsum Cruciatæ, & similiû: *Pius V. prohibicit Regulares, quo ad vsû Bullæ dispositioni Prælati.*

sed concedit posse id fieri dependenter à voluntate Superiorum, vt patet ex eiusdẽ *Eodem modo subdidit Gre. 13. Religiosos Societatis pro prio Prælato,* Gregorij constitutione *die 3. Maij Anno 1575.* quæ extat in nostro libro litterarum Apostolicarum: & quamuis constitutiones istæ non sint vniuersales, sed pro determinatis Religionibus, nihilominus placuit eas proponere; vt ex illis intelligamus intentionem Summorum Pontificũ, prohibentium Religiosis vsum Cruciatæ, non esse excludere potestatem à Superioribus; adeo vt nequeant illis concedere prædictum vsum: Et quamuis in constitutionibus Clementis, & Vrbani, in quibus est generalis, & rigorosa prohibitio pro omnibus Religiosis explicitè nõ ponatur, quod cum licentia Superioris valeant Regulares vtiliter Bullam accipere in ordine ad dictum effectum: tamen si rectè cõsiderentur vtriusque constitutionis verba, id non obscurè colligetur, vt diximus, & confirmabimus ratione mox afferẽda. Illud enim, quod interdicitur Religiosis per illas cõstitutiones Clem. & Vrbani, nõ est nisi ea libera facultas eligendi Confessarium eo modo, quo sæcularibus indulgetur in ipsamet Bulla Cruciatæ, nempè esse in eorum voluntate, absque alia licentia, eligere vi Bullæ Confessarium, &c. Quod *Inutile esset non includere Regulares accedẽte consensu Superioris.* autem talis fuerit intentio Pontificum, suadetur manifesta ratione; quia vanum, & inutile fuisset prohibere vsum Cruciatæ, quoad electionem dictam, etiam cum consensu Superioris; cum ipse Superior facultatem liberam eligendi Cõfessarium in ordine ad sibi reseruata, poterit pro suo arbitrio, Religiosis concedere; & ideo in ordine ad Regularem obseruantiam, quæ fuit finis vnicus edendi Breuia illa, nihil profuisset prohibitio Cruciatæ, accedente Superioris licentia. Hæc autem sententia confirmabitur soluendo rationem fundamentalem à nobis initio positam.

109 *Ponitur distinctio ad soluendum argumentum.* Ad soluendum Argumentum in contrarium animaduertendum est negationem inclusionis in aliquo priuilegio relato ad aliquas personas, & continẽte generalitatem subiectorum, quibus ipsum priuilegium conceditur, esse in duplici dif- *Duplex est nõ inclusio.* ferentia, primò potest absolutè referri ad personas non inclusas præscindendo à circumstantijs extrinsecè aduenientibus, seu à qualitatibus, quibus affectæ esse possunt tales personæ: secundò poterit referri ad personas illas quatenus stant sub tali, vel tali circumstantia, seu qualitate; ita vt si aliqua persona ex illis non esset tali qualitate, aut circumstantia affecta, comprehenderetur in priuilegio inuoluente generalitatem illam subiectorum. Declaratur præsens distinctio, illam restringendo ad subiectam materiam; si ergo igitur Si Pontifex per suam constitutionem declararet Regulares esse priori modo nõ inclusos, seu declararet suam intentionem esse eos absolutè non includere; tunc manifestum foret includi non posse à Prælato Regulari, qui est Pontifice inferior; Verum si declaratur nõ inclusi posteriori modo, nẽpè *Non inclusio ista est cum ordine ad voluntatem Superioris.* quatenus eorũ inclusio infert præiudicium disciplinæ religiosæ, & Iurisdictioni proprij Prælati, tunc licet manente tali circũstantia, non censeantur inclusi; nihilominus cessante præiudicio, generalitas personarum, quæ in Bulla habetur, & priùs impedita, non extendebatur ad Religiosos, statim ablato impedimento, incipit illos comprehendere, & non solùm, quoad significationem grammaticalem, sed etiam quo ad significationem iuridicam, definẽte impedimento illo iuris communis statuentis in Generali Concessione non venire ea, quæ quis non esset verisimiliter concessurus in specie; ista enim verisimilitudo omnino desinit posita licentia Superioris, proinde deficiente speciali ratione, per quam Regulares non censebantur inclusi in priuilegio illo, Generalitas prædicta extenditur ad omnia subiecta in sua significatione contenta. *Responsio directa ad argumentum.* Ad argumentum igitur in forma directè respondeo distinguendo antecedens. Regulares nõ sunt inclusi iuxta primã acceptionẽ, hoc est, à Pontifice declarantur absolutè non inclusi cum præcisione ab omnibus extrinsecis circumstantijs supernenientibus, nego antecedens. Non sunt inclusi iuxta secundã acceptionẽ, in quantũ carentes licentia Superioris eorum inclusio esset præiudicialis modo explicato, concedo antecedens, & distinguo consequens: Inclusio, aut non Inclusio, prout de illa in præsentia loquimur, totaliter dependet à voluntate Pontificis, cum respectu ad consensum proprij Prælati iuxta dispositionem iuris communis, concedo; sine tali respectu, nego consequentiam.

Dices quamuis posito consensu Prælati 110 *Obiectio quæ pbat paritatem inter legem, & constitutionem hanc Pontificiam cessante in particulari vtriusque fine.* cesset finis, quem habuit Pontifex ad non includendos Regulares, tamen ex hoc nõ sequitur Religiosum illum, qui habet licẽtiam Superioris posse vti Bulla, quo ad prædictum effectum, & esse inclusum in generalitate illa personarum, probatur à pari; nam sicuti, vt communiter dicunt Doctores, etiam si cesset finis adæquatus legis in aliquo casu particulari, propter hoc non cessabit lex in casu illo, sic & in casu nostro constitutio Pontificia vt continẽs declarationem superiùs dictam nõ cessabit, licet in illo particulari Religioso desierit finis, quem habuit Pontifex.

Respondeo. Quicquid sit de efficacia 111 legis, quando cessat eius finis adæquatus in

Disparitas inter legis cessationem in casu particulari, & cessationem finis huius constitutionis.

in casu aliquo particulari; nam multi oppositum sentiunt, vide *Iacobum Granado in p.2.controu.7.p.2.d.15.sect.2.* aio tamen disparem esse rationem inter legem, & constitutionem istam Pontificiam quatenus inuoluit declarationem, quia vt includens declarationem, non se habet vt lex, quia vt sic non disponit, sed solùm manifestat voluntatem Principis concedentis priuilegium, aut condentis legem circa ea; quæ fuerunt priùs disposita, & ideo in casu nostro cum non Inclusio Regularium totaliter sit in gratiā religiosæ obseruātiæ, & iurisdictionis Prælatorum; idcirco cessante præiudicio isto, & cedente Prælato iuri suo, constitutio, vt declaratoria potiùs tendit ad includendos, quàm ad non includendos Regulares, dum eos circa administrationem Sacramenti pœnitentiæ omninò subdat Prælatorum dispositioni.

§. VI.

Quis nam Superior legitimè concedat licentiam ad illum effectum. Et an Tacita sufficiat.

112 *Conditiones requisitæ ex parte Superioris concedentis vsum Bullæ, & ex parte Subditi*

Diximus in præcedentibus, cum licētia legitimi Superioris posse Regulares Bullam sumere ad eligendum Confessarium, & ad absolutionem recipiendā, etiam à reseruatis. Circa hanc conclusionem duo videntur aperienda, quorum Vnum se tenet ex parte personæ, à qua licētia petitur, nempè ex parte Superioris, qui debet esse talis, vt licentia, quam concedit, sit legitima: Alterum verò se tenet ex parte ipsius licentiæ, quæ prout facit ad rem præsentem, duplex esse poterit, expressa, & tacita. In hoc igitur paragrapho vtrumque est declarandum, & qualitas Superioris, & conditio licentiæ.

113 *Declaratur Superior legitimus ad concedendam hāc licentiam.*

Et ad primum membrum respondeo breuiter, Superiorem legitimum in hac re esse illum, qui auctoritate ordinaria potest absoluere Religiosos à casibus reseruatis. Conclusio est certa, eamque docet *Ludouicus à Cruce in Bullam disp.1. cap.1. dub.13.quæst.2.nu.3.* Et ratio est manifesta, quia ordinaria potestas absoluendi ab his casibus debet residere in illo, qui vel immediatè illos sibi reseruauit; vel in Successore in eodem officio; vel denīq; in alio, qui licet sit reseruante inferior; tamē intuitu dignitatis, & non ad tempus, sed perpetuò facultas conceditur circa absolutionem ab illis reseruatis, vt sunt in Religione Superiores locales respectu Generalis, &c.

114 Quod autem habens potestatem ordinariā possit eam delegare, ex cōmuni cōsensu supponimus, vt certum, *ex Cap. Inter cætera de off. ord.* habet enim illam veluti rē propriā, & suā. Quapropter pro voluntatis arbitrio valet illā alteri cōmmittere; at habens delegatā nō possidet illā vt propriā, & sic nō potest eam ad libitum alteri cōcedere. Alias differentias, inter vtrāque potestatem, non est huius loci examinare; & ideò secundùm ius commune auctoritas prædicta inuenitur Primò in Capitulis, seu Congregationibus Generalibus, & in Generali totius Ordinis: Secundò in Prouinciali, aut in alio, qui toti Prouinciæ præest: Tertiò denique in Prælatis localibus immediatis, vt in Præpositis, Rectoribus, Guardianis, & similibus; nisi in aliqua Religione secūdùm ius speciale, talis potestas sit interdicta, aut limitata Prælatis localibus; quia tunc eorum licentia, ad Bullam sumendam pro effectu prædicto, non erit sufficiens: Carere autem quosdam Prælatos locales tali potestate asserit *Ludouicus à Cruce l. c.* & ideò in tali Religione seruanda sunt eius iura, & consuetudines.

Habens potestatem ordinariam potest illam delegare.

Quæres, An Viceprouinciales, Vice-Præpositi, &c. validè proprijs Subditis hāc licentiam concedant? Respondeo quando vicem gerunt, quia nullus est Prouincialis, Præpositus, &c. certum erit in illis esse potestatem ordinariam; ac proinde licentiam illam validè concedere: hi autē, secundùm ius commune, succedunt in tota illa potestate, quæ residebat in Prouinciali, Præposito &c. nisi sit in aliquo limitata, secundùm ius speciale Religionis; si verò officia ista non vacent, sed Prouincialis solum per aliquod tempus, recedat à Prouincia, & Prælatus localis à suo Conuentu; tunc in his Vicegerentibus puto neque esse potestatem ordinariam, neque ab eisdem licētiam validè dari posse; quia carēt facultate ordinaria absoluendi Subditos à reseruatis, eorumque potestas est tantùm delegata. Vide *Suarez in simili de his loquentem tom.4. de Relig. lib.2. cap.22. à num.5. Portellium in addit. ad dub. Regul. verb. Prælati potestas nu 3. & verb: Prouincialis nu. 4. 5.* vbi multa pertractat de hac re. Multò magis est dicendum, non esse hanc potestatem in illis Superioribus, qui in nostra Societate Ministri vocari solent, & in similibus, in alijs Religionibus: Hi enim non sunt Prælati, & non habent aliā auctoritatem, nisi eam, quam accipiunt à suis Prælatis.

115 *Vice Prouinciales, Vice Rectores, &c. an possint hāc licentiam dare.*

Ad secundum autem membrum quęsiti; aio duas esse sententias; prima enim est affirmans, & vult sufficere licentiam tacitam; quam opinionem defendit *Hēriquez in summa lib. 7. cap. 22. nu.4. Emanuel Rodriquez* 116

Aliqui sufficere tacitam licentiam autumant.

driquez in Bullam §.9. *nu.* 28. & satis probabilem, & piam eam appellat *Ludouicus à Cruce loco citato, & Aegidius Trullench in eamdem Bullam lib.* 1. §.7. *cap* 1. *dub.* 9. *nu.* 28. Probant autem hanc opinionem paritate quadam, nam Leo. X. prohibuit Religiosis non solùm Bullæ vsum ad articulum prædictum; verum etiam ad comedendum cibos vetitos, vt refertur in *Compendio Priuileg. Mendic. titul. Cruciata in fine, & titul. Absolutio Ordinaria, quoad Fratres* §. 21. Et tamen tacitus consensus Prælatorum, vt experientia ostendit, satis est, vt Regulares vtantur Bulla, ad vescēdum cibis prohibitis: Ergo etiam tacitus consensus eorumdem Prelatorum erit sufficiens, vt ipsi Regulares sumant Bullā in ordine ad articulum Confessarij, & absolutionis. Potest etiam hoc ipsum probari ex eo, quod qui potest impedire, & prohibere, si videat, & taceat, censebitur consensum præstare; talis enim consensus existimatur efficax ad iurisdictionem cōferendam; vt testantur Doctores, & expressè docet *Nauar. cap. Placuit de pœnit. dist.* 6. *nu.* 96. Sic discurrunt Authores huius sententiæ.

117 *Negans alij.* Secunda autem opinio negat: & eam vt probabiliorem amplectitur *Ludouicus à Cruce loco citato* fundās illam in Pontificijs constitutionibus, quæ videntur requirere expressam Superiorum licētiam, & affert Breue Leonis. X. qui talem consensum explicitum postulat. Pro huius difficultatis solutione aduertendum est, de re hac posse nos bifariam loqui. Primò quatenus tacita licentia sumitur per ratihabitionem de futuro; inquantum Subditus sibi persuadet, quod si peteret licentiam; Superior eam concederet, seu quòd postea sit approbaturus factum: & hæc est, propriè loquendo, ratihabitio, quæ est voluntas illius, qui factum ratum habet, illud supponens; Secundò dici solet, quamuis minùs propriè, licētia tacita quatenus importat ratihabitionem de præsenti, videlicet voluntatem Superioris, quibusdā indicijs positiuis, aut negatiuis, exteriùs manifestatam, V. G. si Superior sciens, & videns Subditum vtentem re illa, de qua requiritur licentia, concurrat exercendo actionem aliquam, quæ est medium necessarium ad rem illam; vel conferat ad illam obtinendam, & hoc faciat ex scientia, & libertate; tunc dicitur volantas Superioris exteriùs signis positiuis, manifestata: si verò Superior videat Subditum vtentem re illa, & cum facilè possit impedire illum, non impediat, tunc dicitur manifestare suum cōsensum signis negatiuis, & vtrolibet modo res eueniat, à Doctoribus consensus iste appellatur ratihabitio de præsenti. His omnibus præmissis.

Dico primo. Licentia tacita per ratihabitionem de futuro, non est sufficiens, vt Religiosus validè sumat Bullam in ordine ad electionem Confessarij. Probatur, quia quoties aliquid requiritur ad valorē actus, & non tantùm ad honestatem illius, debet necessariò illud præcedere positiuè, quoniam, vel se habet, tanquam caussa efficiens, vel ad eius complementum pertinet; vt inductione, tùm in rebus Physicis, tùm in Moralibus ostendi potest: licentia autem ista, seu Superioris consensus, requiritur ad valorem actus, nempè ad validam sumptionem Bullæ, Confessarijque electionem, &c. & hoc ex varijs Pontificū constitutionibus, per quas subduntur Religiosi dispositioni suorum Prælatorum circa Sacramentum Pœnitentiæ; atque adeò nisi actu, & positiuè præcedat dispositio ista, quicquid fiet circa hoc Sacramentum, nulliter fiet: Ergo licentia tacita per ratihabitionem de futuro, non est sufficiens, cum neque fiat tempore, quo exercetur actus; neq; antea fuerit; ideòque in talem actum influere non poterit, & per consequens nequibit illum validare. Et confirmatur ex Motu proprio Vrbani, per quem irritatur, & annullatur, quod fit contra suam constitutionem; scilicet Confessio facta per Bullam, & independenter à dispositione Prælati. 118 *Licentia tacita est duplex.* *Ratihabitio de futuro nō sufficit.*

Dico secundò. Si licentia, & consensus Superioris erit per ratihabitionem de præsenti modo explicato, probabiliùs censeo esse sufficientem ad hunc effectum, præscindendo tamen à Decretis Pontificum, si aliud statuant, vt videbimus. Probatur Conclusio; quia in tali casu licentia Superioris positiuè præcedit actum, proinde eundem validare poterit, & licèt exteriùs in se ipsa non sit Subdito manifestata, in alio tamen censetur declarata, nempè in illis signis externis, siuè positiuis, siuè negatiuis, vt explicauimus. Et confirmatur à paritate; nam sicuti in Physicis caussa principalis, dum producitur effectus, non oportet, vt actu in se existat, & per se ipsam influat, sed satis erit, si in alio existat, & per illud influat: sic in casu nostro sufficientem habemus influxum moralem in actum ex eo, quòd licentia interiùs manēs existit in indicijs illis. Rursus à fortiori Doctores dicunt, ad valorem absolutionis Sacramentalis sufficere approbationem tacitam à legitimo Superiore, quando est per ratihabitionem de præsenti, vt dicitur in materia Sacramenti Pœnitentiæ, & docet *Suar. tom.* 4. *in* 3. *p. dis.* 27. *sect.* 4. *nu.* 15. *De Lugo ibidem disp.* 19. *sect.* 2. *nu.* 23. & alij communiter. Duo tamen censeo aduertenda esse circa licentiam hanc 119 *Satis erit ratihabitio de præsenti, & declaratur.*

hanc tacitam. Primò indicia debere esse talia, vt caussent moralem certitudinē de voluntate Superioris; si enim sunt tantum dubia, aut probabilia, non erunt sufficientia; quia cum tali dubio, seu probabilitate esse poterit voluntas negatiua cōtraria; & cum licentia debeat dare valorē actui, oportet, vt actu existat, & non solùm præsumptiuè. Secundò est aduertendum licentiam, quæ in hac re à Pontificè postulatur, debere esse hominibus proportionatam, nempè sensibilem; rursus istam sensibilitatem non sufficere, vt sit quæcumque, sed debere esse talē, vt quantùm est ex se, sit ostensiua consensus, qui est in Superiore. Et ideò ex hac doctrina infero; quòd etiam si Superior interiùs cōsentiat, si tamen exteriùs sufficienter id nō manifestat, nequit Subditus frui Bulla ad prædictum effectum: quia talis licentia non est ea, quæ requiritur. Præterea interiùs, tamen præbeat signa contraria, quantùm est ex se ostensiua consensus, & nō dissensus; poterit Subditus validè vti Bulla, quia hæc est illa licentia requisita, nempè ea, quæ modo humano accomodatur. Dixi (*quantùm est ex se ostensiua*) quia nō est satis, vt ipse Subditus aut vnus, aut alter per errorem putet signa esse, sufficientia, sed oportet in ordine ad homines communiter esse talia.

Si Superior exterius pbeat signa ostensiua consensus, etiam si interiùs dissētiat, Subditus licitè vtitur Bulla.

117 Dico tertio. Si Pōtifex requirat licētiā expressam, non erit sufficiens tacita; explicitum enim est distinctū ab implicito, & vnum non est aliud, aliter qualitas, seu conditio illa expressionis inutiliter esset à Pontifice apposita, quod tamen non est asserendum. Et sic in nostra Societate nō sufficit licentia tacita; quia vt infrà videbimus, Gregorius XIII. in suo decreto, de hac re pro Societate expressam licentiam postulat; in hac etiam opinione est *Ludouicus à Cruce l. c.* loquens de ordine S. Bernardi; de Minoribus obseruantiæ; & de nostra Societate: & hoc ideo asserit, vt puto, quia forsitan pro illis Ordinibus extat simile decretum, requirens expressam licentiam Superioris: Ex constitutione verò Vrbani, hoc non ita clarè colligitur; licet dictus author velit id deduci posse, & cum constitutio ista sit vniuersalis, infert in omni Religione esse necessariam licentiam expressam pro effectu supradicto.

Quādo postulatur licētia, expressa non sufficit tacita

118 Ex his omnibus dilui possunt fundamēta primæ opinionis. Et ad primum respōdeo, per illud, nihil aliud probari, nisi quod licentia tacita, per ratihabitionem de præsenti, ex se sit sufficiens; hoc autē à nobis minimè negatur; nisi tantum in casu illo, in quo Summus Pontifex per aliquod Breue requireret licentiā expressam; & ideo Leo. X. decreuit virtute Bullæ Mendicantes non posse vesci cibis vetitis sine licentia expressa, &c. tunc enim non possent illos comedere cum licentia tantùm tacita; nisi per consuetudinem legitimè introductam, abrogatum fuisset decretum illud. Ad secundum argumētum dico consensum illum esse de præsenti, quem nos admittimus, nisi oppositum, vt dixi, sit cautum.

Quando non requiritur expressa, satis erit ratihabitio de præsenti

Ad fundamentum secundæ opinionis aio, quod dum extant Breuia Pontificia, postulātia consensum Superioris expressum, non sufficit tacitus: hoc autem non est contra nos; sed est à nobis admissum in tertia conclusione. 119

§. VII.

Vtrum Regulares absque Prælati consensu fruantur Bulla quoad alia Priuilegia, excepto illo de electione Confessarij.

PRæter priuilegium eligendi Confessarium, & obtinendi absolutionem à peccatis mortalibus, tùm reseruatis, tùm non reseruatis, quamplura alia in Bulla Cruciatæ continentur priuilegia: hactenus loquuti sumus de Indulto circa Sacramentum pœnitentiæ, statuentes iuxta varia Pontificum decreta, non posse Religiosos vti Bulla in ordine ad electionem, & absolutionem prædictam sine proprij Prælati consensu; hoc autem posito remanet dubitatio, an idem dicendum sit de reliquis indultis in Cruciata contentis, videlicet an ad illorū vsum Religiosi dependeant à suis Superioribus, ita vt sine legitimi, Prælati licentia, nullo prorsus priuilegio Cruciatæ frui valeant; an verò oppositū, nempè quoad alias gratias præter electionem Confessarij posse Regulares Bullam sumere, & alijs indultis gaudere etiam absque Superioris licentia. 120

121 Dicendum est primò Religiosos nostræ Societatis nullam ex Gratijs in Cruciata contentis lucrari posse absque expressa licentia legitimi Superioris. Conclusio est certa in constitutione Gregorij XIII. edita 3. Maij 1575. quæ habetur in libro litterarum Apostolicarum pro Societate fol. 141. & refertur *in nostro Compendio Priuileg. verb. absolutio* §. 11. & iterum idem Pontifex viuæ vocis oraculo hoc ipsum confirmauit *die 29. Octobris 1589.* Ergo nequeunt Religiosi Societatis sumere Bullam in ordine ad aliquam gratiam, nisi expressè Superior id concedat, quod ad suū libitū poterit vsum harum gratiarum limitare, concedendo tantum aliquos

Alij Religiosi à Societate gaudent Bullæ priuilegijs præter illud de eligēdo Cōfessario &c.

quos

quas, & non alias, vt colligitur ex eadem Gregorij constitutione.

122 *Nullum inuenitur Breue Pontificiũ per quod excludantur.* Dicendum est secundò. Si inspiciamus Breuia, quæ à diuersis Pontificibus emanarunt, excipiendo ea, quæ pro nostra Societate edita sunt, nullum inuenio Breue, per quod Religiosis interdictus sit vsus Cruciatæ, quoad alias facultates, exceptis ijs, quæ concernunt Sacramentum pœnitentiæ, & hoc probare nequeo efficaciori argumento, quàm negatiuo, quod in re hac est validissimum; nam intantum Religiosos excludimus à priuilegio Confessionis, inquantum Pontifices declararunt eos non esse inclusos in dicto priuilegio: Igitur si quoad alia nulla incontrarium apparet declaratio, aut exclusio, asserere debemus posse illos frui reliquis priuilegijs independenter à consensu Superioris; & confirmatur quia ex libero vsu harum gratiarum non sequitur detrimentum circa regularem disciplinam, ad quam seruandam ducti fuerunt Pontifices ad edendas rigorosas illas constitutiones; proinde cessante fine isto, nulla videtur ratio, quare dicamus Religiosos nõ esse inclusos quoad alia priuilegia; & si quis vrgendo diceret esse decreta Pontificum, per quæ statuuntur priuilegia Bullæ esse concessa Regularibus, cum dependentia à consensu Prælatorum, deberet ita vrgens talia decreta ostendere, sane in constitutionibus Clem. & Vrb. quæ cæteris sunt vniuersaliora, & rigorosiora, non habetur aliud, nisi quod Regulares circa administrationem Sacramenti pœnitentiæ subijci debeant suis Superioribus. Maneat igitur, posse Regulares vi Bullæ vti priuilegijs in ea contentis absque licentia Superioris, excepto illo de electione Confessarij: in præsentia autem non loquor de personis Societatis Iesu.

123 *Excludi per Decr. Greg. XIII. quod habet Societas putauit quidã Author.* Sed relata mihi fuit opinio quædam concedens nullum dari Breue directum ad alias Religiones, per quod earum Religiosi sub illa conditione consensus Superiorum frui valeant his priuilegijs: attamen indirectè videtur id esse asserẽdum, cum pro Societate extet decretum Greg. XIII. de quo supra, per quod decernitur Religiosos eiusdẽ Societatis nullo Indulto Cruciatæ, & similiũ frui posse sine expressa licentia Superioris, tale autem decretũ locum videtur habere in alijs Religionibus, stante communicatione priuilegiorũ, quam habent cum Societate.

124 *Declaratio Gregorij non est Priuilegiũ, neq; noua lex* Cæterum sententia ista rectè procederet, si principium, cui innititur, consisteret; supponit enim declarationem illam Greg. esse priuilegium, quod tamen non est admittendum; nã vt egregiè animaduertit *Portellius in resp. moral. tom. 2. cas.* 13. *nu.* 14. Declaratio Pontificis circa suã legem, aut Bullam aliquam priùs concessam, non est priuilegium, neque noua lex, sed solùm mera explicatio contentorum in Bulla præterita, quam doctrinam idem author etiam attulit in *dubijs Regul. verb. Priuilegium num.* 2. ex qua doctrina, loco priùs citato, colligit per Breue Vrbani VIII. quo reuocantur priuilegia concessa viuæ vocis oraculo, non censeri reuocatas declarationes factas à diuersis Põtificibus circa aliquam Bullã antea promulgatam, & hanc ipsam opinionem tenet *Suar. lib. 8. de legib. cap.* 1. *num.* 7. vbi expresè docet declarationes non esse priuilegia, & in eodem libro *cap.* 17. *num.* 6. magis ad propositum rei nostræ loquẽs asserit; priuilegia Societatis nostræ, quæ per modum communicationis transeunt in alias Religiones, non transire cũ illa restrictione, per quam ex peculiari priuilegio dispositum fuit à Pontifice, non posse Religiosos Societatis vti aliquo priuilegio sine consensu Generalis, aut alterius Superioris, cui facultas concedendi sit commissa ab eodem Generali, quod etiam antea docuit *Rodriquez tomo primo qq. Regul. quæst.* 55. *a* 17. & postea *Merolla tom.* 3. *disp. moral. disp.* 6. *cap.* 4. *dub.* 2. Et huius rei rationem assignat Suarez. docens vniuersaliter communicationem hanc esse de solis priuilegijs, non de huiusmodi declarationibus restrictiuis, & directis ad particularem Religionem, in qua, posito tali instituto, & tali regimine circa subditos, expediens esse poterit restrictio. Quod autem hi auctores dicunt de vsu priuilegiorum in communi cum illa dependentia, seu restrictione per ordinem ad consensum Superioris, ipse magis specialiter loquendo applico subiectæ materiæ, & aio, quod quamuis Gregorius declarauerit intentionem Sedis Apostolicæ esse, vt personæ Societatis frui non valeant indultis Bullæ, &c. sine expressa licentia Superioris; nihilominus hoc non debet militare in alijs Religionibus, quarum regimẽ, & institutum est diuersum ab illo, quod habet Societas. Et addo, quod talis declaratio si foret Priuilegium, deberet acceptari à Prælatis aliarum Religionum, eorumque Subditis intimari, vt omnibus innotesceret: at non solùm ab alijs Prælatis non est acceptata, sed etiam, vt ego censeo, neq; ab eisdem scita saltem vniuersaliter. Et cõfirmatur, nam Bulla Cruciatæ licèt sit priuilegium; tamen cum à Pontifice gratis fuerit fidelibus concessum, potuit illud modificare, & limitare etiam respectu aliquarum personarum eo modo, quo sibi placuerit; proinde cum per illud decretum Gregorius

Est mera explicatio Bullæ.

Probatur auctoritate.

Pontifex potest reuocare vel modificare Bullam.

rius

rius nihil de nouo personis Societatis cō-
cedat; sed solùm declaret modum, quo
voluit Sedes Apostolica idem priuilegiū
concedere Religiosis Societatis, non de-
bet talis declaratio,& modus concedēdi
extendi ad alias Religiones: & hoc sua-
deri potest varijs exemplis V.G. si Ponti-
fex per priuilegium concedat Religio-
nibus omnimodam ab Episcoporum iu-
risdictione exemptionē, vel à decimarū
solutione;attamē alicui Religioni in par-
ticulari gratiam hanc cōcedat sub aliqua
limitatione, non sequitur sub eadem
limitatione esse cōcessam alijs Religioni-
bus,nisi id exprimatur: sic Gregorius per
illa verba declarauit priuilegia Bullæ fuis-
se concessa personis Societatis cum hac
limitatione, nempè dependenter à con-
sensu Superioris;& hoc ideo statuit, quia
voluit seruare intactum decretum, quod
ipsemet edidit disponēs vniuersaliter per
sonas Societatis vti non posse priuilegijs,
facultatibus,&c. nisi dependenter à Præ-
posito Generali, & de eius beneplacito,
&c.vt patet ex litteris Apostolicis nostræ
Societatis.cum autem, vt vidimus suprà
ex Suarez,& alijs, talis limitatio non ha-
beat locum in reliquis Ordinibus;idcircò
omnino dicendum est, posse Religiosos
aliorum Ordinum vti Bulla quoad alia
indulta sine consensu Superiorum.

§. VIII.

Vtrum Regulares valeant per Cruciatam absolui à solis censuris sine proprij Prælati licentia.

125 *Exemplo declaratur quæstionem.* VT quæsitum magis innotescat, po-
namus casum. sit Religiosus pluri-
bus censuris V.G.excommunicationibus
innodatus, & nolens pro earū absolutio-
ne Superiorem adire,sumat Cruciatam,
& vi illius eligat Sacerdotem ab Ordina-
rio approbatum, & extra confessio-
nem sacramentalem petat absolutionem
à solis censuris,quod fieri posse nunc sup-
ponimus infra discutiendum, ab eodem-
que Sacerdote electo absoluatur:inquiri-
mus,an absolutio ista sit necne valida?

126 *Duplex limitatio quæsiti.* Antequam ad decisionem veniamus,
duo supponimus: primò quæsitum proce
dere pro foro tantùm conscientiæ,& non
pro foro externo: secundo non esse ser-
monem de Religiosis nostræ Societatis,
quibus obstat Decretum Greg. XIII. vt
supra vidimus.his præsuppositis,aio,quæ-
situm, vt iacet, apud neminem me vidisse
neque exagitatum,neque tactum; proin-
de pro nulla parte Authores adducere
possumus. rationes pro negatiua, & af-
firmatiua sententia sunt variæ, vt in pro-

Franc.Bard.in Bull.Cruc.

gressu huius quæstionis fiet manifestum.

127 *Conclusio est affirmatiua.* Dicendum est igitur, probabiliùs mihi
videri, Regulares alterius Ordinis à So-
cietate posse per Bullam eligere Cōfessa-
rium, vt ab eo extra Sacramentum Pœ-
nitentiæ à solis censuris absoluantur, si-
stēdo intra rationē censuræ vt sic, siue il-
læ sint impositæ à Prælato inferiori, siue à
Pontifice,siue à iure,siue ab homine. pro-
batur conclusio in hunc modum. ex vna
parte in Bulla datur facultas ad tollēdas
censuras; ex alia verò parte Regulares
prædicti non videntur à tali priuilegio
exclusi;ergo possunt ita absolui,&c. ante-
cedens est certum quoad primā partem;
quoad secundam verò suadetur, quia si
essent exclusi, maximè per Constitutionē
Vrbani superiùs citatam, sed per illam
non excluduntur; ex eo enim quod Vr-
banus,& etiam alij Pontifices declaraue-
rint,Regulares non posse eligere Confes-
sarium,& circa Sacramentum Pœnitētiæ,
subditos esse Prælatis, Sedi Apostolicæ,
&c. non rectè infertur hoc ipsum de ele-
ctione Confessarij pro absolutione à solis
censuris,quæ est longè diuersa ab absolu-
tione à culpis, cum qua non habet con-
nexionem necessariam: à diuersis autem
non fit illatio ex *l. Papinianus, ff. De mi-
nor:* quapropter cum declaratio Vrbani
sit restrictiua, & per consequens odiosa,
non est amplianda ad alia priuilegia Bul-
læ, sed præsse interpretanda *iuxta re-
gulam iuris in 6.* atque adeo quod dici-
tur de electione Confessarij in ordine ad
absolutionē sacramentalē peccatorū non
est extendendū ad electionē Cōfessarij in
ordine ad absolutionem non sacramen-
talem,qualis est absolutio à solis censuris.

Ratio fundamentalis pro ea desumitur ex Constitutione Vrbani.

128 *Obiectio.* Obijcies primò. Ex tali absolutione se-
queretur illud ipsum inconueniens, ob
quod Vrbanus in supradicta Constitutio-
ne,alijque Pōtifices ducti fuerunt ad de-
clarandum,Regulares quoad Sacramen-
tum Pœnitentiæ subiectos esse dispositio-
ni suorum Prælatorum, videlicet ad vitā-
dam perturbationem contra regularem
disciplinam: at idem incommodum eue-
niret;si Regulares absque consensu Supe-
rioris eligerent Confessarium, vt virtute
Bullæ à solis censuris absoluerentur; pos-
set enim interdum contingere, vt Præla-
tus subditum excommunicaret,& subdi-
tus per Bullam inuito Superiore absolu-
tionem reciperet;& sic religiosa discipli-
na corrueret. Respondeo negando ante-
cedens,nulla enim sequeretur perturba-
tio; quia Religiosus ille excommunica-
tus non poterit per Bullam absolui, nisi
priùs satisfacta parte, & si pars erit Supe-
rior,qui excommunicauit, tenebitur Re-
ligiosus ante absolutionem condignam ei

Nulla sequitur perturbatio contra disciplinā ex conclusione. exhibere satisfactionē, & si pars læsa erit alter, satisfactione huic alteri prius præstita, Superior debet absoluere subditum excōmunicatum; proinde nulla fit ipsi iniuria, si in foro tantū conscientiæ absolutio detur. non ita est asserendū de absolutione à peccatis; quia si liberum esset Religiosis eligere Cōfessariū pro Sacramēto Pœnitētiæ, aperiretur via ad faciliùs peccandū, & omnino subtraherentur Religiosi à iurisdictione Superiorū, quæ incōmoda non habent locū in absolutione excōmunicationis pro foro tantū cōsciētiæ; vt de se patet.

129 *Obijciuntur verba ipsius Cruciatæ.* Obijcies secundo. Verba, quæ habētur in ipsa Cruciata, videntur innuere, absolutionem à censuris esse dandā in confessione sacramentali, quatenus Confessarius approbatus designatur vt legitimus minister pro censurarum absolutione; & ideo quamuis abstrahēdo à Bulla sit probabilis opinio, quæ vult, posse absolutionē fieri extra confessionem; tamen si detur vi Bullæ, id fieri non poterit. Respondeo, Confessarium in Cruciata non designari tamquam exercentem munus proprium Cōfessarij, sed designari ob alium finem, cum enim sit approbatus, supponitur doctus, & prudens; ac proinde aptus ad discernenda ea, quæ sunt necessaria ad ritè dandam absolutionem à censuris. absolutionem autem hanc non esse munus proprium Confessarij patet; quia etiam à clerico præstari poterit, vt colligitur *ex Glos. cap. Canonica De sent. excom. ver. Presbyter.* *In ordine ad hanc absolutionem Confessarius non designatur vt Cōfessarius formaliter.*

§. IX.

Quid sit dicendum de censuris qualificatis, nempè reseruatis.

130 *Quæ nā sunt censuræ qualificatæ.* IN præcedente paragrapho loquuti sumus de absolutione danda per Cruciatam à censuris vt sic, videlicet manētibus intra rationem puræ censuræ præscindendo ab omni alia qualitate, quæ ipsi censuræ aduenire possit, inter quas est reseruatio; proinde insurgit grauis dubitatio, an idem sit statuendum de censuris reseruatis, quibus affici possunt Religiosi; difficultas verò maximè vrget in cēsuris Summo Pontifici reseruatis, & suo modo etiam in censuris, quæ in proprio Ordine Prælatis reseruantur. de his omnibus igitur est nobis agendum.

131 *Pars negatiua statuitur.* Dicendum est primo, non posse Regulares vi Cruciatæ absque debita licētia absolui à censuris Sedi Apostolicæ reseruatis, etiam si absolutio sit dāda extra Sacramentū Pœnitētiæ. hāc sententiā, quatenus negat, vi Bullæ posse Regulares à reseruatis absolui, docet *Portellus tom. 2. respons. moral. cas. 3. n. 4.* hoc ipsum etiā sustinent plures viri docti ex nostra Societate, quos ego oretenus consului. probatur efficaciter cōclusio ex ipsis verbis, quæ habentur in Cōstitutione Vrbani; declaratur enim, Regulares subiectos esse Sedi Apostolicæ quoad sibi reseruata, tolleretur autem talis subiectio, si Regulares vi Cruciatæ absoluerentur à censuris eidē Pontifici reseruatis, quia ablata censura desineret totaliter reseruatio, atque adeo possent aperire peccata illa, quibus erat adnexa censura, Confessario ordinario, & ab eo sacramentaliter absolui; & sic omnino eluderetur, & vana redderetur Constitutio Pontificis. hoc autem meliùs confirmabitur impugnando nonnullas responsiones, quæ dari possunt interpretando Vrbani Constitutionem.

Dices ergo primo. Pontifex in ea Constitutione loquitur de absolutione danda in Sacramento Pœnitentiæ, & in ea subijcit Regulares Sedi Apostolicæ; nō autem loquitur de absolutione nō sacramentali, qualis est absolutio à solis censuris; & licèt per ablationē reseruationis possint postea peccata remitti sacramētaliter à Confessario ordinario, hoc esset per accidens; satis enim esset ad saluandam declarationem Vrbani, peccata dum manent sub reseruatione, non posse vi Bullæ sacramētaliter deleri à Cōfessario ordinario. 132 *Respōsio, qua explicantur verba Cōstitutionis Vrbani.*

Contra est, quia & si Pontifex in illa Cōstitutione explicitè loquatur de absolutione sacramentali, quam sibi reseruat; implicitè tamen prohibet absolutionem etiam nō sacramētalē, si per eam tollitur à Regularib⁹ subiectio immediata ad Sedē Apostolicam in casib⁹ eidem Sedi reseruatis, & talis est absolutio barū cēsurarum modo prædicto collata, & hoc gratis nō asserimus, quia, nisi hoc dicamus, vana omnino esset Constitutio ipsa Vrbani, cū sēper eludi possit, & nunquā obtineret finē, ob quem fuit edita; quoniā Regulares vt se eximerent ab onere se præsentandi, Bullam sumerent, vt à solis censuris absoluerētur, & ablata reseruatione postea sacramētaliter absoluerentur à peccatis à Cōfessario ordinario, & sic destrueretur immediata subiectio ad Sedē Apostolicā, quā Pontifex quoad sibi reseruata in hac Cōstitutione expostulat; neq; valet dicere, hoc esse per accidens, quia idquod in eisdem circumstantijs moraliter semper euenit, non dicitur per accidens, sed per se euenire, licèt mediante aliquo contingat; nū;quam enim Regulares pro absolutione reseruatorū recurrerēt ad Sedē Apostolicā, cū facilè, & in promptu esset remediū se liberādi à reseruatis per absolutionem vi Bullæ collatam modo explicato. 133 *Implicitè Vrbanus prohibet absolutionē non sacramentalem à cēsuris reseruatis dādam vi Bullæ.*

Di-

134 *[I]lla respõsio [p]ocedens ex [e]o quod prin[ci]paliter ab [V]rbano intenditur.*

Dices secundo. Vrbanus per illam Cõstitutionem nihil aliud intendit, nisi tollere libertatem in Religiosis, ne eligant ad sui libitum Cõfessarium pro absolutione peccatorum; & in hoc voluit, ipsos subdi dispositioni suorum Prælatorum: totum autem hoc saluatur, quamuis vi Bullæ absoluantur à solis cẽsuris, quia pro absolutione à peccatis tenẽtur postea vel adire Superiorem, vel Confessarium ab eodem Superiore deputatum: & sic non manet in ipsis libertas ad eligendum Confessorem.

135 Explicationem hanc nõ admittimus, quia plus requirit Vrbanus per eam Cõstitutionem; postulat enim, vt in absolutione à reseruatis Pontifici Regulares Sedi Apostolicæ immediatè subijciantur, & non soli Prælato; aliter satisfuisset dicere, Regulares subditos esse dispositioni suorum Prælatorum, & superfluum fuisset apponere illa alia verba, *& Sedi Apostolicæ quoad sibi reseruata*: nõ est autem dicẽdum, in Constitutionibus Pontificijs esse verba inutilia. verum immediata subiectio, quam Pontifex requirit, est intelligenda vel ad ipsummet, vel ad Cõfessariũ, cui potestas à Papa delegatur; vtroq; enim modo saluatur immediata subiectio ad Sedem Apostolicam.

136 *Tertia respõsio, qua probatur, inutile esse prohibere vsum Cruciatæ quoad prædictum effectum.*

Dices tertio. Ablatio hui[us] reseruationis per absolutionem cẽsurarum non sequitur ex præciso vsu Bullæ, cum haberi possit vi plurimorum priuilegiorum, quibus Ordines Religiosi fruuntur; igitur prohibere, ne Regulares absq; licentia vtantur Cruciata in ordine ad eũdem effectum, vel nihil, vel parum prodest.

137 Respõdeo. Quãuis reseruationis ablatio habeatur vi alteri[us] priuilegij, nõ tollitur, quin etiã sequatur vi Cruciatæ, & hoc nõ obstãte negam[us] nihil, aut parum prodesse prohibitionem illam Vrbani: & hoc, quia vsus Cruciatæ magis noceret disciplinæ Regulari, quàm noceat vsus priuilegiorũ Religionis, quod dupliciter ostẽditur: primo, quia per Cruciatam priuilegiato datur libertas eligẽdi quẽcumq; Confessariũ approbatũ, nõ ita per alia priuilegia: secũdo, quia vsus Cruciatæ quoad hũc effectũ est depẽdẽs à volũtate ipsi[us] priuilegiati: at vsus priuilegiorũ Religionis, & præsertim quoad Sacramẽtũ Pœnitentiæ depẽdẽt à volũtate Prælati, & nõ subditorũ. sic *Lezana in qq. regul. c. 18. n. 56. c. 19. n. 29. Collector priuileg. Mẽd. ver. Absolutio extr. quoad Fratres §. 9. ver. circa quod. Portelli[us] in dub. reg. ver. Confessor erga Fratres num. 16. & eruditè Suar. tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 22. à n. 17. & alij.* idcirco Cõfessarius ordinarius in Religione nequit ab his casib[us] Religiosos absoluere, nã sub generalitate facultatis absoluẽdi nõ comprehendũtur: imò etiã si Prælat[us] cõcedat Cõfessario ordinario Dom[us] potestatẽ absoluẽdi subditos à casib[us] reseruatis in Religione, nõ veniũt hi cas[us], qui sunt altiore reseruatione reseruati, & vt includantur in potestate cõcessa, debet de illis fieri specialis mẽtio. sic *Suar. loc. cit.* neq; cõtra super[ius] dicta facit priuilegiũ Pauli III. cõcessũ Societati, per quod datur facultas omnib[us] Cõfessarijs eiusdẽ Societatis, vt possint quoscũq; fideles absoluere à casibus Põtificijs præter eos, qui sunt in Bulla cœnæ; atque adeo videtur quoad vsum non dependere à voluntate Prælati, in quo priuilegio communicant aliæ Religiones, non facit inquam contra superiùs dicta, quia priuilegium Pauli vim habet in ordine ad sæculares, nõn ad Regulares, vt notauit *Portellius loc. cit. ex Rodriquez, Lezana cap. illo 18. n. 26. & ex doctrina Suarez lib. cit. cap. 16. num. 15. 16.* probantis non esse intentionis Põtificis delegare cuiq; suam iurisdictionem pro Regularibus contra voluntatem proprij Prælati. & id confirmat ex priuilegio Innocent. IV. cuius fit mentio *in nostro compendio ver. Confessarius §. 5.* & ex alijs Constitutionibus Pontificijs, per quas id declaratur: et sic patet discrimen inter Cruciatam, & priuilegia Religionum circa facultatem absoluendi à casibus Pontifici reseruatis.

138 *Idem est asserendum de censuris reseruatis in Religione, & dictum est de reseruatis Papæ.*

Dicẽdũ est secũdo. Eadẽ proportionaliter asserẽda sunt de cẽsuris in Religione reseruatis; earum cuim absolutio pertinet ad solos Prælatos. probatur ex eadẽ Constitutione Vrbani, in qua declaratur, Regulares subditos esse nõ solùm Sedi Apostolicæ, sed etiam dispositioni suorum Prælatorum: at si ipsi Regulares possent vi Bullæ absq; licentia absolui ab his censuris, se subtraherent à subiectione Prælatorum, & reseruatio cum detrimento regularis disciplinæ redderetur inanis.

Ex his, quæ in hoc duplici proximo paragrapho exagitata sunt, patet quo 139
pacto Bulla Cruciatæ suffragari possit Religiosis quoad priuilegium circa deletionem censurarum extra Sacramentum Pœnitentiæ.

140 *Declaratio Commissarij Generalis Lusitaniæ.*

Pro nostræ sententiæ complemento, & confirmatione placet hìc referre declarationem latam ab Illustris. Emmanuele de Acuña in Lusitaniæ Regno Commissario Generali sanctæ Cruciatæ, in qua ante omnium oculos proponit detrimentum, quod pateretur regularis disciplina, si Religiosis daretur libertas eligendi Confessarium, vt vi Bullæ à reseruatis absoluantur, & in ipsa eadem declaratione data sub die 28. Aprilis 1643. in Cathedrali de Santarẽ continebatur Cõstitutio tũ Clem. tum Vrb. circa controuersiã hanc, & post maturã discussionem

ipse Cõmissarius Apostolica auctoritate sanciuit inhærendo prædictis Constitutionibus, nõ posse Regulares vti Bulla ad eligendum Confessarium, vt à reseruatis absoluantur.

§. X.

Vtrum Nouitij absque Superioris licentia possint per Cruciatam Confessarium eligere, vt ab illo à reseruatis absoluantur?

141 Pro huius controuersiæ complemẽto instituimus quæstionẽ de efficacia Bullæ quoad Nouitios in ordine ad electionẽ Confessarij, & absolutionẽ à peccatis siuè nõ reseruatis, siue reseruatis. Quærimus igitur, an Nouitij validè sumãt Bullã inuito Prælato quoad effectũ electionis Cõfessarij, & absolutionem prædictam.

142 *Sententia negatiua probatur triplici argumẽto.* Prima sententia potest esse negatiua, & licèt neminem inuenire potuerim, qui loquens de Bulla Cruciatæ opinionem hanc amplectatur; nihilominus ex quorundam Authorum doctrina videtur posse probabiliter, & cohærenter inferri: volunt enim aliqui, Nouitios, & præsertim Ordinum Mendicantium nõ posse validè absolui à reseruatis, nisi à suo Prælato, vel ab alio de eius licentia. hi autem Authores sunt *Corduba in quæstionar: Theolog. lib. primo, quæst. 30. Megalius par. prima institut. Confess. cap 8. num. 20. Llamas part: prima Methodi cap. 5. §. 7. & pauci quidam alij apud Dianam par. 3. tract. 2. de Dub: Reg: resol: 4.* aiũt enim Doctores isti, Nouitios subdi casibus in Religione reseruatis, & consequenter docent, absolui ab his casibus non posse, nisi à proprio Superiore modo explicato. poterit autem hoc suaderi: primo ex Constitut. Clemen. VIII. quæ habetur *tom: 3. Bullarij* edita anno Domini 1603. & incipit. *Cum ad Regularem.* in paragrapho autem 28. eiusdem Constitutionis statuitur soli Magistro confessiones Nouitiorum esse committendas. secundo ex quadam declaratione Pauli V. viuæ vocis oraculo pro Congregatione S. Mariæ Fulienss, quam declarationem refert *Peirinus in Constitut. 10. Vrban. VIII. & Lezana in quæst. regul. cap. 18. num. 18.* declarauit autem Paulus, posse à Superioribus reseruari casus non tantùm pro professis, verùm etiam pro Nouitijs. tertio Nouitij mutantes statum sæcularem in religiosum mutant aliquo modo domicilium, & fiunt subditi Prælato Regulari, cum priùs fuerint Episcopo subiecti, à cuius iurisdictione per susceptionem habitus religiosi eximuntur; ideoque tenentur legibus, & præceptis Religionis non excedentibus statum nouitiatus; alter nemini tamquam immediato, & proprio Ordinario subderentur, quod videtur inconueniens, vt sic enim vitam nimis liberam ducerent, igitur debent subdi legibus, & præceptis Religionis, cuius sunt Nouitij, atque adeo casus in eadem Religione pro professis reseruati censentur etiam reseruati pro Nouitijs; quapropter sine licentia Superioris nequeunt eligere Cõfessarium, & virtute Bullæ à reseruatis absolui, vt sic enim eluderetur reseruatio. Cæterum quamuis argumenta prædicta, & similia nihil aliud directè probent, nisi Nouitios comprehẽdi in lege reseruationis casuum facta pro tali Religione, & directè non probẽt, non posse ab his reseruatis beneficio Bullæ absolutionem obtinere; tamen indirectè id videtur etiam probari, & cohærenter sustineri à Doctoribus paulo ante citatis; quod sic suaderi poterit. sicut Nouitij cõprehenduntur in lege, per quam casus reseruantur eo modo, quo comprehenduntur professi, ita comprehendi etiam debent in hac Constitutione Vrbani declarantis, Regulares tum Mendicantes, tum non Mendicantes quoad Sacramentum Pœnitentiæ subdi dispositioni suorum Prælatorum, &c. & non apparet sufficiẽs ratio, cur in vna, & non in altera dispositione includantur.

143 *Opinio affirmatiua refertur.* Secunda sententia docet, posse Nouitios etiam absque licentia proprij Prælati per hanc Bullam Confessarium eligere, vt ab eodem absoluantur à reseruatis. *ita Rodriq. in expos. Bull. §. 9. num. 7. & in quæst. Reg. tom. 2. q. 21. a. 10. 11. Ludouicus à Cruce in eamdem Bullam disp. 1. cap. 1. dub. 14. num. 2. Aegidius Trullench ibidem lib. 1. §. 1. dub. 7. num. 1. & §. 7. cap. 1. dub. 9. num. 2.* ex nostra verò Societate id in terminis docent *Henriq. in sum. lib. 7. cap. 22. num. 7. Suarez tom. 4. De Relig: tract. 8. lib. 2. cap. 16. num. 10. Castro Palaus tom. 3. tract. 16. disp. 1. p. 10. num. 9. Diana p. 3. De dub: Reg. resol. 4. & p. 4. tract. 4. miscel. resol. 5.*

144 Pro solutione autem huius controuersiæ aduerto, nos in eius decisione bifariam procedere posse: primo examinãdo quæstionem illã, an Nouitij subdantur casibus in Religione reseruatis, & de hoc puncto in præsentia nolo habere sermonem, sed me remitto *ad tract. De casib. reser.* secundo procedere nos posse nihil curantes de subiectione Nouitiorũ quoad prædictos casus, quia hoc non habet necessariã connexionẽ cũ præsenti controuersia, & hoc pacto incedere intendimus; idcirco paulo altiùs sumendo principiũ.

145 *In odiosis sub nomine Religiosi non veniũt Nouitij.* Dicendũ est primo, in odiosis Nouitios non comprehendi sub nomine Religiosi. est cõmunis sẽtẽtia; *sic Henriq. lib. 7. c. 19. n. 6. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 2. 9. 10. in fine.* & alij, quos citat, & sequitur *Barbosa De appell:*

pell. verb. vtriusq; iuris. ver. Religiosus à *n.* 21. & ratio est, quia adhuc sūt veluti in via ad Religionē, eiq; nō sūt incorporati.

146 *Nouitij non ligantur præceptis Religionis.* Dicendum est secundo, longè probabilius esse, Nouitios nō ligari præceptis Religionis, ita Authores citati, & *Sanchez in summa lib. 6. cap. 10. num. 7.* probatur, quia deest illis substantiale fundamentum huius obligationis, nempe professio religiosa, in qua directè includitur votū Obedientiæ; & ideo se habent veluti Catechumeni, qui Ecclesiæ legibus, & præceptis non subduntur. ex his directè respondeo ad quæsitum.

147 Dicendum est tertio, Nouitios posse absq; licentia Superioris Cruciatam sumere ad Confessarium eligendū, vt ab eo à reseruatis absoluantur, sicuti volunt Authores secundæ opinionis.

Possunt Nouitij vti Bulla eligēdo Cōfessariū etiā pro reseruatis indepēdēter à voluntate Prælati Regularis. Conclusio ista probatur, quia ex vna parte sub nomine fidelium, quibus Bulla conceditur, comprehendi possunt Nouitij; ex alia verò parte in Constitutionibus Pontificijs excipientibus Religiosos non includuntur Nouitij, quoniam exceptio ista est odiosa, proinde ex principijs iactis sub tali odiosa exceptione non debent contineri Nouitij, qui in odiosis non veniunt sub nomine Religiosi, vt ex pluribus probat *Barbosa loco cit.*

148 *In Breui citato Clementis cōtinetur solum consiliū, non præceptū.* Ad primam rationem in contrarium deductam ex Breui Clementis aio, in illa dispositione non inuolui præceptum, sed solùm instructionem, seu exhortationem, vt patet eius tenorē legenti, nullum enim habetur verbum præceptiuum; ideo est per modum consilij in normam viuendi, & licèt contineat verba imperatiua, non tamen sequitur esse præceptiua, & obligare ad culpam; nam verba imperatiua non important vim præcepti, vt rectè aduertit *Sayrus in clau. Reg. lib. 3. cap. 7. num. 16. Alphonsus à Castro in lege pœnali lib. 1. cap. 5. docum. 4. Emmanuel Sa ver. lex. n. 6. Nauar. in Enchiridion cap. 32. n. 79.* & hoc suadetur ex praxi, secūdùm quā videmº, Superiores nō sēper dum imperant imponere præceptum.

149 *Declaratio Pauli relata nō cōstat, neq; pugnat cum sententia affirmatiua proximè posita.* Ad secundā ex declaratione Pauli. V. respondeo primo, non constare de illa, secundo dico, etiam si eam, vt veram admittamus, nihil cōntra nos inferri posse; quia per declarationem illam solùm probatur, Nouitios subdi casibus reseruatis Religionis, de qua re in præsentia non agimus, & quamuis id concedamus, nō sequitur, beneficio huius Cruciatæ frui non posse, sicuti sæculares subduntur casibus reseruatis, quo non obstante gaudent Bulla in ordine ad hunc effectum absolutionis.

150 Ad tertiam rationem respondeo, per eam nihil aliud probari, nisi quod Nouitij subdantur Prælato Regulari; tamen ex hoc non deducitur non contineri sub priuilegio Bullæ quantum ad articulum eligendi Confessarium etiam pro reseruatis. omitto hic examen circa subiectionem Nouitiorum ad Superiorem Regularem, quia de hoc agere ex professo, non pertinet ad præsens institutum; solùm obiter dico, subiectionem istam non esse talem, vt obliget Nouitios ad obediendum sub culpa mortali; sed esse subiectionem omnino liberam; rursus dico, Nouitios non subdi Episcopo, sicuti sæculares, neque sub præcepto subdi Superiori Regulari; & hoc in fauorem ipsorum Nouitiorum, vt benè notauit *Azor loco citato*. neque reputari debet inconueniens, neque trahit libertatem viuendi dissentaneam rectæ rationi, quia Nouitij in statu nouitiatus se submittunt varijs asperitatibus, mortificationibus, & operam dant orationi, & diuersis virtutum actibus. eorum autem Ordinarius est Superior Regularis quoad Sacramentum Pœnitentiæ, dispensationes, commutationem votorum, &c. in quibusdā verò subijciuntur Episcopo. quæ nam autē hæc sint, non est huius loci declarare.

Subiectio illa, quam habent Nouitij ad Prælatū Regularem non tollit ab illis facultatem gaudēdi Bulla.

Nouitij in quibusdam subdūtur Episcopo.

§. XI.

An Nouitij Societatis Iesu ante biennium nouitiatus, si ex deuotione emittunt tria vota Religionis, valeant vti Bulla ad prædictum effectum sine licentia Superioris.

Solent Nouitij nostræ Societatis ex feruore deuotionis, antequam compleant nouitiatum, emittere secretò cum consilio Magistri Nouitiorum tria illa vota Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ perpetuæ in Societate sub eadem prorsus forma, sub qua in fine nouitiatus emittuntur ab ijs, qui Religioni incorporantur, & fiunt veri Religiosi, &c. quæritur ergo, an saltem his Nouitijs interdictus sit vsus Bullæ absq; licentia Prælati. 251 *Declaratur quæsitum.*

Videtur autem dicendum, hos Nouitios non posse frui Bulla sine consensu Superioris, quia per illam votorum emissionem quantum est ex parte ipsorum sunt Societati incorporati, & sub peccato mortali tenentur obedire Prælato, seruare Paupertatem, & Castitatem, ideoq; præceptis, & statutis Religionis adstringuntur, ex quo videtur deducendum non solùm ab his inutiliter sumi Bullam pro electione Confessarij, & absolutione à reseruatis in Societate, sed etiam pro lucrandis gratijs; nam ratione votorum emissorum videntur comprehendi in Constitutione Gregorij XIII. statuentis, vt personæ Societatis absq; expressa Su- 152 *Ratio dubitādi pro parte negatiua.*

pe-

perioris licentia non vtantur facultatib⁹, quæ in Bulla Cruciatæ continentur, &c.

153 *Conclusio affirmatiua.*

Sed his non obstantibus dicendum est, Nouitios Societatis, qui ex deuotione vota illa priuata ante completum nouitiatum emiserunt, si Bullam capiunt, omnia ejus priuilegia lucrari posse independēter à cōsensu Superioris, ac etiam posse eligere Cōfessariū approbatū ab Ordinario, & absolui à casib⁹ reseruatis. pro hac sētētia laudari possunt omnes Authores §. præcedente allati, qui sine vllo priuilegio id Nouitijs cōcedūt, sed nō placet ratio, cui ipsi innituntur fundantes hāc sententiā in eo quod Nouitij reseruationi Religionis nō subdantur, à qua controuersia, in præsētia me abstinere intēdo, quia eius decisio nō est ad satisfaciēdū huic quæsito necessaria; nam, vt diximus *paragrapho superiore*, licèt demus Nouitios subdi reseruationi casuum regulariū, nō sequitur, nō posse Bullā sumere, & ab illis absolui etiā inuito Prælato regulari: quemadmodum sæculares, quāuis subijciātur reseruationi Episcopali, ea nō obstāte, possūt casib⁹ reseruatis virtute Cruciatæ absolui inuito Episcopo. his positis affero Authores, qui rē hāc exagitāt in ordine ad Bullā, & sententiā hanc tuentur, vt *Hēriquez in sūma lib. 7. c. 22. n. 7. Ludouic⁹ à Cruce, Trullēch loc. cit. in §. præcedente. Suarez, & Castro Palaus locis superiùs citatis.* probatur autē hac ratione, per illa vota priuata à Nouitio ante biennium emissa nulla in ipsum acquiritur iurisdictio in Religione, neq; ipse Nouitius vi taliū votorū incorporatur Societati, neque fit Religiosus; ergo Bullam sumens sine consensu Superioris poterit omnia eius priuilegia lucrari. euidens est ista cōsequentia, quia ab vsu Cruciatæ excluduntur illi, qui sunt verè Religiosi incorporati Religioni, & in quos Prælatus regularis habet iurisdictionē; igitur si Nouitij Societatis carent illis tribus cōditionibus, seu qualitatib⁹, deficit consequēter fundamentum prohibitionis, & exclusionis ab vsu Cruciatæ. proboautē antecedēs, in quo huius argumēti vis inuenitur. vota ista priuata nō recipiūtur à Religione, & ideo nequeūt vouentē cōstituere Religiosū: votorū enim emissio, vt faciat Religiosū, debet esse per modū cōtractus, ita vt vouēs per vota emissa non promittat, & se obliget soli Deo, sed etiā Prælato, & eo mediāte Sūmo Pōtifici, quod fit per traditionē, qua vouēs Religioni tradit se ipsū, & Religio traditionē hāc acceptat vi potestatis habitæ à Papa, proinde media tali traditione, & acceptatione Superior acquirit iurisdictionē in vouētē, & vouēs incorporatur Religioni, & cōstituitur Religiosus; ergo dū per ista vota priuata nō fiat traditio Superiori, neq; sequatur acceptatio ex parte Religionis, nō poterit Superior iurisdictionē acqrere in vouētē, neq; vouēs incorporabitur Religioni, neq; fiet Religios⁹, quod erat antecedēs probādum.

154 *Responsio ad primum argumentū Nouitij per vota priuata nō incorporātur Societati.*

Ad rationē aūt dubitādi in cōtrariū initio positā solutio patet ex dictis, nego igit, Nouitiū per talia vota incorporari Societati, quia deest acceptatio, & licèt ratione votorū emissorū Nouiti⁹ peccet mortaliter nō obediēdo Superiori præcipiēti, tamē nō peccat ex eo quod Superior aliquā in ipsū habeat iurisdictionē, sed quia præcipiendo subministrat materiā voti, ad quā Nouiti⁹ Deo se obligauit. sic *Sāch. in sum. lib. 6. c. 10. n. 8.* & vt hæc responsio meliùs intelligatur, pono exemplū. quemadmodū si quis voueret, se sequuturū consilium alicui⁹ viri prudentis iudicātis id redūdare in maius Dei obsequiū; si vouēs præstito consilio illud non admittit, peccabit, non quia consulens iurisdictionem in ipsum vouentem habeat, sed ratione voti: ita & in casu nostro.

Qua ratione positis his votis interdū obligātur sub culpa mortali ad obedientiā Superiori.

155 *Dubium.*

Occasione autem accepta ex tradita doctrina placet cuiusdā Recētioris instātiā proponere, non quia aliquid efficaciæ cōtra nos in ipsa reperiā, sed vt eius inanitas fiat manifesta: sic ille objicit cōtra sententiā à me positā. præcipiat Prēlat⁹ virtute sāctæ Obediētiæ Nouitio, qui illa tria emisit vota, ne Bulla vtatur in ordine ad effectū absolutionis, tūc teneretur Nouiti⁹ obedire, atq; adeo nō posset vi Bullę eligere Cōfessarium, & ab eo absolutionem habere.

156 *Nequit Superior præcipere Nouitijs, ne vtantur Bulla Cruciatæ.*

Respōdeo primo, argumētum istud nō probare vniuersaliter, Nouitios nō posse vti Bulla, sed ad sūmum non posse posito Superioris præcepto. Respondeo secundo, præceptū illud esse iniustum, & cōsequenter ipso facto irritum, quia ex suppositione, quod Nouitij nō sint à Pōtifice exclusi à beneficio Bullæ, quā suppositionē arguēs facere debet, nā si ponerētur exclusi, inutilis esset instātia, neq; etiā probaret intentū, quia tunc nō vi præcepti, sed ex defectu priuilegij Nouitij nō possent vti Bulla; facta igitur hypotesi, quod Nouitij non sint exclusi, aio, iniustū, & inualidum esse præceptum, quia cū Nouitij ex priuilegio Pōtificis ius haberēt sumēdi Bullam, eaq; vtēdi, nō poterūt tali iure priuari à Prælato inferiori: sicut si aliquis Religiosus licētiam haberet à P. Generali exercendi, vel omittēdi aliquid, nō poterit Prouincialis, aut ali⁹ Prælatus inferior prohibere, quin Religios⁹ ille vtatur facultate cōcessa, & hoc est adeò manifestū, vt nequeā nō mirari, quo pacto potuerit Recētior iste sibi persuadere, vim aliquā in adducto argumēto inueniri, & quia se declarauit petēs à me, vt me ipsum explicarē, quid de hac instātia sētirem, eius votis annuere volui, ideoq; meā de hac re sentētiā percipiat.

C A-

CAPUT VI.

De Extensione Bullæ quoad sui Durationem.

1 HAEc est vltima Extensio, de qua initio huius secundi Tractatus proposuimus agendum, & quæ conuenire potest Bullæ Cruciatæ: circa hanc autem extensionem nonnulla sunt determinãda.

SECTIO I.

Quo tempore Bulla vigorem habere incipit,

2 *Quo tempore incipit Bulla.* DIcendum est primo, Bulla quoad efficaciam initium sumit à die, quo solemniter promulgatur: est communis sententia, & apertè statuitur in ipsa Bulla latina, in qua dum declarantur personæ, quæ Bullam vtiliter sumere valent, & in quibus locis: apponuntur hæc verba (*Qui intra annum à die publicationis præsentium, in singulis locis prædictis faciendæ inchoandum, &c.*)

3 Dicendum est secundo, Publicatio ista, in qua asserimus Bullam incipere, intelligenda est ea, quæ fit per solemnem, & publicam processionem; talis enim processio est quædam publica acceptatio ipsius Cruciatæ, ita *Trullench*, qui notat, promulgationem istam non consistere in illa, quæ fit à Concionatore, qui ad hoc munus eligitur, & deputatur à Commissario. Probatur ex praxi, & consuetudine, quia facta processione etiam ante Concionem Bullæ solent consignari Depositarijs, vt fideles eas accipientes gaudeãt earũ gratijs, quod signum est, promulgationem, de qua loquitur Bulla non consistere in concione, sed in processione.

4 *Promulgatio, ex qua Bulla habet valorem, non est illa pro singulis locis, quæ fit in Metropoli.* Dicẽdum est tertio. Promulgatio ista, ex qua incipit valor Bullæ, non est illa pro singulis locis, quæ fit in Metropoli. Ita colligitur expressè ex ipsa Bulla, in verbis citatis; dum dicitur à die publicationis in singulis locis prædictis; supra enim dictum fuit Bullam concedi in Hispaniarũ Regnis, Insulis adiacentibus, &c. & postea additum fuit. *Locis, Terris, Oppidis, &c.* & ad hæc referuntur verba (*in locis prædictis;*) proinde annus durationis Bullæ *Sed est ea, quæ fit in locis singulis.* initium habet à die illo, quo fit promulgatio in locis particularibus, & hanc sententiam docet, *Medina in Sum. quæst. 91. art. 4. nu. 4. 5. Rodriq. in Bullam §. 5. num. 3. Trullench. l. c. nu. 3. Henriquez lib. 7. cap. 20 §. 2. Ludouicus à Cruce in expositione Bullæ disp. 1. cap. 10. dub. 1. nu. 2. & alij.*

5 Sed dices lex si promulgatur in Metropoli, quæ est caput aliarum Vrbium eiusdem Prouinciæ, incipit obligare omnes eiusdem Regni, quamuis non sit publicata in singulis locis; ergo etiã, & Bulla, &c. *Instantia contraria.*

6 *Soluitur.* Respõdeo. Licet Lex promulgata in primaria ciuitate obliget omnes existentes in Regno; tamen de Bulla hoc dici non poterit, quia Pontifex alio modo disposuit, vt patet ex verbis relatis; proinde non valet paritas illata inter legẽ, & Cruciatam, quoad promulgationem.

7 *Bulla accepta in medietate anni nõ durat nisi pro alia medietate eiusdem anni.* Dicendum est quarto. Si quis accipiat Bullam in medio anni à die promulgationis, non poterit illa vti, nisi pro alia medietate anni, qua transacta, Bulla statim expirabit. Ita *Ludouicus à Cruce l. c.* qui tacito nomine laudat aliquos asserentes, Bullam non spirare nisi transacto anno acceptionis, V. G. Si Bulla publicetur die 20. Ianuarij, & aliquis eam sumat die primo Aprilis, dicunt isti annum inchoare à die primo Aprilis, in quo accepta fuit Bulla; & pro accipiente durare vsque ad primum diem Aprilis anni sequentis. Sed hæc opinio est falsa, & ipse Ludouicus ait esse errorem intolerabilem, cum manifestè contradicat verbis Bullæ præscribentis inceptionẽ anni à die promulgationis, & non acceptionis; & negligentia illius, qui distulit Bullam accipere, nequit facere, vt Bulla vltra annũ duret. Determinatio verò, seu limitatio Bullæ, quo ad tempus non sumitur per ordinem ad ipsos accipientes, sed ipsamet Bulla ex seipsa, præscindendo ab acceptione particularium, habet limitationẽ temporis, proinde si fingamus à nemine accipi, tẽpus eius durationis currit, & nullo modo suspenditur.

SECTIO II.

8 IN hac Sectione cum nonnulla decidẽda sint dubia circa hanc temporis durationem; in plures Paragraphos eam diuidimus.

§. I.

An Annus, in quo Bulla vigorem habet, sit Naturalis, an verò Ecclesiasticus.

9 *Annus duplex Naturalis, & Ecclesiasticus.* ANnus Naturalis, seu solaris est reuolutio Corporis Solaris per spatium trecentorum sexaginta quinque dierum, cum quarundam horarum additio. Ecclesiasticus verò dicitur ille, qui durat, & incipit ab vno termino, vsque quo incipit alius similis terminus, qui in casu nostro est promulgatio. V. G. promulgatur Cruciata die 15. Ianuarij si duret vsque ad

ad alium decimumquintũ diem alterius Ianuarij ſequentis, diceretur durare per annum Solarem, ſeu Naturalem; Si verò noua Bulla anno ſequenti promulgaretur die primo Februarij, & Bulla præcedens duraret vſq; ad ipsũ primũ diẽ Februarij; tunc diceretur durare per annum Eccleſiaſticum. His pro terminorum declaratione præhabitis,

10 Prima opinio defenditur à *Rodriquez in Bullam §. 5. nu. 2.* quatenus vult, Bullã ipſam durare per annum, qui incipit à die promulgationis: & quamuis author iſte non exprimat, an annus iſte ſit naturalis; an verò Eccleſiaſticus: tamen ex eo toto diſcurſu, quo vtitur in eo paragrapho, & numero citato, colligitur, eius mentem fuiſſe, annum hunc eſſe naturalem. Pro eadem ſententia citatur *à Ioanne Sanchez in Selec. diſp. 55. Lopez in inſtruct. tom. 2. tract. de clauibus cap. 6. §. His igitur præmiſſis,* citat etiam *Vegam in Sum. cap. 43. caſ. 10. Sãches noſtrum lib. 8. de matrim. diſp. 15. n. 17 in medio,* & aliquos alios, licet *Vega, & Lopez* non ita clarè loquantur.

A Ioanne Sanchez annus promulgationis ſumitur more Eccleſiaſtico

11 Secunda autem ſententia eſt longè probabilior, & communior; proindè à nobis admittenda. Eam tuentur *Henriq. lib. 7. cap. 20. n. 2 Hẽ O. Villalobos in Sum. tom. 1. tract. 27. clauſ. 4. n. 8. Sancius in ſelect. ſoe. cit Ludouicus à Cruce diſp. 1. cap. 10. dub. 2. Trullenchin Bullam lib. 1. § 1 dub. 11. n. 3. & alij.* Probatur autem ratione deſumpta ex paritate præcepti Eccleſiaſtici de confeſſione facienda ſingulis annis, qui ſecundum opinionem valdè communiter receptam, numerantur more eccleſiaſtico, nempè à Paſcha vſq; ad aliud Paſcha; & non ſumũtur ſecundum curſum ſolarẽ dierum 365. atquè adeò ſatiſfit præcepto, etiam ſi plures dies, quam 365. fluant ab vno Paſchate ad aliud, & per conſequens ab vna ad aliam confeſſionem: Rurſus qui ordine ſacro ſunt inſigniti ſingulis diebus tenentur recitare horas canonicas; & tamen di ſiſte, pro quo eſt præceptum recitandi non computatur Mathematicè, & ſecũdùm curſum naturæ, ſed eſt longior; quia reſpectu eorum, qui tenentur recitare extra chorum, incipit poſt veſperas, & completorium ex conſuetudine recepta, vel ex priuilegio, & durat tempus legitimum recitandi vſq; ad illud tempus, quod antecedit mediam noctem diei ſequentis, & eſt ſufficiens ad explendum officium, vt conſuetudo ex diuturnitate temporis legitimè introducta ſuadet: ſic in caſu noſtro diſcurrunt ex hac paritate authores huius ſententiæ, quam defendimus.

Refertur ſecunda ſententia, & recipitur, vt longè probabilior.

Probatur à pari.

Sed puto efficaciùs probari poſſe ex praxi, ſecundùm quã fideles ſumentes hãc Bullam exiſtimant durare vſque ad promulgationem nouæ Bullæ, ſi de proximo eſt promulganda; ſecùs autem ſi promulgatio nouæ Bullæ non ſit ſequutura, vel diù differenda, vt infrà declarabimus. 12

Confirmatur efficacius ex praxi.

§. II.

Si Annus Eccleſiaſticus ſit breuior naturali, an qui Bullam accepit poterit illa gaudere vſque dum compleatur annus Naturalis?

Pro maiori claritate huius quæſiti pono caſum in hunc modum. Hoc anno promulgetur Cruciata die 20. Ianuarij, qua promulgatione facta, quis eodem, aut altero die eiuſdem anni ſumat Bullã, poſtea verò anno ſequenti publicetur noua Bulla ante vigeſimum Ianuarij V. G. die octauo, aut decimo; & conſequenter annus naturalis non ſit adhuc completus, cum compleri debeat die 20. Ianuarij anni ſequentis. Quærimus, an qui priorem Bullam anno præterito ſumpſit, poſſit ea vti, non obſtante nouæ Bullæ promulgatione, vſque dum annus naturalis perficiatur, an verò Bulla illa expirauerit facta noua promulgatione? 13

Prima ſententia aſſerit Bullam præcedentem euanuiſſe; ac proindè nequit, qui Bullam priorem accepit, vti eius priuilegijs, vſque dum annus ſolaris compleatur. Ita *Gomez in explicat. Bullæ clauſ. 5. nu. 1. Henricus Villalobos in Sum. tom. 1. tract. 27. clauſ. 4. nu. 11, Trullench lib. 1. §. 1. dub. 11. num. 4.* 14

Proponitur opinio negatiua.

Secunda opinio eſt oppoſita. Ait enim valere adhuc Bullam præcedentem, etiã promulgata noua Bulla, ſi annus naturalis Bullæ prioris non eſt elapſus. Citatur *Rodriq. in §. 5. nu. 2. à Ioanne Sanchez in Select. diſp 55. nu. 4.* ſed ibi à Rodriquez hoc minimè tractatur, vt patet eius verba cõſideranti, ibi enim inter alia, diuerſa ab hoc puncto, docet eſſe contra voluntatẽ Summi Pontificis Commiſſarij, & Catholicæ Maieſtatis ante tranſactum annum promulgationis Bullæ præteritæ, promulgare aliã Bullam Cruciatæ, & ſuſpendere priorem: & poſtea addit, quod ſi noua Bulla promulgetur, expediens erit, vt Cõmiſſarius in pulpitis admonere faciat fideles priorem Bullam adhuc durare vſque ad talem diem, quando annus promulgationis præcedentis Bullæ completur: at non aſſerit, quod elapſo anno promulgationis, ſi annus naturalis non ſit completus, poſſit prior Bulla vigorem habere vſque 15

Alia ſententia affirmat.

viquè dum perficiatur annus solaris, non obstante promulgatione nouæ Bullæ; hoc autem est longè diuersum à primo; & nihil de illo agit Rodriquez.

16 Dicendum est, primam sententiam esse probabiliorem; ac proindè illam amplector. Probatur conclusio; quia si promulgatio est veluti quædam ratio dans vigorem nouæ Bullæ erit etiam ratio tollens vigorem à Bulla præcedenti: ergo posito quod annus durationis huius Cruciatæ sit Ecclesiasticus, vt ostendimus, de anno naturali, siuè sit breuior anno Ecclesiastico, siue eo longior, nulla est ratio habenda; aliter sequeretur eodem tempore posse aliquè frui duabus Bullis Cruciatæ: quod videtur contra mentem Pontificis, qui vnam dumtaxat cōcedit Bullam pro singulis annis; neque vlla apparet ratio, cur promulgatio nouæ Bullæ si extendatur plusquam annus solaris, conseruet vigorem Bullæ; & quando minus extenditur non faciat cessare eiusdem Bullæ efficaciam.

Elapso anno promulgationis expirat Bulla, licet annus naturalis nō sit trāsactus.

17 Dices cum *Ioanne Sancio* loco citato annum Ecclesiasticum in hac materia nō esse introductum à Summo Pontifice, & Doctoribus ad destruendum annum naturalem, sed potiùs ad ei fauēdum, & supplendos aliquos dies, qui ex anno naturali fuerant elapsi.

Instantia Ioanis Sācij incontrarium.

18 Sed contra est, quia annus, intra quem Bulla Cruciatæ retinet vigorem, posset sine vllo inconuenienti sumi in duplici illa acceptione, nempè, vel vt naturalis, vel vt Ecclesiasticus, cum vtrumque sit probabile; tamen non est censendum in Bulla ex intentione Pontificis æquiuocè sumi ita, vt ipse Pontifex velit nunc esse computandum more Ecclesiastico, & nunc secundum cursum solarem: absurdum enim est in diplomatibus Pontificijs verba positiuè apponi cum æquiuocatione ita, vt intentio Papæ sit hoc pacto verba esse apposita. Ad intentionem autem *Ioannis Sancij* aio, annum Ecclesiasticum in ordine ad Cruciatam, non esse introductum ad destruendum annum naturalem, sed ad determinandum, quomodo sit computandus: modum autem computationis declarauit praxis, & fidelium consuetudo, vt diximus. Quapropter dico, vniformiter semper esse sumendum more Ecclesiastico, siuè annus Ecclesiasticus sit longior, siue anno naturali sit breuior.

Soluitur instantia prædicta.

§. III.

An Annus promulgationis sit computandus à die publicationis factâ in loco acceptionis Bullæ, an verò in loco, in quo inuenitur ille, qui Bullam accepit?

Casus talis est. Titius V. G. commorans Valentiæ ibi Bullam accepit die 15. Ianuarij, promulgatione factâ, postea eodem anno durante, Valentia recedat, & Panormū se conferat, in quo Bulla tardiùs publicata fuit, nempè, die primo Februarij. Quæritur an Titius circa vsum ipsius Bullæ regulari debeat per diē promulgationis factæ in Vrbe Valentiæ, in qua Bullam accepit; an verò per diem promulgationis Panormi factæ, vbi inuenitur? Si primum asseritur, tunc Bulla expirabit pro ipso Titio per totum diem 15. Ianuarij, quia eo transacto annus promulgationis in Vrbe Valentiæ tali tempore erit completus. Si verò secundum dicatur, tunc Titius poterit, Bulla accepta, frui per totum mensem Ianuarij anni sequentis. Et idem esset inquirendum, si casus cōtrario modo formaretur, hoc est si ponatur Panormi Bullā fuisse publicatam ante illud tempus, in quo Valentiæ promulgata fuit. 19

Fuit opinio *Ioannis Sancij disp. illa 55. nu. 9.* per quam asseruit, computationem hanc esse attendendam iuxta diem publicationis, factæ in eo loco, in quo quis inuenitur, & non iuxta diem promulgationis factæ in loco acceptionis; proindè Titius, qui Valentiæ Bullam accepit die 15. Ianuarij; si Panormum eodem anno se conferat, vbi Bulla noua publicatur die primo Februarij sequentis: poterit frui priuilegijs prioris Bullæ, quam Valētiæ accepit, per totum mensem Ianuarij anni sequentis. At non explicat author iste, quid sit dicendum in eo casu, quo fit promulgatio nouæ Bullæ in loco, in quo Titius inuenitur V. G. Panormi, fiat antequam compleatur annus promulgationis illius Bullæ, quam ipse Valentiæ accepit; an .s. in tali casu Titius debeat regulari, circa vsum prioris Bullæ, per ordinem ad annum publicationis, quæ fit Panormi, vbi ipse reperitur nec nè? Probat autē suam sententiam *Sancius*, quia æquum nō est fidelem cogi ad redeundum ad illum locum, in quo Bullam sumpsit, vt Bullam aliam accipiat; nec æquum est priuari tanto bono per spatium vnius mensis, iuxta supputationem in exēplo posito ab authore, nempè, per totum Ianuarium anni sequentis sine sua culpa. Et addit, præsumendum, hanc esse voluntatem 20

Ioannes Sancius omisit casum explicandum in hac re.

Pontificis: ſicuti illam præſumimus in ordine ad annum, qui incipit ab vna promulgatione, & durat vſque ad aliam. Rurſus id confirmat ex eo, quod qui Bullam accepit, & reperitur in alio loco, in quo durat annus prioris promulgationis, erit incola illius loci, & ideò publicatio Bullæ debet pro ipſo computari, ſicuti computatur pro alijs, qui habitant in eodem loco, & in eo Bullam acceperunt.

21 *Oppoſitam opinionem docuerunt alij.*

Aliam contrariam opinionem docet *Aegidius Trullench in expoſitione Bullæ lib. 1. §. 1. dub. 11. nu. 5. in medio*; quamuis ibidem non improbabilem iudicet ſententiam *Sancij*, vult enim author iſte annum eſſe computandum per habitudinem ad locum, in quo Bulla fuit accepta; non autem ad locum, in quo inuenitur, qui eam ſumpſit: ſed pro hac ſententia, quam ipſe ſequitur, nullum affert Patronum, neque aliquam aſſignat rationem.

22 *Admittitur ab Authore ſententia ſecundo loco relata.*

Dicendum eſt, annũ hunc, de quo loquimur, menſurãdũ eſſe per illud tempus quo Bulla publicata Valentiæ efficaciã retinet, & nõ per illũ annũ, quo Bulla Panormi durat. Probatur Concluſio, Bulla Cruciatæ non menſuratur primò, & per ſe in quantitate ſuæ durationis per habitudinẽ ad ſubiectum, nempè, ad perſonam ſumẽtem, ſed per ordinem ad ſui promulgationem, quæ facta fuit in eo loco, in quo ipſa Bulla efficaciam habere incœpit; proinde ſemper reſpicit promulgationem hanc, tanquam menſurã ſuæ durationis, etiam ſi perſona, quæ eam ſumpſit per varia loca vagetur, in quibus tempus publicationis fuerit diuerſum. Dixi primò, & per ſe non menſurari per habitudinem ad perſonam &c. quia per accidens poterit cõtingere, vt duratio alicuius Bullæ ſit per ordinẽ ad perſonã: & ideo ſi perſona illa moriatur, tũc ex defectu ſubiecti, cui cenſetur veluti accidens quoddam morale inhærere priuilegium Cruciatæ, ceſſabit, & ipſum priuilegium ita, vt Bulla iſta numero alteri fideli non ſit applicabilis; at hoc non eſt, quia ceſſauit menſura propria durationis Bullæ; ſed quia deſinente ſubiecto, à quo ſubiectiuè dependebat deſinere debuit, & ipſum priuilegium.

23 *Soluitur ratio contraria.*

Ad rationem autem in contrarium, cui innititur Ioannes Sãcius, facillima eſt reſpõſio: a:o enim, ex noſtra ſententia non ſequi fidelem cogi ad aliquod onus graue, vel irrationabile; poterit enim vel per ſe ipſum, vel per alterum ſibi confidentem, aliam Bullam Valentiæ ſumere, ſi ibidem fuerit noua Bulla promulgata, vel expectare per aliquot paucos dies promulgationem nouæ Bullæ faciendam in eo loco, in quo ipſe Titius inuenitur. Neque hoc magnum onus exiſtimari debet; nam ſicuti ipſe Titius poterit frui Bulla antiqua quam Valentiæ accepit, ſi Panormi, in quo ipſe moratur, publicatio nouæ Bullæ anticipatur antequam annus promulgationis Bullæ, quæ Valentiæ ſumpta fuit, compleatur; ita debet eadem Bulla non gaudere, ſi annus promulgationis nouæ Bullæ Panormi prorogetur: & annus Bullæ, quę Valẽtię fuit accepta, expirauit: quemadmodũ in primo caſu recipit cõmodũ; ſic in ſecũdo caſu debet ſuſtinere aliquod incommodum: maximè quia pro hac noſtra ſententia eſt argumentum alicuius ponderis, & pro oppoſita nullum apparet alicuius momenti.

Sed dices conſtantem eſſe Doctorum ſententiam, quòd Peregrini, & hi qui per aliquod breue tempus commorantur in aliquo loco, poſſunt gaudere priuilegijs, & participare commoda illius loci, in quo reperiuntur V. G. ſi quis reperiatur in aliquo loco, vbi tali die non eſt ieiuniũ, quod tamen eſt in loco ſuæ habitationis, non tenebitur ſeruare ieiunium; quia poterit ſe conformare cum incolis illius loci: ſic in caſu noſtro, dum Titius Panormi cõmoratur, in quo efficacia prioris Bullæ perſeuerat, quamuis Valentiæ annus publicationis expirauerit: poterit ſe conformare cum fidelibus Panormi habitantibus, qui priori Bulla fruuntur: & ſic etiam ipſe vti Bulla antiqua. 24 *Argumẽtum in oppoſitum deſumptum ex obligatione, quam habent Peregrini in aliquo loco commorantes proponitur.*

Reſpondeo negando paritatem, quia priuilegia, & commoda illa ſunt localia; & eorum duratio ſumitur per ordinem ad loca illa, & ideò dum non reuocantur ſemper durant, extãtibus Ciuitatibus, ſeu Oppidis illis, quibus ſunt conceſſa, & veluti affixa; & ſic afficere poſſunt omnes in eo loco commorantes, ſiuè incolas, ſiuè peregrinos; at duratio Bullæ non menſuratur per reſpectum ad locum, vt ſic; neque ad ſumentes, ſed per ordinem ad promulgationem, factam in tali loco, vt declarauimus; idcircò ceſſante anno promulgationis, ſtatim ipſa Bulla ſpirabit. 25 *Diluitur.*

§. IV.

An præcedens Bulla tranſacto anno publicationis per aliquot dies prodeſſe poterat?

PONamus annum Eccleſiaſticum ab vna in aliam promulgationem lapſũ fuiſſe, facta iam publicatione nouæ Bullæ. Poteſt ne prior Bulla per aliquot dies vltra prædictum annum eſſe vtilis? 26

Partem affirmatiuam docet *Villalobos in ſum. tom. 1. tract. 27. clauſ. 4. nu 8. Ioannes Sancius in ſelect. diſput. illa 55. num. 5. & Ludouicus à Cruce diſp. 1. cap. 10. dub. 2. numer. 6.* videlicet non ſpirare præcedentem Bullam per octo dies poſt nouæ Bullę 27 *Cenſuerunt aliqui elapſo anno per aliquot dies Bullam veterem durare.*

pro-

promulgationem in aliqua ingenti Vrbe, seu Oppido, moraliter enim dicunt hi authores esse impossibile ab omnibus eodem promulgationis die, nouam Bullam sumere; Sed Sancius hanc opinionem intelligit cum limitatione, nẽpe, si per omnes octo dies duret difficultas accipiendi Bullam; vel si ex malitia, aut incuria illius, ad quem spectat Bullas distribuere, ipsæ Bullæ non distribuantur, tũc in istis, vel in alijs similibus euentibus præsumitur, mẽtẽ Summi Pontificis esse, Bullam veterem per illos paucos dies non spirare; citatur etiam à *Villalobos, & Sancio, Pater Henriquez in Sum. lib. 7. de Indulg. cap. 20. n. 2. & in comm. lit. O.* Sed *Henriquez* obscurè loquitur, & pręsertim in primo loco; & ideo non possum pro hac sententia certò illum afferre.

28 *Contraria opinio est amplectenda.* At partem negatiuã omninò amplector; videlicet transacto anno durationis Bullæ, per se loquẽdo, spirare ipsam Bullam; ac proinde eius vsum esse inutilẽ. Cõclusio ista probatur ex tenore ipsius Bullæ, in qua expresẽ præscribitur, priuilegia Cruciatæ non durare, nisi intra annum publicationis. Præterea quoties statuitur tempus, quo durare debet priuilegium, eo tempore elapso statim priuilegium illud spirabit, vt colligitur ex *Cap. de caussis de offic. deleg & cap. Ne pro defectu de elect. Suarez de legibus lib. 8. cap. 5. num p. & cap. 29. nu. 4. CastroPalaus in opere morali tom. p. tract. 3. disp. 4. p. 2. §. 2, & p. 14. nu. 2. Franciscus Merolla tom. 3. de Theol. morali disp. 6. cap. 2. de priuileg. difficult. 3. nu. 30. & cap. 8. dub. 4 n. 120.* & docet etiam *Baldus dicto cap de caussis, & alij.* Ad rationẽ in cõtrarium, qua aduersarij probant suam sentẽtiam, dicimus, nullum sequi incõueniens, si ob magnam difficultatem, vel ob malitiam, aut incuriam dispensatoris, aliqui nequeant, in aliqua magna Ciuitate Bullã nouiter promulgatam sumere per aliquos dies; neque ratio ista poterit vim habere contra claram dispositionem Summi Põtificis præscribentis tempus determinatũ, intra quod Bulla valeat sumentibus prodesse.

§. V.

An si quis sit certus, quod transacto anno promulgationis huius Bullæ, nulla alia sit publicanda, vel quod publicatio nimium sit differenda, possit uti veteri Bullæ?

29 *Declaratur quæsitum.* SVmat v. g. Titius Bullam Cruciatę post eius promulgationẽ legitimam, quam in loco acceptionis supponamus fuisse factam die vigesimo Ianuarij anni præsentis 1645. sane annus naturalis huius Bullę erit complendus vigesimo die Ianuarij anni sequẽtis 1646. Annus verò Ecclesiasticus, qui in hac materia attendendus est, vt suprà probauimus, erit perficiendus tẽpore publicationis nouę Bullæ, qui, vt est manifestum poterit continere plures, vel pauciores dies, quàm cõtineat annus solaris. Ponamus autẽ casum, quod Sũmus Pontifex iustis, & rationabilibus motiuis, trãsacto sexennio concessionis huius Cruciatæ, nollet eã ampliùs prorogare, & de tali voluntate Titius sit certus: tũc quærimus, an ipse Titius possit, elapso anno naturali publicationis huius vltimæ Bullæ, ea vtiliter frui; ex vna autẽ parte videtur, id fieri posse ex doctrina, à nobis superiùs tradita, secundùm quã diximus, annum Ecclesiasticum durationis Bullæ esse moraliter intelligendum, nempe vsq; ad promulgationẽ nouæ Bullæ, quãuis longior sit anno naturali: sed ex alia parte videtur, oppositum esse asserendũ; quia vt sic eadẽ Bulla perpetuò, vel diu durare poterit; si Pontifex supponatur nunquã, vel saltẽ post longũ tempus concessurus nouam Bullam.

Dicendum igitur est primò in casu posito. Si Titius est certus de supradicta Põtificis voluntate, transacto anno solari publicationis huius vltimę Bullæ, non potest ea ampliùs gaudere: quia elapso anno prędicto, statim expirat. Probatur autem efficaci ratione: quia aliter voluntas Pontificis eluderetur, nã si ipse determinauit suspendere concessionẽ nouæ Bullæ, & priorem cõcessit per sex dumtaxat annos; necessariò infertur eius intentionẽ esse, quod fideles ampliùs nõ gaudeãt priuilegijs huius Bullæ; proinde si poneretur, vltimam Bullam, etiã in tali casu in suo vigore permansurã, inutilis redderetur determinatio Pontificis; cum fideles virtute præcedẽtis Cruciatę possint eisdẽ priuilegijs gaudere, quæ à Pontifice denegantur, suspendendo prorogationẽ Bullæ. Hanc nostrã sententiam expresẽ ponit *Ægidius Trullench lib. p. S. p. dub. 11. nu. 4.* 30 *Si quis est certus Bullã nouã nõ esse promulgãdã trãsacto anno non poterit vti veteri Bulla.*

Dicendũ est secundò, in casu præsenti, quẽ examinandum posuimus, mensuram durationis Cruciatæ esse annũ naturalem, incipientẽ à die promulgationis ipsius Bullæ. Ex dictis patet hæc conclusio, quia cũ nequeat in casu isto perpetuò in sua efficacia manere, & nullũ aliud sit assignabile tempus, in quo spirare debeat: superest solùm annus naturalis, intra quem valeat ipsa Bulla fidelibus prodesse. 31 *In casu prædicto mẽsura durationis Bullæ est annus solaris.*

Dicendũ est tertiò. Quæ asseruimus de duratione Bullę, quãdo à Põtifice absolutè suspẽditur prorogatio, eadẽ affirmanda sunt, si suspensio non erit perpetua, sed ad lõgũ tẽpus. Ita *Trullẽch dub. cit, n. 3. 4.* dum vult, posse fideles, vti priori Bulla elapso anno vsq; ad publicationẽ alterius Bullæ; & 32 *Idem asserẽdũ si per longum tẽpus suspendatur promulgatio nouæ Bullæ.*

 appo-

apponit hanc limitationẽ (dũmodo noua ista publicatio sit certa, & in proximo) ergo supponit, quod si differatur ad longum tempus, sit spiratura præcedens Bulla. Cõclusio ista, quamuis non sit adeò manifesta sicuti est prima conclusio procedens de suspensione perpetua: nihilominus poterit suaderi, quia annus iste, per quem dicimus Bullam durare moraliter, à nobis, & ab alijs Doctoribus accipitur intra latitudinem anni Ecclesiastici, qui licèt constare possit pluribus diebus, quàm constet annus vulgaris: tamẽ horum dierum pluralitas non debet esse talis, vt excedat terminos anni Ecclesiastici, iuxtà communẽ fidelium existimationem; vt sic enim duratio Bullæ esset contra mentem Pontificis, qui in ipsamet Bulla expressè statuit (per annum à die publicationis duraturã, & non amplius.) Difficultas verò consistit in determinandis his diebus, videlicet in eorum numero statuendo ad hoc, vt non excedantur limites anni Ecclesiastici, cuius latitudo non extenditur vltrà triginta quinque dies nam Pascha nequit esse ante 22. diem Martij, & vltra 25. diem Aprilis inclusiuè, quod spatium continet 35. dies; igitur cũ iste sit annus Ecclesiasticus omnium maximus; non possumus annum signatum in Bulla prorogare vltra dies 35. Proinde dico, quòd si Bulla, quæ publicata fuit hoc anno, spiret V. G. die primo Februarij anni sequentis, quo tempore non promulgatur noua Bulla, poterunt fideles vtiliter vti Bulla præcedenti, si publicatio futuræ Bullæ non differatur vltra mensem circiter; quia intra tale tẽpus, secundum fidelium existimationem, manet ratio anni Ecclesiastici.

Determinatur quantitas huius temporis.

SECTIO III.

Si quis vi Bullæ, tempore habili, confessionem cœpit, quam perficere non potuit, an trãsacto anno promulgationis, valeat virtute eiusdem Bullæ confessionem prosequi, & absolui.

33 PRope finem anni, in quo Bulla cessare debet, incipiat Titius Sacramentalẽ Confessionem, habens plures casus reseruatos, & quia eam perficere non potest ob temporis breuitatem, cogatur eam prosequi vltra annum durationis Bullæ. Quæritur, an absolui possit virtute huius Bullæ; an verò vt validè absoluatur, debeat sumere aliam Bullam, nouiter promulgatam.

Exemplificatur, & Declaratur quæsitum.

34 Dicendum est in casu posito. Non tenetur Titius sumere aliam Bullam nouiter promulgata; sed poterit virtute prioris Bullæ confessionem prosequi, & absolutionem à reseruatis recipere; Quam sententiam, quæ debet esse sine controuersia ex principijs mox ponendis, in terminis sequitur *Henricus Villalobos in sum. tract. 27. clausf. 4. nu. 13. Trullench lib. 1. S. t. dub. 11. nu. 4.* & expressè habetur in Bulla plũbea his verbis (*Item declarant, quod expirante anno omnes prædictæ facultates, Gratiæ & Indulta expirent, tantumquè poterunt caussæ pendentes ad finem perduci*) Igitur dũ quis incipit Confessionem intra annum Bullæ, eamque, iudicio prudentis Confessarij ob aliquod impedimentum legitimum, expedit differre vltra annum, caussa ista diceretur pendens remanere; ac proindè poterit perfici, etiam elapso anno virtute prioris Bullæ; vt declaratur in ipsa clausula generali, superiùs enarrata. Præterea, quamuis hoc in Bulla non fuisset declaratum, deberemus, iuri communi inhærentes, hoc asserere, ex illo priucipio, communiter ab authoribus recepto, videlicet, iurisdictionem, quam habet Delegatus à delegante non cessare, si caussa est iam incœpta, vsque dum totaliter finiatur; quæ alioquin, si esset integra, expirare deberet, siuè ob mortem Delegantis, siuè ob aliud caput; in casu autem nostro res non est integra, sed incœpta, cum Titius confessionem inchoauerit; Ergo quamuis annus publicationis sit transactus, & per cõsequens Bulla debeat spirare; nihilominus, in ordine ad complendam hãc Confessionem Sacramentalem, censetur adhuc durare, & hoc non ex noua, seu peculiari gratia Pontificis, sed ex iuris communis dispositione statuentis caussã incœptam à Delegato esse perficiendam, etiam sequuta morte Delegantis; atque adeò in ipso Delegato durare iurisdictionem semel legitime receptam. Cæterum cum veritas nostræ conclusionis superiùs positæ tota fundetur in hoc, quod caussa sit inchoata; placet breuiter declarare, quid requiratur adhoc, vt confessio censeatur incœpta. Non autem hic inteudo agere de hac re vniuersaliter, vt extenditur ad alias materias, siuè pertineant ad iustitiam, siuè ad gratiam: sed solùm de confessione, scilicet, quando confessio intelligi debeat Sacramentaliter incœpta, ita vt trãsacto anno durationis Bullæ, possit pœnitens, hoc nõ obstante, ea vti? Hoc punctum in particulari à nemine exagitatum videre potui; & id, quod aliqualem facit dubitationem est, quia ex vna parte poterit alicui videri, ad hoc vt confessio dicatur inchoata, non esse necessarium, quòd aliquod peccatum sit Confessario expressum, sed sufficere aliquod signum, quod solet fieri ante peccatorum enarrationem

Incœpta caussa intra annũ promulgationis, eo elapso poterit ad illam expediẽdam vtilis esse vsus antiquæ Bullæ.

Probatur ex ipsomet contextu.

Dispositio ista est ex iure communi.

Restringitur casus ad cõfessionem Sacramentalẽ.

tionẽ, per quod pœnitens manifestet Confessario intentionem actualem, quam habet Sacramentaliter confitendi: signa autem, seu actiones, quæ hoc indicant sunt illæ, quæ solent mediare inter petitionem pœnitentis ipsi Confessario factã de agenda confessione, & inter expressionem peccatorum, vt Genuflexio ante Confessarium, signum Crucis, prolatio confessionis generalis, percussio pectoris, nẽpè, confiteor Deo omnipotenti, & tibi Pater, &c. hæc autem, & similia videntur satis ad hoc, vt dicatur confessio Sacramẽtalis incœpta; post quam Confessarius eã, vt ad se directam acceptat; talis enim acceptatio est actus iurisdictionis; atque adeò caussa ista non dici debet integra, sed inchoata; ex alia verò parte signa prædicta nõ videntur sufficientia, ad hoc vt confessio sacramentaliter dicatur cœpta, quia non sunt formaliter confessio; sed præambula ad confessionem; & probatur hac paritate à simili. Dum quis impetrauit rescriptum aliquod à Pontifice, per quod ipse Pontifex committit, ad instantiam supplicantis, alicui, vt dispenset in re aliqua, vel expediat negotium aliquod, si qui rescriptum obtinuit, illud præsentet Delegato, per solam hanc præsentationẽ non censetur caussa inchoata; vt notant Doctores, *Panorm. cap Cum venisset nu.2. in fine de test. & attest. Felinus cap. relatum nu.12. de offic. Deleg. Sanches lib. 8. de matr. disp.28. nu.19. Merolla in sua Theol. morali to.2. disp.4. cap.6. dub.21. n.492.* & alij apud ipsum, contra aliquos oppositum sentiẽtes, nam sola rescripti præsentatio dat iurisdictionem Iudici Delegato, at non est exercitium iurisdictionis; sic genuflexio, signum Crucis, percussio pectoris, &c. sunt præparatio tantùm ad confessionem Sacramentalem, non autem formaliter confessio.

Sed his non obstantibus probabiliter
35 *Sola signa, positis quibusdam conditionib⁹ possunt facere confessionem inceptam.* censeo signa prædicta esse sufficientia ad hoc, vt dicatur confessio Sacramentaliter inchoata quibusdam tamen positis conditionibus; atque adeo posse Titium pœnitentem prosequi confessionem, & ea peracta absolui virtute præcedentis Bullæ. Prima autem conditio est, vt eligat Confessarium vi priuilegij cõcessi per ipsam Bullam. Secunda, vt eidem electo manifestet se velle confiteri, & ab illo absolui. Tertia, vt intercedat caussa rationabilis, & sufficiens ad differendam confessionem vltrà annum promulgationis Bullæ, idque fiat cum licentia ipsius Confessarij, quænam autem sit caussa rationabilis ad talem dilationem concedendam non est huius loci examinare; sed in tractatu de Sacramento pœnitentiæ; satis nobis in præsentia erit dicere, illam caussam existimari sufficientem in ordine ad hunc effectum, quæ sufficit ad differendam absolutionem annualem, ad quam fideles tenentur vi præcepti Ecclesiastici; videri poterit *Cardinalis Delugo d.6. de pœnit. sect.1. à n.6 vbi n.8 citat Suarez tom. 4. de pœn. d.23 sect.1. Salas in p.2. tr.8. dis: vnica sect.5. nu.16. AEgi. Con. d.7. dub.10 n.97. & Dianam par.5. tr.3. de absol. morib. tract. 3. de absol morib. tract.3. resol.6.7.* hoc autẽ posito, probo sententiam superiùs relatã, & à nobis admissam, eamque tali argumẽto suadeo.

Illa signa censeri debent sufficientia ad 36 *Probatur ratione.*
hunc effectum, quæ possunt esse sufficiens materia ad conficiendum verum Sacramentum pœnitentiæ, concurrendo simul cum forma absolutionis; sed signa enumerata ita se habent: ergo censeri debẽt sufficientia ad hunc effectum. Maior mihi videtur certa, quia inchoatio huius Sacramenti necessariò debet esse ratione illius, quod se habet, vt pars materialis, cũ nequeat esse ratione formæ, quæ vt sit valida, oportet supponere materiam, supra quam cadat; proinde omne illud, quod potest se habere, vt materia huius Sacramenti, si ponatur in actu, & cum habitudine ad absolutionem erit inchoatum Sacramentum, seu inchoata confessio, & accedentibus tribus illis conditionibus, quibus suprà, nihil deerit, vt dicatur incœpta confessio in ordine ad hunc effectum, de quo loquimur: remanet probãda minor, in qua residet difficultas; eam autem sic ostendo. Signa enumerata, nẽpè genuflexio, &c. in multis casibus iuxta probabiliorem opinionem, & hodie cõmuniter in praxi receptam, cẽsentur sufficiens materia ad constituendum Sacramentum pœnitentiæ, simul cum forma absolutionis *V. G.* si quis impedimentum habeat, ita vt loqui nequeat, & sit in ar- articulo mortis, & det signum aliquod ex enumeratis potest, imò debet à Confessario absolui, quia vt bene aduertit *Cardinalis Delugo tract. de pœnit. disp.17. sect.2. num.29.30.* signa ista, aut similia, & maximè si ad Confessarium dirigantur, continent, accusationem, & confessionem peccatorum, imò sunt vera, & realis accusatio, & confessio, & ex *S. August. serm.* 44. habemus, percussionem pectoris, esse aliquam peccati manifestationem, & per cõsequens aliquam confessionem non completam, sed inchoatam materialiter; & hoc non est in præsentia exponendum, sed potiùs supponendum ex tractatu de pœnitentia. Si igitur signa prædicta sunt materia sufficiens ad confitendum Sacramentum, dum manent sub triplici illa

con-

conditione, non video, cur non fiat inchoata cõfessio in ordine ad istum effectum, de quo est sermo.

37 *Obiectio contraria.* Dices. Si prædicta signa sunt solùm inchoata materia, nequeunt conficere Sacramentum, etiam cum forma absolutionis, quia cum hoc Sacramentum perficiatur ex parte materiali, & formali debet vtraque pars esse completa, & non inchoata.

38 *Solutio.* Respondeo dum signa illa, aut similia appellamus inchoatam materiam, id non debet sumi formaliter, sed solùm materialiter; sicuti dum in confessione ob rationabilem caussam omittuntur aliqua peccata mortalia commissa, confessio illa à Theologis dicitur formaliter integra, quãuis materialiter non sit talis.

39 *Alia obiectio.* Dices secũdo. Et si in casu necessitatis, nempè in periculo, & articulo mortis signa, absque expressione alicuius peccati, existimentur materia sufficiens: nihilominus quando non viget necessitas illa, non debent censeri apta materia ad Sacramentum complendum. *Responsio.* Respondeo materiam, & formam Sacramentorum nouæ legis solùm dependere ab institutione Christi Domini, & non ab Ecclesia, & de facto secundum se esse iam determinatas, licet interdum à nobis earũ aptitudo non agnoscatur, & sint plures controuersiæ inter Theologos: quapropter varietas circumstantiarum occurrẽtium, quamuis possit facere, vt quandoq; aliqua materia, seu forma illicitè vsurpetur; quandoq; verò licitè: tamen nunquam euenire poterit, vt eadem materia, seu forma secundum se sit apta ad valorẽ Sacramenti in quibusdam circumstantijs, & in alijs circumstantijs careat tali aptitudine; vt sic enim institutio Sacramentorum, & designatio partium essentialiter requisitarum dependerent à circumstantijs humanis, & non à solo Christo, quod communiter in tractatu Sacramẽtorum reijcitur, vt falsum ab omnibus Theologis; qui in solo Christo ob excellentiam potestatis, quam habebat, agnoscunt potestatem instituendi Sacramenta, & determinandi eorum partes. *Materia, & forma Sacramentorum à solo Christo dependent licet interdum nobis nõ sint certò determinata.* Ex his igitur aio, quod si in vno casu semel admittatur res aliqua, vt materia, seu forma, & à pœnitente mala fide id fiat, Sacramentum erit inualidum, ob prauam dispositionem pœnitentis; non autem ob carentiam materiæ, &c. & hoc patet, quia in allijs Sacramẽtis, etiã si malè aliquid exerceatur, valida erunt Sacramenta; licet Minister mala fide operans, applicando materiam contra Ecclesiæ consuetudinem, grauiter peccet: sic in re nostra si ponamus à pœnitente inuincibiliter ignorari, cum solis signis absque expressione peccatorum nõ posse licitè absolui, quando nullum concurrit rationabile impedimentum ad tacenda paccata, & de facto hic, & nunc nullum sit tale impedimentum in pœnitente, si durante bona fide, absolutionem recipiat, validum erit Sacramentum; quemadmodum validum est, si omittat manifestationem alicuius peccati mortalis, putans inuincibiliter habere caussam sufficientem ad illud tacendum, cum reuera talis caussa non sit.

Ad argumentum autem pro opposita sententia desumptum à præsentatione rescripti; nego paritatem, quia præsentatio rescripti solitariè accepta, non potest cõparari, vt materia ad recipiendam sententiam latam à Iudice, tanquam formam; nam talis materia est id, quod in rescripto petitur. 40 *Responsio ad fundamentũ cõtrariæ sententiæ.* V. G. si est rescriptum gratiæ, circa matrimoniũ, materia erit ablatio impedimenti ad matrimoniũ contrahendũ aut si erit circa votum, aut iuramentum, materia erit ablatio voti aut iuramenti vel si est rescriptum iustitiæ, & caussa sit in foro contentioso, materia erit V.G. applicatio aliquorum bonorum, aut alicuius beneficij Ecclesiastici, de quo sit lis inter aliquos, &c. *Expositio materiæ diuersorum rescriptorum.* Hæc autẽ, & similia sunt materia, supra quam immediatè cadere debet sententia Iudicis, vt forma; ipsa verò præcisa præsentatio est solùm transmissio potestatis in Iudicem delegatum, & neque explicitè, neque implicitè est ablatio impedimenti ad cõtrahendum matrimonium, neque ablatio voti, & iuramenti, neque demum applicatio bonorũ, beneficij, &c. & sic patet disparitas.

41 Plures alij casus proponi possunt circa præsens quæsitum de confessione incœpta: & quia diuersitatem habent, distinctis paragraphis eas examinabimus:

§. I.

Quid dicendum si prædicta confessio ex malitia in finem anni differatur.

42 *Declaratur quæsitum.* POsset euenire, vt Titius V.G. differat confessionem ex malitia vsque ad finem anni, præuidens non posse confessionem illam complere intra annum durationis Bullæ, sed post transactum annum; Inquiritur, an hoc non obstante valeat post annum elapsum vti priori Bulla, & eius virtute absolutionem à reseruatis recipere?

43 *Sub terminis Cruciatæ apud neminem author vidit.* Respondeo casum hunc sub his terminis, loquendo de Cruciata, apud neminem exagitatum videre potui; sed habemus hoc ipsum iam decisum in simill materia, nempè in Iubileo extraordinario, quoad

quod durare solet per duas hebdomadas. Quærunt enim Doctores, an si quis in illis duabus hebdomadis malitiosè non compleuerit opera iniuncta, scilicet ieiunia, visitationem Ecclesiarum, & reliqua opera ad Iubileum lucrandum præscripta, & die vltimo ipsarum hebdomadarum, scilicet die Sabatho postremæ hebdomadæ, pœnitentia ductus, se præsentet Confessario, vt velit sibi commutare opera illa iniuncta, & omissa in aliquod aliud opus pium, vel dilationem dare ad præstanda opera prædicta: quærunt inquam Doctores, an Titius pœnitens, concessa dilatione prædicta, possit transacto tempore Iubilei, virtute eiusdem Iubilei confessionem perficere, & à reseruatis absolutionem obtinere? Ad hũc casum quamplures respondent affirmatiuè, inter quos est *Filiucius tom. 1. tract. 8. cap. 10. n. 268. & sequentibus*, inquiens, posse cum isto tali Confessarium dispensare; sicut cum infirmo; nam licet ex malitia non præstiterit opera illa, tamen dum se pœnitet, inuenitur impotẽs eo tẽpore, quo accedit ad Confessarium. *Filiucium* sequitur *Santarellus in tractatu de Iubileo cap. 7. dub. 1.* qui non bene pro hac sententia citat, *Bonacinam tom. 2. disp. 6. quæst. 1. p. 5. n. 36. & Sanchez lib. 4. decal. cap. 54. nu. 28.* nam ille loquitur non quando ex malitia omittuntur opera, sed quando verè nõ possunt illa præstare; iste verò, nimirum Sanches non loquitur de hac re, loco citato ab ipso Santarello,

44 *Applicatur prædictorum doctrina Bullæ Cruciatæ.* Hæc autem doctrina, quam *Filiucius*, & *Santarellus* adducunt, tractantes de Iubileo, rectè applicari poterit Cruciatæ; cum prorsus eadem videatur ratio, nullumque assignari possit discrimen. Respõdeo igitur directè ad quæsitum, & aio quod si quis ex malitia differat confessionẽ vsq; ad finẽ anni modo explicato, si postea pœniteat, poterit arbitrio Confessarij differre cõfessionẽ inchoatam & post elapsum annum, eã perficere, & virtute veteris Bullæ absolutionem habere: Et hoc assero ob eamdem rationem, qua auctores citati ducti sunt ad hoc ipsum asserendum tempore Iubilei.

§. II.

An si confessio inchoata sit inualida in casu prædicto, vsus veteris Bullæ prodesse poterit?

45 *Si cõfessio sit inualida ob defectum pœnitentis, an impediat vsus veteris Bullæ.* Casus talis est. Titius differens Confessionem in finem anni, vt explicui, mus, eã nihilominus sit inualida ob defectum ipsius pœnitentis, qui potest carere proposito non peccandi, vel habere cõplacẽtiam de aliquo peccato, aut aliquid simile, ratione cuius non sit bene dispositus. Quærimus an sententia, quam supra sustinuimus locum habeat in casu isto, nempè, vt absolutionem recipere possit pœnitens vigore prioris Bullæ?

Respondeo negatiuè. Et ratio est, quia Pontifex per Cruciatam solùm caussas inchoatas, & pendentes concedit posse perfici elapso tempore Bullæ: at confessio ista inualida non est vera confessio; proinde cũ priuilegia Cruciatæ sint vtilia durante tantùm anno promulgationis, & nulla verè fuerit caussa inchoata, statim elapso anno omnia illa priuilegia expirãt; & per consequens, vt pœnitens à reseruatis absoluatur, debet sumere Bullam nouiter publicatam. Ita *Suarez in simili in 3. p. tom. 4. disp. 31. sect. 4. nu. 22.* Sententiã autem istam intelligo, quando pœnitens tempore habili nullam Confessario subministrauit materiam, quæ cum forma absolutionis potuisset conficere Sacramẽtum; secùs si partem materiæ sufficientẽ exhibuisset; tunc enim caussa tempore habili fuisset incœpta, & ideo Sacramentum posset perfici iuxta ea, quæ supra diximus. Vide *Sanches in simili lib. 2. Summæ cap. 13. num. 15.* 46 *Inutiliter quis vtitur veteri Bulla in casu posito.* *Declaratio huius sententiæ.*

§. III.

An idem sit asserendum si confessio sit inualida ex culpa Confessarij?

Poterit cõfessio illa inchoata esse nullius valoris ex defectu culpabili Cõfessarij. Si V. G. Sacerdos facultatem non habeat excipiendi confessionem illam, & fingat potestatem habere decipiẽdo pœnitentem, 47 *Quid dicendũ si nullitas proueniat ex culpa solius Cõfessarij.*

Respondeo, neque in casu isto confessionem illam dici posse inchoatam, qui reuera non est confessio Sacramentalis, quapropter elapso anno, non poterit pœnitens vti præcedente Bulla in ordine ad effectum absolutionis, & hanc opinionẽ tenet *Suar disp. 35. de pœnit. sect. 4. num. 1.* inquirens, per quam confessionem præceptum adimpleatur, & docet esse certum, quacumq; ratione cõtingat inualiditas, non adimpleri præceptũ, siuè oriatur ex parte pœnitentis, siuè Confessarij, siuè iure, siuè iniuria. 48 *Neque in isto casu suffragatur prior Bulla.*

An

§. IV.

An Pœnitens ante completam confessionem, incidēs in casum reseruatum post transactum annum promulgationis, valeat vi prioris Bullæ absolui.

Proponitur casus.

49 EVenit, quod aliquis incipiat confessionem in fine anni, modo declarato; sed ante quam illam perficiat, labitur in casum reseruatum post elapsum annū prioris Bullæ Quærimus an vi huius præcedentis Bullę, sicuti potest absolui à peccatis patratis intra annum, quorum caussa dicitur pendens, ita etiam valeat absolutionem obtinere à peccato illo reseruato, in quod post anuum, durante tamen confessione, est lapsus?

50 Hanc sententiam sub terminis Bullæ Cruciatæ à nemine vidi, nę dum exagitatam, sed nequè tactam, illam verò expēdunt aliqui infra citandi loquentes de Iubileo, de quo est dispar ratio, vt videbimus.

Refertur opinio affirmatiua cuiusdā Recentioris.

51 Sed quidam recentior expressè pretenus opinionem affirmatiuam sustinens, eam probat, quia est fauorabilior; & citat pro se *Henriquez lib. 7. cap. 11. Sanchez in Summa lib. 4. cap. 54 n. 28. Bartolomęum à S. Fausto lib. 4. de Iubileo quæst.* 173. Et poterit apparenti ratione probari ex eo, quod, licet Bulla antiqua absolutè cessauerit: tamē pro tali persona determinata censetur annus promulgationis adhuc perseuerare, stante prorogatione facta, quoad casus reseruatos; proinde etiam transacto anno poterit ab illo peccato virtute prioris Bullæ absolui.

Reijcitur vt falsa.

52 Verum opinio ista tanquam manifestè falsa est omnino reijcienda, & oppositum est amplectendum: videlicet, non posse vi prioris Bullæ aliquem absolui à casu reseruato commisso post annum promulgationis, sed indigere absolui virtute Bullæ nouiter promulgatæ. Conclusionem hanc potiori ratione defendere debent omnes illi authores, qui hoc ipsum negāt de Iubileo: inter quos est *Santarellus de Iubil. cap. 8. n 7. Alphonsus de Leone eodem tractatu par. 2. quæst. 16 nu.* 189. & nouissimè *Cardinalis Delugo de pœnit. disp. 20. sect. 8. num.* 130 contrariam efficaciter impugnans.

Opinio illius Recentioris destituta est authoribus.

53 Probatur autem nostra conclusio primò; quia nullus est author, quem hactenus ipse videre potui, qui sententiam prædicti recentioris doceat, ideoque nō percipio, vnde recentior iste ductus sit ad citandum pro hac opinione *Henriquez, Sāchez, & Bartolomæus à S. Fausto*; quia hi auctores non loquuntur de Bulla Cruciatæ, sed tantùm de Iubileo; inter quæ est latum discrimen, vt mox ostendam: neq; *Henriquez* ponit sententiam illius recentioris etiam sistendo in Iubileo: nam loco citato sermonem habens de absolutione obtinenda vi Iubilei, & proponens plures casus, in quibus virtute Iubilei, qui illum consequutus est, absolui potest à præteritis peccatis reseruatis, nullam facit mentionem de casu nostro. Sanchez verò in eo loco, qui citatur, proponit inquirendum, an votorum commutatio, & absolutio à reseruatis fieri possit toto tēporis spatio, quo obtinetur Iubileum; siue tempus istud sit breuiùs, siue longius; ad hoc autem punctum decidēdum supponit, posse interdum Iubileum consequi breuiori tempore, quàm sit spatium vnius hebdomadæ, interdum verò longiori tempore. V.G. ponatur rationabilis caussa commutandi ieiunia præscripta, vt facienda feria 4. 6. & Sabbato in aliam materiam, quam pœnitens adimpleat, & pariter adimpleat alia opera iniuncta in dimidia hebdomada, vt die Mercurij: tunc terminus Iubilei respectu talis pœnitentis erit eadem dies Mercurij, & erit tempus breuius vna hebdomada. Contra verò si caussa commutationis expostulet, vt ieiunia differantur vltra totam hebdommadam, tunc longius erit tempus obtinendi Iubileum. His præmissis respondet Sanches ad quæsitum, inquiens, vota commutari posse toto eo tempore, quo pro tali pœnitente durat Iubileum, siue tempus sit breuius, siue longius vna hebdomada. Et rectè id dicit; quia finis à Pontifice intentus in concessione Iubilei est consequutio indulgentiæ, quæ nunc breuiori, nunc prolixiori tempore fiunt; prorogatio autem temporis quandoquè ab ipsomet Pontifice conceditur vniuersaliter pro omnibus, & apponitur in ipso diplomate; quandoq; vero definitur tempus, sed datur facultas Confessario, vt rationabili caussa eueniente, valeat prorogare consequutionem Iubilei ad tempus proximum. Hæc est sententia Sanchez in eo loco declarata, & in hoc quæsito nullum habet verbū de priuilegio Cruciatæ.

Hēriquez falsò citatur.

Declaratur opinio Sāches

Probatur secunda conclusio ex lato discrimine, quod inuenitur inter Iubileū, & Bullā Cruciatæ, de quo *Sāchez lib. 8. de matr. disp. 14. n. 17. &* 18. Pro qua re supponēdum est, hæc duo inter se differre, videlicet, opera præscripta esse tempori determinato alligata, & ius consequendi fructum esse pariter affixum definito tempori. In Iubileo autem habetur primum, & non secundum, vt patet ex ipso diplomate; & quoad primū est manifestum ex textu; quia opera, quæ iniunguntur solent alli- 54

Probatio sententiæ authoris ex discrimine, inter Bullam, & Iubileum.

alligari vni, aut alteri sequenti hebdomadæ; & quoad secundum aio, ius assequendi fructum Iubilei non esse alligatum: numquam enim restrictio, aut alligatio quoad priuilegium apponi consuetum, est in ipso diplomate Iubilei: & ideò licet aliquis non præstans opera iniuncta in illa hebdommada designata vtiliter, quo ad consecutionem Iubilei, ea apponat hebdomada elapsa: tamen si intra eã hebdomadã ponat prædicta opera, ius ad effectum Iubilei semper remanebit in ipso pœnitente. Secus res se habet in Bulla Cruciatæ; quia tum opera, tum ius ad fructũ Bullæ est affixum tempori determinato, nempè, anno promulgationis; proinde eo transacto, & facta alterius Bullæ promulgatione, prior Bulla totam amittit efficaciam. & hoc declaratur in ipsomet cõtextu, in quo Pontifex, & Commissarius expressè in §. 29. sic habent *(Item declarans, quod expirante anno omnes prædictæ facultates, gratiæ, & indulta expirent, tantumque poterunt causæ pendentes ad finem perduci.)* Ex quibus patet discrimen inter Iubileum, & Bullam Cruciatæ in ordine ad acquirendũ fructum transacto tempore præfixo, quo ambo diplomata durant; hoc autem discrimen non aduertẽs recẽtior ille vtraq; pro vno habuit, & eãdem Iubilei, & Cruciatæ rationẽ esse existimauit. Sed si quis inquirat causã huius differẽtiæ: dicimus, immediatè esse voluntatem Põtificis; nam cum vtrumque priuilegium ab ipso liberè, & gratuito emanet, sub diuersa forma vtrumque concedere voluit; attamen non sine aliquo congruo fundamento; ideo enim statuit omnes gratias, & facultates Cruciatæ, elapso anno promulgationis, expirare; quia singulis annis publicatur noua Bulla; & ideo si duraret ius vtendi veteri Bulla, impediretur efficacia subsequentis Bullæ. hæc autem ratio non militat in Iubileo, qui non conceditur singulis annis, sed rarò, & gratiæ cõcessæ per ipsum Iubileum sunt tantùm tres, nempè, absolutio à reseruatis, commutatio votorum, & indulgentia, quæ nõ habent tractatum successiuum, sicuti habent facultates concessæ per Cruciatam, quæ sunt plures, & non finiuntur vnico actu, vt sunt indulgentiæ acquirẽdæ quolibet die, comestio ciborum prohibitorũ, absolutio à casibus Episcopo reseruatis toties, quoties, & quædam aliæ similes; proindè ne vna Bulla quoad vsum alterã impediret : valdè conueniens fuit, vt trãsacto anno promulgationis, & adueniente noua Bulla, expiraret antiqua quoad omnes facultates, & gratias, quæ per ipsam concedebantur.

55 Maneat igitur ex dictis, Bullam veterem solum permanere, quoad casus tantum peudentes; atque adeo, si quis confessionem incœpit tempore, quo vigebat Bulla præteriti anni, & impeditus non potuit illam perficere, Ius habebit vi præteritæ Bullæ confessionem complere, & absolutionem à reseruatis obtinere : si verò elapso anno noua peccata committet, quæ sint reseruata, iam haberetur noua causa distincta à pendentibus, proinde nõ poterit absolui vi prioris Bullæ, sed oportebit nouam Bullam sumere; & si eam non accipiet impedietur absolutio etiam à reseruatis, quorum causa erat pendens; (& hoc per accidens, ratione obicis positi videlicet peccati reseruati nouiter patrati:) cum enim absolutio deberet ferri in omnia mortalia, & vetus Bulla nequeat efficaciam habere in peccata reseruata nouiter commissa, stante tali impedimẽto, non poterit suum effectum consequi, etiam circa præterita cõmissa ante elapsum aunum.

Sed posset quis dicere. Quæ maior ratio est, vt peccatum reseruatum commissum post elapsum annũ impediat expeditionem causæ pendentis, nempè, absolutionẽ à peccatis commissis ante transactum annum, & non potius peccatum nouum per accidens trahatur ad idem iudicium cũ peccatis, quorum causa pendet, ad hoc, vt ipsa causa incœpta expediatur? 56 *Instantia.*

Respondeo, maiorem rationem consistere in hoc, quod facultas concessa per Bullam, cum sit delegata, nequit se extendere ad alias causas vltra intentionem Delegãtis in delegatione expressam; cum autem Pontifex coarctet vim Bullæ ad causas tantùm pendentes; non poterit extendi ad aliam causam nouam, etiam per accidens; hoc enim esset quid maius, quam sit se extendere ad solas causas antiquas pendentes, quæ videntur exclusæ per dictionem illam exclusiuã *(tantùm)* à Pontifice appositam. 57 *Diluitur.*

Ad fundamentũ verò, cui innititur recẽtior ille, facilis, & in prõptu est solutio. Aio igitur hoc quod est, esse quid fauorabiliùs, si dicamus veterẽ Bullã se extẽdere ad casum illũ nouiter patratũ, nihil suffragari intentioni Authoris, dum absq; fundamẽto asseritur; immo esse contra Pontificis intentionem in ipsa Bulla expressã. Ad rationẽ autẽ à me initio positam pro eodem recentiore: Respondeo, Bullam priorem, elapso anno etiã pro tali determinata persona expirasse quo ad omnia, exceptis causis pendentibus, & hoc (vt dixi) quia ita statuitur in ipsa Bulla; proindè vi Bullæ antiquæ non poterit pœnitens à nouo casu reseruato absolui. 58 *Soluuntur argumenta cõtraria.*

Franc. Bard. in Bull. Cruc.

§. V.

An si Confessarius deficiat, possit pœnitens alium eligendo, uti veteri Bulla.

59 SI post cœptam confessionem coram v.g. Petro Sacerdote, ipse Petrus moriatur, vel in partem longinquam abeat. Quæritur, an pœnitens, si alium Confessarium adeat, frui etiam possit præcedente Bulla?

60 *Pœnitens eligens alium Confessarium utiliter fruitur Bulla.* Dicendum est posse id fieri. Et ratio est; quia per illam inchoatam Confessionem ipse pœnitens acquisiuit ius vtendi veteri Bulla, ob caussæ pendentiam, & per accidens est mutatio Confessarij; nam siuè sit iste, siuè alius materialiter se habet in ordine ad hunc effectum.

61 *Instantia inferens inconuenient.* Dices si hoc esset verum, sequeretur, pœnitentem posse ad sui libitum, etiam nullo interposito impedimento aliũ Confessarium eligere, & cum eo integram cõfessionem facere; quia, vt dictum est materialiter se habet mutatio Cõfessarij; hoc autem non videtur facilè concedendum; quia caussa pendens habet prosequi corã Iudice illo, apud quem fuit incœpta, & est decisum in *Cap. P. G. de offic. Deleg.* & tenet *Nauar lib. 1. consil. in 2. edit. de offic. deleg.*

62 *Nullum est inconueniens.* Respõdeo, probabilius mihi videri, etiã in casu posito, posse, qui Confessionem inchoauit coram aliquo Sacerdote, & eam non compleuit, eligere alium Confessarium, apud quem etiã transacto anno Bullæ Confessionem perficiat, & absolutionem vi prioris Bullæ obtineat. Respõsio ista duas inuoluit partes; prima enim loquitur de electione alterius Confessarij, relicto prius electo, & hoc fieri posse virtute Bullæ non dubito, & id expresse docent, loquentes de Iubileo, vel simili priuilegio *Suarez in 3. p. tom. 4. disp. 27 sect. 4. n 27. Salas de legib. disp. 20 sect. 17. nu. 124. in fine. Reginal. in praxi tom. 1. lib. 31. num. 214. Aloysius Riccius in sua praxi tom. 1. resol. 395. Merolla in Theol. moral. tom. 2. disp. 4. cap 6. dub. 33. n. 612. Castro Palaus in oper. moral. tom. 1. tract. 3. disp. 4. p 16 §. 7. nu. 13.* Et ratio est, quia cum facultas eligendi Confessarium sit in foro cõscientiæ, intelligi debet iuxta naturam eiusdem fori, in quo pœnitens ad beneplacitum potest eligere Confessarium, qui sibi placet, & eo relicto, alium adire, vsque dum caussa sit consumata per absolutionem, & in hoc eadem prorsus est ratio de Iubileo, & de Cruciata. Secunda autem pars videtur continere aliqualem dubitationem; nam authores citati loquuntur, quando tempus priuilegij non est elapsum: in casu autẽ à nobis proposito sermo est, post quam tempus Cruciatæ est transactum, sed hoc non videtur obstare; nam vt supra ostendimus, cum caussa est inchoata, & pendens, potest vi priuilegij compleri, licet tempus in priuilegio præscriptũ trãsierit; quia respectu caussæ pendentis, perindè se habet, ac si lapsum minimè fuisset.

Ad rationem pro opposita sententia respondeo, doctrinam illam intelligendã esse pro foro externo, in quo Iudex delegatus semel electus acquirit iurisdictionẽ, vt coram ipso caussę incœptæ finiatur. Sic notat *Castro Palaus*, & alij citati: & hoc pacto est exponendus Textus ex *cap. P. G. de offic. Deleg.* nam apertè agit de Iudice Delegato pro foro externo. 63 *Satisfit rationibus oppositis.*

Quæ dicta sunt de priuilegio pertinente ad Sacramentum pœnitentiæ, valent etiam de omnibus alijs Cruciatæ priuilegijs, nempè de commutatione votorum, de assistentia, quando tempore interdicti celebrantur diuina officia, &c. 64

SECTIO IV.

An Bulla transacto anno publicationis, durans quoad dictum priuilegium circa confessionem censeatur etiam durare, quoad reliqua?

EX decisione quæsiti in paragrapho præcedenti, secundùm quam determinauimus, si confessio vi Cruciatæ sit inchoata, & occurrente rationabili impedimento ad eam prosequendam, arbitrio prudentis Confessarij differatur absolutio; posse vi eiusdem Bullæ absolutionẽ dare, etiam elapso anno durationis eiusdem Bullæ; quia res non est integra; atque adeo priuilegiũ illud Bullæ circa electionem Confessarij, &c. censetur adhuc durare vsq; dũm cõfessio cõpleatur, & detur absolutio. Ex occasione autẽ huius decisionis posset quis dubitare, an ipsa Bulla antecedens, quæ transacto anno quoad priuilegium circa Sacramentum pœnitentiæ intelligitur durare; durare etiam censeatur, quo ad omnia alia priuilegia in eodem diplomate contenta, videlicet, quoad priuilegium circa commutationẽ votorum, comestionem ciborum tempore prohibito, celebrationem, & auditionem sacri, dum viget interdictum, quoad priuilegium indulgentiarum, &c. 65 *Exponit quæstio.*

Ratio dubitandi, & in fauorem partis affirmatiuæ videtur esse; quia totum hoc diploma Cruciatæ est veluti vnum quoddam priuilegium, licèt multa contineat; ac proindè indiuisibiliter se habet, & per modum vnius; & ideò secundùm se totum existimari debet du- 66 *Rationes partis affirmatiuæ.*

durare in suo vigore; & sic perseuerans quoad vnum priuilegium particulare, perseuerabit etiam quoad reliqua omnia, respectu quorum res non dicitur integra elapso anno promulgationis; & ideo si Cōfessio fuit ante annum transactum inchoata, & pœnitens modo explicato potest frui Bulla præcedēte in ordine ad Sacramentum pœnitentiæ: poterit etiam eadem Bulla vti in ordine ad alia priuilegia superiùs enumerata.

67 *Bulla vetus solū est vtilis quoad priuilegium Sacramenti pœnitentiæ.*

Sed oppositum est omninò dicendum, videlicet, Bullam præcedentem non posse in eo casu esse vtilem quoad alia priuilegia; nisi tantùm quoad priuilegium cōfessionis, & absolutionis Sacramentalis. Et ratio est, quia in ordine ad reliqua priuilegia nulla caussa est inchoata, cum omnes, circa quas versari possunt cætera priuilegia Cruciatæ maneant integra; ac proinde transacto anno, Bulla quoad ea reliqua priuilegia omnino spirasse intelligitur.

68 *Non manent priuilegia Cruciatæ elapso anno, licèt aliquod ex ipsis duret*

Ad rationem verò dubitandi in oppositum respondeo, quod quamuis Bulla Cruciatæ videatur vnum quoddam totale priuilegium, conflatum ex pluribus: tamen non se habet indiuisibiliter in ordine ad ipsa priuilegia particularia; & sic de facto, vt suprà vidimus, Regulares nequeunt vti illa, quoad articulum eligendi Confessarium, &c. licèt possint ea vti quoad alia priuilegia; (excipio tamē Religiosos nostræ Societatis, qui sine licentia Superiorum nequeunt aliquo ex priuilegijs Bullæ gaudere.) & sic dū caussa, quæ est materia determinati, & particularis priuilegij, est cœpta, non poterit Bulla efficaciam habere respectu aliorum priuilegiorum, quorum caussa, anno elapso, inuenitur integra: secùs autem est dicendum, quando aliqua priuilegia inter se sunt connexa, tunc enim caussa vnius inchoata, omnes aliæ caussæ reliquorum priuilegiorum desinunt esse integræ, sic docet *Sanches*, & ait esse communem opinionem *lib. 8. de matrim. disp. 28. nu. 21:* loquens de rescripto, in quo committuntur plures caussæ, & docet etiam *Panorm. in cap. licet vndique nu. 5. de offic. Deleg. & Molina tom. 5. de iust. disp. 19. nu. 4. Merolla in Theol. Moral. tom. 3. disp. 7. cap. 4. nu. 356. & alij.*

SECTIO V.

Vtrum Priuilegia Cruciatæ per Iubileum reuocentur.

69 Quæsitum procedit in duplici Iubileo plenissimo, quod vigesimo quinto quoque anno promulgatur, & durat per integrum annum, & in Iubileo particulari, & extraordinario, quod cōsueuerunt Summi Pōtifices aliquando concedere, vel in ipsorum creatione, vel cum aliqua grauis caussa vrget, pertinens ad commune bonum Christianitatis; & hoc Iubileum durare solet per duas tantùm hebdomadas, quibus completis, statim expirat. Quæsitum inquam præsens locum habere potest tempore vtriusque Iubilei, cum in vtroque sint clausulæ derogatoriæ, quæ dubitationem ingerunt circa reuocationem, seu suspensionem priuilegiorum huius Bullæ Cruciatæ; & ideo de vtroque indiscriminatim loquemur.

70 *Aliqui putarunt tempore Iubilei Bullā suspendi.*

Sententiam, quæ asserit tempore Iubilei priuilegia Cruciatæ suspendi tuetur. *Nauarrus §. in Leuitico sub cap. Quis aliquando de pœnit. dist. 1. not. 16. 33. n. 3. Ludouicus Lopez tom. 2. instruct. in exposit. Cruciatæ cap. 10.* & aliqui alij. Probatur autē hæc opinio primò ex *Extrauag. Quemadmodum Sixti IV. de pœnit. & remiss.* in qua est concessio Iubilei, & suspenduntur omnes aliæ facultates concessæ Ecclesijs, Monasterijs, Hospitalibus, Pijs locis, Vniuersitatibus, &c. circa indulgentias, commutationes votorum, compositionem super malè oblata, electionem Confessarij, & absolutionem à reseruatis. Secundò probatur eadem opinio, quia tempore Greg. XIII. & Clem. VIII. virtute Iubilei, ab ipsis concessi, suspenduntur facultates etiam personis singularibus Indultæ: & Clemens in Iubileo anni 1600. suspendit facultates quomodocumque ad instantiam Regum concessas, quæ clausula suspensiua non habetur in extrauag. Sixti IV. & hæc derogatio videtur directè reuocare priuilegia Cruciatæ, quæ ad instātiam Regis Catholici conceditur singularibus personis, eleemosynam præscriptam soluentibus.

71 *Pars negatiua, vt vera est admittenda.*

Cęterū his non obstantibus partem negatiuam sequi debemus, quæ est communis; eamque defendunt in terminis, *Emanuel Rodriq. in Bullam. §. 12. n. 13. Henriq. in Sum lib. 7. de indul. cap. 21. nu. 3. Sanches de matrim. lib. 8. disp. 33. n. 10. Acosta in Bullam quæst. 101. Alfonsus Perez de Lara in lib. trium gratiarum pag. 27. nu. 15. in fine Villalobos in Sum. tom. 1. tract. 27. claus. 12. nu. 8. Salas de legib disp. 2. sect. 10. in fine Bonacina de legib. disp. 1. quæst. 3. p. 8. §. 2. nu. 13.*

M 2 Ca-

Castro Palaus tom.1.tract.3. disp.4.par. 21. §.2.n.3. Trullench in Bullam lib.1.§.1. dub. 12.n.2. & alij, quos laudat, & sequitur, *Ludouicus à Cruce in exposit. Cruciatæ disp.1. cap 9.dub.6. n.3.* Probatur verò hæc sententia, primò ex declaratione facta à *Gregorio XIII.per Breue datum Romæ die 19. Nouembris* 1574. per quod ipse Pontifex declarauit per Iubileum non suspēdi priuilegia Cruciatæ; hoc autem breue adducitur à *Lara loco cit.* Secundo suadetur efficaci ratione; nam Pontifex concedens Bullam singularibus personis, quæ illam capientes eleemosynam erogant, cum illis init veluti contractum onerosum, per quem singulares personæ ius acquirunt ad fruendum priuilegijs in Cruciata contentis; ac proinde ad illa reuocanda, seu suspendenda requiritur clausula derogās facultatibus concessis per modum contractus, vt loquentes de his priuilegijs trāseuntibus in vim contractus docent *Azcbedo lib. 1. Recopil. tit. 3. leg. 14 num. 42. Thomas Sanches disp.cit.nu.8.* & dum non adest talis clausula, non præsumitur intētio reuocandi priuilegia, per quorum derogationem ius tertij tollatur. *sic Cassadorus decis.1.de pactis in fine, & decis.4.in fine de priuil. Rolandus à Valle tom. 3. consil. 23.n.2.Puteus lib 1.decis.47.num.3. & alij.* Quod autem Bulla Cruciatæ singularibus personis sit concessa, est certum, idque affirmat, *Rodriquez in qq. regul. tom. 1. q. 61.a 14. ver. Tertio est notandum & in expositione Bullæ l.c. Trullench dub.cit. Sāches vbi supra, & alij.* Et patet ex ipsomet contextu Bullæ, italico sermone translatæ, vbi sic dicitur (*E perche voi N. hauete dato due Reali d'argento, ch'è l'elemosina, ch'habbiamo tassata, e dichiarata, & hauete riceuuto questa Bolla, &c.*) ex quibus verbis, manifestè habetur priuilegia Cruciatæ esse singularibus personis per modum contractus concessa; quia sub conditione eleemosynę erogandæ conceduntur. Maneat igitur ex dictis tempore Iubilei etiā plenissimi, nullum priuilegium Cruciatæ esse suspensum.

Probatur ex Breui Pontificio.

Suadetur efficaci ratione

Diluitur primum argumētum contrarium.

Ad fundamentum verò oppositum patet solutio ex ijs, quæ hactenus à nobis dicta sunt; nam quod attinet ad extrauagantem Sixti IV. dico ibi non reuocari, neque suspendi priuilegia singularibus personis concessa; sed solùm, quæ concessa fuerunt quibusdam locis pijs, & vniuersalibus; quæ sunt quædam commutātes, & non personæ singulares: priuilegia autem Cruciatæ non sunt talia, sed singularibus personis sunt cōcessa, vt ostensum est; & etiam dato, quod illa extrauagans reuocaret Indulta pro personis particularibus: ex hoc præcisè non sequeretur priuilegia huius Cruciatæ esse reuocata, vt mox dicemus.

73 *Soluitur secundum.* Ad secundum argumentum, fundatum in iubileis Gregorij XIII. & Clem. VIII. in quibus reuocatio extenditur ad personas singulares; respondeo non officere Cruciatæ; tum quia per illas clausulas non comprehenduntur priuilegia huius Bullæ, quæ erogata eleemosyna transierunt in contractum onerosum; & dum non apponuntur clausulæ, quæ clariùs afficiant contractus onerosos, nullo pacto est præsumendum, quod Pontifex in præiudicium tertij velit per verba illa generalia reuocare, aut suspendere priuilegia ista; tùm etiam, quia habetur declaratio ipsius Clementis, per quam manifestauit, numquam intentionem habuisse, suspendēdi Bullā Cruciatæ per Iubileum, quod ab ipso emanauit, & de tali declaratione testantur plures. *Sanches, Ludouicus à Cruce, Trullench l.c. & alij*, immo *Perez de Lara* affirmat id ipsum declaratum fuisse à Gregorio, vt supra vidimus in prima probatione nostræ sententiæ.

74 Ad illud verò additum à Clemente in suo Iubileo, dum reuocat indulta concessa singularibus personis, etiam ad Regum instantiam, &c. aio nihil obstare, ob eamdem rationem adductam; quia non est sermo de priuilegijs, quorum reuocatio, aut suspensio resultat in præiudicium tertij.

SECTIO VI.

Vtrum Bulla Cruciatæ censeatur spirare quoad facultatem absoluendi à casibus in Bulla Cænæ, per eiusdem Bullæ Cænæ promulgationem.

75 *Pars affirmatiua defenditur à quibusdam.* Pars affirmatiua placuit *Cosmę Philiarco de offic. Sacerd.* agenti de Sacramēto Pœnitentiæ *cap.24.* vbi asserit clausulas derogatorias, quæ appositæ sunt in Bulla Cœnæ, esse adeo manifestas, vt nulla alia derogario clarior desiderari possit, ad hoc vt dicamus priuilegium absoluendi à casibus in Bulla Cœnæ contentis, quod reperitur in Cruciata, esse abrogatum, & in eadem sententia est *Garzia de beneficijs par. 11. cap. 10. num.115.* quatenus asserit per Bullam Cœnæ promulgatam, anno 1599. sub Clem. VIII. reuocatā fuisse potestatē absoluēdi à casibus ipsius Bullæ Cœnæ virtute Cruciatæ, & addit audiuisse sic responsum fuisse ab ipsomet Clemēte in examine Epis. Gaetani, & citat etiā *Bledā opusc. defensione fidei in caussa Moriscorūpar. 1. cap. 13.* qui ait ab eodē Pontifice re-

reprobatam fuisse opinionem cōtrariam, secundum quam duo Episcopi responderunt eidem Clementi de hac re in examine interroganti. Secundò probari potest hæc opinio, nam facultas absoluēdi ab hæresi occulta, quæ Episcopis concessa fuit per Concilium Tridentinum, est reuocata per Bullam Cœnæ: Ergo idem dicendum est de eadem facultate concessa per Cruciatam.

76 *Sententia negatiua defenditur ab alijs.* Sed pars negatiua defenditur communiter ab alijs, videlicet, per annuam publicationem Bullæ Cœnæ non intelligi reuocatum priuilegium Cruciatæ circa casus eiusdem Bullæ Cœnæ. Ita docet *Rodriquez in exposit. ipsius Cruciatæ §. 9. num. 69. & alibi. Acosta in Bul. quæst. 35. Henriquez lib. 7. cap. 21. nu. 2. Fernandez in examine Theol. moral. par. 3. cap. 9. sect. 11. n. 5. Sorbus in annotat. ad compend. Priuileg. verb. Cruciata, Vincentius Riccius in addit. ad Emanuel. §. 12. nu. 4. Sanches in decal. tom. p. lib. 2. & 11. nu. 27. Duardus in Bullam Cœnæ lib. 3. §. 2. quæst. 11. nu. 41. Villalob: in sum. tom. 1. tract. 27. clausf. 4. nu. 11. Diana par. 1. trac. 11. resol. 96. Trullench in exposit. Cruciatæ lib. 1. §. 1. dub. 13. & alij.*

77 *Opinio Authoris negatiua.* Dicendum est primò. Si in his Bullis Cœnæ, quæ hoc tempore promulgantur, esset apposita clausula illa exceptiua, per quam declararetur non reuocari facultates à Summo Pontifice concessas explicitè circa casus contentos in ipsa Bulla Cœnæ, res esset indubitata, nempè, Cruciatam non reuocari per Bullam Cœnæ quoad priuilegium absoluēdi ab illis casibus; quia expresſè essent concessi: Bulla autem Cœnæ, quæ talem exceptionem continebat, fuit tempore Sixti V. anno 1586. vt vult *Rodriquez in addit. ad §. 9. nu. 63.* & rursus ait, in Bulla Cœnę promulgata anno 1593. à Clemente VIII. eamdem fuisse restrictionem; sic enim in clausula exceptiua dicebatur (Nisi in eis etiam casus præsentibus litteris expressi comprehendantur) hoc est non esse reuocatas facultates illas, in quibus expresſè continentur casus, qui in ipsa Bulla Cœnæ reseruantur: sed quia postea non solùm successores in Pontificatu, verum etiam idem Sixtus, vt refert *Rodriquez* in alijs Bullis, quæ postea publicatæ fuerunt, abstulit hanc exceptionem, quemadmodum ablata fuit à Clemente, vt affirmat *Suarez de censuris quæst. 21. Sec. 3. nu. 7.* & de facto hodie talis limitatio in his Bullis non extat; idcircò ex isto capite difficultas non soluitur.

78 *Clausulæ quæ habentur in Bulla Cœnæ non derogant Cruciatæ.* Dicendum est secundò. Quamuis in Bullis Cœnæ non sit apposita exceptio supradicta, hoc non obstante per ipsam Bullam nulla fit derogatio ipsi Cruciatæ. hæc sententia, quæ est communiter recepta, licèt varijs argumentis à recentioribus soleat confirmari: nihilominus quia fundata sunt in coniecturis, & præsumptionibus, quæ videri possūt apud *Ludouicum à Cruce*; idcircò non videntur afferenda, quia non firmant efficaciter communem sententiam. Quapropter Conclusio est probanda alia ratione, in hunc modum. In Bulla Cœnæ nulla reperitur clausula, per quam derogetur priuilegio Cruciatæ circa facultatem absoluendi à prædictis casibus; ergo priuilegium istud manet in suo vigore: patet consequentia: antecedens verò probatur; quia ad hoc, vt tale priuilegium intelligeretur reuocatum, in Bulla Cœnæ esset apponenda clausula, per quā Pontifex declararet esse reuocata priuilegia, etiam si transierint in vim contractus, seu quæcumque priuilegia onerosa; clausula autem ista derogatiua non habetur in Bulla Cœnæ, dum agitur de facultatibus, seu priuilegijs absoluendi à casibus Bullæ Cœnæ. Igitur, cum priuilegium Cruciatæ, vt supra ostendimus, sit priuilegium per modum contractus, non censetur abrogatum per promulgationem Bullæ Cœnæ.

Dices. In fine huius Bullæ est clausula, quæ incipit (Non obstantibus,) per quam reuocantur quæcumque priuilegia opposita, etiam per viam contractus, aut remunerationis &c. ergo cessante fundamento sententiæ, ipsa non erit admittenda. 79 *Clausula, Non obstante in Bulla Cœnæ videtur derogare priuilegijs etiam per modum contractus.*

Ad hanc instantiam respondet *Ludouicus à Cruce cap. cit. dub. 5. nu. 2. & 3.* duplici responsione; sed priori relicta, quæ difficultatē pati potest, optima erit posterior. Pro qua prius aduertendum est, in Bulla Cœnæ duas inter alias inueniri clausulas principales derogatorias. Prima incipit ab illis verbis *Cæterum à prædictis sententijs.* Secunda verò incipit ab his verbis *Non obstantibus, &c.* In prima autem clausula reuocantur omnes facultates, quibuscūq; personis concessæ absoluendi à casibus reseruatis per ipsam Bullam Cœnæ; at non reuocantur facultates, aut priuilegia, concessa per modum contractus, ad quorum reuocationem postulatur expressa mentio, & quia priuilegium absoluendi à casibus reseruatis in Bulla Cœnæ, concessum per Cruciatam, est per modum contractus: Do, vt Des; datur enim à sumente eleemosyna vt Pontifex det facultatem absoluendi ab his casibus semel in vita, & semel in morte; ideò per clausulam istam nō censetur tale priuilegium reuocatum. In secunda autem clausula habetur derogatio facultatum etiam per modum contractus; sed sermo est de illis tantùm facultatibus, concessis quibusdam personis ne valeant excomunicari à Sede Apostolica; 80 *Clausula prædicta non derogat priuilegijs per modum contractus.*

talis

talis autem facultas non conceditur per Cruciatã; igitur à primo ad vltimum nulla clausula contenta in Bulla Cœnæ derogat priuilegijs Cruciatæ.

81 *Soluitur prima ratio in contrarium.* Ad primam rationem, cui nixus est *Philiarcus*, patet solutio ex his, quæ modo diximus de clausulis, quæ extant in Bulla Cœnæ; nulla enim inuenitur derogatio contra Cruciatam.

82 *Diluitur secunda.* Ad secundam aio, quod quamuis nonnulli authores censeant per Bullam Cœnæ reuocatam non esse facultatem absoluendi ab hæresi occulta Episcopis, virtute Tridentini concessam; tamen etiam cũ multis alijs sustinendo, esse reuocatam, nihil sequitur contra nos; quia in clausula illa (*Cæterum à prædictis*) quæ habetur in Bulla Cœnæ abrogantur omnes facultates contrariæ, etiam concessæ cuiusuis Concilij decreto; proinde talis derogatio videtur sufficiens ad reuocandam prędictam facultatem; at nulla in eadem Bulla reperitur derogatio priuilegiorum concessorum per modum contractus, vt sunt priuilegia Cruciatæ; atque adeò non est par ratio.

83 *Testimonium ex auditu allatum à Garzia non facit fidem.* Denique ad testimonium ex auditu adductum à *Garzia* respondeo, fidem non facere, cum nobis non constet responsio illa Clementis, quæ non est præsumenda; si enim Pontifex voluisset, per Bullam Cœnæ reuocare priuilegium Cruciatæ, quoad casus eiusdem Bullæ, debuisset id publicare, & in eadem Bulla Cœnæ apponere clausulam sufficienter derogatoriam, vt eius intentio omnibus, Cruciatam sumẽtibus, innotesceret; & cum hoc non fecerit, nihil cõtra nos probari poterit: & præsertim cum testimonium ex auditu in iure non admittatur, ordinariè loquendo, vt habetur ex *Glossa in l. testium C. de testib. ver. præsto*: nisi in quibusdam rebus antiquitatis, apud *Farinac. de testibus quæst 69. per totam*.

84 *Ex testimonio admisso Cruciata publicata post obitum Clementis vim haberet.* Et addo, quod quamuis demus, à Clemente id fuisse oretenus declaratum, habuisse que intentionem reuocandi Cruciatam, quoad hunc effectum: nihilominus cum in ipsa Bulla Cœnæ non habeatur talis derogatio, idcircò declaratio illa, ipso Clemente mortuo, expirauit: præsertim cum alij Pontifices, qui eidem Clementi successerunt, id non declarauerint; neque oretenus, neque per aliquod Breue Apostolicum: quapropter declaratio, etiã si à nobis, vt vera admittatur, cum fuerit priuata, non potuit vim habere contra Cruciatam.

SECTIO VII.

An ob Pontificis mortem Cruciata expiret?

NON possumus huic quæsito plenè satisfacere, nisi altiùs sumẽdo principium, nimirum, examinando, quæ Doctores dicũt circa durationem gratiarum, aut earum cessatione, mortuo concedente: & quia materia ista magnam habet amplitudinem, de ea tractabimus, quantùm satis erit ad nostrum institutum. 85 *Ad [...]dum qu[...] altius [...] tur princ[...]*

Pro qua re duo præmittimus, & primò gratias, quæ concedi solent V. C. à Pontifice, esse in multiplici differentia; aliqua enim absolutè, & sine restrictione datur; alia verò cum limitatione, vel quoad tẽpus determinatum, vt per mensem, per annum, &c. vel ad beneplacitum concedentis, quod interdum respicit personam ipsius concedentis; interdum dignitatem, si persona concedens sit constituta in dignitate: interdum verò ad beneplacitum vtriusque: harum gratiarum exempla passim ponuntur ab authoribus, agentibus dè priuilegijs, vel de dispensationibus. ea autem omitto, quia non pertinent ad subiectam materiam. 86 *Referuntur via gratia[...] formæ.*

Rursus gratia diuiditur in factam, & faciendam, & harum gratiarum conditiones breuiter expendere intendimus: quia earum declaratio confert ad præsentis quæsiti responsionem. Gratia autem facta dicitur illa, quæ alicui perfectè conceditur independenter ab alterius voluntate. Gratia verò facienda oppositam habet conditionem, quatenus conceditur dependenter ab alio. Ita docet *Sanches lib. 8. de matr. disp. 28. num. 48. Castro Palaus in suo opere morali tom. 1. tract. 3. disp. 4. p. 16. §. 2. Merol. tom. 2. disp. 4 cap. 6. dub. 31. num. 487. Basilius Pontius de matr. lib. 8. cap. 19. §. 1. num. 2. Molina tract. 5. de iustit. disp. 20. num. 2. Bonacina de leg. disp. 1. quæst. 3. p. 8. §. 1. num. 20. & alij passim*, qui colligunt hoc duplex gratię genus ex *Cap. si cui nulla de Preb. in 6.* Exempla autem vtriusque gratiæ hæc sunt V.C. si Pontifex Petro cõcedat facultatem audiendi sacrum tempore interdicti, comedendi carnes diebus vetitis &c. Gratia ista diceretur facta, quia absolutè, & perfectè ipsi Petro independenter ab alio est concessa, si verò detur Paulo facultas dispensandi cum Petro, & si examinãdo prius caussam, agnoscat preces veritati inniti, dispenset cum illo: tunc gratia dicitur facienda; quia in tali casu Pontifex non dispensat, sed alteri delegat facultatem dispensandi. Hæc est communis explicatio gratiæ factæ, & faciendæ. 87 *Gratia [...] est facta [...] facienda.*

Secundò præmittimus regulam quamdam 88

crimen in gratiam lam, & fa- ndam. dam, quæ colligitur *ex cap. si cui nulla, De prabendis in 6.* & communiter ab authoribus recipitur; aiunt enim, quod si detur Delegato potestas ad exequendā gratiam cum persona determinata, gratia erit facienda; si verò cum personis indeterminatis erit gratia facta; & ideò si moriatur concedens, & res erit integra, illa expirabit: nō autē ista. Ita *ex cap. cit. si cui nulla.* Ratio autem primæ assertionis est; quia in primo casu gratia est in fauorem illius, pro quo committitur expeditio; & quia adhuc executio dependet à voluntate Delegati, dicitur facienda, & non facta secus verò in secundo casu, in quo, cum nulla signetur persona determinata, sed solum Delegato conceditur facultas ad dispēsandum cum personis, cum quibus voluerit, censetur gratia directè facta ipsi Delegato.

89 *Aliqui non admittūt primum membrum prædicta distinctionis.* Cæterum aliqui, inter quos est *Sanches lib. 8. de matr. disp. 28. Garzia de Benef. par. 6. cap. 2. §. 3. à num. 304. Castro Palaus in opere morali tom. 1. tract. 3. disp. 4. p. 16. §. 2. num. 3.* licèt admittant secundum membrum huius distinctionis: tamen absolutè non concedunt primum; nam volunt, quod si Delegatus sit Minister, seu Executor necessarius, quod euenit, cum ei præcipitur exequutio pro persona determinata, tunc esse gratiam factam; quia vi talis delegationis est ius quæsitum ei, cui gratia concedenda erit; sed si Delegatus sit minister voluntarius, & ipsi conceditur facultas prouidendi, gratiam esse faciendam, & non factam; quia per talem cōmissionem nemini est ius acquisitum: non ipsi Delegato; quia dispensatio non redundat in eius commodum: non supplicanti; quia voluntati Delegati relicta est actualis dispensatio totum hoc *Sanches* conatur confirmare *ex cap. si cui nulla, superiùs cit.* explicando verba textus: sed verum fatear explicatio mihi videtur aliquantulum dura, & non textui conformis.

90 *Refutantur laudati Authores.* Ratio autem est in promptu; quia cum Pontifex in eo capite profiteatur nobis exponere, quæ nam gratia sit facta, quæue facienda, vt inde deducat quando re integra, mortuo concedente, gratia remaneat, aut expiret; vniuersalem tradit regulam, eamque fundat in expressione, aut negatione expressionis personæ determinatæ; & statuit, quod si concedatur facultas alicui ad prouidendum, nulla personarum facta expressione, talis gratia remanebit post mortem concedentis, etiam re integra, & erit gratia facta; secus, si erit determinatæ personæ expressio; tunc ne re integra expirabit. *Sic Glos. in explicatione textus.* Cum autem Pontifex desumat rationem gratię factę, & faciendę per habitudinem ad expressionem, vel non expressionem personę, cui gratia cōceditur, & nullum faciat verbum de Delegato; valdè durum erit sumere harum gratiarū discrimen per respectum ad qualitates, seu cōditiones Delegati, vt facit *Sanches* cum Pontifex totam earumdem gratiarum diuersitatem accipiat per habitudinem ad conditiones non Delegati, sed Priuilegiati.

Petes. An si Delegatus sit Confessarius & exequutio gratię sit facienda in confessione Sacramentali, & ipse Confessatius incœperit audire confessionem, eamque teneatur prosequi absoluendo pœnitentem, cum nihil, vt suppono, sit absolutioni obstans; an inquam per incœptionem confessionis Delegatus dicatur Minister necessarius, an verò voluntarius; etiam si ante inchoatione cōfessionis fuerit voluntarius? 91 *Dubitatio cōtra prædicta.*

Respondeo primò, solutionem huius quæsiti parum ad præsens institutum referre; quia nos non desumimus distinctionem vnius gratiæ ab alia per comparationem ad Ministrum necessarium, & voluntarium, sed aliundè, vt vidimus, proinde quicquid respondeatur, nobis officere nequit. 92 *Resolutio.*

Respondeo secundò, rationem Ministri, seu executoris voluntarij, aut necessarij non esse capiendam per respectum ad aliquam conditionem liberè appositā ab ipso exequutore, ex cuius positione, resultet in ipsomet exequutore quædam necessitas consequens, sed per respectum ad Delegantem, qui delegando imponat antecedētem necessitatem ad actum Ministri Delegati; vel per negationem talis conditionis, ex qua negatione habeatur ratio Ministri voluntarij: & sic de facto *Sanches* declarat, & distinguit vtrumque Ministrum per ordinem ad modum delegationis emanātis à Superiore Delegante: aio igitur in casu posito, illam necessitatem oriri ex auditione confessionis, quæ posita est à libera voluntate Delegati, & sic erit solùm necessitas consequens, non sufficiens ad constituendum Delegatum in ratione Ministri necessarij. Et confirmatur; quia si satis esset huiusmodi necessitas, nunquam daretur Delegatus, qui esset Minister voluntarius; quia incipiens exequi Delegationem haberet necessitatem illam complendi, si circumstantiæ nō varientur, proinde semper erit Minister necessarius; quod est contra ipsum *Sanches* & communem omnium sensum. Et hæc dicta sint iuxta nostram opinionem contra distinctionem positam à *Sanches* 93

Neq; hanc distinctionem probant alij licèt 94

Suarez, & Põtius non admittunt hanc distinctionẽ, ducti diuersis principijs.

licèt eam dicant esse probabilem, vt *Suarez lib. 8. de legib. cap 31. nu. 13. Pontius de matr. l. c. Emanuel Sa verb Dispensatio. n. 6.* attamen *Suarez*, & *Pontius* diuersis principijs mouentur ad hanc distinctionem non amplectendam; *Suarez* enim ducitur ex eo, quod necessitas illa, quæ Delegato imponitur, potius videtur obstare durationi gratiæ post mortem concedentis; quia necessitas ista transit in mandatum; quod, iuxta communem sententiam, expirat morte mandantis, re integra, vt habetur ex *Cap. Gratum, Cap. Relatũ de offic. Deleg. & ex leg. Et quia de iurisdic. omn. Iudic. & ex leg. Mãdatum C. Mandati.* proindè ipse *Suarez* infert, quod si delegatio, & executio caussæ committitur sub præcepto, & vt sic censetur gratia facta, etiam respectu determinatæ personæ: debemus idem asserere, quando commissio fit sine præcepto, quia minùs habebit mandati. Sed *Basilius* alio nititur fundamento; nam *§. cit. num. 4.* quamuis dicat opinionem, quam tenet *Sanches* esse communem: nihilominus ait, esse valdè difficilem, & in praxi habere nonnulla, quæ valdè dura videntur; & ideò putat esse gratiam factã, & non expirare morte concedẽtis; quamuis delegatio committatur pro determinata persona; quia respectu ipsius Delegati est fauor, qui sibi conceditur, dum eligitur vt persona magis idonea, & prudens ad dispensationem faciendam; & ideò docet, nullum fingi posse casum, nullamque concessionem, quantumuis in fauorem dispensandi, quæ non sit etiam in fauorem dispensaturi. Sed hoc fundamentum, cui nititur *Basilius*, nempè, nullam dari concessionem facultatis in fauorem illius, cui est dispensandum, quæ non sit in fauorem dispensaturi; est, inquam, tale fundamentum omnino reijciendum; tum quia, est contra communem Doctorum consensũ; tum etiã quia sæpè ob delegationẽ, & expeditionem alicuius caussæ, nullum redũdat commodum in Delegatum; immò interdum talis commissio poterit illi esse grauamen; tum deniquè quia, in determinando, quando sit gratia facta, quando facienda, non est habenda ratio vtilitatis, & commodi, quod ex concessione potestatis, quomodocumque resultat, vt mox videbimus: idcircò doctrina ista *Basilij* nõ est probanda. Quæ verò docet *Suarez* confutando distinctionem istam, non curo in præsẽtia examinare, an sint vera, nec nè; quia nõ est necessarium ad rē nostram.

95 Quæ autem, ex multis, docet *Sanches* distinguens Ministrum, seu Delegatum necessarium, & voluntarium ad decidendum, an facultas dispensandi concessa pro signata persona habeat rationem gratiæ factæ, aut faciendæ, non admodum placent; quia difficultatem pati possunt; ea autem non examino; quia non ducunt ad quæsitum nostrum determinandum. superest igitur, vt statuamus regulam vniuersalem pro habenda notitia in caussis particularibus, quando gratia sit facta, quando verò facienda; & etiam ad abundantiorem doctrinam quædam alia addamus huic materiæ affinia, quæ omnia in sequentibus conclusionibus præstabimus.

Non placent quæ in hac re docet Sãches.

Dico primò, Regulam firmam, & con- 96
stantem ad discernendam gratiam factam à facienda, desumendam esse per habitudinem ad vtilitatem, & commodum alicuius, si à concedente directè intendatur; & si respectu huius nihil aliud ex parte actus primi expectetur, gratia dicetur facta: si verò aliquid desideretur; gratia erit facienda. Conclusio ista tres inuoluit partes, quæ ad integritatem regulæ assignatæ sunt necessariæ. Primò enim asseritur, rationem vtriusque gratiæ esse capiendam ex vtilitate alicuius. Secundò tantem vtilitatem à concedente debere esse directè intentam. Tertiò esse attendendum, an aliquid desit necnè ex parte actus primi, &c. Prima pars ponitur à *Basilio §. cit. n. 6.* Probatur primò: ex *Cap. Si cui nulla*, de quo supra; nam Pontifex ibi, postquam statuit concessionem facultatis pro indeterminatis personis circa prouisionem certi beneficij esse gratiam, quæ non spirat, re integra. mortuo concedente; volens oppositum decidere, scilicet, expirare, quando concessio est pro determinata persona, apponit hæc verba (*Secùs si super prouisione certæ personæ facienda sit data potestas eidem, non ob suam, sed eius, cui prouideri mandatur gratiam, vel fauorem; re integra, moriatur.*) Ex his verbis satis clarè infertur, primam partem regulæ, à nobis assignatam, admitti à Pontifice; quia volens statuere concessionem facultatis ad prouidendum expirare, si fuerit pro certa persona, si re integra, cõcedens moriatur: apposuit verba illa reseruatiua, videlicet (*non ob suam, sed eius, cui prouideri mandatur gratiam*) hoc est, vtilitatem; sit data potestas prouidendi; vide quo pacto Pontifex ad determinãdam durationem, aut extinctionem illius concessionis, respectum habuerit ad vtilitatem alicuius, quæ primò, & per se intenditur; & quamuis ibi non explicet gratiam sub his formalibus terminis, *factæ, & faciendæ*: tamẽ sub æquiualentibus eã expressit, dum dixit illam, quæ fit pro personis incertis, mortuo concedente remansuram; eam verò, quæ erat pro certa persona, esse expiratam: ex hoc autẽ necessario infertur, illam esse gratiam factam; hanc verò faciendam

Statuitur Regula vniuersalis ad agnoscendum quãdo gratia sit facta, quando facienda.

Pontifex explicat gratiã factam, & faciendam sub alijs terminis æquiualẽtib.

faciendam; nam apud omnes authores habetur de ratione gratiæ factæ esse, vt maneat firma post concedentis obitum; secùs de facienda, re integra.

97 Probatur eadem prima pars conclusionis ratione; nam conditiones, seu qualitates illæ, *Facta*, aut *Facienda*, quæ gratiæ substantiam veluti afficiunt, & denominant, desumendæ omninò sunt per ordinem ad illum ipsum, cui gratia primariò, & directè intenditur; sunt enim veluti accidentia, quæ subiectum comitantur, & sequuntur; proinde per respectum ad illum, pro quo conceditur substantia gratiæ, eadem gratia sortitur nomen factæ, aut faciendæ. Ergo dicendum est regulam firmam, & constantem ad discernendam gratiam factam à facienda desumendam esse per habitudinem ad vtilitatem, & commodum illius, cui fauor à concedente directè intenditur; quæ erat prima pars probanda huius conclusionis. In secunda parte dicebamus, hanc vtilitatem, seu commodum resultans ex concessione potestatis debere directè intendi à Concedente; quia si directè non intendatur per accidens se habebit; proinde non cadens sub intentionem Cōcedentis, non poterit gratia per habitudinē ad talem vtilitatem diuersificari in ratione factæ, vel faciendæ; & ratio est in promptu, quia gratia, cum sit verè, & realiter quoddam beneficium, afferens aliquam Beneficiato vtilitatem; si à conferente talis vtilitas directè non intendatur, neq; ipse diceretur Benefactor, neque res concessa, cum sermonis proprietate, diceretur gratia, & formaliter beneficium, nisi impropriè, & veluti materialiter: aliter si quis actione iniuriosa contra aliquem inueheretur, & ex tali actione sequatur per accidens aliquod commodum personæ, offensæ diceretur talem exercens actionē conferre gratiam personæ offensæ: quod est apertè falsum, & contra communem hominum existimationē. Maneat igitur tanquam certum ad rationem gratiæ, formaliter sumptæ requiri, vt eius vtilitas directè intendatur.

Facta, & facienda sunt veluti qualitates afficientes gratiam respectu illius cui conceditur.

98 Demum tertia pars huius Conclusionis, in qua dicebamus, si in concessione, seu delegatione nihil ex parte actus primi expectetur, esse gratiam factam, & si aliquid desideretur, esse faciendam, hæc tertia pars est manifesta; positis his, quæ hactenus dicta sunt; si enim respectu illius, cuius vtilitas per se intenditur vi alicuius concessionis, seu delegationis aliquid ad commodum reportandum deest in actu primo, gratia non erit adhuc perfecta; atque adeo erit facienda: contra verò si nihil deest, erit consumata, & dicetur facta. Restringendo autem regulam datam ad particularia, pono exemplum in materia delegationis. V. C. si Pontifex, ad instantiam Petri postulantis dispensationem aliquam, deleget Paulo facultatem dispensandi; si ipse Pontifex in concessione talis caussæ directè intendat commodum Petri, resultans ex actuali dispensatione, gratia dicetur facienda, quia in Petro deest complementum actus primi, nempè actualis dispensatio, vi cuius poterit progredi ad actum secundum primariò intentum: at si idem Pontifex directè intendat honorem aliquem, seu aliud cōmodum Paulo obuenturum, per communicationem talis potestatis, gratia vocabitur facta, quia vi talis concessionis Paulus in actu primo habebit omne illud, quod requiritur ad dispensandum; nam reuera circa hanc particularem caussam erit constitutus legitimus Iudex. Hæc autem Regula sic exposita mihi videtur facilior, & firmior, omissis his, quæ ad illam assignandam fusè dicunt Authores, quorum dicta confusionem potiùs, quàm claritatem afferunt. Et ideo Regula à nobis tradita erit omnino admittenda. 99

Dices primò. Actualis dispensatio est actus secundus, ergo male appellatur cōplementum actus primi. Respondeo non esse nouum aliquid se habere, vt actum secundum respectu vnius, & vt actum primum respectu alterius, sicuti calefactio est actus secundus respectu ignis, à quo procedit; at se habet, vt actus primus respectu ignis producti. Et in moralibus V. G. Excommunicare est actus pariter secundus, respectu Prælati excommunicantis; at se habet veluti actus primus in ordine ad effectus, quos operatur in eo, qui excommunicatur, & sic in alijs sententijs, quæ à Iudice procedunt, dum finita caussa sententiam profert, ex vi cuius aliquid per modum actus secundi vltimati fit in aliquo: sic licet actualis dispensatio respectu Delegati sit actus secundus, tamen respectu effectus vltimati primariò intenti erit per modum actus primi; effectus autem principaliter intētus erit E. G. vel reualidatio matrimonij, vel licita comestio ciborum prohibitorū, vel quid simile sequens ex vi illius actualis dispēsationis. Ex his patet solutio huius instantiæ, quam mihi fecit quidam doctus, & mecum coniunctissimus Recentior. 100

Soluitur instantia declarando doctrinam.

Dices secundo in his delegationibus solet apponi conditio, vt delegatus antequam dispenset, examinet caussam, & precum veritatem inquirat; & consequenter etiam si Pontifex directè vi talis dele-

delegationis intendat commodum ipsius Delegati, gratia erit facienda, & non facta quia communicatio facultatis ad dispensandum, erit sub illa conditione de futuro; atque adeo ex parte actus primi aliquid desiderabitur.

101 Huic instantiæ duas dare possumus responsiones. Et prima erit, si dicamus, à nobis non sustineri, quod in omni casu collatio potestatis, & vtilitas ex illa resultans directè intenta, satis sint ad hoc, vt gratia dicatur facta; sed nobis sufficere, vt in quamplurimis casibus, quando nihil deest in actu primo ad complendam communicationem facultatis, concessio sit gratia facta. Secunda responsio erit specialis ad casum positum; idcirco aio, conditionem illam, vel apponi ad hoc tantùm, vt dispensatio prudenter & licitè fiat, cognita veritate caussæ: vel apponi vt formam requisitam ad validitatem actus: & vt sic dico, nihil sequi cōtra me; quia communicatio potestatis erit ex nunc pro illo tunc, nempè, pro tempore, quod sequitur examen caussæ, & veritatem precum adinuentam; proinde erit gratia facta; & si Pontifex moriatur etiam re adhuc integra; poterit Delegatus inchoare caussæ discussionem, & nullum aliud inueniens impedimentū, dispensationem concedere.

102 *Interrogatio.* Si verò quis quærat, quādo modus, sub quo præscribitur actus se habeat vt forma, seu substantialiter ita, vt eius omissio irritet actum, quando verò se habeat solùm accidentaliter, & eius omissio non reddat inualidum actum? Licet de re hac agere non sit proprius locus, nisi in materia de legibus, & videri possit *Suarez lib. 5. de legib. cap* 31. tradens varias regulas ad id distinguendum, & alios apud ipsum: tamen breuiter placet quamdam determinatam regulam proponere: aio igitur tunc modum, seu solemnitatem se habere vt formam substantialē, quando simul cū illo datur potestas ad actū efficiēdum sub tali forma; at quando potestas supponitur iam collata, & postea additur modus, tunc non se habere vt formam substantialem, sed vt accidentalē, & ex eius defectu actum non fieri inualidum. hanc regulam dāt *Gloss. in Clem. 1. Iure patr. ver. Inhibentes. Panorm. in Cap. Ex parte de Cōstit. in fine. Felinus ibidem initio. Suarez cap. cit. n. 9. & seq. Sanches in Sum. lib. 5. cap. 4. n. 20. Salas de leg. disp. 16. sect. 9. n. 37. Rodriquez in qq. reg. tom. 2. quæst. 43 art. 2. Castro Palaus tom. 1. tract. 3. d. 2. p. 9. n. 2. & sequentibus, & alij antiquiores* apud ipsos; & ratio huius rei, secundùm vtraque partem, esse potest, quia potestas quoad amplitudinem, & restrictionem mensuratur

Regula ad agnoscendum modum substantialem, & accidentalem.

per formam, seu modum, sub quo confertur; proinde si quis potestatem largitur sub tali solemnitate, seu conditione, nisi seruetur forma præscripta, actus erit irritus; quia fit à non habente potestatem; perindè enim erit fieri à non habente simpliciter potestatem, ac habente potestatem non seruando formam, sub qua data fuit potestas.

Potestas iuratur mā, sui concedi.

Non ser forma e est irritu.

103 Cōtra verò si potestas supponatur iam collata, & postea præfigatur modus; tunc nisi apponatur clausula irritans actum absq; tali modo factum, validus erit actus, qui fit omittendo modū illū præscriptū; quicquid sit an illicitè, nec nè exerceatur. Hæc est regula, quæ attendi poterit ad discernendum, quando modus se habet vt forma substantialis, quando verò vt accidentalis.

Verumtamen prima pars huius regulæ exceptionem patitur: nec, etiam si simul detur potestas, & simul statuatur modus, sub quo faciendus sit actus ille, sequitur talem modum semper se habere vt formam substantialem; fallit enim, quando modus, sub quo conceditur facultas, de iure communi inest accidentaliter, & in concessione facultatis præfigitur eo modo, quo inest in iure, vt autem regula prædicta cum restrictione apposita manifestior fiat, ponamus exempla, tum de vtraque parte regulæ; tum etiam de ipsa restrictione V.G. si Pontifex alicui concedat potestatem conferendi quamdam præbendam, & simul in concessione talis potestatis præscribat modū, sub quo vult, vt præbenda conferatur E.C. dicat, vt Delegatus adhibito consilio Episcopi conferat præbendam, tunc modus iste, nempè, petitio consilij se habebit vt forma substantialis, eoquè prætermisso nulla erit collatio. Contra verò si Pontifex det facultatem Delegato ad concedendam præbēdam, & nullum præcipiat modum, sub quo sit conferenda; postea verò addat modum restrictiuum scilicet, vt Delegatus conferat præbendam adhibito consilio Episcopi, modus iste accidentaliter se habebit, & si omittatur, collatio non erit irrita; quia præsupposita concessione potestatis, solēnitas illius modi erit accidentalis, & potiùs erit quædam monitio, per quam Delegatus admonetur, vt prudenter se gerat in concessione præbendæ.

104 *Exceptio primæ part. regulæ.*

Exemplum pro Regu.

Et hæc de vtraque parte regulæ sufficiant. Remanet, vt exemplum demus de limitatione apposita E.C. si Episcopus licentiam concedat simplici Sacerdoti, vt alicui matrimonio assistat, præmissis denunciationibus; si Sacerdos ille omittat denunciationes, & assistat, matrimonium 105

Exemplum pro restrictione.

nium validè contrahetur; quia modus ille, sub quo data fuit potestas, inest in iure communi, & apponitur eo modo, quo inest; proindè videtur quædam admonitio, per quam Episcopus admonet Sacerdotem, vt seruet ius, & non præsumitur Episcopum conditionem illam requirere diuerso modo, quo in iure inest; in iure autem solemnitas ista se habet accidentaliter, igitur existimabitur postulari ab Episcopo. Dixi (eo modo, quo, in iure inest, quia est cōtrouersum apud Doctores; an si forma iuris exprimatur in cōcessione diuerso modo ab eo, quo inest, sit substantialis, an verò accidentalis? nā aliqui putant, neque in hoc casu importare formam, alij verò negant. Vide *Sanchez lib. 3. de matr. disp. 53. nu 4. Merollam Tom. 2. cap. 5. dub. 19. nu. 71. & seq.* Præterea si apponatur conditiones irritantes, tunc etiam quamuis postuletur forma iuris communis; eo modo quo in iure inest, actus erit irritus. Et hæc breuiter dicta sint pro huius rei declaratione.

[C]ontrouersiā [a]n forma [a]pplicata di[ue]rso modo [ab e]o in iure [in]est sit substantialis, an [ue]rò accidentalis.

106 Dico tertio. Si Gratia facienda sit accessoria gratiæ iam factæ, non expirat ob concedentis mortem. Ita *Basilius num. 6. cit. Merolla tom. 2. disp. 4. cap. 6. nu. 490. Sanchez disp. illa 28. nu. 43.* & alij apud ipsum. Est certa sententia decisa in *Cap. Si super gratia, de offic. Deleg. in 6.* V. G. si Pontifex conferat alicui Canonicatum, & præcipiat Canonicis, vt inducant Canonicum electum in possessionem, instituendo illos, vt exequutores, si antequā tradatur possessio moriatur Papa, facultas exequutoris non perit; quia se habet accessoriè ad gratiam factam, sic deciditur *cap. cit.* & notat ibidem *Glos.* & ratio est, quia accessorium sequi debet naturam principalis; aliter gratia facta inutilis foret; & ideò potestas Delegato concessa in gratiam tertiæ personæ, si concedens moriatur, re adhuc integra, remanebit in eodem Delegato potestas ad exequendum.

[G]ratia faciē[d]a quando est [ac]cessoria non [exp]irat ob mor[tem] concedētis.

107 Dico quarto. Si gratia facienda cōcessa sit sub nomine dignitatis, non perit mortuo concedente. Ita *Sanchez disp. cit. nu. 44. & 67. Merolla cap. cit. num. 490.* Fundamentum huius Conclusionis est; quia dignitas, cum semper maneat, & non extinguatur ob mortem personæ; permanere etiam censebitur gratia sub nomine dignitatis concessæ. Dices, delegationem semper fieri sub nomine dignitatis; quia si Delegans in tali dignitate non esset constitutus, non posset delegare. Respondeo rationem delegandi, quæ est ipsa potestas residens in Delegante, semper esse dignitatem vt argumentum probat: at Concedentem non semper esse dignitatem, vt abstrahit à persona, sed interdum, vt cohærentem personæ, & tunc perire cum ipsa persona; atq; adeò extingui delegationem interdum verò abstrahere à persona, & tunc mortua persona; quia manet dignitas, non perit delegatio, vt rectè notat *Sanchez num. 44.*

[G]ratia facie[nd]a concessa [su]b nomine [di]gnitatis nō [expi]rat ob mortē [con]cedentis.

Dico quintò. Si ante litterarum Apostolicarum expeditionem, per quas gratia concedebatur, Pontifex moriatur, si est gratia facta, permanebit. Est contra *Castillo leg. 43. Tauri nu. 1.* quem affert *Sanchez disp. 29. libri citati num. 3.* in fine, debet etiam esse contra eos, qui volunt, ad valorem gratiæ necessario scripturam requiri: sed opposita sententia, quæ asserit, etiam litteris non expeditis gratiam factā non perire, est communis, & quamplures tum Iuristas, tum Canonistas, tum Theologos laudat, & sequitur *Sanchez l. c. & Merolla dub. 32. num. 552.* Et probatur, quia nullo iure cautum est, ad rationem gratiæ requiri scripturam; & ideò in foro conscientiæ: non autem in foro externo licitum erit vti gratia concessa, & iam facta, non expeditis litteris, vt notat idem *Merolla num. 554. & 559.* Secus autem est dicendum de litteris, per quas conceditur iurisdictio; nam ante earum expeditionē, nequit ille, cui conceditur, iurisdictione vti. Ita *Merolla num. 560.* & probat ex *reg. 4. Cancell.* & ex alijs Doctoribus. 108

Contra Conclusionem istam obijci solent aliquæ regulæ Cancellariæ, quæ videtur oppositum statuere, scilicet, ante expeditionem litterarum gratias non suffragari: sed interpretantur loqui tantum pro foro externo, sic *Merolla num. 561.* & alij apud ipsum. 109

Obiectio ex regulis Cancellariæ, & earum solutio

Dico sexto, Gratiam factam, quamuis non sit acceptata, non expirare morte cōcedentis. Sic ponitur à *Sanchez num. 69. eiusdem disputationis. Merolla l. c. Suarez lib. 8. de legib. cap. 31. num. 21. Dominicus in Cap. Illo si super gratia de offic. Deleg. in 6. n. 5. Franc. ibidem nu. 2.* & alij contra *Bonacinam de legib. disp. 1. quæst. 3. p. 8. §. 1. nu. 28.* Probatur autem, quia ex parte concedentis gratia illa fuit perfectè cōcessa, & numquam reuocata, proindè remanebit post mortem concedentis. 110

Gratia facta mortuo concedente quāuis non acceptata non perit.

Dico septimo. Quando Gratia fit intuitu, tum tertiæ personæ, tum Delegati non expirat morte concedentis; quia, licet respectu vnius se habeat vt gratia facienda: tamen, quia respectu alterius est gratia facta; idcircò permanet in suo vigore, re integra, post mortem concedentis. Ita *Basilius §. 1. cit. num. 8.* Ratio autem est; quia aliter gratia facta claudicaret, atquè adeò non posset post mortem concedentis suam efficaciam retinere; & ideò gratia, prout est facienda, si est con- 111

Gratia quæ fit intuitu alicuius, tū Delegati non expirat mortuo cōcedente.

iuncta cum eadem gratia prout est facta, trahitur ad eamdem permanentiam cum illa, ficuti supra diximus de gratia facienda, quando accessoriè se habet ad gratiam factam.

112 *In dubio an sit gratia facta, an facienda, aliquando præsumitur facienda.*

Dico octauo. Quando pensatis omnibus ignoratur, an gratia sit facta, an verò facienda; quod tunc contingere poterit, cum nequit discerni, an sit concessa potestas in fauorem dispensaturi, an verò dispensandi, tunc præsumitur data in fauorem personæ, cui fieri debet dispensatio, & ideo erit gratia faciẽda, & expirabit, re integra, ob mortẽ concedentis: sic colligitur ex *Sanches disp. illa* 28. *n.* 90. & in terminis, hoc docet, *Merolla cap. 6. cit. n.* 51. & probat ex eo, quod si quis alleget gratiam esse factam intuitu illius, qui est dispensaturus, ipsi hoc alleganti incumbit onus probãdi, vt asserit *Ioan. Andreas cap. In caussis n.* 38. *de elect. & cap. Si cui nulla de præbend. in* 6. & in eodẽ loco *Francus. n.* 6. *Dominicus. n.* 1. *Sanches l. c. & alij.*

113 Hæc dicta sunt circa gratiarum diuersitatem, & modum, sub quo emanant à Pontifice, vel ab alio Superiore. Superest tãdem, vt directè respondeamus ad quæsitum in titulo propositum, colligentes decisionem ex principijs positis. Et pro maiori claritate distinguimus in Cruciata duo priuilegiorum genera: nam aliqua nullo modo dependent à voluntate alterius; vt sunt illa, per quæ conceduntur indulgentiæ visitantibus altaria; & per quæ datur facultas comedendi lacticinia, &c. aliqua verò dependent ab alterius voluntate, vt est indulgentia acquirenda semel in vita, & in articulo mortis, quæ debet dari à Confessario, absolutio à reseruatis, commutatio votorum, &c. his præhabitis.

In Cruciata duo continentur priuilegiorum genera.

114 *Priuilegia Cruciatæ, q̃ non dependent nisi à voluntate priuilegiati nõ cessant mortuo Pontifice.*

Dico nono, Cruciatam quoad priuilegia primi generis, certum est, non expirare ob Pontificis mortem. Est communis sententia tum inter veteres, tum inter recentiores; & ita in terminis eam docẽt *Paludanus, Syluester, Rosella, Angelus,* quos refert, & sequitur *Cordub. de indulg. quæst.* 36. *Henriq. lib. 7. cap. 21. nu. 4. Ludouicus à Cruce in exposit. Bullæ disp. 1. cap. 10. dub. 3. nu. 1. & 4. Basilius Pontius §. cit. n. 9. Sanches in disp. illa 28. nu. 93. Suarez de legib. lib. 8. cap. 31. num. 10. & de pœnit. disp. 27. sect. 4. nu. 10. Castro Palaus de legib. tract. 3. disp. 4. p. 16. §. 4. in fine. Merolla cap. 6. cit. Corol. 8. nu. 318. Trulleneb. in Bullam lib. 1. §. 1. dub. 13. n. 3. & alij.* Probatur autem ratione deducta ex doctrina, quam circa gratiarũ concessionem supra tradidimus; nam Cruciata quoad prædicta priuilegia continet gratiam factam; proinde etiam mortuo concedente, suam retinet efficaciam; habere autem rationem gratiæ factæ, est euidens; quia priuilegia illa directè conceduntur sumentibus Bullam independenter ab alterius voluntate, ergo, &c.

Difficultas autem est de priuilegijs secundi generis, ad quæ exequenda, datur potestas Confessario, qui indulgentiam illam plenissimam semel in vita, & in articulo mortis pœnitenti applicare potest, sicuti eidem Confessario conceditur potestas absoluendi à reseruatis, commutandi vota, &c. & sic respectu pœnitentis videtur Cruciata, quoad hæc priuilegia cõtinere gratiam faciendam; atque adeo, re integra, statim perire debet mortuo Pontifice concedente. 115

Priuilegia, quorum exequutio depẽdet à voluntate alterius videntur gratiæ faciẽdæ, & ideo mortuo Pontifice expirare.

Neque valet, si dicas, quod licèt respectu pœnitentis sit gratia facienda: tamen cum directè Confessario concedatur potestas, ex parte ipsius erit gratia facta, & cũ nequeat claudicare, vt supra diximus; idcirco, etiã re integra, mortuo Summo Pontifice, qui illam concessit, non debet expirare. Ne dicas hoc, quia Pontifex in tali delegatione non intendit fauorem Confessarij, qui nullum reportat commodum ex delegatione ista, saltem per se intentum, & maximè cũ in indiuiduo nullus determinatus Cõfessarius nominetur; quia electio relinquitur in arbitrium pœnitẽtis, cuius vtilitatem in hac delegationẽ per se Pontifex intendit: ideoque erit gratia facienda, & non facta: his non obstantibus. 116

Dico decimo, etiam in ordine ad hæc priuilegia secundi generis, gratiam esse factam, & non faciendam. Ita authores citati pro octaua conclusione. Fundamentum huius assertionis solidum, & firmum, aliorum rationibus omissis, est; quia hæc priuilegia directè conceduntur ijs, qui Bullam hanc sumunt, quibus facultas datur eligendi quemcumq; Confessarium ab Ordinario approbatum: Cõfessarijs verò datur potestas exequẽdi priuilegia ista, ac proinde se habẽt, vt meri, & simplices exequutores; & sic Cruciata, etiam re integra, mortuo Pontifice, quoad hæc priuilegia minimè expirabit. 117

Neq; ista priuilegia cessãt ob Pontificis mortem.

An

SECTIO VIII.

An Pontifex Cruciatam reuocare valeat?

118 *Reuocatio Bullæ consideratur secũdùm habitudinem ad varias personas*

REuocatio ista spectari poterit secundùm varias habitudines, videlicet, tùm in ordine ad personas illas, quibus ipsa Cruciata est concessa, nimirum, Regem Hispaniarum, in cuius gratiam nunc primò, & per se a Papa instituitur, & personas particulares, quæ eleemosynam singulis annis erogantes eius priuilegijs fruuntur; tùm etiam in ordine ad tempus, pro quo concessa est, quæ omnia, vt distinctiùs procedamus, per sequentes paragraphos examinabimus.

§. I.

An tempore concessionis non transacto sit reuocabilis Bulla Cruciatæ?

119 *Tempus durationis huius Bullæ non sẽper fuit æquale.*

SVpponimus, tempus concessionis, & prorogationis Cruciatæ non fuisse semper æquale; prius enim concedebatur ad biennium, seu triennium; posteà verò Pius V. per aliqua Breuia, quæ refert *Perez de Lara in libro trium gratiarum fol.* 13. prorogauit tempus vsque ad sexenniũ, & sic in præsentia seruatur, hoc autem posito. Quærimus, an durante sexennio possit Pontifex absque vlla caussa Cruciatam suspendere?

120 Huius difficultatis decisio petenda est ex vniuersalioribus principijs, nempè, ex materia de priuilegijs, in qua inter alia examinatur facultas, quam habet Pontifex ad reuocanda priuilegia ab ipso, vel à suis prædecessoribus concessa: quapropter doctrina, quam authores tradunt loquẽtes de reuocatione priuilegij in communi, applicanda à nobis erit speciali reuocationi huius priuilegij Cruciatæ.

121 *Priuilegium gratuitum in duplici differentia.*

Pro solutione autem huius rei supponendum est, inter alias priuilegiorum diuisiones, quas ponunt authores, facere ad casum nostrum eam, secundum quam priuilegium gratuitum diuiditur in illud, quod continet absolutam donationem, & transfert in priuilegiatum dominium alicuius rei, vel Iuris; vt si concedatur, V. G. gratis Feudum aliquod, Castrum, &c. vel ius percipiendi decimas, vel non soluendi vectigalia, tributa, &c. & in illud, quod non inuoluit donationem, sed consistit in facultate, seu licentia operandi aliquid contra, aut præter ius commune, aut speciale. Hanc diuisionem notat *Suarez de legib. lib. 8. cap. 37. n. 7. Bonacina, Castro Palaus, Basilius Pontius, locis infra citandis, & alij*; præmissa autem tali diuisione.

122 *Pontifex potest Cruciatã reuocare.*

Dico primò. Summus Pontifex, qui Cruciatam concessit, poterit validè eam reuocare sine vlla causa, etiam tempore concessionis non elapso. Sic docent quãplures tractantes de reuocatione priuilegij gratuiti, & præsertim de illis, qui manent intra terminos puri priuilegij, videlicet, non transferentis dominium, sed consistẽtis in facultate seu licentia, vt explicuimus. ita *Suarez cap. cit. n. 7. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 33. n. 1. Salas de leg. disput. 17. sect. 14. n. 70. Bonacina de leg. disp. 1. quæst. 3. p. 8. §. 3. n. 10. versus finem. Pontius lib. 8. de matr. cap. 19. §. 2. nu. 13. in fine. Castro Palaus tom. 1. tract. 2. disp. 4. p. 21. §. 1. n. 1. Sousa in Bullam Cœnæ cap. 16. disp. 84. n. 9. Merolla in Theol. moral. tom. 3. disp. 6. cap. 7. dub. 7. nu.* 140. & alij apud ipsum, & *Suarez*. Probatur Conclusio hac ratione. Dum enim Superior cõcedit facultatem, seu licentiam faciendi aliquid contra ius, non abdicat à se iurisdictionem, quam habere supponitur in eum, cui facultas illa conceditur: proinde poterit ad sui libitum denuo vti iurisdictione sua, & priuilegiatum iam exemptum obligare: sic in casu nostro Sũmus Pontifex supremã habens iurisdictionẽ, dũ concedit priuilegia, in facultatibus, & licentijs prædictis consistentia, nõ se priuat sua iurisdictione; ergo absq; vlla caussa validè reuocabit talia priuilegia: igitur validè poterit absque caussa, etiam non elapso tempore concessionis, reuocare Cruciatam, quæ continet priuilegia pura, videlicet, consistentia in quibusdam facultatibus, & licentijs operandi contra ius commune; Idcircò rectè *Suarez ait cap. cit. num.* 10. ex isto principio posse à Pontifice reuocari dispensationes in matrimonio, prius quam matrimoniũ fiat; quia potest impedimentum sublatum restituere; nam reuocatio, vt idem author asserit, est virtualiter iterata præcepti impositio.

Sed dices primò. Vi huius priuilegij, quãuis in facultate consistat, acquirit tamẽ ius Priuilegiatus; & ideò si nulla interuenerit legitima caussa, nequit Põtifex illud reuocare. *Obiectio.* Respondeo, hanc concessionem *Soluitur.* seu priuilegium esse quasi quamdam delegationem, & personam priuilegiatam se habere veluti delegatum operantem nomine, & virtute delegantis, proindè ex voluntate ipsius delegantis poterit cessare. Et ideò ad argumentum respondentes dicimus, ius quodcumque acquisitum à priuilegiato imbibitam habere conditionem dependentẽ à voluntate Superioris: idcircò poterit Pontifex ad sui arbitrium suspendere gratiam, seu priuilegiũ absque vlla iniustitia.

Dices secundo. Doctores communiter discri-

Alia instantia ex priuilegio, quod subdito, & non subdito conceditur.

discrimen agnoscunt inter priuilegium nõ Subdito concessum, & priuilegium Subdito concessum: & aiunt illud reuocari nõ posse à concedente saltem absque caussa; istud verò posse, vt explicat *Suarez cap. cit.* Igitur cum Bulla Cruciatæ per sexennium sit priuilegium à Pontifice Regi cõcessum, & Rex non sit ipsi Pontifici Subditus; sequitur non posse à Pontifice reuocari durante concessionis tempore.

125 *Diluitur.* Respondeo, circa discrimen inter non Subditum, & Subditum multa essent dicenda, & licèt differentia illa communiter admitti soleat à Canonistis: nihilominus difficultatem habet, quam nunc non examino; quia eo discrimine admisso, facilè etiam soluitur instantia, in argumento allata; & ideò aio, quod licet Rex Hispaniarum, cæterique Principes, & alij Laici commorantes extra dominia Pontificis non sint in temporalibus directè subditi ipsi Pontifici: tamen directè illi subduntur omnes fideles baptizati in rebus spiritualibus, vt habetur ex *Innocentio cap. Inquisitioni in fine de sent. excom. & docet Panorm. in cap. Venerabilem n. 19. de elect. Probus in addit. ad Ioan. Monach. in cap. 2. de præbẽdis in 6. Tuscus vers. Priuilegium concl 751. in fine n. 104. Alterius de cens. tom. 1. disp. 22. cap. 1. ver. Ex his in fine. Bonac. in Bullam Cœna disp. 1. quæst. 22. p. 5. num. 5.* & alij: Cum autem Cruciatæ priuilegia sint in materia, quæ per se, & directè dependet à iurisdictione Ecclesiastica, nempè, in materia spirituali, & primo depẽdeat à Summa potestate; quæ in Pontifice residet; idcirco ad talia priuilegia obtinenda, & ad eorum validum vsum, omnes fideles baptizati comparantur, vt formaliter subditi, ad Summum Pontificem; & per consequens poterit idem Pontifex ad sui libitum reuocare, & Cruciatam, & omnia alia priuilegia, quæ sunt pura priuilegia, nullum dominium transferentia, & vt subditis concessa. Ita loquentes de abrogatione similium priuilegiorum in generali docent *Antonius Gabriel. lib. 3. commun: concl. 7. n. 1. & apud ipsum Anch. cons. 336. Paulus de Castro tom. 2. cons. 46. Felin. in cap. 1 de probat. Ant. de Butr. in cap. 1. de constit. Decius in cap. Nouit. n. 15. de Iudic. & alij.*

126 Dico secundo. Nequit Pontifex, qui Bullam Cruciatæ Regi indulsit, durante tempore concessionis, si nulla sit legitima caussa, ipsam Cruciatam licitè reuocare. Ita *Suarez. Sanches. Merolla. Castro Palaus. Sousa. locis citatis.* Probatur Conclusio ex *cap. Suggestum de Decimis, & ex cap. Decet de Reg. iur. in 6.* vbi dicitur, decens esse beneficium concessum à Principe, esse mansurum; ex quo loco Commentatores, alijquè Doctores deducunt, talẽ reuocationem esse illicitam. Et ratio est, quia dum eadem permanent motiua, quibus Princeps ductus fuit ad priuilegium concedendum, & nulla circumstantia sufficiens ad suspendendum priuilegium sit variata; reuocatio erit quidam abusus potestatis Ecclesiasticæ, proinde illicita.

Dico tertio. Prædicta reuocatio per se loquendo, non excedit, quantum est ex parte obiecti, culpam venialem. Sic anthores citati; quia, cum priuilegium dependeat à volnntate concedentis; & omnino sit gratuitum, reuocatio solùm quãdam inuolueret leuitatem, dum nulla occurrit caussa legitima, & ideo talis leuitas, si alia circumstantia mala non occurrit, erit solùm venialis ex genere suo, ob incõstantiam prædictam. 127 *Reuocatio prædicta ex parte obiecti nõ excedit culpam venialẽ.*

Dico quarto. Per accidens reuocatio ista poterit esse culpa mortalis; vt enim authores citati aduertunt, ex tali reuocatione sequi interdum poterunt grauia scandala, vt inimicitiæ, & damnum in bonis temporalibus, videlicet in pecunijs, & in casu nostro, si Rex ductus spe illa certa lucrandi magnã pecuniarum quantitatem ex eleemosynis erogandis pro huius Bullæ acceptione, magnas fecisset expensas ad bellum ineundum contra Hæreticos, & alios infideles, eas alioqui nõ facturus, si Cruciatæ lucrum non sperasset, vel quid simile. 128 *Ex circumstantijs adiunctis poterit esse mortalis.*

§. II.

Expenditur quædam hac de re, D. Marij Cutelli sententia.

Antequam ad alia transeamus, placet examinare opinionem Cutelli circa potestatem, quã in Pontifice ad Cruciatam reuocandam agnoscimus. 129

Pro qua re supponendũ est in illo Opere, quod ipse Cutelli edidit Matriti impressum, cuius inscriptio est: Patrociniũ pro Regia iurisdictione, Siculis Inquisitoribus concessa, inter alia circa finem operis, proponens, se acturum de Commissario, & Ministris Sanctissimæ Cruciatæ fol. 199. tres instituit enunciationes, quarum duæ faciunt ad rem nostram; & volens author iste concludere Cruciatã, durantibus circumstantijs, ob quas fuit concessa, reuocari non posse, altiùs sumit sermonem; proindè à n. 204. primam ponit enunciationem, in qua asserit: ad Summũ Pontificem, vt Ecclesiæ caput, & Petri successorem spectare dispensationem indulgentiarum ex thesauro Ecclesiæ, & dum amplas earumdem indulgentiarum concessiones suadere conatur, subobscurè est 130 *Citatur patrocinium regiæ iurisdictionis à Cotello editum.*

loqun-

loquutus, quædam proferens verba, quæ vt iacent, videntur esse contra Canones; nam de Pontifice loquens, sic inquit (*Potest verò largitiones istas, qualibet ex caussa motus, fidelibus constitere pro arbitrio, nullis enim restricta fuis concessio apud Matth. cap. 16. dum dixit: Quodcumque solueris super terram eris solutū, & in Cælis*) & post pauca (*Non enim ei imputabitur ad iniustitiā, si modum in hac indulgendi materia nō seruet, dum eius sequatur vestigia, qui, quod potuit gutta redimere voluit vnda*) Hæc Cutelli, cuius verba videntur contradicere decretis Sacrorum Canonum, & cōmuni Theologorum sententię; in *Extrauag.* enim *Vnigenitus, & in cap. Cū ex eo : de Pœnit. & Remiss.* statuitur ad concedendas indulgentias, requiri caussam legitimam, & rationabilem; & damnantur indiscretę concessiones; quia per illas, vt ibidem testatur Innocent. III. claues Ecclesiæ contēnuntur, & pœnitentialis satisfactio eneruatur. Ex quibus colligimus potestatem concedendi indulgentiam collatam fuisse in ordine ad prudentem dispensationem, & nō ad destructionem, vt admonet *Apostolus 2. ad Corinth.* 10 inquiens (*Potestatem, quā dedit nobis Dominus in ædificationem, & nō in destructionem &c.*) Hoc ipsum confirmant Theologi asserentes, in hac materia inueniri posse culpam leuem, aut grauem iuxta excessum : & etiam concessionem irritam reddi. Ita S. *Thomas in 4. dist. 20. quæst. 1. a 3. quæstiun. 2. & dist. 45. quæst. 2. ar. 3. quæstiun. 2.* in fine. *Suarez in 3. p. to. 4. disp. 54. sect. 2. & 3. Cardinalis Delugo de pœnit. disp. 27. Sect. 8 nu.* 138. & 139. & alij communiter, apud quos, rationes, quæ hanc veritatem ostendunt videri possunt. Ergo non rectè dicitur posse à Pontifice quacumque ex caussa, & pro arbitrio concedi indulgentias, eique non esse imputandum, si in illis concedendis modum non seruet.

Prima propositio videtur esse contra Sacros canones.

131 *Infringitur ratio Cutelli.*

Ad rationem autem, quam pro se adducit *Cutelli*; facilis est responsio; licèt enim D. Petro, & Successoribus sine restrictione fuerit concessa potestas soluendi &c. tamen negatio illa restrictionis est in ordine ad remittēda quæcumque peccata, & ad relaxandam pœnam eisdem peccatis debitam mediante indulgentiarum applicatione : at non est in ordine ad caussam, & ad modum, sub quo concedi debent indulgentiæ, vt suprà ostendimus ex iure Canonico, & ex varijs Theologis. Et confirmari etiam potest hac ratione. Pontifex in distribuendis indulgentijs nō procedit, vt Dominus absolutus, sed vt Minister Christi, & fidelis dispensator; habuimus enim ex *Apostolo 1. ad Corint. 4.* esse talem, verbis illis (*Sic nos existimet Homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*) fidelitatem verò, & prudentiam in Ministro dispensante esse necessariam asseritur *Luc.* 12. Debebat igitur *Cutelli*, ex illo loquendi modo se abstinere, vel se declarare, in quo sensu verba prædicta proferebat.

132

In secunda enūciatione asserit, Pontificem vti debere temporali potestate contra Hæreticos, cæterosque infideles: & postea *num.* 206. & 207. ait, Summum Pontificem ex proprijs reddītibus temporalis status, teneri subsidium exhibere Regi Catholico contra Infideles bellanti; & rursus teneri cogere omnes Principes Christianos, & item teneri monitis, ac spiritualibus auxilijs animare, & inducere reliquos fideles adhuc eumdem finem; & deniq; addit huic obligationi Summos Pontifices satisfacere per concessionem indulgentiarum, quæ in Cruciata continentur. Et ex his in fine eiusdem nu. 207. sic concludit (*Per, quod sis, vt durantibus caussis, pro quibus concessio prædicta manauit, nempè pro resistendo Hæreticis, ac Ottomano hosti, non possit, ex obligatione iustitiæ, huiusmodi subsidium reuocari, censeturque stare.*) Probat autem *Cutelli* hanc suam opinionem tali argumento. *Pater est, & ideò eligitur super familiam Christi, vt tanquam dispensator det illis cibum in tempore* : volens postea explicare verba ista, sic ait (*Quid sanè importat cibum in tempore largiri, quàm colluctatione perdurante fideles gratijs prosequi, ac indulgentijs cumulare?* & paucis interiectis, sic infert (*Quoties ergo tempus durat, durabit, & largitio, subducta temporis restrictione, qua in diplomatibus legitur, sicut dicimus tempus in vniuersali institutione adiunctū, certæque rei mentionem, quādoque detractam censeri, ne corruat institutio, ne plus videatur posse testator, quàm lex: vt tractāt nostri ad L. quoties §. si duo de hæred. instituendis &c.*) Hæc Cutelli.

Non rectè dicitur Pontificē non posse ex rigore iustitiæ Bullam reuocare.

Ad impugnanda autem, quæ in verbis relatis asserit; exordium sumo ab eo, quod dicit, videlicet, (non posse durantibus his circumstantijs à Pontifice ex obligatione iustitiæ reuocari Cruciatam &c.) Libenter ab ipso authore addiscerem, de qua iustitia loquatur: nam cum iustitiæ species sint tres, nimirum Legalis, Distributiua, & Commutatiua, vt habemus ex *D. Thoma 2. 2. quæst. 58. a 6. 7.* & ex alijs scholasticis. Legalis autem non videatur habere locū in hac materia; quia ipsa vel non sumitur, vt specialis virtus, vt nonnulli dixerunt, censentes esse aggregatum omnium virtutum; vel vt vult communior Theologorum sententia, est specialis virtus, cuius proprium munus est dirigere ciues eiusdē communitatis, vt tanquam partes benè se habeant, in ordine ad vniuersitatem,

133 *Iacitur fundamentum ad impugnādam propositionem prædictam.*

tan-

tamquam ad totum, cuius sunt partes, & sub hac formalitate, seu speciali motiuo, bonum totius Ciuitatis erit obiectum formale ipsius iustitiæ legalis, vt fusiùs declarauimus in tractatu de iustitia; quicquid sit de reliquo, an participet rationem perfectæ iustitiæ, quod ibidē examinauimus. Concedere autem indulgentias ad fideles alliciendos; & ex eleemosynis subuenire Regi, nullo pacto est materia iustitiæ legalis. Neque valet, si dicas totum hoc fieri ob commune bonum Christianæ Reipublicæ: Non valet inquam; quia hoc pacto exercitium omnium virtutum esset materia propria iustitiæ legalis, quatenus dirigi posset ad bonum commune; atque adeò Charitas, Misericordia, Pietas, Religio, Temperantia, & aliæ forent species iustitiæ legalis; immò ipsamet Iustitia Distributiua, & Commutatiua essent iustitia legalis, si aliquis earum actus exerceat in ordine ad bonum commune, quod est apertè falsum: quoniam non sufficit ad hoc; vt aliqua virtus sit iustitia legalis, vt eius actus ex intentione operantis extrinsecè ordinetur ad bonum commune: sed oportet vt ipsamet virtus ex sua intrinseca ratione sit ordinata specialiter ad bonū communitatis: at subuenire fidelibus per indulgentias, & Regi per eleemosynas nō est actus proprius huius iustitiæ, sed Charitatis, Misericordiæ, &c. nō obstāte, quod extrinsecè ordinetur ad bonum commune; quemadmodum, in speculatiuis virtutibus nō satis est ordinare earum actum ad praxim ad hoc, vt virtutes ipsæ censeātur practicæ; aliter si quis speculetur in sciētia Physica, Metaphysica, aut Mathematica, & hoc faceret in ordine ad alios docendas, & ad lucrum reportandum; speculationes illæ, & facultates, à quibus immediatè procedunt, forent practicæ, quod nemo dixit: & hoc ob rationem assignatam, quia facultates istæ ex sua intrinseca natura non respiciunt praxim, sed solùm extrinsecè ex intentione speculantis ad opus diriguntur,

134 Maneat igitur ex dictis, concessionem hanc Cruciatæ non pertinere ad iustitiam legalem, & per consequens obligationem ad illam non reuocandam prouenire non posse ex iustitia legali.

135 Neque ad iustitiam Distributiuam id spectare potest; quia eius munus est dispēsare officia publica, & Beneficia Ecclesiastica; quemadmodum, & omnia alia Bona Communitatis in ciues eiusdem Communitatis iuxta meritorum proportionē & dignitatem.

136 Dices concedere indulgentias ex thesauro Ecclesiæ, est dispensare bona communia spiritualia in fideles, ergo erit actus iustitiæ distributiuæ.

Respondeo primò, distributionem hāc non fieri geometricè per ordinē ad quantitatem meritorum lucrantium indulgentias, sed per respectum ad caussam, qua mouetur Pontifex ad indulgentias concedendas: proindè fideles siue non habeant merita, siuè inæqualia habeant, æqualiter participare possunt fructum indulgentiarum; & ideò talis dispensatio non erit actus distributiuæ iustitiæ. 137 *Concedere indulgentias nō est actus iustitiæ distributiuæ.*

Respondeo secundò. Esto id admittamus, poterit dispensatio ista alijs modis fieri, & non in subsidium Regis V. G. poterit Pontifex, concedere indulgentias siuè alia priuilegia Cruciatæ, non sub onere eleemosynæ temporalis, sed tantùm spiritualis, videlicet sub onere ieiunij, orationis &c. & sic subsidium, quod Regi exhibetur, non erit actus huius iustitiæ: aliter omnis gratuita donatio, & largitio si fiat ad alicui subueniendum, dici posset actus iustitię distributiuę, quod est falsum; & per consequens, si qua est obligatio ad non suspendendam Cruciatam, nō erit ex obligatione iustitiæ distributiuæ. 138 *Priuilegia Cruciatæ possunt concedi absque onere eleemosynę tēporalis.*

Denique cum concessio ista Cruciatæ, & obligatio ad eam non abrogandam nō procedat ex iustitia commutatiua, quæ solùm versatur circa rerum permutationes, & disponit homines, vt inter se benè se habeant in ordine ad illas; & in casu nostro nulla sit permutatio, sed solùm gratuita concessio, vt supra ostendimus, sequitur vt innuebam *num.* 131. assertionem authoris de nulla specię iustitiæ verificari posse. 139 *Opinio Castelli de nulla specie iustitiæ verificatur.*

Dices primò, inueniri in hac concessione quamdam permutationem; quatenus ob merita, quæ habet Rex erga Ecclesiam Pontifex in remunerationem concedit illi Cruciatam; & sic concessio, & obligatio non reuocandi, erit ex iustitia commutatiua. 140

Contra est, quia licèt, Rex Catholicus sit benemerentissimus de Ecclesia; tamen non tenetur Pontifex ex obligatione iustitiæ commutatiuæ remunerationem facere ex eleemosynis Cruciatæ, cum possit remunerationem exhibere, concedendo ipsi Regi spirituales gratias. Neque inter ipsum Pontificem, & Regem aliquod intercessit pactum, quo mediante Rex obsequia præstanda in fauorem Ecclesiæ obtulerit, & Pontifex in recompensationem promiserit, concedere Cruciatam, vel aliud subsidium temporale. 141 *Non tenetur Pontifex remunerare merita Regis eleemosynis Cruciatæ.*

Dices secundò, obligationem hanc esse ex iustitia commutatiua; inquantum Pōtifex vi proprij officij tenetur resistere Hæreticis, eosque repellere; & ideò obligatur ad applicāda media proportionata 142

ad

ad hunc finem; & cum Rex Catholicus tale munus in se ipso assumpserit; tenebitur Pontifex illi subuenire, promouendo hoc opus, vel per Cruciatam, vel per aliud æquiualens.

143 *Obligatio applicandi media mensuratur ex obligatione finis.* Sed vrgeo contra; quia obligatio ad applicanda media, cum totaliter mensuretur, & quo ad pondus, & quoad qualitatem, ex obligatione acquirendi finem; proindè non poterit illa hanc excedere, vt de se est euidens; in subiecta autem materia finis est hæreticorum, aliorumq; infidelium expulsio. Videamus nunc, an Pontifex ex iustitia ad id teneatur; & sanè, si ex iustitia commutatiua ad talem expulsionem non obligabitur, neque ex eadem iustitia obligandus erit ad media: contra verò, si tenebitur ad primum, tenebitur etiam ad secundum.

144 *Pontifex nō tenetur ex iustitia commutatiua expellere infideles.* Cæterum nullum apparet fundamentum talis obligationis, quamuis demus, teneri Pontificem ex officio, & proprio munere infideles exterminare; dum cōtra Rempublicam Christianam aliquid moliuntur; neque id rectè colligitur ex obligatione proprij officij, ex qua, vt ego censeo, collegit forte Cutelli, putauitque vniuersaliter obligationem ex officio esse semper ex iustitia, quod tamen est apertè falsum; quia debitum ex officio procedens, non infert necessariò debitum ex iustitia; cum esse possit ex alia virtute, scilicet, ex Religione, Charitate, Pietate, Obedientia, &c, ex debito autem vt sic inferre debitum iustitiæ, est fallax argumentum; cum ex ratione vniuersali cōcludat affirmatiuè rationem particularem, ad eum plane modum, quo ex animali aliquis hominem, aut equum inferret; debitum enim ex officio est quid vniuersalius debito iustitiæ; atq; adeò ex illo, istud minimè infertur; quod varijs, & pluribus exemplis illustrare possumus. *Suadetur exēplis.* Sic V. G. Prælati, qui sunt Pastores Ecclesiæ, ex proprio munere tenentur dirigere proprios subditos ad honestè viuendum; attamen ad id non obligantur ex iustitia, sed ex charitate; & ideo si aliquis Prælatus, prauis exemplis inducat subditum ad peccandum, nempè, ad furādum, ad homicidium patrandum, &c. grauiter peccabit peccato scandali, & faciet contra debitum ex pastorali munere: tamen, ex hoc præcisè, non peccabit contra iustitiam, neque ad talia exempla praua vitanda tenebitur ex obligatione iustitiæ; & ideo non erit obligandus ad restitutionem damni illati; si solo exemplo induxit subditum ad peccata illa, aut similia committenda; & ita, loquentes de Episcopo, hanc sententiam expresiè docēt, *Salas de legi. disp. 14. sect. 2. nu. 17. Sanches in Decalog. lib. 1. cap. 6. nu. 5. Bonacina de restit. disp. 1. quæst. 3. p. 1 t. n. 16. quæs. 4.* Similiter Confessarius ex proprio officio obligatur, dirigere pœnitentem ad bonum spirituale; & tamen si id omittat, vel illum absoluat, quando non est rectè dispositus; & est in proxima occasione peccandi volūtaria; Confessarius peccabit grauiter, non contra iustitiam, sed solum contra charitatem; ex vi cuius obligatur ad prædictā directionem, posito eius munere: & sic in multis alijs exemplificare possumus. Quapropter, licèt concedamus, Pontificem obligari ad subsidium Cruciatæ, & ad illud non reuocandum, vt infidelibus resistat, eosque repellat: tamen ex hoc non sequitur, teneri ex obligatione iustitiæ. Et confirmatur; nam *Pius V. per suum Breue Romæ datum die 20. Nouembris anno 1563.* vt refert *Perez de Lara in compendio trium grattarum lib. 1. fol. 94.* reuocauit Cruciatā, non obstante, quod eo tempore erant, sicuti nunc, hæretici, & alij infideles, & in Hispania erant Morisci, qui contra Regē bellum moliebantur. Et non est præsumendum, quod Pontifex eximiæ sanctitatis reuocare voluisset Cruciatam, durātibus caussis, ex quibus ductus fuit ad illā concedendam, si id facere non potuisset. *Pius V. reuocauit Cruciatam.*

145 *Soluitur ratio à Cutelli adducta.* Ad rationem autem, quam pro sua sententia affert Cutelli, Respondeo esse omnino friuolam; concedimus enim, Pontificem esse Patrem, & in filios, nempe, in ipsos fideles, debere cibum distribuere in tempore, scilicet, pabulum doctrinæ, tempore congruo, & indulgentijs eos adiuuare: at tale debitum erit ex charitate, & non ex iustitia.

146 Sed quia ex discursu facto, videri possum debitum dumtaxat iustitiæ remouere à Pontifice, & admittere obligationem ex alia virtute, nimirum, ex Charitate, Religione, &c. ad non reuocandam Cruciatam: idcirco aio, in his circumstantijs, quæ in præsentia extant, talem obligationem in Pontifice nequaquā esse ponendā, vt in præcedente paragrapho ostēdimus.

147 Sed illud aliud, quod vltimo loco ex Cutelli adnotauimus circa temporis restrictionem, pro quo Cruciata conceditur, dico, eius opinionem esse omninò supprimendam; quoniam priuilegia ista Cruciatæ totaliter dependent à voluntate Sedis Apostolicæ, & ideò ea non consentiente, talium priuilegiorum vsus erit prorsus inualidus, & oppositum asserere, videri potest censura dignum; quis enim ex Catholicis sustinere audebit absq; licentia Pōtificis, posse eligere quemcumque Confessarium, & ab illo absolutionē recipere à reseruatis eidē Pontifici, posse cōmutationē votorū reseruatorū obtine- *Cruciata totaliter dependet à voluntate Sedis Apostolicæ.*

Franc. Bard. in Bull. Cruc.

O re,

re, comedere lacticinia, & carnes diebus prohibitis, indulgentias lucrari, & sic de alijs quāplurimis priuilegijs, quę in hoc diplomate leguntur: talis enim assertio derogat sūmæ Pōtificis potestati, quā Christus Dominus Petro, & Successoribus cōcessit, ad ligādos, & soluēdos fideles; imò in illis verbis, q̄ ponit Cutelli videtur ipse tacitè reprehendere Pontifices, qui existimantes Cruciatam, esse elargiendam pro tempore limitato, etiam durantibus caussis, pro quibus edita fuit, Cutelli ait, esse detrahendam talem restrictionem, & sic videtur sentire contrariū illi, quod iudicarunt Summi Pontifices.

148 *Paritas allata à Cutelli ex l. Quoties non valet.*

Venio nunc ad paritatem, quam ipse author adducit, ex *Leg. Quoties*, & dico non esse ad rem, imò potiùs cōtra ipsum; quia dum detrahitur mentio certæ rei, ne institutio corruat, & firma remaneat, talis detractio est iuxta legislatoris mentē, propter commune bonum, ita disponentis: at si detraheretur temporis restrictio, quæ in diplomate Cruciatæ apponitur à Pontifice, detractio directè esset contra eiusdem Pontificis mentē; & sic nulla est paritas. Et addo, in lege illa non fieri mētionē de tēpore aliquo adiecto in vniuersali institutione, vt patebit legenti textū.

149 *Respōsio, quæ ad dicta dari potest à Cutelli.*

Et si Cutellius respondeat, per has instantias non probari concessiones indulgentiarum, modo non seruato, esse iniustas, sed solùm esse irrationabiles, & interdum inualidas; quam instantiam obiecit mihi quidam recentior in defensionem Cutellij.

150 *Impugnatur responsio.*

Contra tamen est, quia responsio, & instantia ista nihil Cutellio suffragatur in ordine ad finem ab ipso intentum; ipse enim vult ostendere, Pontificem non malè se gerere, non seruando modum; proinde etiam si demus non peccare cōtra iustitiam propriè dictam, & per consequens concessiones illas non esse iniustas in hoc sensu, videlicet non esse oppositas iustitiæ speciali; tamen erunt illicitæ, & contra aliam virtutem, nempe, contra fidelitatem, quæ est species potentialis iustitiæ, quæ reperiri debet in legitimo administratore thesauri Ecclesiæ. Si verò Cutellius per iniustitiam intelligat actionem rectæ rationi dissentaneam, quæ est quædam iniustitia transcendens per omne peccatum, quatenus caret commensuratione ad propriam regulam, sicuti omnis actus virtutis propter commensurationem ad eamdem regulam iustitia quædam appellari consueuit; tunc falsum assereret, vt ostensum est ex communi Theologorū consensu, & repugnat Sacrorum Canonum doctrinæ; quamuis non damnem intentionem Authoris, quam rectam, & synceram existimo: tamen modus loquendi, vt iacet, videtur contrarius Sacris Canonibus, & Thelogis.

Ex his autem omnibus, quæ hactenus in hoc paragrapho dicta sunt, manifestè colligitur, in Summo Pastore Ecclesiæ, etiā permanentibus caussis, ob quas Cruciata emanauit, neque veram, neque vmbratilem esse iustitiæ obligationem, & Cutelli opinionem, quæ oppositum ingerit, esse omninò delendam. Neque Rex Catholicus intendit Pium V. adeo erga ipsū affectum, reuocando Cruciatam, contra iustitiam, aut aliam virtutem egisse: & si fortè existimaret, in his circumstantijs reuocari non posse; non intenderet, id esse ex obligatione iustitiæ, vt Cutelli astruere conatur. Sed excusandus videtur author iste alioquin Pius, & Doctus; quia non Iuristarum, sed Theologorum propria hæc est materia. 151

152 *In quibusdā circūstantijs Pōtifex obligabitur subsidium Regi præstare.*

Placet tamen pro Rege Catholico, totius Christianæ Reipublicæ benemerentissimo aduertere; quod quamuis per se loquendo Pontifex non sit obligandus rigorosa obligatione ad concedendā Cruciatam, vt illam non concedens lethaliter delinquat: tamen possent tales se offerre circumstātiæ, vt teneretur lege charitatis, vel Religionis subuenire Principibus Christianis, & præsertim Regi Catholico, vel concedendo Cruciatam, vt ex eleemosynis, quæ à fidelibus erogantur, vel alia via subsidiū præstaret Regi, ad resistendum contra infideles; sed non possumus determinare in particulari hanc obligationem; quia dependet ab occursu indiuidualium circumstantiarum.

§. III.

An Cruciata reuocatio modo explicato obliget Pontificem ad aliquam Regi compensationem faciendam?

De hoc puncto, sub his terminis, neminem vidi tractātem; nam licet *Suarez, Sanches, Castro Palaus, Merolla, & alij*, videantur aliquid de obligatione ista compensandi dixisse; nihilominus, vt euidenter patet textum consideranti, non loquuntur, nisi de reuocatione illorum priuilegiorum, quę alicuius rei dominium trāsferunt; & dicunt, probabile esse Principem, ex caussa legitima superueniente, reuocantem talia priuilegia, non teneri ad aliquid compensandum: nos verò loquimur de alio priuilegiorū genere, nimirū, de illis priuilegijs, quæ in facultatibus, & licētijs cōsistunt, & nullius rei dominiū in priuilegiatū transferunt; & quærimus, an si absq; caussa huiusmodi priuilegia suspendantur: Princeps, qui illa concessit, & 153

in

in casu nostro Põtifex teneatur Regi Hispaniarum aliquid compensare.

154 *Pontifex per se loquẽdo nõ est obligãdus ad compensationẽ etiã si absq; caussa Cruciatã suspendat.*

Dicendum est per se loquendo, Pontificem, qui Cruciatam concessit, & ante elapsum tempus sine caussa illam suspendit, non esse obligandum ad compensationem, Regi faciendam. Probatur, quia cum priuilegium Cruciatæ, vt ostensum est, sit omninò gratuitum, & non consistat in donatione aliqua, ac proinde sit veluti quædam delegatio, & dependeat à voluntate Pontificis, non præsumitur, Põtificem voluisse ex rigore iustitiæ se obligare ad compensationem in casu reuocationis: & à fortiori in hac sententia mihi expresse videtur esse *Pontius. §. 9. cit. n. 13. in fine*, distinguens enim ipse priuilegium gratuitum subdito concessum in illud, quod transfert dominium, & in illud, per quod conceditur facultas, &c. vt nos sectione præcedente distinximus, & ponens discrimen inter hæc duo priuilegia, quoad reuocationem: ait, primum non posse reuocari, nisi ex iusta caussa, & subdit hæc verba (*Licet si reuocetur non sit necessaria aliqua compensatio*) particula enim illa, *licet*, cum sit aduersatiua eorũ, quæ antea idem author dixerat, facit hũc sensum; quamuis priuilegium translatiuũ iuris nequeat sine caussa reuocari; tamen si reuocetur, non est necessaria aliqua compensatio: si autem negatur obligatio compensandi quando sine caussa reuocatur priuilegium, per quod in subditum gratuito transfertur aliquod ius, multo magis id erit negandum, dum reuocatur priuilegium, per quod non datur dominium, aut ius in aliqua re. Igitur in casu, de quo agimus, si Pontifex absq; vlla caussa abrogat priuilegium, quod est purum priuilegium, consistens in facultate, vt est priuilegium Cruciatæ Regi concesũ, ad nullam eidem Regi tenebitur compẽsationem.

Confirmatur ex Põtij doctrina.

155 *Instantia.* Dices. Pontifex dum sine caussa reuocat Cruciatam, aut simile priuilegium, aufert à priuilegiato ius quæsitum, ipso priuilegiato inuito; ergo tenebitur ex iustitia ad compensandum ius læsum.

156 *Diluitur.* Respondeo. Per priuilegium Cruciatæ, aut aliud simile non conceditur Regi, aut alteri priuilegiato aliquod ius, sed solùm licentia ad aliquod faciendum; proinde ex reuocatione nulla fit iniuria Regi contra iustitiam; & per consequens non tenebitur Pontifex aliquid compensare.

(I † S)

§. IV.

Quid iuris si Pontifex durante anno promulgationis Bullam suspendat?

IN præcedentibus loquuti sumus de potestate, quam habet Põtifex ad reuocandam Cruciatam ante sexennium concessum in gratiam Regis Catholici; nunc verò attendenda est reuocatio, si fiat intra annum promulgationis, postquam personæ particulares eleemosynã taxatam erogarunt, & ius aliquod acquisierunt ad gaudendum eiusdem Cruciatæ priuilegijs. 157

Dico igitur primo. Si intercedat caussa legitima concernens publicam vtilitatẽ, potest Papa validè, & licitè reuocare Cruciatã, etiam non transacto anno promulgationis. Conclusionem hanc deduco ex communi doctrina, secundum quã authores asserunt priuilegium, etiam per modum contractus onerosi esse à Principe reuocabile, si publica vtilitas, & moralis necessitas id expostulet, nimirum in illis casibus, in quibus Princeps potest subditum priuare iure acquisito. Ita *Suarez lib. 8. de leg. cap. 37. n. 9. Sanches lib. 8. de matrim. disp. 33. nu. 3. Merolla in Theol. moral. tom. 3. disp. 6. cap. 7. n.* 144. Igitur, licet Bulla Cruciatæ comparata cum personis particularibus, quæ eam sumpserunt, & eleemosynam erogarunt, sit veluti contractus onerosus: nihilominus vrgente necessitate, quæ respiciat bonum publicum, poterit Pontifex Cruciatam reuocare intra annum promulgationis. & ratio est manifesta, quia dum concurrit bonum publicum cũ priuato, & simul esse nequeunt: illud est omnino præponendum; sicuti enim pars est propter totum, ita bonum partis est propter bonum totius. 158

Dico secundo. In casu prædicto Pontifex non teneretur resarcire id, quod personæ particulares soluerũt pro sumptione Bullæ. Probatur, quia cum Cruciata sit priuilegium omnino gratuitum, nullo modo est præsumendum Papam voluisse se obligare ad recompensationẽ, quando existit caussa, ob quam ipse Pontifex debet Cruciatam ipsam reuocare. & ideo hanc sententiam, vt probabilem, tenet *Suarez l. c.* & alij authores, quos sectione præcedente attulimus loquentes de reuocatione priuilegij onerosi: nã sicuti à principio si talis caussa legitima extitisset, Pontifex priuilegium istud minimè concessisset, ita præsumitur, cũ illud concessit, habuisse intentionem, saltem tacitam, illud reuocandi, eadem legitima caussa occurrente. 159 *In casu prædicto non teneretur Pontifex compensationem facere.*

 Dico

160 *Eueniente casu reuocationis prædictæ Rex non est obligandus eleemosynas acceptas restituere.*

Dico tertio, Rex Catholicus in casu prædicto non esset obligandus ex iustitia restituere particularibus id, quod ab ipsis accepit pro Bullarum distributione. Probatur conclusio duplici ratione, primò quia reuocatio Bullæ non oriretur ex facto Regis, sed ex voluntate Pontificis, neq; in hoc sumentes Bullam dici possunt decepti à Rege, quia Bullam accipientes, & eleemosynam erogantes sciebant, vel scire tenebantur priuilegium istud esse à Pontifice reuocabile, & hoc esse imbibitum in ipsomet priuilegio gratuito, talis qualitatis qualis est Bulla; & quamuis quamplures Rustici, & personæ idiotæ id inuincibiliter ignorent: tamen ignorantia ista non prouenit à Rege, qui dat Bullam, eo modo, quo est, nempè, cum illis conditionibus, quas ex natura rei ipsa Bulla innotuit, neq; illam dando aliquid abscondit. Secundò quidquid sit de hac ratione, est enim aliavaldè efficax pro Rege; nam contractus iste innominatus Do, vt Des, non fit inter Regem, & personas particulares, quæ Bullam capiunt, sed inter personas singulares eleemosynam erogantes, & Pontificem, ex cuius voluntate eleemosyna accepta applicatur Regi: quapropter Rex cū nullum ineat contractum cum ijs, qui Bullam sumunt, nō tenebitur ad defendendum cōtractum, aut ad damnum aliquod resarciendum, si ex parte Pontificis contractus claudicabit. Conclusionem autem istam non solum tuemur casu, quo Rex consumpserit pecuniam ex eleemosynis acceptam, & ditior non sit factus, in quo res esset indubitata; quia non teneretur, neq; ratione rei acceptæ, cum supponatur consumpta, neque ratione iniustæ acceptionis, quia iustè, & licitè pecuniam recepit, neque ratione contractus, cum nullū ipse, vt dictum est, contractum cum personis particularibus celebrauerit; sed etiā cōclusionē tuemur casu, quo pecunia non sit cōsūpta, vel Rex sit locupletior effectus, si dominiū pecuniæ in ipsum transijt, ipse enim titulo iusto, nempè, donationis à Pontifice, qui poterat hanc pecuniam alienare, recepit eleemosynam; proindè, cum nulla remaneat hypotheca in ipsa pecunia, quæ legitimè translata fuit in dominium Regis, consequens est, vt Rex ad nihil ex iustitia teneatur.

Sumptio Bullæ non est cōtractus inter Regē, & capientes, sed inter ipsos, & Pontificem.

161 *Si Pontifex intra annum absq; sufficienti caussa reuocet Cruciatā, valida erit reuocatio.*

Dico quarto. Si nulla sit caussa legitima reuocandi Cruciatam, vel talis, quæ non sit sufficiens, & hoc non obstante, Pontifex pro suo libito illam suspendit, probabiliùs censeo validam esse reuocationem. Est contra quemdam recentiorem, putātem id inualidè fieri; ducitur ad hoc asserendum, quia cum post erogationem eleemosynæ concessio Cruciatæ transeat in contractum onerosum innominatum Do, vt Des, tenentur contrahentes ex iustitia contractum initum seruare, ita vt non remaneat amplius in potestate alterius partis resilire à pacto, & contractu iam perfecto; proindè illa tantum recedente, inualidus erit recessus.

Opinio Recētioris opposita.

162 *Impugnatur opinio illius Recentioris.*

Verumtamē opinio ista non placet; ob rationem assignandam pro nostra conclusione, quam in terminis defendit *Vincentius Riccius in additione ad Rodriquez §. 12. num. 5.* & quamuis apud alios authores explicitè meam sententiam non inuenā; quia de illa sub his terminis nō agunt; sicuti neq; pro opposita reperitur; nihilominus eā implicitè docent sub generali tractatu de potestate, quam habet Princeps ad reuocanda priuilegia Subditis concessa, vt mox ostendam; loquentes enim de priuilegijs gratuitis, quæ non consistunt in absoluta donatione transferente dominiū, sed in facultatibus, & licentijs; dicunt, posse à Pontifice suspendi sine caussa: authores sunt, quos laudauimus supra paragrapho primo. Et ratio est, quia Pontifex, dum per talia priuilegia eximit fideles à legibus Iuris communis, potest iterū illis imponere nouum præceptum, eosque iterum obligare, vel per formalem, & explicitam impositionem, vel per virtualem, & implicitam, qualis est reuocatio, vt benè notauit *Suarez* loco superiùs citato in primo paragrapho. Neque censendum est, Pontificem per similia priuilegia abdicare à se potestatem imponendi iterum noua præcepta obligantia Subditos circa eamdem materiam; & quamuis priuilegium continens concessionem indulgentiarum non includat exemptionem ab aliquo præcepto: nihilominus potestas applicandi indulgentias ipsas, cum totaliter dependeat à supremo Pastore, non volente potestatem à se abdicare, impossibile est, vt indulgentiæ effectū sortiantur absq; consensu Papæ illas applicantis; eius enim cōsensus est de substantia valoris: vt omnes concedunt; & licèt, hic, & nunc non applicādo, vel suspendendo applicationē malè faciat, tamen ex hoc non sequitur, indulgentias esse applicatas.

Pontifex eximens fideles à legibus Iuris communis potest iterum eos obligare.

163 *Satisfit rationi contrariæ sententiæ.*

Ad fundamentum autem contrariæ opinionis respondeo, quod quamuis post erogationem eleemosynæ concessio Bullæ transeat in contractum onerosum: tamen contractus iste imbibitam innoluit conditionem, scilicet, vt tamdiu valorem retineat, quamdiu manet influxus illius caussæ, à qua in fieri, & cōseruari depēdet, hoc est, quādiu manet voluntas Pontificis; & talem conditionem in ipso contractu intelligi inclusam non gratis asserimus; sed auctoritate prædictorum Doctorum,

qui

qui ita dicunt, & ex illa inabdicabilitate, vt ita loquar, ratione cuius Summus Pontifex à se remouere nequit supremam potestatem ad reuocandas gratias, & facultates ab ipso indultas. Et confirmatur à fortiori; si enim Princeps temporalis cōcedens alicui suam iurisdictionem, non intelligitur à se abdicare potestatem reuocandi concessionem, vt docet *Sanches loco superiùs allato, & quamplures alij*, multo magis id erit asserendum de Pontifice, concedente magna ex parte suam iurisdictionem spiritualem per priuilegia Cruciatæ.

164 Dico quinto. Si Pontifex, modo explicato, suspendat Bullam tenetur ex iustitia restituere particularibus pro rata temporis id, quod soluerunt pro sumptione ipsius Bullæ. Conclusio est certa, & id asserit apertè *Sanches*, vbi supra loquendo de dispensationibus, & ratio est manifesta; quia etiam si Pontifex validè contractum istum dissoluat, vt probauimus; nihilominus debet omnia in pristinum reducere, restituendo personis particularibus id, quod ex parte sua posuerunt pro firmitate, & continuitate huius contractus: aliter esset manifesta iniustitia, vt de se patet. Restitutio autē ista esset facienda iuxta modum, quo authores docent restitutionem fieri debere pluribus personis alicujus communitatis.

In casu posito Pontifex tenetur ex iustitia resarcire damnum personis particularibus.

PARS

PARS SECVNDA,

IN QVA FVSE EXPLANANTVR QVÆ AD VIVORVM BVLLAM ATTINENT.

EGimus in prima huius operis parte de ijs, quæ ad naturam, & huius Bullæ extensionem facere videbantur; nunc vero iuxta partitionem in prooemio à nobis positam inuestigabimus quæ pro fidelibus in hac vita degentibus per hoc Diploma indulgentur, vt sunt quamplura dona, & priuilegia sub leui onere concessa.

TRACTATVS I.

IN §. IX.

DE GRATIIS, ET DONIS IIS CONCESSIS, qui data stipe Bullam accipiunt.

IN præcedentibus paragraphis Pontifex sermonem habuit de illis, qui vel eunt, vel mittunt ad Bellum; in posterum verò loquitur de alijs, qui nec ad exercitum proficiscuntur, nec mittunt. Quæ autem talibus elargiatur in sequentibus sunt nobis exponenda, incipientibus à nono paragrapho.

CAPVT I.

De Eleemosyna eroganda ad huius Bullæ receptionem.

1 *Pontifex relinquit arbitrio Commissarij eleemosynã taxãdã.*

INitio huius noni paragraphi, antequam declarentur gratiæ concessæ, proponit Põtifex onus eleemosynæ, quæ est eroganda ad hoc, vt recipientes Bullam eius potiantur priuilegijs: at non determinat quantitatem ipsius eleemosynæ; quia illam taxandam relinquit Commissario, vt patet ex trigesimo primo, & vltimo paragrapho, & notat *Perez de Lara lib. 1. trium gratiarum agens de facultatibus concessis Commissario Generali fol. 61. vers. (Tiene el Commissario)* De hac autem eleemosyna quamplurima discutienda occurrunt, quæ in sequentibus sunt à nobis præstanda.

SEC-

SECTIO I.

An interueniat Simoniæ labes, dum pecunia contribuitur pro huius Bullæ receptione.

2 *Ratio dubitandi.*

DIfficultas oritur, ex eo, quod dare aliquod temporale pro re spirituali est simonia, contra ius diuinum; nam & si in definitione illa simoniæ, quod ex *Glos. cap. 11. Qui studet 1. quæstione. 1.* colligunt communiter Doctores, includi videatur emptio tantùm, & venditio, & dicatur, simonia esse studiosa voluntas emendi, vel vendendi pretio temporali aliquod spirituale, vel annexum spirituali: tamen sub nomine emptionis, & venditionis venit omnis contractus non gratuitus, siuè sit vera emptio, siue locatio, siue permutatio vt communiter aduertunt authores *Lessius lib. 2. de iust. cap. 35. dub. 1 num. 3. Filliuccius tract. 45. cap. 1 num. 3. & alij*, quapropter cum Bulla ista sit quid spirituale ratione facultatum, quas continet, & non detur gratis, sed cum onere, & pacto soluēdi certam pecuniarum summam; videtur tum in dante, tum in recipiente vera, & realis simonia reperiri; nequè recurri potest ad supremam Pontificis potestatem, quasi in hoc dispensantis; quia ista permutatio si ponatur esse simonia, erit contra ius diuinum, quia esset permutatio temporalis, vt est pecunia, cum re spirituali, vt sunt facultates per Bullam concessæ, proinde non potest Pontifex, in hoc dispensando, talem permutationem cohonestare; sicuti poterit licitam reddere permutationem rei spiritualis cum alia re spirituali, nempè, vnū beneficium cum alio; quæ quidem permutatio absque Pontificis interuentu foret Simonia de iure positiuo, & humano: supra quod Pōtifex plenam habet potestatem. Hæc autem est ratio dubitandi.

In definitione simoniæ sub nomine emptionis &c. venit omnis cōtractus non gratuitus.

Pontifex nequit dispensare in Simonia contra ius diuinum.

3 *In erogatione eleemosynæ pro capienda Cruciata nulla reperitur simonia.*

Sed dicēdum est, in hac permutatione, nempè, in erogatione pecuniæ pro Bulla recipienda, nullam prorsus esse Simoniā. Ita communiter Doctores; ex quibus de hac re in terminis loquuntur *Rodriquez in Bullam. §. 12. n. 14. Ludouicus a Cruce in expositione Cruciatæ disp. 1. cap. 8. dub. 10. n. 5. Aegidius Trullench. lib. 1. §. 3. dub. 1. nu. 8.* & loquentes de indulgentijs, quæ interdū conceduntur sub onere soluendi aliquam pecuniarum quantitatem in eleemosynā docet *S. Thom. in 4. dist. 20. quæst. 1. ar. 3. quæstiun. 3. S. Bonauent. ibidem. a. 2. quæst. 4. Corduba lib. 5. de indulg. quæst. 21. sequens Adrianum, quem ipse citat*. Probatur autē conclusio ea ratione, qua loco citato vtitur Angelicus Doctor, temporale, si secūdum se spectetur, licèt nequeat absque vitio Simoniæ permutari cum re spirituali; tamen temporale ordinatum ad finem spiritualem potest permutari, (& præsertim, ita Summo Pontifice disponente) cum re spirituali, & sic de facto Bulla Cruciatæ non conceditur, neque datur pro pecunia, vt sic considerata, sed pro pecunia, vt ordinata tamquam medium in finem spiritualem, videlicet in bonum Ecclesiæ; quatenus mediante pecunia ista subuenitur Regi Catholicō ad sacram expeditionem peragendam, per quam infideles reprimuntur, ne pacem Ecclesiæ perturbent, vt ibidem notat *S. Thom.* igitur in erogatione huius pecuniæ pro receptione Bullæ, nullà interuenit Simonia, neque contra ius diuinum; quoniam non permutatur merè temporale cum spirituali, sed tēporale, quod effectum est spirituale, ratione illius ordinis, quem habet ad finem, vt diximus; nam medium vt medium sortitur bonitatem, aut malitiam, per habitudinem ad finem, in quem primò, & per se ordinatur; neque est simonia contra ius Canonicum prohibēs commutationem alicuius spiritualis cum spirituali; quia Pontifex est supra tale ius, & & potest dispensando auferre ab actione ista malitiam simoniæ contra ius humanum.

Bulla conceditur pro pecunia ordinata in finem spiritualem.

Medium sortitur bonitatem, aut malitiam à fine.

Dicendum est secundo. Concessio Bullæ pro pecunia taxata, est actio honesta, & valdè pia; quia tota ordinatur in bonum Reipublicæ Christianæ, & ad vires inimicorum Sanctæ Fidei, reprimendas. Ita *Angles in summa de indul. diff. 5. Rodriquez hic §. 1. nu. 15. Sebastianus Acosta in Bullā quæstione. 11. Ludouicus à Cruce dub. cit. num. 9. & alij.* 4

Concessio Bullæ pro pecunia est actio honesta, & pia.

Ex his patet responsio ad difficultatem initio positam; concedimus enim permutationem rei temporalis pro spirituali, esse simoniam contra ius diuinum, sed negamus temporale ordinatum ad finem spiritualem, formaliter esse quid temporale; nam per respectum ad finem spiritualizatur, vt ita dicam, & hoc potest esse interdum valdè conueniens, & rectæ rationi consentaneum, quia nos cum vti debeamus temporalibus propter spiritualia, idcircò dum ipsa temporalia ordinamus ad spiritualia, eorū vsus erit rationi valdè conformis. 5

Satisfit rationi dubitandi initio positæ.

Vsus temporalium est ordinandus ad spiritualia.

SECTIO II.

De Eleemosyna quantitate à Commissario taxata.

6 Diximus Sectione præcedente, potestatem taxãdi, & præscribendi eleemosynam pro huius Bullæ receptione, communicatam fuisse à Pontifice ipsi Cõmissario: nunc verò declarare debemus quantitatem istam, quæ non est eadem pro omnibus.

7 *Declaratur quãtitas eleemosynæ.* Dico igitur. Eleemosyna eroganda in Regnis Hispaniarum, & in reliquis, quæ in Europa existunt, fuit à Cõmissario, pro quibusdam personarum generibus, taxata vsq; ad octo realia, quæ nostræ monetæ in Siciliæ Regno sunt decẽ tareni, & grana decem: octo autem realibus argenteis Castellanis ex nostra moneta respondet summa illa, quam posuimus. Personæ verò, quibus quantitas ista præscribitur, sunt Cardinales, Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, qui habent iurisdictionem Episcopalem, Inquisitores contra hæreticam prauitatem, & omnes dignitates Ecclesiæ Cathedralis, & ex Laicis, omnes, qui sub se Vassallos habent; & etiam horum omnium Sæcularium Vxores. *Octo Realia præscribuntur pro quibusdã Dignitatibus spiritualibus & temporalibus.* Adduntur quoque alij, qui habent dignitatem, aut officium aliquod sæculare; hi autem nominantur in Instructione Commissarij Generalis, quæ intitulatur, *forma seruanda in administratione huius Bullæ, &c.* & refertur *à Perez de Lara in eo libro trium gratiarum num.* 10. *fol.* 220. *Pro reliquis fidelibus taxantur duo Realia.* Pro cæteris verò personis, quantitas taxata est duorum realium, quæ in hoc Regno sunt duo Tareni, & Grana duodecim cum dimidio, vt declaratur *in summario Italico in fine Bullæ ante formam absolutionis* his verbis (*E perche voi hauete dato due reali d'argento, che è la limosina, che habbiamo taxata, è dichiarata, &c.* & aduerte, quod in Summario pro prædictis personis dignificatis ponitur illa maior quantitas eleemosynæ, vt supra.

8 *In Indijs, & Hispanijs est taxata maior summa.* Est etiam alia taxa, & maior pro Indijs & Hispanijs, quæ mensuratur, iuxta conditionem personarum, vt supra, & refertur ab eodem *Perez in forma instructionis pro Indijs fol.* 253. *num.* 9. *ibi* (*Ordinamos y mandamos, y declaramos, que todos los Españoles &c.* & apud eumdem *de Lara, & apud Trullench in Bullam li.* 1. *§.* 3. *dub.* 2. *nu.* 3. legi potest.

9 *Dubitatio circa exiguam quantitatem eleemosynæ.* Quæres, an exigua ista quantitas eleemosynæ, quæ datur, censenda sit proportionata pro consecutione plenissimæ indulgentiæ, quæ lucrifit per hanc Bullam; videtur enim adeò parua, vt censeri debeat valdè improportionata pro acquisitione tam ampli priuilegij, quod si ita est: absque dubio sumentes Bullam, non poterunt indulgentiam lucrari; quia, vt asseruut Theologi, & Canonistæ, ad consequutionem indulgentiarum, necessariò exigitur caussa non solum pia, sed etiam proportionata cum ipsa indulgẽtia ita, vt quantò amplior est indulgentia, eò maior requiratur caussa: & colligitur *ex extrauag. Vnigenit. de pœnit. & remis. & ex cap. Tũ ex eo: eod. tit. vide Rodriquez §.* 1. *dubit.* 1. *in* 2. *loco.*

Respondeo ex eodem authore, in concessione huius indulti non attendi paruã illam quantitatem pecuniæ, quam sumens Bullam elargitur; sed magna, & ingens illa quãtitas, quæ resultat ex omnibus erogantibus hanc eleemosynam, & attenditur etiam finis, ob quem summa ista pecuniarum applicatur, nempè, bonum Ecclesiæ, quod habetur per subsidium Regi Catholico contra Infideles collatum, & ideò benè respondet *Ludouicus à Cruce dubio illo* 10. *in tertia conclusione* ex varijs authoribus, qui aiunt non esse considerãdam eleemosynam illam paruam, quam priuatim vnusquisque recipiens Bullam soluit, & præsertim respectu dinitum; quę, licèt secundum se spectata, non videatur sufficiens pro tot indulgentiarum concessione; attamen considerata, pro vt dicit ordinem ad totam massam, quæ ex singulorum contributionibus colligitur, non erit existimandum esse quid minimum, & ad hoc ipsum confirmandum valdè accomodatum exemplum adducitur *ab Angles*, inquit enim, quod si Rex Catholicus offerat Summo Pontifici ducentos mille aureos in subsidium contra Infideles, erit caussa rationabilis, & proportionata, vt Pontifex Cruciatam eidem Regi concedat, sic erit etiam caussa pia, & proportionata oblatio illius maioris summæ, quæ ex singularibus contributionibus extrahitur. 10 *In concessione Cruciatæ attẽditur tota quantitas resultans ex exiguis eleemosynis. Spectatur etiã finis, in quem eleemosyna dirigitur.*

Quæres secundo. An fructum indulgentiæ æqualiter singuli contribuentes assequantur? 11 *An fructum indulgẽtiæ æqualiter acquitatur.*

Respõdeo, videri inæqualem; quia vnus potest cum maiori deuotione, & charitate, quàm alius adimplere opus iniunctum ad acquirendam indulgentiam; & sic fructus respondens erit inæqualis. Ita sentit *S. Bonau. in* 4. *d.* 20. *quæstione vlt. Adrianus etiam in* 4. *de indulg. Layman in summa lib.* 5. *tra.* 7. *cap.* 5. *nu.* 2. *Aegid. Con. de sacr. d.* 6. *n.* 34. Sed oppositum est omnino amplectendum, videlicet, æqualiter ab omnibus lucrifieri indulgentiam. Sic *Suarez tom.* 4. *in* 3. *p. disp.* 52. *Sect.* 8. *nu.* 3. *Filliucius tr.* 8. *cap.* 6. *nu.* 164. *Bossius de Iubileo Sec.* 4. *cas.* 21. *§.* 1. *nu.* 38. *Nuñus in adit. ad* 3. *p. quæst.* 24. 12 *Aliqui putãt esse inæqualem. Opinio Authoris est æqualiter lucrifieri.*

a 3.

ar.3 dub.6. Barth. à S. Fausto lib.3. de indulg. quæst. 66. Bezonius de Iubil. lib. 5. cap. 15. dub.1. & alij. Probatur quia fructus indulgentiæ; aliorumque priuilegiorum primò, & per se respicit opus iniunctum, vt sic, tamquam conditionem, & præscindit à modo, quo ponitur, idest cum tanta, vel tanta deuotione, & charitate; & ideò excessus deuotionis, & charitatis pertinet ad meritum ex opere operantis, & per accidens se habet ad consequutionem indulgentiæ, & aliorum priuilegiorum huius Bullæ; nam indulgentiæ fructus est ex opere operato.

13 *Sacramenta perfectiorem causant gratiam ex opere operato in meliùs disposito, licet aliquid negent.* Neque vrgeas in contrarium, desumendo paritatem ex Sacramentis, quæ licèt ex opere operato conferant gratiam: tamen si quis perfectiùs, quàm alius se disponat, maiorem etiam ex opere operato recipiet gratiam, igitur licet indulgentia ex opere operato lucrifiat: nihilominus per ipsam perfectiorem consequitur fructum, si quis meliùs ad illam se disponat.

14 Ne dicas hoc, quia aliqui sunt, qui negant ex maiori dispositione, maiorem cõsequi gratiam vi Sacramentorum ex opere operato. Secũdo quamuis demus tamquam quid longè probabilius, vt diximus in tractatu de Sacramentis, Sacramenta nouæ legis etiam ex opere operato perfectiùs influere, producendo maiorem gratiam: attamen hoc dicere non possumus in casu nostro de acquisitione indulgentiæ, & aliarum gratiarum, quæ per hãc Bullam cõceduntur, & disparitas est, quia ex *Trident. Sess.6. cap.5. de iustificatione*; vbi est sermo de Baptismo adultorum, expresse habemus gratiam vi Sacramenti infundi iuxta vniuscuiusque dispositionẽ, idem colligimus euenire in receptione aliorum Sacramentorum: sed in consecutione indulgentiæ nullibi hoc habetur, & solùm præscribitur, vt conditio, tale, vel tale opus; & ideò si ad lucrandam plenariam indulgentiam imponatur visitatio alicuius Ecclesiæ; in ordine ad fructum indulgentiæ, æqualiter se habet ille, qui è loco distanti accessit ad Ecclesiam visitandam, & ille, qui domicilium habet propè eamdem Ecclesiam: nam hæc omnia sunt extra clausulam, seu concessionem indulgentiæ, & ratione maioris laboris nihil ex opere operato fuit promissum, cum solũ visitatio fuerit iniuncta, quæ secundum se æqualem habet comparabilitatem ad ipsos visitantes; si sint in gratia, & amicitia Dei.

Non est eadẽ paritas de indulgentia.

Assignatur ratio discriminis.

SECTIO III.

An ex pecuniis furto sublatis validè sumatur Bulla.

CAsus sic formatur. Sortes surripuit à Caio aliquam pecuniarum summã, & ex hac pecunia soluens eleemosynam taxatã, Bullam accipit: quæritur nunc, an Sortes frui valeat priuilegijs huius Bullæ? 15 *Formatur casus.*

16 *Authores partem negatiuam tuētes.* Partem negatiuam sustinent communiter Doctores, scilicet, Bullam acceptam pecunijs furto sublatis, non prodesse accipienti. Ita *Ludouicus in expositione eiusdem Bullæ disp. 1. cap. 1. dub. 7. nu. 2.* & pro hac opinione citat *Nuñum in 3. p. Tom 2. tract. de Bulla*, sed non rectè, quia author iste nullum verbum habet circa hoc pũctum, vt patet legenti tractatum illum. In eadem sententia est *Acosta in Bullam quæst. 12. ver. (Si autem quæras) Vega in Sum. ver. Bulla cas. 6. Aegidius Trull. lib. 1. §. 3. dub. 1. nu. 9. Riccius in addit. ad §. 7. n. 3. Pater Diana par. 1. tract. 11. Resol. 191. & alii*, qui varijs argumentis hanc opinionem conantur suadere, vt videbimus.

17 *Præmittitur distinctio ad decidendum casum.* Verũ antequã decidamus quæsitum, ad tollendã omnem æquiuocationem, ac difficultatem, placet quamdam præmittere distinctionem. Aio igitur, bifariam posse quæsitum exagitari. Primo supponendo, quod Sortes fur præter pecuniam illam sublatam à Caio habeat aliam, proinde soluens eleemosynam pro huius Bullæ acceptione non reddatur impotens ad restitutionem Caio faciendam. Secundo si ponamus apud Sortem furantem nullam aliam inueniri pecuniam, sub eius dominio, neque præ manibus posse illam ab alio habere. His præmissis, deueniens ad decisionem quæsiti.

18 *Cõclusio quoad primum membrum distinctionis.* Dico primo. Si casus priori modo cõtingat, puto Sortem frui posse priuilegijs Cruciatæ, eamq; vtiliter accipere, & eleemosynam taxatam solui ex bonis à Deo ipsi Sorti collatis, vt in ipsamet Bulla initio clausulæ nonæ præscribitur; si tamen habeat intentionẽ restituendi, nihil. n. videtur deesse ex capite isto ad vtiliter capiendam Bullam, & ad eius priuilegia obtinenda. Consequentia euidens est, quia in ipso diplomate nihil aliud, quoad hoc punctum exigitur. Tota autem difficultas in antecedente consistit, cuius veritatem sic ostendo. Pecunia illa, quæ in eleemosynam fuit erogata, licet materialiter loquendo, sit ex furto, & hoc pacto nequeat esse ex bonis Sortis, neq; sub eius dominio: formaliter tamen, seu vt meliùs dicam, æquiualẽter, dicitur esse sub dominio ipsius Sortis, & ex eius bonis. Ratio fundamentalis est, quia pecunia cum sit de illo

bonorum genere, quæ in ordine ad restitutionem non sunt in indiuiduo determinata, sed solùm in specie, vt triticum, oleũ, vinum, perinde est, restituere eamdem numero pecuniam, vel diuersam eiusdem tamẽ valoris; & sic æquiualenter perinde etiam esset soluere eleemosynã pro Bulla accipienda, siue ex pecunijs furto sublatis, siue ex alijs einsdem metalli, quas Sortes sub suo dominio retinet. & multò magis id esset asserendum, si Sortes pecuniam surreptam cum sua permiscuisset ita, vt vna ab alia discerni nequiret; ex tali enim admixtione Cains amitteret dominium suæ pecuniæ, illudque acquireret Sortes: licet totus ille cumulus ex vtraque pecunia obnoxius restitutioni maneret.

19 *Ponitur conclusio circa secundũ distinctionis membrum.* Dico secũdò. Si casus posteriori modo eueniat, tunc verissima erit supradictorũ opinio, nempè inutiliter Bullam sumi à Sorte. Probatur primò, & efficaciter ex verbis ipsius diplomatis; nam expressè dicitur id, quod liberaliter datur in subsidium sacræ expeditionis ab ijs, qui nec eunt, nec alios mittunt ad exercitum, debere esse ex bonis à Deo collatis; at pecunia furtiua respectu furantis non dicitur esse ex bonis à Deo ipsi furi collatis; proinde Bulla his pecunijs capta, erit inutilis ipsi furi. Probat etiam hanc opinionẽ *Ludouicus ex l. 1. ff. de furtis*, sed infructuosè, cum ex illa lege nihil habeatur, quod faciat ad rem hanc, & miror *Ludouicum* asserentem id apertissimè colligi: meliùs autem aliquid deducitur pro nobis *ex cap. Non est putanda 1. quæst. 1.* vbi dicitur, quod malè accipiens, vt bene dispenset, grauatur potiùs, quam iuuatur: & hoc ipsum confirmatur *ex Glos. in cap. Ex transmissa ver. Alij dicunt. de Decimis.*

20 Sed dices. Si ponamus à Sorte pecuniã, quę erat sub dominio Caij accipi per modum mutui, cum intentione illam postea restituendi, verificabitur quod ipse Sortes Bullam sumat ex bonis à Deo sibi collatis; quia per tale mutuum pecunia illa, quæ priùs erat sub dominio Caij, trãsijt in dominiũ ipsius Sortis. Hanc instantiam mihi fecit quidam Theologus. Respondeo, mutuum cum sit quædam species cõtractus, necessè est, vt inuoluat essentialia, quæ cõueniunt contractui genericè accepto, at contractus, vt patet ex eius definitione communiter recepta, Est vltrò citròque obligatio; proinde essentialiter includere debet consensum vtriusq; contrahentis; sed in casu dato, cum nullus sit consensus, neque explicitus, neq; implicitus ex parte Cai: illa oblatio pecuniæ non poterit habere rationem mutui, neq; alterius cõtractus: & sic pecunia illa semper manebit sub dominio Caij; atq; adeo, non verificabitur, Bullam sumi à Sorte ex bonis à Deo sibi collatis. Sed si fingamus casum talem, in quo Sortes prudẽter præsumat Caium fore, vt consentiat in acceptione illius pecuniæ: tunc poterit Sortes, posita tali præsumptione, vtiliter Bullam sumere pecuniam acceptam erogando; quia ratione præsumpti consensus, pecunia ipsa transiret in dominium Sortis, & per cõsequens verè ex bonis à Deo sibi collatis Bullam acciperet: præscindendo autem à tali præsumptione, seu ratihabitione non poterit Sortes Bullam vtiliter sumere soluendo eleemosynam pecnnijs Caij. Et hæc breuiter dicta sint respondendo ad Theologum prædictum.

Dico tertio. In casu iuxta illum secũdum modum. Caius illius pecuniæ Dominus poterit vtẽs iure suo, capere à Sorte etiam renuente Bullam illam suis pecunijs receptam, eiusdemque priuilegijs frui. Sic *Ludouicus à Cruce eadem dubit. in 2. Corollario, & Trullench. loco citato*, qui docent, & bene, quod si Cains Dominus ratam habet acceptionem Bullæ, tunc Bulla fieret ipsi surripienti: hoc antem est intelligendum quando consensus iste innotesceret furi, & acceptaret, quod sibi à Domino pecuniæ donatur, seu remittitur; nam si Dominus habeat voluntatem illam, & eam furi non manifestet; poterit pœnitere, & sumere Bullam illam tamquam suam; & hoc suadetur ex natura donationis, quæ vt firmitatem habeat, debet acceptari à Donatario: ratam autem haberi à Domino illius pecuniæ Bullæ huius acceptionem, est quædam donatio; atque adeò non erit firma, anteqnam fur illam accepiet. 21 *Dominus pecuniæ poterit occultisũ capere Bullã à Fure emptã*

Dico quarto. Si Sortes, qui pecuniam surripuit intra annum promnlgationis Bullæ, restituat Caio pecuniam ablatam; à momento restitutionis incipit esse dominus illius Bullæ, eiusdemque priuilegijs frui. Sic *Ludouicus Corol. 3.* Et ratio est quia ab illo puncto verificatur ex proprijs bonis contribuisse ad Bullam capiẽdam; quam conclusionem intelligo etiam si Sortes tempore, quo pecuniam surripuit, aliam non habnerit. 22 *Fur restituit pecuniã sublatã fruitur Bulla.*

Dico quinto. Si in Bulla non apponeretur clausula illa, nempè, vt eleemosyna fieret ex bonis à Deo collatis: tunc si quis duos argenteos furaretur ad Bullam capiendam, sanè eius priuilegijs gauderet; sic *Ludouicus dubio citato num. 7. ver. Hinc deducitur.* imò addit, & rectè, neq; hũc talẽ mortaliter peccaturũ, quia iuxta probabiliorẽ opinionẽ furtũ duorũ argẽteorũ non erit, p se loquẽdo, graue delictũ contra iustitiam. Sed contra hanc conclusionem objicies textum illum canonicnm supe- 23

rius

Obiectio. riùs adductum, scilicet, ex *cap. Non est putanda*, dum dicitur *Male accipiens, vt bene dispenset potiùs grauari, quam iuuari*, &c. igitur etiam si Pontifex in hac Bulla clausulam illam non apposuisset adhuc fur nō gauderet Bullæ priuilegijs; quia vt sic nō grauaretur, sed iuuaretur contra id, quod asserit textus ille.

24 *Diluitur.* Respondeo, textum illum à nobis allatum fuisse, non ad efficaciter probandam conclusionem, sed solum ad ostendendā congruentiam, ratione cuius à Pontifice apposita fuit clausula prædicta, ne quis ex suo delicto commodum reportet; non enim sunt facienda mala, in finē bonum; nam intentio Pontificis per illa verba, est nobis significare, non esse existimandam eleemosynā, si fiat ex pecunijs simoniacè acceptis, & restitutioni obnoxijs; quia potiùs Simoniacus distrahens pecuniam grauabitur, quam iuuabitur. In casu autem nostro dico, quod si quis pecunijs furtiuis Bullam accipiat peccando, grauatur: tamen ex hoc non sequitur nullo modo adiuuari, si Pontifex conditionē illā omisisset; ea tamē posita, verificabitur dictum illius textus, scilicet furem potiùs grauari, quam iuuari, quia furando peccat, & accipiendo Bullam non iuuabitur, quoniam infructuosè eam sumit, vt diximus.

SECTIO IV.

An Bulla validè sumatur ex pecunijs turpi lucro acquisitis.

25 *Quæsitum exemplificatum in Meretricibus militat etiam in alijs habentibus pecuniam ex turpi quæstu.* SOlet exagitari quæsitum in Meretricibus, sed etiam locum habere videtur in alijs, nempe, in vsurarijs, & omnibus, qui aliam pecuniam non habent, nisi eā, quæ illicito quæstu ab ipsis fuit obtenta: quærimus igitur, an hi tales valeant priuilegijs Cruciatæ gaudere, si ex his pecunijs male acquisitis, eleemosynā contribuant.

26 *Ratio à parte negatiua.* Videtur negatiuè concludendum; nam in *Deuteron. cap. 23.* sic dicitur, *Non offeres mercedē prostibuli in domo Domini Dei tui, &c.* Igitur non potest ex lucro ob meretricium acquisito dare eleemosynam pro accipienda Bulla. Præterea pecunia ista non dicitur esse ex bonis à Deo collatis, vt Pontifex statuit, & nos supra asseruimus; nā pecunia ex prostibulo, aut ex alio delicto acquisita, non est à Deo data; igitur non potest Bulla validè, & vtiliter sumi mediante tali pecunia.

27 *Pars affirmatiua recipitur.* Sed dicendum primo. Oppositum est omninò admittendum, cum communi Doctorum sententia, scilicet, Bullam ex talibus pecunijs vtiliter sumi: Ita sentit *Glossa in cap. Ex transmissa. vers. Et sic meretrix de Decimis, Rodriquez in addit. ad §. n. 10. Riccius in addit. ad §. 7. n. 2. Vega in Sum. ver. Bulla cas. 6. Sebastianus Acosta in Bullam quest. 12. vers. Secus dicendum. Ludouicus à Cruce disp. 1. cap. 1. dub. 7. num. 4. Trullench. lib. 1. §. 3. dub. 1. n. 10.* Et ratio est manifesta, quia cum Meretrix dominium acquirat in his pecunijs, vt dicitur in *l. Item si ob stupr. ff. de Condit. ob turp. caus.* & communiter id defendant authores, nihil prohibet quin possit validè, & fructuosè his pecunijs Bullā accipere; & idem est asserendum de Bulla sumpta ex pecunijs habitis per quodcumque aliud delictum, dummodo dominium harum pecuniarum transeat in delinquentem; sed veritas huius conclusionis certiùs habebitur infra, soluendo argumenta cōtraria, & præsertim illud, quod desumptum est ex verbis ipsius Bullæ. *Meretrix dominiū habet in pecunijs ex meretricio acceptis*

Dicendum est secundo. De Vsurarijs dubitatio, proinde distinctione opus esse; si enim vsurarius non habeat alia bona, præter fœneratitia, tunc ex his bonis inualidè sumit Bullam; eadē enim est ratio de ipso, ac de fure, de quo supra egimus; nam per actionem vsurariam, vt sic non transfertur dominium in ipsum vsurarium: si verò habeat alia bona, validè eam sumit; quia tunc ex proprijs bonis eleemosynam cōtribuit; siue bona ista sint aliūde acquisita, siue ex pecunijs vsurarijs negotiationi expositis, quoniam sicuti lucrum ex pecunia furtiua acquisitū fit ipsi furi; sic etiam lucrum ex pecunijs vsurarijs acquiritur ipsi vsurario, vt latè dicitur in tractatu de contractibus. 28 *In pecunijs ex vsurā acquisitis opus est distinctione.* *Paritas inter Vsurarium, & Furem.*

Ad primum argumentū in contrarium ex *Deuteron.* respondet *Sotus lib. 9. de iust. q. 3. a. 5.* in lege veteri mercedem prostibuli offerri prohibitam fuisse per ius positiuū, quod cessauit in lege noua; & ideo licet Meretrix, & alij, qui ex turpi quæstu pecuniam lucrifaciunt, peccent ratione delicti, quod committunt: tamen iustè acquirunt illarum pecuniarum dominiū; imò de illo acquirēdo datur actio in foro externo; proinde peccatum illud antecedens non impedit, quin similes personæ vtiliter capiant Bullam; & ista solutio mihi placet, ideoque illam admitto. 29 *Soluitur primum argumentum.*

Ad secundum, aio, eleemosynam, quā Meretrices, & similes erogant, esse ex bonis à Deo collatis; nam licet Deo displiceat peccatum: tamen non displicet acquisitio talis pecuniæ, quæ est pretium rei vendibilis, eo modo, quo explicant Doctores in materia de iustitia, ad quos me remitto. 30 *Diluitur secundum.*

SECTIO V.

Expenduntur nonnulla dubia circa eleemosynam contribuendam à Dominis Vassallorum, & ab eorũ Vxoribus.

31 DIximus supra, eleemosynam soluendam à Dominis, qui vassallos habent esse octo argenteos, & pariter diximus in eadem quantitate erogandam esse ab eorum vxoribus, & hoc declaratum esse à *Commissario Generali*, vt supra adnotauimus sectione secunda: nunc occurrunt aliquæ difficultates, quæ omninò sũt enodandæ per subsequentia quæsita.

32 *Quæsitum.* Quæres primo. An duo habentes dominium eiusdem Castri ita, vt vna pars sit vnius; altera verò sit alterius, vel indiuisum simul idem Castrum possideant, debeant singuli eleemosynam octo argẽteorum erogare pro Bulla capienda?

33 *Si plures habeant idem Castrum non tenentur simul soluere, nisi octo argenteos.* Respondeo, omnes simul teneri soluere octo argenteos, dummodo vnusquisque separatim non contribuat pro sua parte minùs duobus argenteis: sic decidit hunc casum *Aegidius Trullench dub. illo 1.n.13.* & rationem assignat quare non teneantur singuli dare octo argenteos; inquit enim, ideo esse, quia nullus seorsim ab alio est absolutus Dominus, cum tantum sit Dominus pro parte, vel non absolutè, sed cũ relatione ad aliũ, quapropter nullus ex ipsis venit sub appellatione Domini. *Refertur ratio Trullench.* *Adducitur alia firmior.* Addo ego aliam rationem, meo iudicio, firmiorem, nam cum ex toto integro dominio non debeantur, nisi tantũ octo argentei, vt de se patet; quia si vnus esset Dominus, pro toto illo dominio, non deberet soluere nisi octo; ideo singuli, si deberent octo erogare ratione vniuscuiusque dominij, deberent sexdecim soluere, quod non videtur asserendum. igitur conueniens est, vt octo argentei, qui debentur, diuidantur pro rata inter vtrumque dominũ. Dixi (Pro rata;) quia si ex his duobus plus vnus, quàm alius ex Castro illo habet emolumentum, consentaneum vt plus soluat pro rata: *Pro rata facienda est solutio.* hac tamen conditione, vt ille, qui minorem eleemosynam erogare debet, non contribuat minus duobus argenteis; quoniam quantitas ista est minima pro huius Bullæ acceptione.

34 *Quæsitum de Viduis dominis Vassallorum.* Quæres secundo. An Vxores relictæ à Dominis vassallorum teneantur pro Bullæ receptione soluere octo argenteos?

35 *Non tenẽtur soluere, nisi duos argẽteos* Respondeo negatiuè, quia *Commissarius Generalis in instructione circa formam administrationis Bullæ* expresse ait, vxores relictas à Dominis Vassallorum teneri viuentibus viris, soluere dictã sũmã; his verbis; (*Y las mugeres de los seglares de todos los estados ya dichos viuiendo sus maridos ayan de dar, y den de limosna cada vna de las dichas personas ocho reales de plata castellanos por cada Bulla de viuos de Cruzada, que tomaren para si*) ita asserit in prædicta *instructione* relata à *Perez de Lara lib. 1. trium gratiarum fol. 220 n. 10.*

36 *Quid si viduæ prædictæ remaneãt vsufructuariæ.* Quæres tertio. An prædictæ viduæ si maneant vsufructuariæ, teneantur hanc maiorem eleemosynam erogare?

37 *Tenentur soluere octo argenteos.* Respondeo teneri. Ita *Trullench dub. cit. n. 12.* & ratio est manifesta; quia tunc habent illam qualitatem, quæ iuxta taxationem factam à Commissario, est obnoxia huic maiori eleemosynæ.

38 *Quid si administratio sit apud Maritum.* Quæres quarto. Si mulier ratione suæ dotis sit Domina Vassallorum, & matrimonium contrahat, quo contracto, administratio suorum bonorum tota sit penes maritum, an in tali casu teneatur pro Bulla contribuere octo argenteos? Respondeo, esse duas sententias, quarum prima est negatiua, eamque sustinet *Henriquez lib. 7. cap. 20. n. 3. in comment. lit. Z.* *Negat Henriquez.* Secundam verò opinionem, vt veriorem defendit *Trullench n. 14.* & mihi videtur certa; *Affirmatiuè est respondendum.* quia etiam si bona illa, quorum administrationem habet Maritus, nõ essent ex dote ipsius mulieris, sed aliunde marito prouenirẽt, teneretur Maritus soluere octo argenteos, & hoc sufficeret, vt ipsa mulier teneretur etiam ad totidem soluendos; quia satis est esse vxorem illius, qui contribuere debet octo argenteos, quoniam *Commissarius in prædicta instructione* ait vxores eorum, qui soluunt octo, teneri etiam ad eandem summam soluẽdam.

39 *An Mulieres istæ in specie teneãtur octo soluere.* Quæres quinto. An Mulieres, quæ titulum, & Vassallos habent, vt Comitissæ, Marchionissæ, &c. si matrimonio nõ sunt coniunctæ, teneantur sumentes Bullam, octo reales soluere.

40 *Ratio pro parte negatiua.* Respondeo, videri partem negatiuam esse concludendam; quia *in instructione Commissarij* personæ, quæ ad hanc maiorem summam obligãtur, semper sub masculino genere designantur, & quando de fœminis est sermo, restringitur obligatio ad illas, quæ sunt vxores, & ad summum, iuxta relationem *Emanuelis Rodriquez vt supra*, extenditur ad viduas relictas à supradictis viris: igitur quæ neque sunt, neque vnquam matrimonio cõiunctæ fuerunt, non videntur comprehensæ in hac dispositione, quo ad maiorem istam eleemosynam.

41 *Pars affirmans admittitur. Qualitas in hac dispositione, & non sexus attenditur.* Sed censeo oppositum esse asserendum; quia in hac dispositione qualitas, & non sexus attenditur, & sub masculino fœmininum continetur, vt expressè statutum est

est *l. qui duos ff. de legat. 3. & l. inter stuprum ff. de verb. signif.* & probat *Barbosa de appellat. verb. appel. 49. nu. 49.* hoc autem intelligendum est quando non apponitur nomẽ significans solum masculos, vt si dicatur viris, aut masculis concedimus hanc gratiam, mandamus hoc &c.

42 *Sub masculino cõtinetur fœmininum etiam in lege odiosa.*

Neque dicas. Sub masculino cõprehẽditur fœmeninum, quãdo dispositio est fauorabilis, non autem cum est odiosa, qualis videtur esse ista imponens onus soluendi maiorem eleemosynam. Respondeo, in dispositione legum odium continentiũ, vt sunt leges pœnales, sub masculino etiã intelligi fœmeninum, vt docet *Tiraquel. in Retract. p. 1. Glos. 9. nu. 221. Decius in regula fœminæ. nu. 110. ff. de Reg. iur. & alij,* quos laudat, & sequitur *Merolla tom. 1. disp. 1. cap. 2. nu. 536. ver. (Denique addendum)* Et ex his patet responsio ad rationem dubitandi in contrarium. Et addo praxim hãc esse, vt hæ mulieres soluãt octo reales.

43 *Dubium an prædicta dignitates in acceptione secunde Bullæ debeãt soluere octo realia.*

Quæres sextò. Quid dicendum, si aliquis ex illis, qui tenentur erogare maiorẽ hanc quantitatem, sumat eodem anno secundam Bullam; an teneatur etiam ad maiorem summam pro secunda Bulla?

44 *Negat Henriquez.*

Affirmat Trullench.

Respondeo, casum proponit *Henriquez loco citato in com.* & asserit, non teneri, nisi ad summam ordinariam, nempè, ad duos argenteos, idque probat ex præsumpta intentione Commissarij: sed oppositum sustinet *Trullench. nu. 15. in fine* inquiens, se non videre vnde talis intentio colligatur: imò addit, potius contrarium deducendum esse; quia Commissarius in taxatione absolutè designat pro talibus personis octo argenteos, & non distinguit inter primam, & secundam receptionem. Et confirmatur, quia eadem ratio, quę militat in prima, locum habet in secunda, videlicet, subsidium pro expeditione, & qualitas personæ: hæ autem duæ conditiones permanent dum secunda Bulla recipitur, & ideò huic opinioni assentior.

Placet secũda opinio.

45 *An Barones Vassallos non habentes teneãtur soluere octo realia.*

Quæres septimo. An Barones, Comites, Marchiones, si sub se Vassallos non habeant, teneantur hãc maiorem summam erogare?

46 *Negatiuè est respondendũ.*

Respondeo, non teneri; quia *in instructione Commissarij* hæ personæ designantur per hoc, quod est habere Vasallos; sic enim dicitur *(y Señores de Vasallos)* igitur si Barones, & Comites non habent Vasallos nõ tenentur, nisi duo realia soluere.

47 *Dignitates solũ Titulares non tenẽtur nisi duo realia soluere.*

Ex his colligo primo, quod qui habent solum titulum Marchionis, Ducis &c. & nullius oppidi sūt Dominij, vt in hoc Regno; sicuti, & in alijs quamplures inueniuntur, non teneri ad hãc maiorem eleemosynam, sed solum ad ordinariam, & communem.

48 *Pater renũciãs feudũ filio & abdicãs à se dominiũ non tenetur nisi duo soluere. Filius vero renũtiatari debet soluere octo.*

Colligo secundo, quod Marchio, Dux &c. qui habet Vasallos, si suo primogenito renuntiat oppidum cum Dominio, sibi retinens titulum, tunc ad maiorem eleemosynam esse obligandum filium renuntiatarium; quia ipse vi renuntiationis est verè, & propriè actualis Dominus Vasallorum: Pater autẽ cum à se abdicauerit dominium, & ius in Vasallos; non tenebitur, nisi ad soluendum duo realia.

SECTIO VI.

An Pauperes ostiatim mendicantes sint eximendi ab onere eleemosynæ, & gratis sit illis concedenda Bulla.

49 *An pauperibus mendicantibus gratis sit danda Bulla.*

HVic quæsito aliud est affine, nempè, an Pauperes prædicti ad lucrandas alias indulgentias extra Cruciatam, debeant Bullam ipsius Cruciatæ accipere? De vtroque autem est disserẽdum. Et quo ad primum videtur fuisse opinio *Henriquez lib. 7. cap 20. in com. lit. T.* qui habet hæc verba *In Bulla magna originali monet Papa, ne exigant stipem à paupere: cui proinde Commissarius deberes gratis dare.* & sic author iste videtur inclinare in hanc sententiam; scilicet, pauperes esse eximendos ab onere eleemosynæ, eisdemq; gratis Bullãm hanc esse consignandam.

50 *Hæc opinio licet pia caret fundamento.*

Sed huic opinioni, tamquam pię, libenter adhærerem, si tale haberem fundamentum, in quo pedem figere possem.

51 *Pauperes non fruũtur gratijs Bullæ nisi eam cum effectu accipiant.*

Dicendũ ideò est primò, Pauperes ad hoc, vt gratias huius Bullæ lucrifaciant, oportet cum effectu Bullam ipsam accipere; quia in ipsomet diplomate, & nos infra dicemus, expressè statuitur, ad acquirendum fructum Bullæ, necessariam esse actualem receptionem; sic enim in parag. 17. dicitur *Item mandatur, vt summarium hoc per omnes Christi fideles ad prędictum bellum contribuentes, qui huiusmodi gratijs participes esse voluerint, recipiatur.* In hac autem dispositione, cum nemo excludatur, nisi illi, qui eunt, vel alios mittũt ad bellum, vel in exercitu aliquid in obsequiũ illius præstant consequens est, vt dicamus omnes alios afficere.

52 *Pauperes debent soluere stipem tantam.*

Dicendum est secundò. Pauperes, si velint gratias huius Bullæ obtinere, debent communem eleemosynam erogare. Probatur, quia, vt ostendimus in prima conclusione, nequeũt lucrari gratias, nisi Bullam recipiant; at nequeunt illam recipere, nisi soluta stipe, vel à Commissario gratis remissa: & hoc suaderi potest ex verbis ipsius Bullæ appositis *in paragr. 9.* in quo tamquam conditio prærequiritur, sine vlla exceptione personarum, vt non euntes,

nec

nec mittentes ad sacram expeditionem, si ex bonis à Deo collatis eleemosynam contulerint, gaudeāt his priuilegijs; igitur cum ab hoc onere nemo sit exclusus, debemus sub illo etiam pauperes comprehendere.

53 Ad illud verò, quod affertur ab *Henriquez* respondeo, in Bulla, quæ hodie promulgatur, non haberi monitionem illam Pōtificiam, neque eam haberi in Instructione Commissarij, neq; alibi, quantum videre potui; ergo à dispositione ista, quo ad contributionem eleemosynæ non sunt Pauperes liberandi. Et hoc ipsum asserit *Riccius in addit. ad* §. 8. *num.* 3. loquens in simili; ait enim, *si concessa sit indulgentia omnibus eleemosynā contribuētibus pro erectione alicuius hospitalis, pauperes non habētes, vnde soluant, non lucrātur indulgentias illas.* Et hoc de primo quæsito; Deueniamus nunc ad secundum, de quo neminem inuenio loquentem; sed quid sit rationi magis consentaneum aperiam.

In Bulla quæ hodie promulgatur, & in Instructione non admonetur Commissarius, vt gratis pauperibus det Bullam.

54 Dicendum est tertio, valde probabile mihi videri, pauperes, qui ob impotentiam nequeunt stipem taxatam soluere, & sic Bullā accipere, posse indulgētias alias extra Cruciatam lucrifacere; sic etiam sentiunt Docti recentiores de hac re à me oretenus consulti. Ducor ad hanc conclusionem tuendam; quia valde inhumanum esset eos priuare indulgentiarum vtilitate absque eorum culpa, ex eo præcisè, quod per paupertatem sint impotētes ad stipem consuetam erogandā, eisque supra afflictionem egestatis, aliam addere afflictionem, eosque peioris conditionis reddere; quam sint alij pauperes in Regnis nō priuilegiatis, & priuilegiū Cruciatæ adeo fauorabile redundare in damnū spirituale miserabilium; quapropter cum spectata ipsius rei natura non sit rectæ rationi consentaneum eos ita omni indulgentia destitutos deserere; præsumendum est suspensionem indulgentiarum, quæ fit à Cōmissario, non esse intelligendam in ordine ad tales personas.

Probabile est Pauperes non habentes vnde soluāt pro Bulla capienda, frui posse alijs indulgētijs extra Bullam. Oppositum videri inhumanum.

Suspensio, quæ fit a Commissario præsumitur non se extendere ad Pauperes.

55 Neque ex hoc vllum sequitur inconueniens, neque fraus, quia si quis verè non esset pauper, & posset erogare consuetam eleemosynam nō gauderet indulgētijs, nisi Bullam acciperet; opinio autem quam tuemur, respicit illos, qui verè sunt miserabiles.

Nullum incōueniens, aut fraus sequitur.

SECTIO VII.

Elucidantur quædam difficultates circa eleemosynæ erogationem.

STatuimus necessarium esse dare eleemosynam à Commissario præscriptam, vt Bulla vtiliter accipiatur, sed quia circa contributionem istam nonnullæ difficultates in ordine ad praxim contingere solent; ideo eas oportet enodare, illasque per distincta quæsita proponere. 56

Quæres primo. An sit ita necessaria cōtributio ista, vt non valeat credito fieri, videlicet, loco actualis solutionis, dare, aut pignus, aut simplicem obligationem soluendi infra determinatum tempus? Respondeo sufficere, si Depositarius Bullarum acquiescat, & sit contentus pignore, aut simplici obligatione eius, qui Bullam capit; vt sic enim sit verus, & realis contractus inter Depositarium, & ipsum, qui Bullam sumit, & perinde est, ac ipsemet Depositarius solueret pro ipso accipiente; & vt ait *Riccius in addit. ad* 7. §. *num.* 5. talis obligatio est virtualis solutio. 57

An Bulla pecunia credita, vtiliter sumatur.

Affirmatiuè respondetur.

Quæres secundo. Si tempore præfixo ad solutionem Titius, qui Bullam sumpsit, non sit potens soluere, vtrū pro ipso maneant veluti suspensa Bullæ priuilegia, donec cum effectu soluat? 58

An tempore præfixo ob impotētiam, qui Bullam accepit non soluit fruatur gratijs.

Respondeo. Si reuera ab initio animū habuit soluendi, & postea non soluat, quia est impotens, fruitur priuilegijs Bullæ; secus autem si animo fraudulenti Bullam accipiens, non habet intentionem soluendi eleemosynam; quia tunc non ponitur conditio requisita ex parte accipientis, cum deficiat tum actualis, tum virtualis solutio. 59

Fruitur priuilegijs si absque fraude accepit Bullā.

Quæres tertio. Si Titius ab initio caruit intentione soluendi, Bullā verò sumpsit, sed quibusdam transactis diebus, mutans voluntatem, proponat quamprimū potuerit soluere eleemosynam; an à die huius mutationis incipiat gaudere gratijs Bullæ? 60

Quid si tempore acceptionis careat animo soluendi, & postea mutet voluntatem?

Respondeo affirmatiuè; quoniam ab eo momento, quo proponit soluere, contractus ille, qui ab initio ex defectu intentionis claudicabat, & erat veluti suspensus incipit esse firmus, ac proinde Bulla incipit esse fructuosa. 61

Habent voluntatem soluendi statim incipit fruī Bulla.

Quæres quarto, Quid dicendum si contrarium accidat, scilicet, à principio, quā do Titius Bullam credito accepit, habuit animum soluendi, postea verò mutans voluntatem, proponat non contribuere, an statim, ac talem habet intentionem Bulla incipiat illi inutilis esse? 62

Quid si quis post Bullam credito acceptam proponat non soluere stipem.

Respondeo, per se loquendo statim Bullam inutilem esse habenti intentionē 63

Per se loquēdo Bulla incipit ita proponenti esse inutilis.

non

non soluendi eleemosynam taxatam; quia sub hac conditione Pontifex illam fidelibus concedit, & ideò proponens non soluere perinde se habet, ac si per furtum Bullam sumpsisset; & per consequens dicendum est, ab illo momento, quo incœpit praua illa intentio, Bullā respectu huius vtilem esse non posse: Dixi (per se loquēdo) quia aliquem casum ponere possumus, in quo Bulla, non obstante mala illa intentione, proficua erit, V.G. si quis credito Bullam capit, & loco suæ obligationis alterius obligationem offerat ita, vt ille, qui ius habet disponendi de Bullis, acceptans sobrogatam obligationem deobliget illum, qui Bullam cœpit: in tali casu obligatio, quam habebat priuilegiatus iam cessaret, & loco illius succederet obligatio alterius, cum quo distinctum iniret contractum ipse priuilegiatus, nempè, contractum simplicis mutui: idcirco volūtas, illa non soluendi pecuniam erit tantùm contra hunc contractum, non autem cōtra eum, qui facultatem habet disponendi de Bullis, vt ministrum Cruciatæ, sed casus iste potiùs speculatiuus, quàm practicus erit; quia nunquam, aut rarò eueniet vt sumens creditò Bullā deobligetur à solutione eleemosynę, etiam si det fideiussorem, qui recipi solet ad maiorem cautelam, absque Principalis debitoris deobligatione.

In aliquo casu per accidēs poterit esse vtilis.

64 Quæres quinto. Si Titius per errorem existimat se furatū fuisse duo realia à Depositario, seu Distributore Bullarum, & capiat Bullam soluens totidem realia putans decipere Depositarium dando duo illa realia pro quattuor, in quibus ipse Titius iudicat, licèt falsò, se esse debitorem in duobus pro furto putato, & in alijs duobus pro eleemosyna Bullæ, an lucretur

65 eiusdem Bullæ indulta?

Respondeo videri ea lucraturum; quia verè à parte rei Titius soluit quantum debebat, quamuis ex errore ipse hoc non agnoscat; sed oppositum censeo esse determinandum, quia ad hoc, vt Titius lucretur priuilegia Bullæ, oportet illam capiēdo erogare eleemosynā ex affectu interno, seu ex vera voluntate adimplendi cōditionem istā requisitam, verū talis voluntas non reperitur, dum Titius ex consciētia erronea putat decipere Distributorē, & habet intentionem illum decipiendi, sic decidit casum hūc *Cardinalis Delugo* paucis verbis immutatum, sed idē importātibus, *in tractatu de iust. tom. 1. disp. 7. Sect. 3. num. 27.*

Quæres sexto. Si quis plures furetur 66
Bullas, easque det alijs ignorantibus furtū, accipiendo ab illis stipem consuetam: an sumentes Bullam eius priuilegijs fruantur? Ratio dubitandi pro parte affirmatiua est, quia hi tales, qui Bullam hoc modo accipiunt bona fide procedunt, & adimplent id, quod ex parte sua tenentur, soluendo stipem taxatam, idcirco non videntur fraudandi ab indultis Cruciatæ.

Respondeo, casum hunc non esse speculatiuum, sed de facto euenisse Panormi 67
his diebus; nam quidam coniurantes à Depositario quamplures Bullas surripuerūt, easque postea vendebant ciuibus minori quantitate eleemosynæ, quā erat taxata, & à Commissario præscripta: postea eorum fraude detecta vnus ex illis in carceres detrusus fuit, reliquis fugam capientibus. Respondens igitur directè ad quæsitum, dico Bullas hoc modo acceptas vtiles esse non posse sumētibus, quamuis in earum sumptione bona fide processerint. Ratio autem est; quia Bulla à Pontifice conceditur sub conditione determinati oneris, videlicet, eleemosynæ soluendæ in subsidium Cruciatæ: quapropter tali conditione non posita, bona fides non poterit iuuare in ordine ad hunc effectum: sed solùm prodesse poterit, in quantum vi eiusdem Bullæ, quæ fructuosa existimabatur, poterant excusari comedentes diebus ieiuniorum cibos prohibitos; petentes absolutionē à reseruatis, licèt, reseruatio re vera non fuerit ablata, neque peccata remissa, nisi ad summum indirectè, &c. Neque refert tales bona fide soluisse eleemosynā; nam pecunia erat applicāda cum effectu in subsidium Cruciatæ, & non secundum opinionem, quādo enim defectus, seu deceptio non oritur ex parte Commissarij, aut eius Ministrorum; bona fides non iuuat; proindè conditio, sub qua Bulla à Pontifice conceditur non fuit adimpleta, & per consequens inutilis reddebatur.

TRAC-

TRACTATVS II.

DE PRIVILEGIO BVLLAE CIRCA DIVINA, tempore interdicti celebranda, & administranda.

Prosequitur Pontifex in hoc nono paragrapho sermonem de erogantibus eleemosynam, & incipit gratias concessas proponere, quarum prima versatur circa diuina exercenda tempore, quo interdictum viget; de tali autem gratia in hoc tractatu acturi sumus.

CAPVT I.

Quæ per interdictum prohibentur, & quæ per Cruciatam conceduntur.

1 DVo principaliter præsens Diploma fidelibus elargitur; nẽpè Diuinorũ celebrationẽ, & quorumdam Sacramentorum vsum: de primo nunc loquemur; de secundo verò postea verba faciemus. Sed ad maiorem huius priuilegij cognitionem præmittẽda sunt ea, quæ iure communi per interdictum prohibentur.

SECTIO I.

Præmittuntur ea, quæ secundum ius commune interdicto conueniunt, & assignantur gratiæ per Bullam concessa.

2 *Supponuntur aliqua de natura Interdicti.*

AD intelligendam vim priuilegiorũ, quæ in hoc paragrapho conceduntur, oportet supponere naturam, species, & effectus interdicti, vt his cognitis innotescat nobis quid Pontifex in hoc diplomate concedat.

3 Supponendum igitur est, interdictum, vt latè diximus in tractatu de censuris, esse pœnam quamdam Ecclesiasticam, per quam prohibetur vsus quarumdam rerũ sacrarum, & Ecclesiastica Sepultura: Res autem sacræ, quarum vsus interdicitur, sunt aliqua Sacramẽta, nempè, Ordo, Extrema vnctio, Administratio Eucharistiæ, & etiam Diuina officia publicè celebranda. Sic colligitur *ex cap. Quod in te de Pœnit. & remiss. & ex cap. Si sententia, cap. Si Ciuitas, & cap. Alma mater. de sent. excom. in 6.* quæ quidem prohibitio est intelligẽda iuxta moderationem, quæ habetur *in eod. cap. Alma mater.*

4 Præterea Interdictum diuiditur in Locale, Personale, & Mixtum, & in Generale, & Speciale. Vlterius aliud imponitur in Medicinam, videlicet, vt subditi recedant à contumacia, & hoc pacto habet rationem censuræ; aliud est in vindictam peccati præteriti, & non est censura, sed pura pœna; & de his omnibus fusè loquuti sumus in eo tractatu de censuris, & in præsentia sunt supponenda. Quibus præmissis. *Diuisio interdicti, eiusque species.*

5 *Sex gratiæ conceduntur pro tempore interdicti.*

Dicendum est primo. Gratiæ, quas Pōtifex in hoc paragrapho elargitur, sunt sex. Primo, vt habens Bullam per se ipsum, vel per alium missam celebrare possit tempore interdicti, siue in Ecclesijs, siue in Oratorijs priuatis. Secundo, vt reliqua diuina officia, vel per se ipsum, vel per alios valeat celebrare. Tertio, vt possit fieri sacrum per horam, antequàm illucescat, aut per horam post meridiem, facultate habita à Commissario. Quarto, vt possint diuinis interesse Familiares, Domestici, & Consanguinei ipsius priuilegiati. Quinto, vt Priuilegiatus tempore interdicti possit recipere Eucharistiam, & alia Sacramenta, præterquam in die Paschatis. Sexto, vt Mortuorum fidelium corpora, dum viget interdictum, cum moderata pompa funerali sepeliantur. Sic expressè statuitur in ipso diplomate, cum impositione quorumdam onerũ, vt mox dicam.

6 *Limitationes Gratiarum.*

Dicendum est secundo. Prædictis gratijs nonnullæ adhibentur limitationes, quarum prima est, vt priuilegia ista solùm vigeant durante anno publicationis Bullæ. Secunda, vt in Ecclesia illa, qua vtitur priuilegiatus, permissum sit quomodolibet celebrare diuina officia tempore interdicti. Tertia, vt Oratorium, si in illo celebrentur Diuina, sit depntatum dumtaxat ad diuinum cultum, & ab Ordinario sit visitatum, & designatum. Quarta, vt Priuilegiatus non dederit caussam interdicto, vel per se ipsum, non stet, quin amoueatur. Quinta, vt Oratorio vtentes

tes fundent Deo preces pro vnione inter Principes Christianos contra Infideles, & pro eorumdem Principum victoria contra eosdem Infideles. Hæ autem Gratiæ conceduntur ijs, qui eunt ad bellum contra Infideles, vel alios mittunt, aut non euntes, nec mittentes; intra annum ex bonis à Deo sibi collatis eleemosynam taxatam in fauorem huius expeditionis erogant.

SECTIO II.

In quo Interdicto vim habeant Indulta prædicta.

7 *De quo specie Interdicti sit sermo i Bulla.* CVm priuilegia enumerata ferè omnia concessa sint pro tempore Interdicti, dubitatio esse potest, de qua Interdicti specie sit sermo; & ratio dubitādi oritur ex eo, quod, vt supposuimus, multiplex sit Interdictum, videlicet Locale, Personale, & vtrūq; Speciale, & Generale.

8 *Loquitur est tantū de Locali Generali.* Dico igitur Primo, sermonem esse de Interdicto tantùm locali, & generali. Probatur cōclusio *ex textu ipso Bullæ*, & quoad primam partem sic. in Bulla dum cōceditur priuilegium, non fit mentio nisi de locali interdicto, & quamuis priuilegium dirigatur ad personas, tamen non ad ipsas, quatenus immediatè Interdicto afficiuntur, sed ad illas in ordine ad locum, qui primo, & per sè Interdicto est subiectus: ergo quoad Interdictum personale manet integrum Ius commune, per quod disponitur, personas Interdicto affectas, siue generali, siue speciali, non posse Missas celebrare, nec diuinis interesse. Ita *Henriquez in Sum. lib. 7. cap. 13. num. 3. Rodriq. in addit. ad §. 1. Bullæ nu. 2. Trull. ibidem lib. p. §. 3. dub. 2. nu. 8.* & loquentes de moderationibus positis in *cap. Alma Mater*, idem sentiunt *Suarez de cēs. disp. 34. sect. 1. num. 5. in fine. Filliucius de cens. tract. 18. cap. 3. num. 75. Bonac. ibidem cap. 3. de interd. p. 4. nu. 7. ver. Aduertendum tamen, ex communi opinione Doctorum*, quæ colligitur *ex cap. si sententia de sent. excomm. in 6.* Cum igitur per hāc Bullam nihil disponatur de Interdicto personali; idcircò Priuilegium non extenditur ad personas interdicto quocumque personali innodatas. Quoad secundā verò partem, conclusio etiā ex textu Bullæ ostēditur: nam in concessione prædicti priuilegij admonetur, ipsum priuilegiū intelligi de Ecclesijs, in quibus aliàs Diuina Officia durante Interdicto, quomodolibet permissum sit, celebrare; qua limitatione posita, statim veritas huius secūdæ partis fiet manifesta. nam in Ecclesia specialiter interdicta vetitum est celebrare Diuina, vt ostendit Couar. exponens *cap. Alma Mater 2. p. §. 4. n. 1.* & aduertit *Glos. ibid. ver. Eccles. Filliucius cap. cit. n. 65. Bonacina vt sup. n. 14. & apud ipsum alij.* Cū autem sit prohibitio celebrādi Diuina in ordine ad talem Ecclesiam in particulari, in ea non poterit vi huius Bullæ celebrari, quia stante tali præcepto, non verificatur conditio requisita à Pontifice in hoc paragrapho, nempe si aliàs permissū fuerit celebrare.

Dico secundo. Poterunt vi huius priuilegij celebrari Diuina, eisque poterunt Priuilegiati interesse in Ecclesijs generaliter interdictis. Conclusio sequitur euidenter ex dictis; cum enim exclusum sit Interdictum locale speciale, & priuilegiū sit in ordine ad loca, nempè ad Ecclesias interdictas, vt ostensum est, rectè infertur conclusio, dari scilicet facultatem celebrandi Diuina, eisque interueniēdi, dum viget interdictum locale generale. 9 *In Ecclesijs generaliter interdictis vi Cruciatæ possunt Diuina celebrari.*

Dico tertio. Priuilegium istud extenditur ad quodcumq; Interdictum locale, generale, siue sit totale, siue partiale, quoad effectus, siue sit Papale, siue Episcopale, siue per modum censuræ siuè per modum puræ pœnæ. Conclusio ista vnico suadetur argumēto, ex eo, quod in Bulla ipsa, nulla fit exceptio; ac proinde eius verba vniuersaliter pro quocūque Interdicto locali, generali sunt accipienda. 10 *Extēditur ad quodcūq; Interdictū locale.*

Dico Quartò. Quæ dicta sunt de Ecclesijs, militant etiam de Oratorio priuato, & sic licitum erit habenti Bullam, celebrare, & Diuinis interesse in Oratorio generaliter, non autem specialiter Interdicto, & ratio eadem est. quia si Oratorium priuatum esset specialiter Interdictum, non haberet conditionem illam requisitam in Bulla ad vsum huius priuilegij, nimirum, vt aliàs permissum sit tempore Interdicti in illo celebrare: at in Oratorio specialiter interdicto non est licitum celebrare, vt supra ostendimus de Ecclesijs, ergo careret conditione illa requisita, atque adeò priuilegium istud non extenderetur ad tale Oratorium. 11 *Idem dicēdū de Oratorio priuato.*

Sed vrgere contra quis posset, dicens limitationem istam apponi in Bulla, cum est sermo de Ecclesijs; nō autem de Oratorio: Ergo ex eò, quod Iure communi prohibitum sit celebrare in loco specialiter interdicto: tamen cessabit prohibitio, dum quis vtitur Oratorio virtute Bullæ. 12 *Obiectio.*

Respondeo, limitationem prædictam esse intelligendam tum in Ordine ad Ecclesiam, tum in Ordine ad Oratoria, & nō fundo responsionem hanc in eo, quod sub nomine Ecclesiæ veniant Oratoria, ꝙ in fauorabilibus cōmuniter recipitur, nam 13 *Diluitur.*

nam ratio ista inefficax est ad intentum suadendum, quia in textu Oratorium apponitur, vt locus contradistinctus ab Ecclesia, proinde sub nomine Ecclesiæ ipsum non comprehenditur, sed fundamentum est, quia eadem militat ratio limitandi, immò, & maior est respectu Oratorij; si enim priuilegium huius Bullæ nequit habere vigorem respectu Ecclesiæ; si in ea, durante interdicto, non sit permissa celebratio Diuinorum, non obstante, quod sit proprius locus exercendi Diuina; multo magis non poterit idem priuilegium habere vigorem respectu illius loci, qui secundum ius commune non est proprius locus celebrãdi Diuina, qualis locus est Oratorium priuatum.

14 *Alia obiectio* Secundo urgeri sic iterum potest. Nõ obstãte Interdicto locali speciali, est permissum celebrari semel in hebdomada, vt patet, *ex cap permittimus de sentent. excomm.* Igitur hoc ipsum concedendum est respectu Oratorij specialiter interdicti.

15 *Soluitur.* Respondeo negando consequentiam, quia permissio illa est ob necessitatem conseruandi Eucharistiam pro moribundis, & ideo permissio est respectu Ecclesiarum, in quibus seruari solet Eucharistia ipsa, ad quam renouandam concessum est semel in hebdomada celebrari, vt notant *Trull. §. 3. cit. dub. 2. nu. 3. Filliucius loco cit. num. 74. & alij.* hæc autem ratio, cum cesset respectu Oratorij, idcirco non valet paritas.

SECTIO III.

Qua ratione Priuilegium Cruciatæ circa Diuina celebranda tempore Interdicti conueniat, & differat à Priuilegio Iuris Communis circa eadem.

16 *Effectus Interdicti.* PRoprijssimus effectus Interdicti, vt ex eius definitione constat, est diuinorum Officiorum prohibitio, proinde antiquitùs ante Bonifacium VIII. summo rigore seruabatur, & solùm licitum erat, vt statutum fuit *in cap. permittimus superius citato.* semel in hebdomada Missam celebrare ad renouationem Sanctissimæ Eucharistiæ, ne morientibus Viaticum deficeret, & quia renouatio ista non potest fieri, nisi in Sacrificio Missæ, ideo vnũ Sacrum celebrandum in singulis septimanis tantùm permittebatur, cum quibusdam limitationibus, quæ in eodem capite recensentur: postea verò temporis progressu experta fuere magna incõmoda ex carentia Sacrificij, & aliorum Diuinorum Officiorum, idcirco Sũmus Pontifex *Bonifacius in cap. Alma mater de sent. Excommun. in 6.* rigorem interdicti temperauit, & concessit, vt singulis diebus in Ecclesijs, Monasterijs, Missæ, & reliqua Officia Diuina celebrentur, sicuti priùs interdicto non existente, cùm quibusdam tamen moderationibus, *quæ in eodem cap. Alma mater,* præscribuntur, & sunt hæ quattuor. Prima, vt Diuina submissa voce celebrentur. Secunda. Ianuis Ecclesiæ clausis. Tertia, vt Campanæ non pulsentur. Quarta, vt excludantur excommunicati, & Interdicti. *Bonifacius rigorẽ Interdicti tẽperauit.*

17 *Per Cruciatam conceditur amplum priuilegiũ tẽpore Interdicti.* Sed per hanc Bullam priuilegiũ magis amplum conceditur, quia Pontifex eam habentibus indulget, vt omnes siue Laici, siue Ecclesiastici Diuinis interesse possint, & si Presbyteri sint, Missam celebrare queant in præsentia suorum Familiarium, Consanguineorum, &c. cum hac tãtùm limitatione, vt ne ipsi caussam dederint Interdicto, aut ne per ipsos stet, vt tollatur.

Clerici abs. Cruciata assistunt Diuinis tempore Interdicti. Et quamuis Priuilegium hoc Bullæ, quoad assistentiam Diuinorum Officiorum non sit respectu Clericorum, qui de Iure communi habent posse assistere Diuinis, vt paret *ex cap. alma, &c.* tamen, quoad facultatem recipiendi Eucharistiam, ipsis etiam fauet, cum sola assistentia per Ius commune eisdem concessa fuerit, vt dictum est, & non receptio Eucharistiæ, nisi in articulo mortis; proinde priuilegium Bullæ, quoad dictam assistentiam solùm de Laicis loquitur. *Fauet Clericis, quo ad sumptionem Eucharistiæ.*

18 *Discrimen, & conuenientia inter priuilegiũ Cruciatæ & priuilegiũ Iuris cõis.* Ex his patet differentia vtriusque Priuilegij, eorumque conuenientia; conueniunt enim in hoc, vt ambo de interdicto locali loquantur, & quod à Celebratione Diuinorum arceantur, excommunicati, & qui caussam dederint ad ponendum interdictum, at discrepant; nam priuilegium Cruciatæ excedit, quatenus admittit omnes etiam interdictos culpa carentes, quos non admittit Priuilegium Iuris communis: Rursus excedit, quia per ipsum Priuilegium Cruciatæ conceditur celebratio Diuinorum sine illis limitationibus, quas addit priuilegium commune. Demum priuilegium Cruciatæ extenditur expressè ad Oratoria priuata, ad quæ non est certum extendi priuilegium in *cap. Alma mater,* quam dubitationem fusè examinat *Suarez loco citato* in Sect. præcedente.

C A-

CAPVT II.

De Priuilegio in ordine ad locum interdicti.

CIrca locum, in quo viget interdictum nonnulla occurunt examinăda, quæ maioris claritatis gratia per sequẽtes Sectiones dilucidabimus.

SECTIO I.

Quid in hoc priuilegio veniat nomine Ecclesiæ, & Oratorij.

2 *Quid veniat nomine Ecclesiæ.* DIco primò, appellatione Ecclesiæ in hoc casu venire Templũ Deo dicatũ, & publicum, etiam si paruum sit, vnũ dumtaxat habẽs altare. Publicum autem dicitur illud, ad quod omnibus patet aditus, & licèt sub nomine Ecclesiæ contineantur Monasteria Virorum, & Mulierũ, & etiam Hospitalia, quæ Episcopi auctoritate sunt erecta, vt asserit *Couar. in cap. Alma mater par. 2. §. 4. n. 2.* tamèn, vt rectè animaduertit *Suar. de cens. disp. 34. sect. 1. n. 4.* exponens hoc nomen iuxta formam acceptam *in cap. prædicto*, ait, non venire omnia loca sacra, in quibus sacrum confici solitum est, sed tantum illas Ecclesias, quæ manent sub sæcularium Clericorum cura, & Episcopi auctoritate sunt expositæ, & approbatæ, vt in eis diuina publicè celebrentur; idque probat, quia si Monasteria venirent, non adderentur specialiter, & expressè *in illo cap. Alma mater*, id autem, quod docet *Suar. & alij* loquentes de prædicto capite: dici etiam debet de priuilegio, quod per hanc Bullam conceditur, in quo Ecclesiæ, & Monasteria cõtradistinctè apponnntur.

3 *Quid sit Oratorium.* Dico secundò. Per Oratorium intelligitur locus Deo dicatus, & priuatus, nempè ille, qui est in domibus prophanis, in quo ex licentia Missa celebratur, quibusdam exceptis diebus; debet tamen Oratorium istud duas habere conditiones requisitas in hac Bulla, videlicet, vt sit ab Ordinario recognitum, & ab eodem deputatum, & approbatum in Diuinum Cultum: sic dicitur in ipso Diplomate.

SECTIO II.

Cuius Ordinarij designationem requirat Bulla, vt in Oratorio priuato celebretur.

AD hoc, vt aliquis virtute Bullæ possit tempore Interdicti vti Oratorio priuato pro Diuinorum Celebratione, expostulat Bulla, vt Oratorium sit visitandum, & designandum ab Ordinario, Ex hac autem conditione requisita occurrit dubitatio, à quonam Ordinario legitimè facienda sit visitatio, & designatio ista, an à proprio Ordinario illius Diœcesis, in qua est Oratorium; an verò à quocumque alio Ordinario extraneo? 4 *Declaratur Ordinarius, à quo Oratorium est designandum,*

Mouet hanc dubitationem *Ludouicus à Cruce in exposit. Bullæ disp. prima cap. 5. num. 4.* & quosdam tacito nomine refert, qui dicunt sufficere cuiuscumque Ordinarij approbationem, seu designationem; & huic opinioni adhæret, ipse *Ludouicus*, & etiam *Trull. in eadem Bulla lib. p. §. 3. dub. 4. num. 7. & Diana par. 5. tract. 10. resol. 76.* Fundamentum huius sententiæ desumi potest à simili; sicut enim probabile est ad Sacramentum pœnitentiæ riè peragendum, satis esse, vt Confessarius à quocumque Episcopo sit approbatus per totum Orbem; ita etiam ad hoc, vt Oratorium priuatum sit idoneum ad vsum huius priuilegij sufficere, esse designatum, & approbatum à quocumque Ordinario. 5 *Opinio quæ asserit sufficere approbationem cuiuscũnque Ordinarij.*

Sed oppositum est omnino asserendum, videlicèt, necessariam esse designationem proprij Ordinarij, nempè, illius Diœcesis, in qua est Oratorium, & hanc opinionem colligo, tum ex Iure Canonico, tum ex Doctoribus Canonistis, & Theologis. Probatur igitur primò *ex cap. His ergo. dist. p. de consecr.* vbi statuitur, non esse licitum celebrare extra Ecclesiam consecratam, nisi in illis locis, in quibus Episcopus proprius iusserit: Episcopus antem proprius est Diœcesanus, sine cuius licentia inutilis erit quæcumque alia alterius Diœcesani: & ferè idem dicitur *in cap. Clericus. eodem tit. & cap. Quidam. 18. q. 2.* sic dicitur, *Placuit igitur neminem, aut ædificare, aut construere Monasteria, aut Pratorij domum sine conscientia ipsius ciuitatis Episcopi, idest sine eius consensu*. Rursus hoc ipsum docet *Panorm. in Rubr. de consecr. Eccles. num. p.* inquiens. *In Oratorijs priuatis non celebretur sine licẽtia sui Episcopi*, & hoc etiã significauit *Anchar. in c. Auctorit. n. 2. de Priuil.* 6 *Statuitur approbationem faciendã esse à proprio Ordinario Diœcesis, in quo est Oratorium.*

Q 2 in 6.

in 6. dũ igitur, Pontifex concedit per hãc Bullam sacrificiũ offerri posse tẽpore Interdicti in Oratorio, ꝙ debet visitari, & designari ab Ordinario, necesse est, vt id intelligat de Ordinario illo, sine cuius licentia, vt statuunt Sacri Canones, missa extra Ecclesiam celebrari non potest, & hinc etiam modo conditio ista est interpretanda: dum in Breuibus pro personis particularibus conceditur facultas erigẽdi Oratorium in domo priuata, & praxis hoc ipsum ostendit, nam solus Ordinarius proprius pro exequutione Breuis Apostolici visitat, & designat locum.

7 Præterea hanc sententiam docet *Suarez in 3.p. S.Thomæ tom. 3. disp. 81. sect. 3. post versic. Secundo obseruandum*: vbi tradit vniuersalem doctrinam dicens: *Ad vnumquemq; Episcopum spectare in propria diœcesi designare loca, in quibus vel sacrificium offerre, vel Sacramenta ministrare liceat,* quam doctrinam etiam pouit *Persicus de off. Sacerd. lib. 1. cap. 6. dub. 3. nu. 22.* & idẽ asserunt *Vasq. in 3.p. tom. 3. disp. 233. n. 2. ex Angelo. Fagundez de præcep. Eccles. lib. 3. cap. 13. n. 7. in fine, & alij.*

8 *Designatio Oratorij est actus iurisdictionis.* Ratio pro hac conclusione iam tacta est; nam cum visitatio, & designatio ista, sit actus iurisdictionis, & pertineat ad forum externum iudiciale, nequit ab Episcopo in non subditos, sed in proprios subditos exerceri.

9 *Satisfit oppositofundamento.* Ad fundamentum autem contrariæ opinionis. Respondeo primo, non esse sufficientem ad Confessiones excipiendas approbationem, cuiuscumque Ordinarij, vt ostendemus infra agendo de hac re. Respondeo secundo, non esse eamdem paritatem: nam approbatio ad Confessiones terminatur ad personam, quæ spõte sua subijci poterit examini, & iudicio cuiuscumque Episcopi: at visitatio, & designatio loci terminatur ad ipsum locum qui est addictus iurisdictioni Episcopi illius Diœcesis, in qua ipse est situatus: proinde est dispar ratio inter personam, & locum in ordine ad hunc effectum.

10 *Quæsitum.* Quæres hic. An proprius Episcopus nolens, quamuis iniustè, approbare, & designare locũ decentem & aptum, hoc non obstante, possit priuilegiatus vti Oratorio illo, ac si fuisset approbatum, & in eo celebrare, vel per se, vel per alios?

11 *Responsio.* Respondet Ludouicus in capite citato probabile esse id fieri posse: in quam sententiam videtur inclinare, *Diana vt supra,* sed negat *Trull. l. c.* quia per Bullam talis potestas minimè conceditur; cũ expressè apponatur conditio, vt habens Bullam, valeat vti Oratorio, posita visitatione, & designatione ab Ordinario facienda, & huic sententiæ ego adhæreo: quare in tali casu deberet Priuilegiatus recurrere ad Superiorem Episcopi, & ab illo licentiam petere, aut vt alteri committat, & deleget exequutionem.

CAPVT III.

De his, qui accessoriè participant Priuilegium istud.

Explicuimus Priuilegium, quod per hanc Bullam conceditur eã sumentibus, in ordine ad celebrationem diuinorum: nunc examinandã proponimus extensionem eiusdem priuilegij in ordine ad alias personas, quæ veluti accessoriè se habent ad eum, qui Bullam sumpsit, & priuilegio isto vtitur: hæ autem personæ sunt Familiares, Domestici, & Consanguinei ipsius Principalis, quibus omnibus indulgetur, posse etiam tempore interdicti diuinis assistere; oportet igitur declarare magis in particulari terminos prædictos, sub quibus hæ personæ significantur. 1

SECTIO I.

Qui veniunt Familiarium, & Domesticorum Nomine?

Ad declarandos prædictos terminos altiùs sumimus principium; ideoq; dicimus, quemadmodum Commensalis denominationem sumit à mensa, & Domesticus à Domo; ita Familiaris à familia; & quamuis significata per hæc tria nomina sæpe coalescãt in eamdem personam, imò, & interdum confundantur etiam in iure, vt videbimus: tamen termini, à quibus nomen sortiuntur sunt diuersi, vt diximus. Incipiendo autem à voce illa, Familiares, quæ à familia desumitur. 2 *Fundamentũ quæsiti.*

Aduertendum est, nomen hoc, scilicet, Familia apud Iuristas, & Canonistas multiplicem inuoluere significationẽ; vt aduertit *Alphonsus Narbona in 3.p. noua recopil. leg. hisp lib. 4. tit. 1. leg. 20. Glos. 1. à nu. 36.* Et declaratur *in l. Pronunciatio §. Familiæ ff. de verb. signif. & à Scribẽtibus* passim adnotatur, *in eadem lege, & alibi,* & præsertim *ab Igneo l. 1. ff. de Senat. consult. Syllan. à n. 75.* & pariter *à Corneo Tom. 2. consl. 40. nu. 17. & ab alijs*: tamen magis pressè de hoc nomine loquentes, & prout ad rem nostram pertinet: dicimus, per familiam intelligi quamdam determinatam plurium sub vno capite degentium Societatem, & colligitur *ex l. Aediles §. familiæ ff. de Aedilitio Edicto. l. 1. §. familiæ. ff. de vi, & vi armata, l. qui rem rapuit. ff. de vi bon. rapt.* & in hac acceptione loquitur, *Glos. in l. Si Familia §. Si Familia ff. de Iurisd. omn. Iudic.* 3 *Familia multipliciter sumitur.*

Iudic. docens familiam esse seruorū collectionem, & *Corn. conf. cit. nu.* 3. idem asserit, dum inquit *de eadem Familia, esse omnes, qui sunt sub eadem patria potestate, & serui eiusdem, vel seruientes ad vnum exercitium*, & in *Lexico iuridico verb. familia §. Ad Personas.* sic dicitur *Iure proprio familiam dicimus plures personas, quæ sunt sub vnius potestate, aut natura, aut iure subiectæ*, Ex quibus habemus eos, qui sunt de familia, oportere inuoluere quamdam habitudinem subiectionis ad caput eiusdē familiæ; aliter merè per accidens se vniētes non possent familiam vnam constituere; quia non cōflarent vnam Societatem, quæ est de conceptu essentiali familiæ.

4 *Respectus ad caput familiæ fundatur vel i Patria, vel in Dominatiua potestate.* Hæc autem habitudo, seu respectus ad caput familiæ fundari debet in ratione vel patriæ, vel dominatiuæ potestatis; idcircò ob primam habitudinem dicuntur de familia, Filij, Nepotes, &c. per lineam rectam descendentes, qui manent sub regimine Parentum, Auium &c. ob secūdam verò habitudinem sub familia continentur Serui, Famuli &c. qui viuentes expensis Domini, eique obsequium præstantes in Iure appellantur Familiares, & ex hoc ortum habuit illud proloquium, per quod dicitur Familiarem constitui Corpore, & Dente, vt notat *Dominicus in c. fin. de ver. signif. & alij ibidem*, nimirum, constitui commensalitate, & obsequio, seu seruitio; dum enim alitur expensis Domini, eius mensam intelligitur participare, ideoque commensalis vocabitur: debet autem alimentari intuitu obsequiorum; aliter si titulo amicitiæ, seu beneuolentiæ aleretur, nō diceretur Familiaris, vt animaduertit *Gonzales in reg. cancel. de imped. benef. vac. per obitum quæst. 14. circa mediū & Simonetta de reseruatis benef. quæst. 35. num.* 6. & ob hanc rationem aliqui recipientes victum à Cardinalibus, non dicuntur familiares, sed Portinarij honoris; quia alimenta non recipiunt intuitu obsequiorum.

5 *Domestici sunt familiares, si aliquā subiectionem habēt ad caput familiæ.* Domestici autem nuncupantur Familiares ipsi, si in eadem domo cum Domino habitant; & ita appellantur, quasi Domui Astantes, Ad rationem verò Domestici non sufficit sola habitatio, veluti materialis in eadē domo, sed vlterius requiritur, vt ipsi habitantes alterutra subiectione, ex enumeratis, sint affecti, nempè, vel subiectione seruitutis, vel subiectione patriæ potestatis, quod expressè docet *Felinus cap. in litteris de testib. nu.* 1. *& Baldus. Archidiaconus, Ioan. Andr.* quos laudat, & sequitur *Sanches in opusc. lib. 7. capit. 1. dub. 20. num.* 22. ideoque optimè concludit Felinus ex sua, & aliorum sententia, per rationem Domestici simpliciter acceptam importari quamdam subiectionem; ex qua etiam infert non omnes cohabitantes in eadem domo appellari Domesticos: & hoc quia possunt omni subiectione carere ad Dominum totius Familiæ.

His omnibus pro prædictorum nominum declaratione præmissis, deueniēdum est ad rem nostram. 6

SECTIO II.

De quibus Familiaribus, & Domesticis in hac Bulla sit sermo.

Declarauimus quid veniat sub nomine Familiaris, & Domestici: nunc inquirimus vtrum in hoc Diplomate sumendi sint in ea amplitudine, sub qua de illis loquuti sumus; an verò cum restrictione. 7

Est opinio *Nauar. in manuali cap. 27. n. 181. Rodriquez in Bull. S. 5. num. 5. Auila de cens. par. 5. disp. 4. Sect. 2. dub. 7. Merollæ tom. 3. disp. 6. cap. 3. diff. 1. n.* 137. qui expressè dicunt in hac materia per Familiares, & Domesticos non intelligi Vxorem, Filios, & Nepotes; imò neque omnes Domesticos, sed tantùm eos, qui ipsum priuilegiatum, de more, comitari solent, quam opinionem videntur etiam sequi *Sotus in 4. dist. 22. quæst. 3. a 1 post quartam conclusionem Sayrus de cens. lib. 5. capit. 5. num. 29. & alij.* 8 *Aliqui putant per familiares, & Domesticos non intelligi Vxorem, filios, &c.*

Cęterum comprehendi Vxorem, Filios & Nepotes sustinent expressè *Angelus in sum. verb. familia initio, & verb. interdictū 6. nu. 4. & quidam alij, quos suppressō nomine laudat Bonacina de Inter. disp. 5. p. 3. nu. 21. & seq. qui omnes prædictas personas cōprehendunt. At Ludouicus à Cruce in expo sit. Bulla disp. 1. cap. 5. dub. 3. nu.* 2. admittit hanc sententiam, sed *nu.* 3. quamdam apponit limitationem, quoad Domesticos, dicens, non esse id intelligendum (si loquamur de Ecclesia) de omnibus Domesticis, sed solùm de illis, qui secundum statum personæ ipsum priuilegiatum solebāt comitari, & concludit non esse plures Familiares ad Ecclesiam deferendos, præter consuetos: & in hoc se remittit ad ea, quę docent *Sotus Nauar.* &c. At pro audienda missa in Oratorio sumit nomen Familiaris in lata acceptione, pro vt includit Vxorē, Filios, Seruos &c. quia nisi extēderetur ad omnes istos, priuilegium foret inutile, cum non sit maior ratio vnius, quàm alterius. His præhabitis. 9 *Alij oppositū sustinent.*

Dico primo. Si de Familiaribus largè loquamur præscindendo ab hoc priuilegio, Indubitanter assero sub illis comprehendi Vxorem, Filios, & reliquos supra enumeratos 10 *Abstrahendo ab hoc priuilegio, & largè loquendo comprehendi enumeratos*

meratos. Conclusio manifestè ponitur *à Glos. cap. in litteris §. De Testibus. De Familia, &c.* & probatur ex ijs, quæ paragrapho præcedente attulimus explicantes vocem istam; diximus enim sub illa contineri eos omnes, qui vnam constituunt societatem sub vno capite degentes, ratione patriæ, aut dominatiuæ potestatis, & quamuis *Milis in Repertorio Iuris Verb. Familiaris*, discrimen ponat inter eos, qui dicuntur Familiares, & eos, qui sunt de Familia, & sub nomine Familiaris asserat non comprehendi Vxorem, Filios, &c. Sed contineri sub nomine familiæ: at non rectè, quia licet loquendo de Familiari pressè sumpto, distinguere illum possimus ab aliquo, qui est de familia, & non Familiaris; tamen hoc nō est verum de Familiari latè sumpto. Familiaris autem strictè acceptus, vt ait *Alterius tom. primo de cens. disp. 10. lib. 5. cap. 2. verb. Quoad Famulos, & disp. 12. cap. 3. ver, Respondeo*, ille dicitur, qui cum sit persona libera, se ipso deputat alicui dominio ad aliquod honestum seruitiū, & obsequium præstandum mercede mediante, & hoc pacto certum est non cōprehendi Vxorem, Filios, &c. sed solùm eos qui expensis Domini aluntur, eiusq; dominatiuæ subijciuntur potestati, & sic Vxor, & Filij dicuntur de familia, quatenus subduntur eidem capiti, eiusque expensis aluntur, non autem dicuntur Familiares. Cœterum loquendo magis latè de familiaribus volumus omnes prædictos sub ipsis comprehendi.

11 *Est dubitatio loquendo de Familiaribus prout est sermo in cap. Licèt.*

Si verò loquamur de Familiaribus, pro vt de illis est sermo in *Cap. licet*, aliqua est dubitatio; nam ex vna parte non videntur comprehendi sub nomine Familiarium omnes enumerati, sed solùm illi, quibus pro decētia status indiget Dominus adiens Ecclesiam ad diuina audienda, vt sustinent authores primæ sententiæ, & ratio fundamentalis est, quia extensio illa, quæ in eo capite habetur, fuit à Pontifice apposita, ne priuilegium inutile reddatur; nam poterat contingere, vt Priuilegiatus, si iuxta conditionem sui status, non haberet Famulorum comitatum, non accederet ad Ecclesiā, quia esset indecens sine famulis ita incedere.

Ratio pro opinione negatiua.

Igitur cū priuilegiū istud sit odiosū, in quātum per ipsū Ius commune laxatur, erit strictè interpretandum, & ideo de illis tātum Familiaribus est explicandum, qui sunt necessarij ad vsum ipsius priuilegij, & ne sit inutile: ad hunc autèm effectum, satis videtur comitatus eorum Famulorum, qui more consueto sunt necessarij ad ipsum priuilegiatum associandum; quapropter reliqui omnes sunt excludēdi. Et confirmatur, quia si esset facienda extensio ad omnes familiares, cognatos, &c. nulla maneret ratio cur in *cap. licèt*, Familiares Conuentus, aut Collegij debuissent excludi: at sequendo hanc sententiam in promptu erit ratio, & disparitas, nam inconueniens illud de inutilitate priuilegij contingere posset, si priuilegium non extenderetur ad Familiares priuilegiati, qui ob indecētiam eundi ad Ecclesiam sine comitatu Famulorum, se abstineret ab accessu ad illam, & sic inutile sibi foret priuilegium: hæc autem ratio nō militat in Familiaribus communitatis, quæ non indiget comitatu Famulorum ad Missam, & alia Diuina celebrāda, & ita pro hac parte negatiua discurrere possumus.

Sed pro contraria parte affirmatiua, quæ vult verbum illud, Familiares, non esse ita rigidè, & strictè accipiendum, nō desunt rationes. Et primo, quia textus *in cap. licèt* indifferenter loquitur de Familiaribus, & Domesticis absque vlla limitatione, proinde videtur intelligendus pro omnibus personis enumeratis, & si dicas esse coarctandum, quia priuilegiū illud est odiosum: contra se offert secunda ratio, nam priuilegium licèt sit contra Ius commune, & præsertim si præiudiciū nemini affert, non est ita pressè interpretandum, vt resultet inconueniens, quale esset si extensio ipsius priuilegij non fieret ad Vxorem, Filios, &c. & hæ personæ essent excludendæ à Viro, à Patre, &c. & non essent excludendi Famuli. Propter has, aut similes rationes hæc opinio aliquibus probabilis iudicata est. 12 *Ratio pro sētentia cōprehendente omnes prædictos.*

Dico igitur secundo. Si inspiciamus finem illius extensionis, quæ habetur in *cap. licet*, & notat *Gloss. ibidem, verb. non debent*, priorem sententiam esse admittēdam; quia ad illas tantùm personas ampliatur priuilegium, quæ sufficiunt ad effectum, & vsum ipsius priuilegij. Hæ autem personæ sunt tantùm famuli, qui de more comitari consueuerant ipsum priuilegiatum; neq; ex hoc sequitur aliquod inconueniens; nullum enim inconueniēs est existimandum, Vxorem, & Filios carentes eodem, aut simili priuilegio non comitari Maritum, Patrem, ad Ecclesiam pro assistentia, dum celebrantur diuina, cum tales personæ nequeant præstare obsequium illud seruile, quod exhibetur à Famulis Dominum comitantibus: & sic patet responsio ad secundam rationem pro contraria sententia: ad primam verò iam dictum est priuilegium istud esse explicandum strictè, & ampliandum quantum satis est ad eius vtilem vsum. 13 *Attento fine in cap. licet extēsio ad iis est admittenda.*

Dico

14
Priuilegiũ in Alma mat. extenditur ad Oratoria, lacet opinio opposita à Ludouico, qui strictè sumit nostrum.

Dico tertiò. Si cõcessio in *cap. alma mater* pro Diuinorũ celebratione comprehendat non solùm Ecclesias, & Monasteria, de quibus ibi fit explicita mentio, sed etiam Oratoria priuata, in quibus ante Interdictum solitum erat celebrari, tunc placet discrimen, quod *Ludouicus à Cruce* ponit in acceptione huius nominis Familiarium, seu Domesticorum &c. nempè illud strictiùs sumendo, dum loquimur de accessu priuilegiati ad Ecclesiam, & magis latè dum est sermo de Oratorio priuato ob rationem à nobis superiùs adductã; nam cessante motiuo præstandi obsequiũ in comitatu, si concessio extenditur ad Oratorium oportet includere omnes Familiares, cum non sit maior ratio vnius, quàm alterius; neque dicas esse excludẽdos Cognatos, & solùm Famulos esse cõprehendendos, quia vox illa, Familiares, strictè est sumenda, ne inquam hoc dicas, quia in ordine ad hũc effectum esset maximum absurdum includere seruos, & excludere Cognatos, cum non sit exequendum munus aliquod seruile, ob quod sit necessaria præsentia Famulorum, vt accidit, quando priuilegiatus adit Ecclesiam, vt supra adnotauimus.

15
In hac Bulla Familiares, & Domestici distinguuntur.

Dico quarto. Si sermo dirigatur ad priuilegium concessum per hanc Bullam, res faciliùs terminabitur, & ideo assero Familiares, & Domesticos contradistingui à Consanguineis; ac proinde vi Bullæ poterit priuilegiatus siue ad Ecclesiam, siue ad Oratorium secum adducere Familiares illos, qui de more consueuerant ipsum comitari, & etiã Cõnsanguineos, patet ex tenore ipsius Diplomatis, dixi cũ restrictione, Familiares, qui erant soliti comitari, & non omnes, quia puto terminum istum esse in hac Bulla sumendum in ea significatione limitata, secundum quam accipitur in iure communi, nempè in *cap. licèt*, & hoc, vt quantum fieri poterit ius ipsum commune integrum, & illæsum remaneat, idcircò addo, quod quando Dominus vtitur Oratorio, virtute Bullæ posse assistere sacro omnes Famulos, & Domesticos, vt supra diximus loquendo de celebratione, & auditione diuinorum per priuilegium iuris, & ob rationem ibi assignatam.

16
Non debent in fraudẽ admitti plures Familiares.

Dico quintò. Nequeunt admitti in fraudem plures Familiares, seu Famuli præter cõsuetos, vt rectè notat *Rodriquez in Bullam* §. 5. *nu.* 5. ex *Soto, & Nauar.* quibus addo *Villalob. in summ. tractat.* 27. *clauf.* 4. *nu.* 15. *Henriquez lib* 7. *cap.* 13. *n.* 3. *Ludouicum à Cruce vbi supra nu.* 3. *& alios.* Hanc autem sententiam communiter receptam intelligo procedere, quando Famulorum multiplicatio fit in fraudem, si enim fiat ex occasione superueniente, puto posse omnes istos Famulos additos de nouo adduci ad Ecclesiam, vt si contingeret ingressus in Vrbem alicuius Magni Principis, vel altera Solemnitas; ita vt priuilegiatus iuxta conditionem sui status deberet pluribus associari Famulis, tunc cessaret fraus, & omnes illos posset secum adducere, vt Diuinis assistant.

Dico sextò. Sub nomine Familiarium non debent intelligi, qui solùm honoris caussa comitantur priuilegiatum euntem ad Ecclesiam, hi enim propriè loquendo non sunt Familiares, quia non aluntur ob obsequium præstitum, expensis ipsius priuilegiati, neque sunt eius commensales, & Domestici. Sic *Trullench in Bull. lib.* 1. §. 3. *dub.* 5. 17

Familiares nõ dicuntur, qui solum honoris causa comitãtur priuilegiatum.

Dico septimò. Si priuilegiatus est Presbyter, & tempore interdicti velit celebrare Sacrum, poterit in Ministrum eligere Laicum, qui neque sit eius Familiaris, neque Consanguineus, neque Priuilegiatus. Sic docent multi loquentes de hoc priuilegio in terminis iuris communis, & inter alios est *Suarez de cens. disp.* 35. *Sect.* 1. *n.* 31. *Auila eod. tract. par.* 5. *disp.* 4. *Sect.* 2. *dub.* 7. *ver. ex dictis sequitur. Nauar. in sum. cap.* 27. *nu.* 181. *Ludouicus à Cruce dub. cit. n.* 4. *& alij* apud ipsum, & hoc assero etiam si Laicus ille fuerit receptus à Sacerdote post promulgatum interdictum, est contra *Couar. in cap. Alma &c.* 2 *par.* §. 4. *nu.* 5. qui admittit hanc sententiam, dummodo Minister ille receptus fuerit ante, & non post interdictum; at hoc non est necessarium, quia si Sacerdos non posset eligere Laicum post interdictum, vt in sacro ministret, sequeretur priuilegium Pontificiũ posse reddi inutile. Cæterum alij authores mox citandi quamdam apponunt limitationem; volunt enim id fieri posse, si Sacerdos non inueniat Ministrum habentẽ priuilegium assistendi Diuinis tempore interdicti, non autem fieri posse si Ministrum priuilegiatum reperiat, & ita sentiunt *Auila l. c. Armilla verb. interdictum nu.* 58. *Viualdus in Candelabro eod. verb. tit. de his, quæ prohibentur, & conceduntur tempore interdicti* §. 3. *nu.* 24. *Portellius in dub. Regul. verb. interd. nu.* 29. At *Pater Suarez* contrarium docet *lib.* 8. *de legib. cap.* 11. *nu.* 7. vult enim posse inuenire Ministrum priuilegiatum, esse quid accidentale, & ab eo non dependere vtilitatem huius priuilegij, quod per se efficax esse debet, & efficaciam transfundere in socium priuilegiati, additque hanc nõ esse extensionem, sed iuridicam, & rigorosam interpretationem priuilegij, quia concedens priuilegium intelligitur concedere ea omnia, quæ ad vsum illius sunt accessoria, & à volunta-

18
Sacerdos priuilegiatus tẽpore interdicti potest Laicũ eligere, vt inseruiat sacro.

Limitatio Couar. reijcitur.

luntate ipsius concedentis dependent, vt colligitur *ex cap. praeterea de off. Iud. Deleg. & ex Glos. ibi.* concesso enim principali, conceditur & accessorium, vt eadem *Glos. notat verb. ex eo, quod.* Hoc ipsum tenentur asserere Authores illi, qui hanc doctrinam admittunt etiam in casu, quo accessorium non est simpliciter necessarium, sed solum decens, & ita affirmant de illo, qui habet priuilegium recitandi Matutinum diei sequentis paulò post meridiem, & vt adiuuetur in recitatione assumit socium, in quo est eadem obligatio recitandi horas Canonicas; & tamen recitare officium cum Socio non est simpliciter necessarium, sed solum est decens, & conforme Choro Ecclesiastico; igitur à fortiori hoc est concedendum in casu nostro, in quo Minister ad inseruiendum Sacro est omnino necessarius.

19 *Mortuo uno ex Familiaribus, alter eligi poterit.* Dico octauò. Si vnus, aut alter ex Familiaribus moriatur, aut ægrotet, aut fiat absens, poterit priuilegiatus totidem alios assumere Familiares loco eorum, qui defecerunt, eosque ad Ecclesiam adducere, vt Diuinis assistant, Ita *Trullen. dub. cit. nu.* 2. & addo idem esse dicendum si Dominus vellet pro suo arbitrio, & beneplacito dimittere aliquos ex prioribus Famulis, aliosque assumere.

SECTIO III.

Qui sub Consanguineorum appellatione in hoc priuilegio intelligi debeant.

20 Loquuti sumus de vno personarum genere participantium priuilegium istud, nempè de Familiaribus, seu Domesticis priuilegiati; nunc verò sermo erit de alio genere, quod in hac Bulla exprimitur, videlicèt, de consanguineis. Quærimus igitur, qui sub hac appellatione veniant.

21 *Strictè loquutus Henriquez.* Fuit opinio *Henriquez in sum. lib. 7. c. 13. nu. 3. lit. G.* sub hoc nomine comineri tantum Vxorem, & Consangnineos in primo gradu, & non alios; mouetur autẽ ad hoc asserendum, vt ipsemet fatetur, nõ quia vox ista nequeat ad alios ampliari, sed ex intentione Pontificis volentis coarctare nomen ad Vxorẽ, quę gaudere solet nobilitate, & priuilegio viri, & ad Cognatos in primo tantum gradu: at Author iste non se explicat, si per primum gradum intelligat illum, qui est in linea tantum recta, an etiam in laterali.

22 *Sub consanguineis continentur Vxor, & alij vsque ad quartum gradum.* Dicendum est primò cum alijs, sub nomine Consanguineorum in hoc priuilegio venire & Vxorem priuilegiati, & omnes sibi consanguineos vsque ad quartum gradum inclusiuè. Sic *Emanuel in Bullam §. 5. nu. 5. Auila de cens. par. 5. disp. 4. Sect. 2. dub. 7 ver. secundo notandum. Trull. dub. illo 3. n. 5. & dub. 5. nu. 3. Villal. trac. 27. claus. 4. nu. 16. Riccius in addit. ad secundum paragraphum ipsius Bullæ num. 9. & alij*, Ratio autem est, quia cum Bulla generaliter de Consanguineis loquatur, & nullum appareat fundamentum limitationis; idcircò terminus est cum vniuersalitate explicãdus, eo modo, quo proponitur, ita vt comprehendat omnes illos, qui simpliciter, & rigorosè dicuntur Consanguinei. quod autem non extendatur vltra quartum gradum probatur, quia secundum ius nouum Tridentini, Cognatio, & agnatio vsque ad talem gradum ampliatur, & non vltra, idcircò cum eadem amplitudine, & non cum maiori terminus iste erit sumendus in hac materia: quod autem cõprehendat Coniugem suadetur, tum quia Authores communiter ita sentiunt, vt *Rodriquez, Auila, Henriquez, & alij*: tum etiam quia si agnatis conceditur participatio huius priuilegij ob connexionem, quam habent cum priuilegiato principali, multò magis cõcedi debet Vxori, quæ est vna caro cum viro, inter quos potius est veluti quædam identitas, quàm Cognatio. *Ratio fundamentalis.*

23 *Soluitur ratio Henriquez.* Ad motiuum, quo ductus fuit *Henriquez*, facilis est responsio; dicimus enim nullam esse coniecturam, ex qua colligatur intentionem Pontificis eam esse, quã ipse putauit, & quod asserit deberet probari.

24 *Non oportet Cõsanguineos habitare in domo Priuilegiati.* Dicendum est secundò. Non opus est Consanguineos priuilegiati morari in eadem domo cum ipso ad hoc, vt priuilegium istud participet, seu quod idem est, non est necesse, vt sint Domestici, aut illius Familiares, sed sufficere titulum consanguinitatis, qui in Bulla apponitur, vt contradistinctum à reliquis, neq; est vllũ vestigium in ipsamet Bulla, per quod colligamus requiri cohabitationem istam.

SECTIO IV.

An Affines priuilegium istud participent.

25 Placet distinctè prę̨sens quęsitum exagitare ob varias dubitationes, & difficultates, quę circa illud mihi occurrunt.

26 *Non comprehenduntur Affines.* Dico igitur. Si in verbis huius priuilegij sistamus, quæ sunt in Bulla Latina, quã plumbeam appellant, procul dubio est asserendum, non dari extensionem ad Affines, ratione solius affinitatis, quia, titulus affinitatis sub nullo ex illis tribus terminis, qui in Bullla habentur, comprehendi poterit, nempè sub Familiaribus, Domesticis, & Consanguineis, vt de se patet, cum sit

sit titulus omnino diuersus, & disparatus, Addo etiam, quod quamuis daremus aliquam fieri posse, absolutè loquendo, verborum extensionem: nihilominus in hac materia non est facienda, quia priuilegium istud est odiosum, cum sit contra ius commune, proinde eius verba sunt strictè interpretanda.

26 Propter has ergo, & similes rationes, censeo hanc extensionem ad affines minimè fieri posse, nisi alius titulus ex enumeratis simul cum affinitate concurrat.

27 Sed in contrariũ nonnulla se offerunt argumẽta, quæ suadent affines esse includẽdos in huius priuilegij participatione.

28 *Argumenta contraria.* Et primo, quia sicuti vt communiter Doctores asserũt, interdũ lex poterit extendi de vno casu in alium non cõprehensum sub verbis legis, si inter vtrumque casum detur identitas rationis, vt ex communi Canonistarum, & Iuristarum auctoritate ostendit *Suarez lib. 6. de legib. cap. 3. à num. 16. Merol. tom. 2. disp. 4. cap. 9. diff. 2.* & id varijs probant exemplis, ex vtroque Iure ciuili, & canonico; sic pariter dicendum in priuilegijs, quæ se habent, vt leges fauorabiles; Quod principium applicari poterit subiectæ materię; nam ratio, quæ mouit Pontificem ad includendos consanguineos in participatione huius priuilegij est connexio, quæ reperitur inter ipsum priuilegiatum, & suos consanguineos, ob quam non videbatur decens, & consanguinitatis coniũctioni consentaneum, excludere consanguineos ab auditione sacri, hæc eadem ratio militat etiam in affinibus, imò interdum euenire poterit aliquod magnũ inconueniens, & inhumanum ex tali exclusione; quid magis inurbanum poterit in hac re excogitari, quàm admittere consanguineum in gradu valde distanti e.c. in quarto gradu, & excludere personam affinem in strictissimo gradu, vt Socerum, qui est loco Patris, aut Socrũ, quæ est loco matris, Priuignã, quæ se habet, vt filia, Glorem, & similes personas cõiunctissimas; hoc enim non est præsumendũ de mente Pontificis; & quamuis ipse in hoc diplomate consangnineos tantùm nominauerit, tamen id possumus censere appositum fuisse magis exemplificatiuè, quàm limitatiuè, & hoc non gratis videtur affirmari, quia aliter ex affiniũ exclusione inurbanitas, & quædam veluti impietas sequeretur, vt supra ostendimus.

29 Secũdò suaderi poterit hęc opinio, sumẽdo argumentũ ex Bulla Italica, & Hispanica, in quibus ponitur terminus communis includẽs; & cõsãguineos, & affines; dicitur enim in illa, *e di suoi parenti*, & in ista *de sui Parientes*, qui quidẽ terminus, vt est *Franc. Bard. in Bull. Cruc.* manifestum, affinibus etiam est cõmunis.

Neque argumenta contraria videntur eneruare vim harum rationum pro hac secunda sententia, nam ad primum dicimus, titulum affinitatis nõ contineri sub illis verbis in hac Bulla appositis; at hoc non obstante efficaciam priuilegij deriuari ad affines ex præsumpta Pontificis voluntate, ne sequatur aliquod inconueniens, & inurbanum. Ad aliud, quod additur, nempè priuilegium istud esse odiosum, aio, à multis negari, vt in parte prima huius Operis vidimus, qui putãt omnia priuilegia Cruciatæ esse fauorabilia; atque adeo amplè interpretanda, & quãnis iuxta nostram sententiam, quam ibidem statuimus, aliqua Cruciatæ priuilegia sint odiosa, inter quæ censemus præsens priuilegium inueniri, in quantum derogat iuri cõmuni: nihilominus priuilegia, quando non sunt in præiudicium tertij, non debent ita strictè explicari, vt aliquod absurdum, & inhumanum resultet, vt de facto resultaret, si affines modo explicato excludamus. 30

Hæc dicenda mihi occurrunt, in gratiam affinium, sed quia hactenus non inueni auctorem, qui hanc patrocinetur sententiam, & eius argumenta non habent tantum ponderis, vt cogant nos recedere à communi sententia. 31

Dicendum ideo est, Priuilegium, de quo loquimur, affinibus minimè fauere, atque adeo ex vi eiusdem priuilegij, non posse à priuilegiato principali secum adduci suos affines, vt in Ecclesia, vel Oratorio sacris assistant. Hanc conclusionẽ probant argumẽta initio posita pro priori sententia, & præsertim primum argumentum, nam cum affines in Verbis in hoc diplomate appositis, siuè strictè, siuè latè explicatis, nequaquam valeant contineri, idcirco non est ad affines extendendum, quia priuilegium non operatur vltra verborum significationem, vt colligitur ex *Cap. Porro. de Priuileg.* nisi necessitas cogat nos ad improprietatem aliquam verborum admittendam, vt v. g. foret, si tali remota improprietate, iniustitia aliqua consurgeret, vel quid simile, quod non reperitur in casu nostro. 32

Ad argumẽta autẽ pro secũda sentẽtia respondeo, & ad primum aio, verum esse propter idẽtitatẽ rationis legẽ extẽdi de vno in aliũ casũ; at nõ ita priuilegiũ personis particularibus cõcessum, quale est priuilegium Bullæ, nã illis tantũ personis cõcessũ intelligitur, quę vel in ipso nominãtur, vel saltem sub personis nominatis, contineri queũt, vt bene probat *Suarez lib. 8. de legib. cap. 10. à num. 4.* vsque ad finem: at sub personis expressis in Bulla, 33 *Soluuntur argumenta prædicta.*

R non

non possunt comprehendi affines, vt de se patet, ergo priuilegium nequit ad affines ipsos se extendere. Et confirmatur, nam si sufficeret sola identitas rationis ad extendendum priuilegium ex vna persona in aliam, vel ex vno casu in aliū, sequeretur, quod si quis priuilegium habeat à Pontifice intuitu suorum meritorum concessum, vt possit v.g. decimas non soluere, si alius reperiretur habēs eadem, vel maiora merita, deberet eodem frui priuilegio, quod est manifestum absurdū, & à nemine asseritur, nā identitas, seu maioritas illa meritorum hoc tantùm operatur, vt respectu huius secundi sit idem, imò maius, & efficacius motiuum ad alliciendam voluntatem Principis ad concedendum priuilegium; non autem operatur, vt priuilegium alteri personæ concessum, intelligatur extensum ad hūc secundum, si ipse neque formaliter, neq; virtualiter contineatur in verbis eiusdem priuilegij, & fundamentum huius doctrinæ, quę verissima existimari debet, est, quia efficacia priuilegij, eiusque amplitudo adæquatè posita est in voluntate concedentis, nō autem in ratione, vt aduertit *Suarez lib. cit. cap. 28. n. 11.* hoc est in motiuo rectæ rationi consentaneo, seu in fundamento concessionis, quod in priuilegiario inuenitur, & ideo parum refert similem, vel eamdem caussam in alio reperiri, si voluntas concedentis ad hunc alterum non exteudatur; at non censetur extendi, nisi hęc altera persona exprimatur in priuilegio, aut aliquo modo virtualiter contineatur: tribus autem modis persona non expressa in priuilegio dici potest in illo virtualiter contineri. Primò propter vocis significationem, & sic v.g. priuilegium concessum religiosis alicuius Ordinis comprehēdit etiam eiusdem Ordinis moniales, si sunt capaces effectus illius priuilegij, quia moniales propriè loquendo sunt personæ religiosæ, secus si priuilegium diceret viris, aut religiosis masculis, tunc nō comprehenderet moniales. Secundo ob connexionem materiæ, seu actionis, nam interdum priuilegiatus non poterit vti priuilegio absque socio; sicuti habens priuilegium celebrādi non obstante interdicto, priuilegium extenditur ad ministrum, qui sacro inseruit, & cum sit simpliciter necessarius, vt diximus supra, ratione huius necessitatis, & cōnexionis fit extensio ad ministrum. Tertio propter dispositionem iuris, & ita priuilegiū nobilitatis marito concessum extenditur ad vxorem, & eodem modo in alijs similibus: quapropter si nullo ex his tribus modis persona non expressa continetur in priuilegio, tunc extensio ad illam fieri non poterit.

Tripliciter persona non expressa dicitur contineri virtualiter in priuilegio.

Sed petes quare in lege valeat fieri extensio de vno in alium casum ob rationis identitatem; non autem in priuilegio, quę est quædā priuata lex, vt dicitur *Cap. Priuilegia. dist. 3.* & cōmuniter à Doctoribus. 34 *Quæsit.*

Respondeo ob diuersam vtriusque naturam, nam lex fundatur in ratione, quę est anima legis; priuilegium verò totaliter in voluntate concedentis, & ideo licet v.g. in Sorte inueniatur idem motiuū, seu fundamentum, quod reperitur in Titio, si priuilegium concedatur Titio non extenditur ad Sortem, etiam si in ipso non solùm, sed efficacius motiuum existat, nam tale motiuum facit, vt ipse Sortes sit priuilegio dignus, non autem vt actu sit priuilegiatus. Ratio autem legis si est adæquata, & diuersi casus habeant in illa necessariam connexionem in ordine ad iustitiam legis, erit contra rectam rationem, & prudentiam, dispositionem versari circa vnum, & non circa alium casum, de qua re nonnulla Suarez loco infra citando affert exempla, nobis satis erit vnum adducere desumptum *ex l. illud. ff. ad leg. Aquil.* per quam disponitur contra furantes; quæ quidem dispositio extenditur ad omnes inferentes damnum iniuriosum, nam eadem vtrobique est ratio, vt notat ibidem *Glos. in explicat. casus, & §. existimari,* & docet *Suarez lib. 6. de leg. cap. 3. nu. 18. 19. 20. & lib. 8. cap. 28 num. 11. & seq. Bonacina de legib. disp. 1. quæst. 3. p. 7. num. 11. Castro Palaus de priuil. tom. p. tract. 3. disp. 4. p. 13. & alij apud ipsos.* 35 *Respons.*

36 Ex his autem colligimus disparitatem inter legem, & priuilegium: neque hoc existimari poterit inconueniens, & inurbanum, quia priuilegiatus ideo non admittit ad sacrum audiendum tempore interdicti affines, quia sibi non est tale priuilegium concessum, & videtur maior ratio, vt consanguinei comprehendantur, quàm affines, si genus, seu lineā, vt sic consideremus, nam illi sunt ex proprio sanguine, & ab eodem communi stipite descēdunt cum priuilegiato, non ita affines, quāuis per accidens strictior sit coniunctio cōparando aliquem affinem cum aliquo consanguineo.

37 Ad illud autem argumentum ex summario Italico, & Hispano, dico, sūmaria ista esse regulāda cū Originali, quę est in latino idiomate, & refertur à Ludouico à Cruce initio suæ explicationis in Bulla: in Originali verò soli cōsanguinei nominantur, non autem affines; proinde terminus ille videlicet, *Parenti*, appositus in Summarijs, est ęquiualens alteri termino, nēpè *Consanguineis*, & strictè sumitur.

Summaria Bullæ sunt regulanda per Originale, quod est latino idiomate exaratum.

Et

38 Et hæc dicta ſint pro communi ſentẽtia, à qua non eſt recedendum ſine vrgẽti ratione, & auctoritate.

SECTIO V.

De quibuſdam conditionibus ſeruandis, dum vi Cruciatæ auditur ſacrum in Oratorio, tempore Interdicti.

39
[Pri]ma cõditio, vt priuilegiatus non [d]erit cauſam Interdicto.

NOnnullæ conditiones ex parte perſonæ Oratorio vtentis præſcribũtur in hoc indulto, quãdo exiſtit interdictum, & prima conditio eſt, vt ipſe priuilegiatus nõ dederit cauſſã interdicto. Quid autem ſit dare cauſſam interdicto, explicatum habemus *in cap. licet de Priuil. in 6. §. vlt. & in cap. Alma mater de ſent. excom. in 6.* dicitur enim ille cauſſam dediſſe, qui vel delictum illud commiſit, ob quod latũ fuit interdictum, vel ad idem delictũ patrandũ exhibuit cõſilium, auxilium, fauorem, &c. Secunda conditio eſt, vt per ipſũ priuilegiatum non ſtet, quin interdictum amoueatur; nam ſi ipſe eſt cauſſa culpabilis, vt interdictum adhuc maneat, hoc priuilegio minimè gaudebit; tunc enim diceretur per ipſum ſtare, quando perſeueraret in eo delicto, pro quod latum fuit interdictum, aut non præberet debitam ſatisfactionem. Tertia conditio eſt, vt vtẽtes Oratorio, aliquas Deo fundent preces pro vnione Principũ Chriſtianorum cõtra Infideles, pro eorũ victoria, &c. Cõditio iſta apponitur in hac Bulla, vt cõformis Decr. Trid. Seſ. 22. de obſeruãdis, & vitãdis in celebratione Miſſæ; loquẽs autẽ Cõcilium de ſacro faciẽdo in Oratorijs priuatis admonet ijs, qui ſacrificiũ peragunt, & qui interſunt, vt decẽter cõpoſito corporis habitu declarẽt ſe mẽte, etiã, ac deuoto cordis affectu, non ſolũ corpore adeſſe: hoc ipsũ imponi videtur in hoc diplomate: circa hãc igitur conditionem aliquę proponuntur ab expoſitoribus dubitationes; quæ in ſubſequentibus patagraphis dilucidandæ ſunt.

[Sec]unda, vt p[er ipſ]um non ſtet [quin interdictum] amoueatur.

[T]ertia, vt [vt]ẽtes fundet [pr]eces Oratorio pro rebus [pr]æſcriptis.

§ I.

De qualitate, & quantitate huius Orationis.

40 CVm in Bulla nõ præſcribatur forma huius orationis, ſed ſolũ materia, ſeu obiectũ, pro quo preces ſunt fundẽdæ, idcircò nulla apparet obligatio circa qualitatem orationis, nempè an debeat eſſe vocalis, an verò mentalis, & ideò.

41
Oratio ſiue ſit mentalis, ſiue vocalis [ſ]ufficiẽs erit.

Dicendũ eſt primò quocumq, modo fiat ex his, erit iuxta Bullæ præſcriptum, nam ſub orationis nomine, vtraq; venit. ſic docent in ſimili materia authores loquentes de precibus, quæ fieri debent tẽpore Iubilæi ad lucrandam Indulgentiã. *Lauor. de Iubil. par. 1. cap. 18. Alphonſus de Leone eod. tract. quæſt. 10. ſect. 2. & alij,* quos ipſe adduxi ſcribens de eadem re. At aliquando ex modo, quo iniungitur oratio colligitur, eſſe debere vocalem, ut ſi imponatur recitatio ſeptem Pſalmorũ pœnitentiæ, aut quinque Pater, & Aue; tunc iuxta conſuetudinem Eccleſiæ, iſta aut ſimilia vocaliter ſunt recitanda; at talis impoſitio nõ habetur in hac Bulla, proinde qualitas orationis erit in arbitrio orantis.

Dicendum eſt ſecundò. Quoad quantitatem orationis, neq; habetur determinatio, proinde quælibet, quãtumuis breuiſſima oratio, erit ſufficiẽs ad hũc effectum. Probatur quia quoties opus aliquod indefinitè iniungitur, ad illud adimplendum, ſatis erit quæcumq; quantitas, dummodo in ea operis ſubſtantia ſaluetur. ſic docet *Suar. in 3. p. tom. 4. diſp. 52. ſect. 8. n. 5.* loquẽdo de eleemoſyna, & oratione pręſcripta in Iubileo, quamuis ibi in ordine ad acquirendam indulgẽtiam, aliquã apponat limitationem ex parte cauſſæ, licèt alij in materia de Iubileo non ſint cõtenti, de quacumq; minima oratione, vt vidimus in eodem tractatu, ſed quidquid ſit de indulgentijs; in caſu noſtro nõ militat eadem ratio proinde ſufficiet quæcumq; minima oratio ad prædictum effectum. 42

Nulla eſt determinatio, quo ad durationem orationis.

§. II.

An prædicta oratio ſit de ſubſtantia huius Priuilegij.

VIdetur ex vna parte eſſe de valore, & eſſentia huius determinati priuilegij, quia apponitur, vt forma, & non vt pura conditio; proindè cũ forma ſubſtantialis det eſſe rei, eius omiſſio deſtruit ſubſtantiam actus, vt habetur *l. Iulianus §. ſi quis ff. ad exhibendum, & cap. cum Dilecta, de Reſcriptis, Gloſ. ibi verb. Irritam, & alij communiter:* conditionem autem hanc ſe habere vt formam, ſuadetur ex regula, quã dat *Pater Suarez lib. 5. de leg. cap. 31. n. 9.* ad agnoſcendum, quando forma ſe habet ſubſtantialiter, quando verò accidentaliter; inquit enim, tunc eſſe de ſubſtantia actus, quando à Legiſlatore cum forma datur poteſtas ad efficiendum actum, & hoc ait; eſſe magnum argumẽtum, & ſecundum Ius ferè infallibile, talem formam eſſe de ſubſtantia actus; ſecùs autem, quando ſupponitur poteſtas; tunc enim ſe habet accidentaliter, eiuſq; carentia non tollit valorem actus. 43

Regula ad agnoſcendum quãdo forma ſe habet ſubſtantialiter, quando verò accidentaliter.

44 *Oratio prædicta non est de substantia huius priuilegij.* Dicendum tamen est, orationem istam non esse de substantia huius priuilegij, neque esse formam ad validitatem, sed ad licitum, & decentem eius vsum; Hanc sententiam communiter docent Authores. *Rodriq. in Bull. §. 5. n. 5. & in addit. eod. §. & num. Viualdus in Candelabro, dum agit de Interd. §. 8. nu. 11. Henriq. lib. 7. cap. 48. nu. 4. & in comment. lit. T. 2. Auila de cens. par. 5. disp. 4. sec. 2. dub. 7. verb. Quarto Notandum, Villal. tract. 27. clauf. 4. nu. 13. Trull. in Bull. lib. 1. §. 3. dub. 5. nu. 4. & alij.* *Assignatur ratio.* Probatur, quia clausula ista nullum habet signum ex illis, quæ requirūtur ad agnoscendum, quādo se habet substantialiter, quando verò accidentaliter; de quibus signis latè egit *Felinus in cap. Dilecta à n. 6. de Rescriptis*; vbi decem enumerat signa, ex quibus nullum sufficienter potest adaptari huic oneri. Rursus probo hanc veritatem ea ratione, qua vtitur *Viualdus* loquens de hac re; nam inquit, priùs incipit Missa, quàm fiat oratio, igitur nequit esse de essentia huius priuilegij; id. n. quod sequitur rem nequit esse de essentia, neque forma illius rei, vt de se patet: & hoc etiam adnotat *Felinus l. c. in quarto signo* his verbis *Quando aliquid potest interuenire post actum, numquam potest dici illud esse de forma, sed potest appellari solemnitas effectualis, quæ tribuit robur actui iam formato, sicut insinuatio donationi, & cautio testamento.* (Hæc Felinus) hanc antem doctrinam applico subiectæ materiæ: & aio, orationem imponi, non vt exercendam ante vsum Oratorij, imò ex verbis Bullæ oppositum deducimus, videlicet esse exercēdam Missa iam incæpta; nam prius concessa fuit facultas celebrandi, aut celebrare faciendi in Oratorio designato, & postea dicitur, & qui illo vti voluerint ad præmissa nempe, ad functiones Sacras, quoties id fecerint, aliquas preces Deo fundere teneantur, &c. ergo *Oratio facta post Missam satis erit ad adimplendā hanc obligationem.* prius erit vsus Oratorij, & postea oratio iniungitur, vt facienda; & consequenter onus istud erit post inceptum vsum priuilegij; atque adeo non poterit esse de eius essentia: immo addo, quod si vtentes Oratorio, preces fundāt paulò post Missam iam completā, satisfaciunt huic obligationi; cum ex nullo capite colligi possit, orationem hanc esse faciendam ante Missam, seu ante vsum Oratorij, quod satis est adhoc, vt dicamus orationem istam non esse de substantia huius priuilegij, cum non præscribatur, vt onus necessariò efficiēdum ante vsum priuilegij.

45 *Soluitur argumentum in oppositum.* Ad argumentum autem in contrariū dupliciter respondeo. & primo regulam illam pati nonnullas exceptiones, quæ legi possunt apud eumdem *Suarez*. Cæterū ea admissa, dico in casu nostro prius concedi facultatem, & postea imponi onus, quamuis vtrumq; sit in eadem clausula, seu paragrapho: secundo dico, quod licet simul cum onere concedatur potestas; tamen non sequitur infallibiliter onus esse de substantia; sunt enim attendendæ circumstantię, materia, & similia, propter quæ onus imponitur, &c. In casu autem nostro, habemus pro hac sententia negatiua non solùm communem Doctorum consensum, verum etiam coniecturas; idcircò rectè dicimus, orationem non esse de essentia huius Indulti quoad prædictum effectum.

§. III.

An saltem sit de Præcepto.

Dicendum est primò, orationem hāc esse de præcepto. Sic Authores citati, & probatur ex ipso textu; nam Pontifex vtitur verbis præceptum significantibus; dum inquit, teneri vtentes Oratorio preces fundere, & hoc ipsis imponi, &c. 46 *Oratio est de præcepto.*

Dicendum est secundo, Præceptū hoc non obligare, nisi sub peccato veniali. Sic docent *Henriq. Trullench. Bodriq. Villalob. & alij*; & ratio est, quia agitur de re leuis momenti, & cōfirmatur à pari; nam votum de re exigua; sicuti etiam pœnitentia leuis iniuncta à Confessario non obligant sub mortali, vt vult communissima Doctorum sententia; ergo idem est asserendum de hac oratione, ad quā Priuilegiati non tenētur maiori obligatione, imò minori, ea, qua tenentur ad votum, & pœnitentiam Sacramentalem adimplendam. 47 *Non obligat nisi sub veniali.*

§. IV.

Ad quas Personas obligatio ista extenditur.

Poterit esse dubitatio, an onus istud intelligatur impositum habenti Bullā, qui vt priuilegiatus principalis vtitur Oratorio priuato, dum viget Interdictum; an verò sit etiam iniunctum eius familiaribus, cæterisq; assistentibus, qui accessoriè se habent. 48

Dico, obligationem hanc ad omnes se extēdere, nimirum ad priuilegiatū principalem, & ad alios, qui licèt careant Bulla: nihilominus participāt effectum huius priuilegij, per quamdam cōnexionē cum ipso principali. Probatur, quia verba diplomatis sunt generalia, quoad personas, nullam excipiendo; sic enim dicitur *Eis tamen, qui priuato Oratorio ad præmissa vti* 49 *Obligatio ista extenditur priuilegiat. principales tum ad accessorios.* *Probatio*

volue-

voluerint, vt quoties id fecerint, aliquas preces Deo fundere teneantur, imponitur, cum autem verba ista vniuersaliter proferãtur in ordine ad fruẽtes tali priuilegio, iure dicimus oẽs pdictos obligari ad preces fundendas, siue principaliter se habeant, siuè accessoriè: Et confirmatur, nam pronomen illud (*Eis*) refertur ad illos, quibus supra concessum fuit, vti Oratorio priuato: hi autem sunt non solùm Bullam habentes, verum etiam assistentes, & gaudentes eodem priuilegio per deriuationẽ à principali priuilegiato.

§. V.

An teneantur has preces fundere, qui vi huius priuilegij celebrant, aut Missam audiunt in Ecclesijs.

50 *on tenetur in Eccle- s celebrant t Missam idiunt.*

HVic quæsito satisfacit *Emanuel Rodriquez, & Trullench locis citatis* negatiuè respondentes, & ego ipsis assentior, & dico, si quis virtute Cruciatæ Sacrum celebrat, aut illi assistit in Ecclesijs, Monasterijs, aut in alijs locis publicis, in quibus licitum est sacrificare, non tenetur ad hãc orationem præscriptam. *'educitur ex ılla.* Probatur manifestè ex ipsamet Bulla, in qua solùm, dum agitur de vsu huius priuilegij in ordine ad oratorium, imponitur oratio, non autem dum fit sermo de Ecclesijs, Monasterijs, &c. & si quis quæret rationem, cur onus precum fuerit præscriptum in hac Bulla solùm vtentibus Oratorio priuato, non autem vtentibus Ecclesijs, Monasterijs, &c. *atio discri- inis.* Respondeo id factum fuisse ad hoc, vt Cruciata conformetur Concilij Tridẽtini decreto, in quo vt supra vidimus, idem statutum fuit, dũ fideles in Oratorio Missam celebrant, aut illi assistant.

SECTIO VI.

Vtrum vi huius priuilegij, si tempore interdicti occurrat dies festiuus, sit obligatio audiendi Sacrum.

51. QVæsitum est à nobis exagitandum indiscriminatim tum in ordine ad illum, qui habet Bullam, & est primò, & per se priuilegiatus; tum in ordine ad alios, qui accessoriè se habent, vt sunt assistentes per participationem dependenter à principali, nam de omnibus his indifferenter dubium præsens proponitur, quia in his locum habere potest.

52 *Prima opinio negat.* In hac re duæ sunt celebres sententiæ; Prima enim negat priuilegiatum teneri tempore interdicti vti Bulla ad assistendum Sacro, & hanc opinionem tuentur *Auila de censur. par. 5. disp. 4. Sect. 6. dub. 6. Alterius eod. tract. tom. 2. disp. 2. de interd. cap. 3. Aegid. Conin. de inter. disp. 17. dub. 2. nu. 28. Llamas in sum. par. 3. cap. 5. §. 12.* & probabile id putat *Layman lib. 1. tract. 5. par. 4. cap. 2. §. Tertia ex priuilegio.* Præcipuum huius sententiæ fundamentum est, quia priuilegium non debet retorqueri in damnum priuilegiati, vt habetur *ex regula iuris in 6. Quod ob gratiam*, & hoc confirmat illud commune proloquium: Nemo tenetur vti priuilegio sibi concesso: immò potest illud renuntiare, vt patet ex *cap. si de Terra. de Priuil.*

Secunda autem sententia affirmat. Ita 53 *Alia sententia affirmat.* *Rodriquez in Bull. §. 5. nu. 6. Sotus in 4. dist. 13. quæst. 2. à 1. Henriquez lib. 13. cap. 48. nu. 5. Suarez tom. 3 in 3. p. disp. 88. Sec. 6. ver. solet hic interrogari lib. 8. de legib. cap. 23. n. 7. Sanchez lib. 9. de matr. disp. 6. nu. 14. Petrus Ledesma de Euch. cap. 27. post concl. 16. diff. 2. Cenedo in quæstionib. Canon. quæst. 44. Castro Palaus de Priuil. tract. 3. disp. 4. p. 7. Barth. à S. Fausto de Sacrif. Missæ lib. 2. q̃st. 425. Tannerus in 2. 2. disp. 5. quæst. 6. dub. 2. nu. 25. Villal. in sum tom. 1. tract. 19. dub. 5. nu. 14. Portel. ad dub. reg. ver. Priuilegij vsus nu. 39. Riccius in Bull. in addit. ad §. 5. à nu. 18. Acosta in ead. Bull. quæst. 28. Azor. tom. 1. lib. 7. cap. 2. quæst. 3. Ioannes Sancius Select. disp. 15. nu 2. & quamplurimi alij apud ipsos*, & vt probabiliorem hanc opinionẽ amplectuntur *Ludouicus à Cruce in Bulla disp. 1. cap. 5. dub. 4. Trull. ibidem lib. 1. §. 3. dub. 6. nu. 2.* & vtramque vt probabilem ponit *Diana par. 1. tract. 11. resol. 2. Bonac. de legib. disp. 1. quæst. 3. p. 4. in fine.*

Dicendum est primo, negari non posse 54 *Prima opinio est probabilis.* priorem sentẽtiam esse probabilem, cum illam defendant quamplures, vt vidimus, & etiam alij apud *Hẽriquez*, eiusque probabilitatem confirment argumenta, quæ pro ipsa opinione fieri solent, vt videbimus.

Dicendum est secundo, longè proba- 55 *Probabilior secunda, & ideò admittẽda.* biliorem esse sentẽtiam secundo loco relatam, proindè eam admittendam esse putamus, quam suaderi possumus ex multitudine Doctorum, qui eam tuentur, & pariter varijs argumentis.

Solet autem posterior hæc sententia 56 *Exempla quædam ab alijs adducta sunt inefficacia.* probari nonnullis exemplis, quæ meo iudicio efficacia non sunt ad intentum suadendum; primum autem exemplum sit, de coniuge votum castitatis habẽte, quo non obstante, certum est teneri debitum alteri coniugi petenti reddere, at si petẽs committat adulterium, & consequenter perdat ius petendi, alter coniux habens votum non solùm poterit non reddere,

sed

sed etiam tenebitur non reddere, vt castitatis votum seruet: sic communiter Doctores, igitur quamuis posito adulterio, ex parte coniugis innocentis sit priuilegium non reddendi debitum, & præscindendo à voto sit in eius libertate vsus, aut negatio vsus eiusdem priuilegij: tamen emisso voto tenebitur vti priuilegio non reddendi.

57 Secundum exemplum erit de his, qui in carceribus detinentur, & proinde excusantur die festiuo ab auditione Sacri: nihilominus si priuilegium habeant tali die exire è carceribus, vel offeratur occasio audiendi Sacrum, certum est teneri ad audiēdū: ita in casu nostro licèt excusētur, qui interdicto subijciūtur ad Sacrū audiēdū; tamen si priuilegium habeant assistēdi Sacro in Ecclesijs, obligabuntur tali vti priuilegio, & Sacrum audire.

58 *Ostēditur inefficacia exemplorum.* Verumtamē neutrum ex his exemplis, in quibus plures huius sententiæ fautores suam fundant sententiam, aliquid efficaciter probat; cum magna inter ipsa exēpla posita, & casum nostrum, reperiatur disparitas; nam vsus priuilegij in illis exēplis nihil contra ius operatur, vt est de se manifestum; nullum enim est ius positiuum humanum, quod interdicat reddere coniugi petenti debitum; neque est ius, quod prohibeat carcere detentis auditionem Sacri, si illud audire valeant; at in casu nostro viget ius commune, per quod fideles Laici prohibentur tempore interdicti sacris functionibus assistere; priuilegium autem particulare, per quod conceditur assistentia, cum sit vulnus iuris, atque adeò odiosum, eius vsus in hac re non videtur sub præceptum cadere, & sic patet prædictorum exemplorum inefficacia.

59 *Suadetur validiùs sententia Authoris.* Meliùs igitur suaderi poterit nostra conclusio, supponendo, duo ista esse valdè diuersa, videlicèt vsum priuilegij cadere sub præceptum ex vi ipsius priuilegij, & aliud, vsum priuilegij cadere sub præceptum non ex vi ipsius priuilegij, sed ex vi alterius legis, seu præcepti extrinseci. De primo, aio, regulariter loquendo vsum priuilegij non esse de præcepto; proindè neminem teneri suo vti priuilegio. Dixi, regulariter, nam aliquando ipsummet priuilegium obligat priuilegiatum ad vsum, vt est V. G. priuilegiū fori, & canonis, quod habent Ecclesiastici; nequit enim Clericus renuntiare priuilegio fori, & conueniri coram Iudice Laico, etiam in proprijs caussis, quādo ipse est conuentus, neque renuntiare priuilegium Canonis, consentiendo, vt alius iniuriosè ipsum percutiat, & sic in multis alijs priuilegijs, quæ primò, & per se communitatem, aut statum priuilegiati respiciunt; at in priuilegijs particulari personæ concessis, nulla est difficultas, quia priuilegiatus potest non vti suo priuilegio: si verò sermo sit de secundo, tunc dico, posse priuilegiatum obligari ad vtendum suo priuilegio, si ab extrinseco vsus illius priuilegij etiam particularis, sit præceptus, quod exemplificari poterit in multis casibus, V.G. habeat quis priuilegium non soluendi decimas, aut tributa &c. & habeat pariter onera satisfaciēdi varijs creditoribus, si ponamus, quod soluendo decimas, aut tributa fiat impotens ex toto, aut ex notabili parte ad satisfaciendum, certum est vi iustitiæ teneri ad vsum illius priuilegij, tamquam ad medium hic, & nunc necessarium, & facilè ad iustitiam seruandam, & tunc vsus priuilegij erit sub præcepto, non ex vi priuilegij, sed ex vi iustitiæ obligantis debitorem ad soluendum, quod debet, & ad ponenda media necessaria ad solutionem si dependeant à voluntate ipsius debitoris, & facilè possint adhiberi.

Rursus, si quis priuilegium habeat à Summo Pontifice aperiendi peccata sacramentaliter cuicumque Sacerdoti, etiā non approbato ab Ordinario, si vrgeat præceptum confitendi, & adsit solùm Sacerdos non approbatus, aliàs idoneus, nō poterit priuilegiatus omittere Confessionem, & non vti suo priuilegio, quia cum vrgeat præceptum Confessionis, tenetur applicare media, & tollere impedimēta, ad præceptum adimplēdum, & sic in alijs similibus: ita etiam est dicendum in casu nostro, in quo cum instet præceptum audiendi Sacrum, priuilegiatus tenebitur vti priuilegio, hoc est assistere Sacro, etiā si interdictum pro alijs perseueret, & præsertim cum sine incommodo possit ipse hoc facere. Et confirmari vlterius potest conclusio ex eo, quod Clerici absque dubio tempore interdicti tenentur diebus festiuis Sacrū audire, vel illud celebrare; quia stante iure nouo *in cap. Alma Mater* conceditur ipsis, cum moderationibus in eo capite præscriptis, celebrare diuina, & ideò tenentur ad hoc, vt fatetur etiam *ipse Auila*, quia respectu ipsorum non est talis prohibitio, ergo idem erit dicendum respectu illius, qui habet Cruciatam, nempè prohibitionem nō habere; atque adeò obligari ad exequutionem præcepti. 60

Dicendum est tertio. Quæ hactenus statuimus de obligatione audiendi Sacrū non sunt intelligenda respectu eorum, qui tempore interdicti nequeunt audire Sacrum in Ecclesijs, sed solùm in Oratorijs, quæ sunt in domibus Laicorū, vt benè aduertit ex *Ledesma, & Cenedo Trullēch n.9.* 61 *Non obligantur illi, qui non in Ecclesijs, sed in Oratorijs priuatis possunt celebrari facere celebrar.*

nam

nam, vt fusè infra videbimus, celebrare Missam in talibus Oratorijs, cum non sit ita decens ad reuerentiam debitam tanto sacrificio; idcirco priuilegium istud respectu Oratorij est valde odiosum, proinde non erit obligatio vtendi priuilegio Bullæ, secùs si Missa celebretur in Oratorio in commodum alterius, tunc teneretur ei assistere, sed de hac re meliùs infra. Ad rationem autem pro prima sententia respondeo, priuilegium nō retorqueri cōtra ipsum priuilegiatum per se loquēdo, quia obligatio audiendi sacrum, non prouenit ab ipso priuilegio, sed à præcepto Ecclesiastico; idcirco valde per accidens dici poterit onus à priuilegio nasci; Ad illud autem commune proloquium, videlicet, neminem teneri suo vti priuilegio, dico per se ita esse; per accidens verò esse oppositum, vt patet in exemplis à me superiùs allatis, & in alijs casibus.

Diluitur ratio contraria.

Per accidens tenetur quis vti suo priuilegio.

62 *Instantia.* Dices, qui tempore Interdicti habet Bullam, hoc non obstante poterit se conformare præcepto Ecclesiæ, non assistendo Diuinis, ergo non tenetur audire Sacrum die Festiuo.

63 *Soluitur.* Respondeo primo. Præceptum istud non extendi ad eos, qui Bullam, aut simile aliud priuilegium habent, sed ad reliquos tantùm, qui priuilegio carent. Respondeo secundo. Propriè loquendo, quando interdictum est tantùm locale, præceptum respectu personarum non esse positiuum, & directum, sed esse indirectum, quia est quædam priuatio celebrationis Diuinorum coram Laicis; hæc autem priuatio tollitur per Bullam, respectu illam habentis, ideoque Bulla in hoc se habet, tamquam remouens prohibens, nempè tamquam tollens impedimentum audiendi sacrum.

64 Neque dicas, audire Sacrum esse positum in libertate ipsius priuilegiati, quod videtur significari per verba ipsius Bullæ, dum dicitur, *Posse*, qui Bullam habent tēpore Interdicti Missam celebrare, vel assistere Diuinis, &c. terminus autem ille, scilicet. *Posse*, importat liberam potestatem circa assistentiam ad Diuina; ne dicas inquā hoc, quia terminus ille, *Posse*, non apponitur ad denotandam meram, & absolutam libertatem in ipso priuilegiato, ad audiēdum Sacrum, etiāsi aliunde sit præceptum audiendi sacrum, sed ad significandam ablationem impedimenti, quo priùs vi interdicti priuilegiatus prohibebatur ab auditione sacri, proindè ex parte censuræ remanet in sua libertate; idcirco si aliunde auditio Missæ sit sub præcepto tenetur priuilegiatus non ex vi priuilegij, sed ex ipsius præcepti ad assistendum sacro.

Terminus ille (Posse) in hac clausula solùm importat remotionem impedimenti, & non liberam potestatem faciendi oppositum.

Quæres, an Bullam non habens, teneatur eam sumere, vt Missam audiat tempore Interdicti, quando occurrit dies Festiuus? 65 *Quæsitum.*

Respondeo non teneri. Ita *Sotus in 4. dist. 13. qu. 3. a. 5. Henriquez lib. 9. cap. 25. n. 11. lit. à. Trull. dub. cit. n. 9. Ledesma, & Cenedo, vt supra. Barth. à S. Fausto lib. 2. cit. quæst. 427. Riccius in addit. ad §. 5. Bullæ n. 17. & alij*; & ratio est, quia præceptum Ecclesiæ audiendi Missam, solùm obligat non habentes legitimum impedimentū, non autem obligat ad procurandum priuilegium, & aduertendum est ab *Henriquez loco cit.* apponi discrimen inter præceptum audiendi sacrum, & præceptum annuæ Confessionis, & Communionis, & quamuis ad Missam audiendam, nō obliget sumere Bullam: tamen obligat, vt adimpleatur præceptum Confessionis, & Communionis, sed de hac re alibi est tractandum. 66

Non est obligatio sumendi Bullā pro audiendo sacro.

Non ita respectu obligationis ad cōfessionem, & Eucharistiā sumendam.

SECTIO VII.

An Familiares, Domestici, &c. non præsente Domino, possint tempore Interdicti Sacrum audire?

Referam duas extremas sententias, priùs declarando quæsitum. Sit v. g. Titius pater familias habēs Bullam, & sit etiam Interdictum generale, locale, tunc, vt supra ostendimus, poterit Titius vti priuilegio Bullæ, & Diuinis interesse, secum trahendo suos Familiares, Domesticos, & Consanguineos, qui per quandam participationem ipsius Titij principalis priuilegiati, eodem fruuntur priuilegio, ponamus nunc, Titium non assistere, vel quia ægrotat, vel quia est occupationibus impeditus; quærimus, an familiares, & reliqui Bulla carentes valeant nō præsente principali Diuinis functionibus interesse. 67

Partem affirmatiuam tuentur aliqui apud *Ludouicum à Cruce in expositione Bullæ disp. 1. cap. 5. dub. 3. nu. 5.* & idem ait, ita sensisse quosdam Iuniores, quorū nomina tacet, ideoque inquit hanc opinionem, sicuti, & contrariam esse probabilem, sicuti etiam placuit *Dianæ par. 4. tract. 4. resol. 13.* nouissimè autem eam absolutè sequitur *Raphael Auersa de Sacram. Euch. quæst. 15. concl. 7.* & ait satis esse vnū de familia, quamuis Dominus minimè sit præsens, sed mortuo Domino expirare priuilegium respectu eorum, qui de familia dicebantur, qnia desinunt esse de familia illius, cuius intuitu tali fruebātur 68 *Aliqui affirmant.*

pri-

priuilegio; nomine autem familiæ prædictus Auersa intelligit claudi non solùm Filios, Vxorē, Nurum, Generum, Parentes, & similes coniunctos; verum etiam seruos domi conuiuentes, & in ministerio familiæ existentes. Qui autem hanc sententiam tuētur, non autem alio argumento eam suadere possunt, nisi explicando particulam illam (*&*) seu (*Ac*) disiunctiuè, & non copulatiuè; in Bulla enim, dum indultum hoc conceditur, sic habetur, *Possint in sua, ac familiarium, & domesticorum, ac consanguineorum suorum præsentia missas celebrare si Presbyteri sint, vel celebrare facere, &c.* Illam autem particulam sumi posse disiunctiuè, vt idem importat, quod (*Aut*) seu (*Vel*) loquentes de alia materia, affirmant *Rodriquez tom. 1. quæst. regul. quæst. 17. a. 19. Comitolus in respons. moral. lib. 1. quæst. 9. n. 2. & lib. 7. quæst. 9. nu. 4. Nauar. de Regul. tom. 4. nu. 62. & Portellius par. 3. resp. moral. cas.* 49. & probatur ex Iure, nam *in l. Sæpe. de verb. & rer. signif.* statuitur coniuncta pro disiunctis, & disiuncta pro coniunctis interdum accipi posse, & de hac re nonnulla authores prædicti assignant exempla. Cæterum particulam illam sumendam esse disiunctiuè in casu nostro nulla ratione probant authores citati; poterit tamen probari, sustinendo hoc priuilegium, sicuti & reliqua huius Bullæ esse fauorabilia; atque adeo amplianda, & sic cum particula illa sumpta disiunctiuè reddat priuilegium magis fauorabile, & nullum sequatur inconueniens, ita erit sumenda. Secundo probatur ex absurdo, quod resultaret sumendo particulam copulatiuè, nam inferretur, neque dominum posse assistere diuinis sine præsentia eorum, qui sunt de ipsius familia, quod tamē nemo dixit: probatur assumptum, quia si posset sine illis assistere necessariò particula esset sumenda disiunctiuè; si autem disiunctiuè sumatur respectu Domini, nulla erit ratio, cur respectu aliorum non sit eodem modo, & vniformiter accipienda. Et confirmatur, quia & si Dominus physicè loquendo non sit præsens, ciuiliter tamen præsens censeri debet, vt Doctores probant in multis casibus, in quibus requiritur præsentia alicuius, esse satis præsentiā ciuilem per Iuris fictionem. Vide, quæ diximus de hac re *par. 1. tract. 2. cap. 2. sec. 2. §. 4.*

69 *Sententia negatiua sustinetur ab aliis.* At partem negatiuam, scilicet requiri necessariò præsentiam Domini, seu principalis priuilegiati, sustinent communiter alij, vt *Henriq. lib. 7. cap. 13. nu. 4. Rodriq. in Bull. §. 9. n. 4. & 5. & in addit. nu. 5. Riccius ibidem n. 20. Trull. lib. 1. in Bull. §. 3. dub. 6. n. 9. Villal. tom. 1. tra. 7. 27. claus. 4. n. 16. Aegid. Conin. de Interd. disp. 17. dub. 2. n. 38. ver. Nota tandem. Sayrus de cens. lib. 5. cap. 5. n. 32. Vgolinus de cens. tab. 5. cap. 8. §. 4. num. 2.* & apud ipsum *Francus, Anchar. & Gemin. in capit. Licet de Priuileg. in 6.*

Dicendum est cum hac secunda sententia, quæ, & Iuri, & nostris principijs mox explicandis, est conformis. Probatur autē primò ex eo, quod fere omnes Doctores, hanc, & non oppositam tuētur sententiā, vt supra vidimus, nā pro cōtraria solū Raphaelē Auersam inuenio, neq; Ludouicus à Cruce eam absolutè tenet, sed tantùm ait esse probabilem, sicuti etiā dicit Pater Diana. Secundò, quia in hac re est attendenda intentio, seu finis, quē habuit Pontifex in concessione huius indulti; voluit enim suffragari eis, qui Bullam sumūt; alijs verò Bulla carentibus nō intendit fauere, nisi per ordinem ad priuilegiatum principalem, & accessoriè ad ipsum; proinde absente priuilegiato, reliqui nequeunt eodem frui indulto. Tertio, & est ratio à priori, priuilegiū istud, vt diximus *par. 1. tract. 1. cap. 5.* est odiosū, quatenus actualem inuoluit dispensationem Iuris communis circa ea, quæ in sacris Canonibus prohibentur tempore Interdicti, igitur strictè est interpretandum, & ideo præsentia Domini, seu principalis priuilegiati presśè est interpretanda, & non est amplianda vltra verborum proprietatem, hoc est vltra significationem naturalem; extendendo eam ad significationem ciuilem, quæ est secundum Iuris fictionem: imò quamplures aiunt, leges, seu priuilegia, quæ odium continent, non solùm non esse extendenda ad ciuilem significationem, sed potiùs restringenda intra significationem propriam, & naturalem, vt colligitur *ex reg. iuris in 6. Odia restringi, & fauores conuenit ampliari*; & sic dicunt dispensationē ad ordines, non extendi ad ordines sacros, sed tantùm ad minores, nisi ex circumstantijs, vel aliunde oppositum colligatur: similiter neque dispensationem ad beneficia intelligi ad beneficia annexā habentia dignitatem, aut curam, & tamē sub nomine ordinum comprehenduntur sacri ordines, attenta etiam naturali, & propria significatione; sicuti sub beneficio clauditur, & dignitas, & cura; tamen quia dispensatio est vulnus Iuris, & odiosa, rectè dicitur, esse restringenda verba, etiam intra limites naturalis significationis: quapropter aio, verbum *Præsentia* appositum in hoc priuilegio, non esse ampliandum vltra naturalem significationem; ac proinde esse sumen-

sumendum quatenus importat veram, & realem præsentiam Domini, & Principalis priuilegiati, ad hoc vt reliqui participare valeāt effectum ipsius priuilegij, nēpè, vt possint Diuinis interesse tempore interdicti; eodem modo explicant Authores huius opinionis idem priuilegium *in cap. licèt de priuil. in 6.* similem continens formam.

71 *Satisfit argumento primæ sententiæ.* Ad argumentum autem pro prima sententia, aio, particulam illam (&) secundum propriam ipsius significationē, seu naturā, esse coniunctiuam, vt ex multis Authoribus ostendit *Barbosa de dictionibus diction. 110. nu. 3.* attamen aliquando sumi posse disiunctiuè non negamus, *vt idem Author affirmat nu. 28.* sed talem acceptionem dicimus esse impropriam, vt *ipse Barbosa aduertit nu. 37.* & iuxta diuersitatem materiæ, cui dictio ipsa applicatur, agnosci poterit, an copulatiuè, an verò disiunctiuè sumi debeat: loquendo autem vniuersaliter talis mihi occurrit regula proponēda: si duo, inter quos dictio ponitur, æquè primo, vel sine dependentia vnius ab alio participent rationē illam, per quam connectuntur, tunc dictio accipienda erit disiunctiuè, si verò nō æque primò, vel cum dependentia, tunc copulatiuè erit sumēda. Exemplis regulam hanc illustrabimus: sint duo, in quibus adæquatè resideat potestas in aliquē effectum V.G. sint Petrus & Paulus diuites, & dicatur: Petrus, & Paulus possunt centū aureos expendere; dictio (*Et*) disiunctiuè accipitur; quia ambo seorsim possunt aureos illos erogare; contra verò si potestas sit in vno dumtaxat, & in alio per coniunctionem, & dependentiā ab illo, vel vnum non sit potens sine alio; tunc copulatiuè dictio est interpertanda, vt si dicatur; Petrus Clericus, & sua Familia est immunis à gabella, dictio (*Et*) faciet sēsum copulatiuū; nam familia per connexionem, & dependentiam à Petro fruitur immunitate, non autem sine illo: vel si dicatur: Parochus in sua, & testium præsentia accipere debet consensum eorum, qui Matrimoniū contrahunt, dictio (*Et*) erit copulatiua; quia neq; solus Parochus sine testibus, neq; testes sine Parocho legitimè, & validè consensum illū accipere queunt: sic autē in casu, de quo agimus, familiares cū gaudeāt priuilegio assistendi per dependentiam à Domino, in quo adæquatè residet priuilegiū assistendi Diuinis; assero sine præsentia Domini nō possunt assistere: illationes verò ad conuertentiam non valent, nisi quando particula (*Et*) disiunctiuè ponitur, seu quādo ratio illa, per quā extrema cōnectuntur æquè, & sine depēdentia vnius ab alio in vtroq; reperitur; si verò primò, & per se solū in vno resideat; in alijs verò per accidēs, seu per redundantiā ab illo, tunc copulatiuè est explicāda: quapropter nō valet illatio, quæ contra nos fit; dū dicitur si Familiares nequeūt Diuinis assistere sine præsētia Domini, neq; Dominus poterit sine præsentia Familiariū, vel affirmatiuè si Dominus potest sine famulis, & famuli sine Domino etiā poterūt interesse Diuinis, nō valet inquā, quia ratio, seu facultas assistēdi primò, & per se in Domino reperitur, in Familiaribus verò per redūdantiā, & depēdentiā à Domino. Ad confirmationē verò dico, quamuis in multis casibus, vt vidimus in p. 1. præsētia sumi possit ciuiliter, nēpè, in fauorabilibus, tā in odiosis nō ita; & ideò cū istud priuilegiū iuxta nostrā sētētiā sit odiosū; pindè præsētia naturaliter, & nō ciuiliter est sumēda.

SECTIO VIII.

An hoc Priuilegium valeat pro tempore Cessationis à Diuinis.

PRo intelligentia, & decisione huius quæsiti, reuocandæ sunt in memoriā differentiæ, quæ inueniuntur inter Cessationem à Diuinis, & Interdictum; nā licet, quamdam inter se habeāt similitudinem, & affinitatem, nihilominus mutuò discrepant, vt latè ostendit *Suarez tract. de cens. disp. 39. Sec. 1 per totam, & alij communiter.* 72 *Cessatio à Diuinis, & Interdictum differunt.* Breuiter autem dico, Cessationē à Diuinis esse quamdam puram prohibitionē, per quam in signum mœstitiæ præcipitur Ministris Ecclesiæ, vt suspendāt celebrationem diuinorum Officiorum, & administrationem Sacramentorum; in quantum autem ex vi huius præcepti habetur priuatio celebrationis Diuinorum, conuenit Cessatio cum Interdicto, cum quo etiam est similis; quatenus ipsa Cessatio potest esse generalis, & specialis, sicuti Interdictum: at differunt principaliter in hoc, quod Cessatio à Diuinis nūquam directè fertur in personas, sed Interdictum potest immediatè, & directè ferri in personas, vt omnes fatentur, & habetur ex Iuribus. Rursus Interdictum locale immediatè ita afficit locum, vt illum reddat inhabilem ad Diuina in eo celebranda; & ideò reddit irregulares in eo celebrantes absque priuilegio; sed Cessatio non censetur veluti forma afficiens locum, illumque maculatum reddens, sed vt simplex prohibitio, proindè exercens Diuina in Ecclesia tempore Cessationis non fit irregularis, quamuis grauiter peccet; licet *Calderinus de Interd. & quidam alij apud Suarez numero 9.* existiment, celebrantes tempore Cessationis fieri irre-

Quid sit Cessatio.

In quo conueniunt Cessatio, & Interdictum.

In quo differunt.

Particula, &, interdum sumitur disiunctiuè.

irregulares. qui rectè confutantur ab eodem Suarez. Ex isto autem discrimine colligunt communiter Doctores, cessationem non esse propriè loquendo censuram Ecclesiasticam, sicuti est interdictum. His autem breuiter præmissis.

73 *Priuilegium Bullæ nō habet vigorem pro tempore cessationis.* Dicendum est, Priuilegium huius Bullæ non habere vigorem pro tempore cessationis à Diuinis. Est communis sententia, quam docet *Couar. in cap. Alma mater.2.par.§.4.n.7.§. Nec tamen crit. Medina in instruct.lib.1.cap.11. Henriquez lib.7.cap.13.nu.4. Rodriquez in Bull.§.5.nu.8. dub. 3. Riccius ibidem nu.5.6. Ludouicus à Cruce disp.1.cap.5.dub.8. Trull. lib.1. §.3. dub.2.n.10. Nauarr.in sum.cap.27.nu.188. Suarez.sect.cit.n.12.circa medium,& sect. 2.nu.11. Aegid. Con.de cens. disp.17. dub.7. Auila par.6.dis.1.dub.3. Layman lib.5.trac. 5.par.3.cap.5.n.2. Bonacina disp.6.p.1.in fine. Filiuccius tract. 18.cap.7.num.152.& alij.* Ratio autem desumitur ex ipsomet Bullæ cõtextu, in quo solùm de Interdicto fit mentio, & nihil dicitur de cessatione à diuinis; idcirco cum à diuersis non rectè fiat illatio ad alia diuersa, & Interdictum, & Cessatio sint diuersa, neque vnum aliud contineat; sequitur priuilegium circa tempus Interdicti non habere vigorem pro tempore cessationis à diuinis, & hæc sententia est vera non solùm apud eos, qui existimant priuilegium hoc esse odiosum, & strictè interpretandum, verum etiam apud eos, qui omnia huius Bullæ priuilegia censent esse fauorabilia, & amplè explicanda, vt notat *Bonacina loco citato.* *Probatur ex Bulla.*

74 *Instantia ex Iure communi.* Dices primo, dum est Cessatio à diuinis, locum habet priuilegium Iuris communis, tum antiqui, vt est illud, quod habetur *in cap. Quod in te de pœnit.& remis.* tum Iuris noui, *vt in cap. Alma Mater,* & tamen priuilegia ista fuerunt concessa pro tempore Interdicti; ergo priuilegium Bullæ locum habebit pro tempore Cessationis, licet datum fuerit pro tempore Interdicti. Antecedens autem à multis asseritur apud *Suarez disp. cit. n.3. & seq.* quorum rationes ipse Suarez ibidē refert; præcipua autem desumitur ex fine, quem habuit Pontifex ad moderandum Interdicti vigorem, vt ipsemet explicat *in cap. Alma Mater,* videlicet ex eo, quod in loco interdicto dum diuina non celebrantur officia, sequuntur grauia incommoda in detrimentum spirituale fidelium; idcirco conueniens fuit, Interdicti vigorem temperare: hæc autē ratio militat eodem ferè modo in cessatione à Diuinis, consequentia autem suadetur, quia nullum videtur sufficiens assignari posse discrimen inter priuilegia illa Iuris, & priuilegium huius Bullæ; igitur si illa efficaciam habent pro tempore Cessationis, etiam & eumdem vigorem pro eodem Cessationis tempore habebit.

75 *Diluitur instantia.* Respondeo antecedens esse negandū, videlicet in priuilegijs iuris antiqui contineri extensionem ad tempus cessationis à diuinis; & hanc sententiam defendit *Suarez l.c.n.7.& seq.* inquiens vniuersaliter, nullam hactenus esse in iure moderationem adhibitam circa priuationē diuinorum officiorū tempore Cessationis, & refert hanc eamdem opinionem sic fuisse Salmaticæ decisam à Congregatione Doctorū vtriusq; Iuris, & Theologorum anno 1556. Probatur igitur hæc sententia, tum quia in Iuribus citatis de solo Interdicto est sermo, tum etiam quia si omnes moderationes pro Interdicto extenderentur ad cessationem, ipsa omninò tolleretur, quia prorsus cum his moderationibus nihil supra Interdictum adderet; ac Pontifices volentes, & Interdictum, & Cessationes ob temperationē, vt declaratur *in Clem. 1. de sent. excom. §. Quod etiam, & §. In Cessationibus,* intendunt cessationem non destruere: Nihil autem per cessationem addi, si moderationes illæ in ipsa locum haberent, est de se notum consideranti vtriusque effectus, & moderationes adhibitas. Ad argumentum autem desumptum, ex fine, quo ductus fuit Pontifex ad moderandum rigorem interdicti, respondeo cum *Suarez numer. 9. eiusdem sectionis,* incommoda illa, quæ adducuntur *in Cap. Alma Mater* fuisse sufficientia ad moderandas prohibitiones diuinorum, non autem ad tollendam omnem totalē Cessationem; & quamuis tempore totalis Cessationis sit priuatio omnium diuinorum officiorum publicè exercendorum; nihilominus cum Cessatio ista totalis rarò fiat, & ob aliquam grauissimam iniuriam Ecclesiæ illatam; Interdictum verò frequentiùs, & non ob talem iniuriam, idcirco congruum fuit moderari potiùs rigorem Interdicti, quàm omnis totalis Cessationis. *Congruentia qua conuenientiùs fuit tēperare Interdictum, & non Cessationem.*

76 *Obiectio.* Dices Priuilegium *in cap. Alma,* quo ad illas quattuor festiuitates exceptas, nempè Festū Natiuitatis Domini, Paschæ Resurrectionis, Pētecostes, & Assumptionis Beatiss. Virginis, in quibus celebratio diuinorum publicè, & solēniter est permissa, videtur habere locū etiā in Cessatione, quia concessio ista non coarctatur ad tēpus Interdicti, sed simpliciter, & absolutè statuitur, in honorem magnarū illarū festiuitatum officia publicè, & solēniter celebrari; ergo videtur ob eamdem rationē extēdi ad tempus Cessationis à Diuinis.

Res-

77 *Solutio iuxta mentem aliquorũ reijcitur.*

Respondeo, ita voluisse aliquos ex sectatoribus nostræ opinionis, & inter alios esse *Ludouicũ à Cruce dub.8.cit.n.4. Couar. in cap. Alma &c. 2.par. §.5.n.3.* & mouentur tum quia hoc est valdè congruum sanctitati illorum dierum; tum etiam quia non derogatur omnino cessationi à diuinis; nam transactis diebus prædictis manet cessatio in suo rigore: sed oppositum tuetur *Suarez n.13.* qui malè citatur à Ludouico pro alia sententia; nam Pater Suarez expressè dicit, in rigore Iuris hanc posteriorem sentẽtiam esse veram, & reijcit coniecturas, quas affert Couar. tamquam probabilitate carentes; addit solùm in fine illius numeri limitationem, volens, quod si alicubi contraria cõsuetudo recepta fuerit proper auctoritatem aliquorum Doctorum sequentiũ priorem interpretationem dictorũ verborum, posse in praxi probabiliter sustineri. *Hæc Suarez*: ex cuius verbis non bene colligitur, ipsum fuisse in eadem opinione, quæ placuit Ludouico, sed solùm voluisse cautè loqui pro sua sententia, si contraria cõsuetudine aliud praticetur. Dico igitur hanc vltimam opinionem Suarij esse admittendam, & ad instantiam obiectam, nego concessionem *in cap. Alma, &c.* adaptari cessationi à diuinis: sicuti etiam falsum esse in eo capite concessionem illam non restringi ad tempus Interdicti. vt enim optimè ponderat Suarez, tenor illius concessionis est pro tempore Interdicti; & verisimile non est, vnam partẽ non se extendere ad cessationẽ à diuinis, & aliam se extendere: quia ab initio illius concessionis, vt legenti patet, explicitè conceduntur pro tempore Interdicti, incipiendo ab illo paragrapho *Concedimus quod tempore Interdicti, &c.* & in vltimo paragrapho sic dicitur. *Cæteris, quæ circa obseruationem Interdictorum, &c. à nostris sunt prædecessoribus instituta in suo robore duraturis, &c.* igitur totus verborum tenor tempus Interdicti respicit; proindè in paragrapho illo intermedio, dum dicitur, *Infestiuitatibus Natalis, &c.* sub intelligi debet concessio pro eodem tempore Interdicti, de quo in verbis præcedentibus, & subsequentibus erat sermo; idcirco sistendo in verbis ipsius contextus, opinio Couar. & Ludouici non debet probabilis existimari; & ex his solutum manet præcipuum fundamentum, cui ipse Ludouicus innititur.

Admittitur solutio Suarij.

78 *Satisfit rationi pro solutione aliorum.*

Ad illam verò rationẽ, quæ deducitur ex decẽtia sanctitatis illarũ dierũ, respõdeo, hoc non sufficere ad ostendendũ de facto concessionem extendi ad tempus cessationis à diuinis, sed ad summũ esse conueniens motiuum huius extensionis si aliud non obstaret. Demũ per hãc extensionem fateor non derogari totaliter cessationi à diuinis; sed nego de facto in iure hanc partialem derogationẽ haberi.

SECTIO IX.

Vtrum in Ecclesia violata virtute Bullæ possint diuina Officia celebrari.

Svpponimus in præsenti quæsito sex illos modos, quibus iuxta sacrorũ canonũ dispositionẽ, cõtingit Ecclesiã pollui videlicet, per homicidiũ, per iniuriosam sanguinis effusionẽ, per effusionẽ seminis humani, per sepulturã excõmunicati non tolerati, per sepulturã infidelis non baptizati, denique per talẽ combustionẽ, seu destructionẽ parietũ Ecclesiæ, vt oporteat Ecclesiã ipsam de nouo ædificari, & de his modis latè tractant Canonistæ, & Theologi in materia de censuris *Nauar. in manuali cap.27.n.250. Suarez in 3.p.tom. 3.disp.81.sect.4.per totam. Henriq. in sum. lib.9.cap.27. Sotus in 4.dist.3.q.2.a.3. Sylu. ver. Consecratio, 2.n.5. & alij.* His autẽ positis examinat præsẽs quæsitũ *Sebastianus Acosta in explicat. huius Bullæ quæst.30.* & pro parte affirmatiua proponit motiuũ dubitandi, inquiens violationem videri quoddã interdictũ à Iure impositũ; atq; adeo Ecclesiã violatã appellari interdictam; possumus etiã magis hoc confirmare ex formali effectu interdicti localis, qui nihil aliud esse videtur, nisi ineptitudo quædã loco veluti affixa, per quam locus ipse sacer redditur maculatus ita, vt in eo diuinę functiones celebrari nequeant; at totũ hoc operatur Violatio; igitur cũ formalis effectus Violationis, & Interdicti idem sit; deducere possumus Violationẽ quãdam esse Interdicti localis speciẽ, ac proinde cũ priuilegium Bullæ sit pro tempore interdicti concessum, qui Bullã habet, poterit vi illius vel celebrare Diuina in Ecclesia polluta, vel eisdẽ assistere. 79

Ratio dubitandi.

Sed dicendũ est, Priuilegium Bullæ nihil suffragari in ordine ad Ecclesiã violatã, & ideo in ipsa Ecclesia dũ manet Violatio, nequeunt Diuina celebrari vi Bullæ. Conclusio ista, quam loco citato ponit Acosta, suadetur, ex eo, quod Violatio non est species Interdicti. Sic Doctores communiter, *Suarez sect. illa 4. in fine explicationis tertij modi, quo violatur Ecclesia, & infra vers. Sed quæret aliquis. Hẽriq. lib.9.cap.27.n.7.lit. M Bonac. de Matr. quæst.4.p.vlt.n.26. Barth. à S. Fausto lib.2. de sacrif. Missæ quæst.178. Persic. de off. Sacerd. lib.1.cap.7.dub.10.nu.114. & alij.* Et ratio est in promptu; quia exercens sacras functiones in Ecclesia polluta absq; 80

Priuilegium Bullæ non suffragatur in ordine ad Ecclesiam Violatam.

Violatio non est species Interdicti, & quare.

ti necessitate, & licentia Episcopi, non incurrit irregularitatem, vt expressè decisū est, *in cap. Is qui de sent. excomm. in 6.* Si autem violatio esset vera, & propria Interdicti species, celebrans fieret irregularis, vt est concors Doctorum opinio asserentium ex Violatione censuræ in irregularitatem incurri, & de fractione Interdicti habetur *in cap. Is cui: eod. tit. in 6.* Probari etiam potest ex diuersitate, quæ inuenitur inter Interdictum, & Violationem; nam licet loquendo de Interdicto locali singulari sit inter vtrumque magna similitudo, quatenus eorumdem diuinorum celebratio prohibetur, tamē discrimen est multiplex. Primo, quia Violatio numquam esse potest ab homine, sed semper est à Iure; est enim quædam indecentia, seu macula contracta ex prædictis actionibus, ratione cuius nō decet in Ecclesia polluta celebrari diuina, quæ requirunt locum sacrum, & purum; Interdictum autem potest esse ab homine: nam Episcopus ob delictum alicuius potest Ecclesiam interdicere. Secundo, Interdictum quatenus est censura est medicinalis; imponitur enim in hunc finem, vt ille, ob cuius delictum imponitur, resipiscat, parti satisfaciat, &c. at Violatio numquam est medicinalis. Tertio, Interdictum necessariò fundatur in peccato alicuius; at Violatio quamuis, vt plurimum semper supponat culpam; nihilominus aliquando esse poterit nulla præcedēte culpa; vt si quis ex ignorantia inuincibili sepeliat excommunicatum denuntiatum, aut paganum in Ecclesia; sanè iste non peccaret, at si postea hoc diuulgabitur; Ecclesia erit polluta, vt habetur *cap. Ecclesiam. de consecrat. disp.* 1. & dum non reconciliatur, non poterit in ea celebrari; & idem esset dicendum, si parietes Ecclesiæ cōsecratæ simul ruerēt, deperderetur enim consecratio, quæ in parietibus fundabatur: proinde Ecclesia remanente violata, non possent in ea fieri sacræ functiones, vsque dum iterum ædificentur parietes, & iterum Ecclesia consecretur. Hæ autem violationes, vt patet, non supponūt peccatum; igitur non oportet Violationem fundari in peccato, sicuti oportet fundari Interdictum. Quarto, Ex contrauentione Interdicti sequitur irregularitas, vt diximus, non autem ex transgressione præcepti de non celebrandis diuinis in Ecclesia polluta, licet graue sit peccatum talis transgressio: & sic manifestum est, Violationem esse diuersam ab interdicto etiam locali singulari.

Differentia inter Violationē, & Interdictum.

81 Ex his autem soluta manet ratio dubitandi, quam initio posuimus pro identitate inter Violationem, & Interdictum locale particulare. Dicimus ergo, Violationem dici posse quoddam Interdictum largè, & impropriè, quatenus simplicem prohibitionem importat, vt sumitur in iure ciuili, & canonico, & non formaliter, sed tantum caussaliter; nam Violatio formaliter est illa actio, per quam Ecclesia remanet polluta, & ex illa tanquā ex caussa sequitur Interdictū largè sumptum, nempè, prohibitio Ecclesiastica, ne in tali Ecclesia polluta diuina celebrentur, vsq; dum ipsa Ecclesia reconcilietur.

Soluitur ratio dubitandi initio posita.

Præterea negandum est, formalem effectum Interdicti esse ineptitudinem, 82 vt sic, loco affixam, nam dicit talem determinatam ineptitudinem, quæ declaratur per ordinē ad effectus, quos caussat, & per connotationem caussæ, à qua procedit. denique effectus formalis Violationis dicit ineptitudinem, seu maculam diuersam ab ea ineptitudine, quam dicit Interdictum, vt supra explicuimus.

Dicendum est secundo. Quamuis cōcederemus Violationem esse Interdictū propriè sūptum, non poterit priuilegium Bullæ fauere illis, qui Bullam habent pro celebratione in Ecclesia Violata, quia priuilegium Bullæ non se extendit ad Interdictum locale speciale, vt supra vidimus, sed tantùm ad locale generale. 83

Quamuis daremus Violationem esse Interdictum Bulla non faueret pro celebratione in Ecclesia Violata.

CAPVT III.

Quæ pro tempore Interdicti per Bullam concedantur circa Sacramentorū administrationem.

SVpponimus tempore Interdicti, vt 1 supra adnotauimus initio huius Tractatus prohibitam esse Eucharistiæ administrationem, & sumptionem, excipiendo eam, quæ datur in articulo mortis per modum Viatici. Rursus etiam prohiberi collationem Ordinis, & Extremæ Vnctionis, quibus addo Benedictiones Nuptiales, & quia per hanc Bullam multa concedūtur pro tempore Interdicti circa prædictorum Sacramentorum vsum, in hoc capite sunt à nobis examinanda.

SECTIO I.

Quid Priuilegium Cruciatæ circa Eucharistiæ vsum concedat.

NOn est sermo in hac sectione de 2 Sanctissimæ Eucharistiæ vsu, qui in Sacrificio Missæ requiritur, & à *Suarez disp. 33. de cens. sect. 1. nu. 30.* Sacerdotalis nuncupatur, ad differentiam illius, qui est extra Sacrificium, & ab eodem authore vsus laicus vocatur; de illo autem priori nunc non loquimur, quia cum sit inse-

Non est sermo de sumptione Eucharistiæ sacerdotali sed de sumptione, quæ fit modo laicali.

inseparabilis à sacrificio, quando erit licitum Missam tempore interdicti celebrare; erit etiam licitus vsus ille Sacerdotalis Eucharistiæ: pariter quando non erit permissum sacrificare, neque erit permissus Sacerdotalis vsus Eucharistiæ, & de tali vsu Eucharistię supra sufficienter actum est: nunc verò sermo erit de vsu communi Presbyteris, & Laicis, qui cum sit prohibitus de Iure communi, quãdo interdictum existit, quærimus, quid circa Eucharistiam Bulla indulgeat?

3 *Bulla concedit sumptionẽ Eucharistiæ tempore interdicti.*

Dicendum est primo. Per priuilegiũ Cruciatæ possunt fideles, qui eam habent recipere Sacram Eucharistiam non obstante Interdicto, vt supra statutum est de celebratione Missæ, aliorumque Diuinorum Officiorum. Conclusio est absque controuersia, quia in ipsomet diplomate expresè ponitur.

4 *Siue in Ecclesijs, siue in Oratorijs.*

Dicendum est secundò. Vsus iste Eucharistiæ conceditur tum in Ecclesijs, tũ in Oratorijs priuatis, sic etiam habetur in Bulla; postquam enim concessum fuit, posse Priuilegiatum celebrare, vel Diuinis interesse, durante interdicto, in Ecclesijs, vel in priuato Oratorio, cum quibusdam conditionibus, & limitationibus ibi positis, & de quibus nos supra, subditur, *Dictio Item est continuatiua.* (*Item Eucharistiam, & alia Sacramenta, præterquam in die Paschatis recipere*, dictio enim illa, *Item*, est continuatiua, & qualitatum præcedentis orationis repetitiua, vt communiter volunt Doctores apud *Augustinum Barbosa dict.* 185. proindè cum superiùs immediatè indultum fuerit; posse Missam, & reliqua Diuina Officia in Ecclesijs, vel in priuato Oratorio celebrari, hoc ipsum concessum intelligitur de administratione, & receptione Eucharistiæ, & in hac conclusione neminem vidi discrepantem, & ita eam ponunt *Henriquez lib. 7. cap. 13. num. 4. Trullench lib. primo. in Bull. §. 3. dub. 7. nu. 5. Villalob. tom. primo. tract. 27. clauf. 4. nu. 19. Ludouicus à Cruce in exposit. Bullæ disp. prima. cap. 5. dub. 5. num. 2.* & apud ipsum *Bañes, Gallus, Ludouicus de Leon, & alij*.

5 *Vsus Eucharistiæ conceditur cum limitationibus.*

Dicendum est tertio. Vsus iste Eucharistiæ intelligi debet concessus, cum eisdem limitationibus, seu præseruationibus, sub quibus concessa fuit celebratio Diuinorum, de qua antea loquitur Bulla, videlicet, in Oratorio designato per Episcopum: Rursus ne sit specialiter interdictum, quod declaratur in Bulla, dum est sermo de Ecclesijs, & Oratorio, in quibus alias Interdicto durante permissum fuerit celebrare, & hæc ex parte loci. Ex parte verò verò personæ requiritur, vt non sit impedimentum canonicum, scilicet, ne vtens Bulla sit excommunicatus, aut specialiter interdictus, vel quid simile: nam circa talia impedimenta per hoc priuilegium, nihil in Bulla disponitur, sed solùm fit dispositio circa interdictum locale generale, & ideò dicendum est vi huius priuilegij tantùm indulgeri, vt habentes Bullam valeant ea vti administrando, vel recipiendo Eucharistiam, si nullum ex alio capite impedimento Canonico sint detenti, si enim Pontifex dispensare voluisset in alijs impedimentis, vtique debuisset hoc declarare, & cum nihil de illis statuerit, remanent secundum Iuris communis dispositionem. Præterea in eadem Bulla exigitur, vt ipse, qui Bulla vti voluerit, non dederit caussam interdicto, neq; per ipsum stet, ne amoueatur.

Dicendum est quarto. Circa onus orationis fundendæ, dum quis in Oratorio priuato Eucharistiam sumit, poterit esse dubitatio, an intelligatur solùm, dum quis vtitur Oratorio pro celebratione Missæ, & aliorum sacrarum functionum; an verò etiam dum in ipso Oratorio vi huius priuilegij Eucharistiæ sumitur? Pro parte negatiua facit, quia Oratio fundenda imponitur pro illis actionibus, de quibus antea fuerat sermo; sic enim dicitur (*eis tamen qui priuato Oratorio ad præmissa vti voluerint, vt quoties id fecerint aliquas preces Deo fundere teneantur, imponitur, &c.*) at præmissa sunt tantum duæ illæ actiones, nempè celebratio Diuinorũ, & Missa; postea verò cõceditur vsus Eucharistiæ: igitur non tenentur fideles sumentes, vi huius priuilegij, Eucharistiam in Oratorio preces illas fundere. 6

Sed oppositum censeo esse dicendum, & moueor ad hoc, quia, vt supra diximus, particula illa, *Item*, sub qua conceditur sumptio Eucharistiæ, est continuatiua, & repetitiua præcedentium qualitatum, & conditionum, & ideò vsus Eucharistiæ intelligitur concessus sub eadem conditione, sub qua concessæ fuerunt duæ illæ aliæ actiones. Confirmatur, quia in summario Italico ipsius Bullę, oratio prǽscribitur facienda post hanc actionem de Eucharistiæ sumptione, 7 *Imponitur pro vsu Eucharistię oratio aliqua faciẽda.*

SECTIO II.

Quo pacto intelligenda sit exceptio de die Paschæ.

8 VT supra vidimus priuilegium de Eucharistiæ sumptione in priuato Oratorio, quando viget Interdictum, limitatur à Pontifice, excipiẽdo diem Paschæ, qua limitatione posita, nonnullæ apud Authores sunt difficultates, nunc à nobis dilucidandæ,

9 *Dubiũ quid per diẽ Paschæ intelligatur.*

Et primò dubitatur, quid per diem Paschæ intelligatur? Dico non intelligi illum dumtaxat diem, in quo festum Resurrectionis celebratur; sed tempus illud Paschale præscriptum, in quo fideles, qui ad annos discretionis peruenerunt, tenẽtur Sacrã Eucharistiam sumere, & quod juxta declarationem Eugenij IV. continet spatium quindecim dierum, incipiẽdo à Dominica Palmarum vsque ad Dominicam in Albis inclusiuè: sic *Nauar. in sum. cap. 21. nu. 45.* attamen in quibusdam Diœcesibus vt refert *Trullench lib. 1. in Bull. §. 3. dub. 7. n. 6.* longiùs est spatium satisfaciẽdi huic præcepto; in aliqua enim est tota quadragesima, vt testatur *Rodriquez in Bull. §. 9. nu. 8. & in addit. eod. §. 9.* In Diœcesi verò Valentina, vt affirmat Trull. incipit à prima Dominica Quadragesimæ, & terminatur ad Dominicã in albis inclusiuè; sed quomodocunque res se habeat, dico communionem, quæ per hanc Bullam prohibetur in Oratorio die Paschæ illã esse, per quam satisfit præcepto *in cap. Omnis vtriusq; sexus de Pœnit. & Remiss.* & sic præter authores citatos asserunt hoc *Henriquez lib. 7. cap. 13. n. 4. Ludouicus à Cruce in exposit. Bullæ disp. 1. cap. 5. dub. 5 nu. 4. Cardinalis De Lugo de Sacram. Euchar. disp. 16. sect. 4. & alij.* Conueniens autem fuit tale tempus, seu talem communionem excipere, vt saltẽ semel in anno oues recognoscant proprium pastorem, & ab eodem cœlesti reficiantur cibo.

10 *Aliud dubium.*

Secundo dubitatur, an si quis Ecclesiæ præcepto satisfecerit de sumenda Eucharistia; v.g. eam à proprio Sacerdote accepit in die Cœnæ Domini; si velit postea ex deuotione iterũ se cõmunicare die solemni Paschæ, possit licitè in suo priuato oratorio virtute Cruciatæ id facere?

11 *Secũdum aliquos in die Paschæ non potest sumi Eucharistia ab alieno Sacerdote.*

Partem negatiuã tuetur *Aegid. Trull. in Bull. lib. 1. §. 3. dub. 7. n. 8.* & eidem opinioni adhærere debent illi, qui loquentes de priuilegio Mendicantium habent eamdem limitationem; partem negatiuã amplectuntur, vt *Nauar. in Sum. cap. 21. num. 52. Azor. tom. 1. lib 7. cap 30. quæsit. 7. Sylvius in 3 p. quæst. 80. a. 11. quæsit. 1. in fine. Rodriquez in §. 9. Bull. n. 10.*

At partem affirmatiuam amplexi sunt quamplures, *vt Suarez. in 3. p. tom. 3. disp. 72. sect. 3. Aegid. Con. ibidem in quæst. 82. S. Thom. ar. 3. n. 31. Fagundez de præcep. Eccl. lib. 1. cap. 5. nu. 8. 9. Laymam. lib. 5. tract. 4. cap 7. num. 4 Ludouicus à Cruce in exposit. Bullæ disp. 1. cap. 5. dub. 6. n. 14. & peritissimus Diana par. 4. tract. 4. resol. 81.* vbi alios pro hac opinione laudat. 12

At posse affirmant alij.

Dicendum est cum hac secunda sententia, quam defendere etiam tenentur, qui hoc ipsum affirmant de priuilegio Mendicantium, quos adducit Diana, vt supra. Probatur autem conclusio efficaci argumento, quod deduco ex fine adæquato, quem habuit Pontifex ad excipiendam paschalem communionem; nam motus est ad limitationem hanc, vt fideles recognoscantur à proprio Parocho in receptione Eucharistiæ facienda ex præcepto tempore Paschæ: at si ponamus aliquem iam hoc præceptum adimpleuisse communicando in Parochia, & à proprio Parocho: non tenebitur ampliùs pro eo anno communicare; ergo si ex deuotione sacrum cibum sumat die resurrectionis in alia Ecclesia, aut in Oratorio, & non in Parochia, non videbitur contra aliquod præceptum agere. 13

Hæc secunda opinio admittitur.

Probatur efficaciratione.

Sed contra hanc sententiam nullum aliud fit argumentum, nisi à pari priuilegio, nempè ab illo, quod Regularibus concessum est, in quo cum excipiatur etiam dies Paschæ, & plures Doctores explicent exceptionem illam pro ipso die materiali Paschæ, & impugnent contrarios diuersis adductis argumentis: eodem modo arguunt contra nostram opinionem, in qua exponimus limitationẽ hanc esse intelligendam de communione paschali formaliter, & non materialiter sumpta, videlicet, de illa tantum, quæ est sub præcepto ecclesiastico; obijci igitur potest in hunc modum. Priuilegium istud est contra Ius commune; quia derogat iurisdictioni, quam habent Parochi in suas oues, proinde strictè est explicandum, igitur dies Paschæ materialiter est intelligendus, nempè, pro ipso die resurrectionis. 14

Proponitur cõtrarium argumentum

Respondeo quamuis, vt ego censeo, priuilegium istud sit odiosum; atq; adeo strictè explicandum; tamen non sequitur id, quod aduersarij intendunt, scilicet, sermonem esse de primo die Paschæ; si enim Pontifex solùm exciperet diem illum, sequeretur inconueniens, nempè, posse aliquem communicare in suo Oratorio pro adimplendo præcepto ecclesiastico, si communionem faciat alio die 15

Diluitur argumentum.

intra

intra spatium dierum ab Ecclesia concessum, & non in die Paschæ. Probatur sequela, nam iuxta interpretationem istam solus primus dies Paschalis excipitur, & nullus alius est exceptus; igitur cum nemo teneatur ad satisfaciendum huic præcepto, Eucharistiam sumere die Resurrectionis Domini, poterit alio die in suo Oratorio præceptum seruare.

16 *Responsio, quæ datur à Trullench.* Ad hanc instantiam, examinando priuilegium Regulariũ, respondet Trullẽch, negando sequelam, quia cum concessio ista sit odiosa, non est amplianda ad casũ, in quo non est eadem, aut maior ratio; nõ enim est eadem ratio de communione ex præcepto, & ex deuotione; illa autem maximè commendatur à iure, vt fiat in propria Parochia, & detur à proprio Parocho, proindè numquam censentur, Pontifices hanc licentiã concedere, nisi id expresse declarent, ne Parochis præjudiciũ afferãt, & ideò nõ sequitur, ex eo quod Pontifex primum diem Paschæ excipiat, concedat, vt communionem ex præcepto extra illum diem possint Regulares ministrare laicis. Sic respondet author iste, & tandem in fine illius dubij directè soluens difficultatem in ordine ad priuilegium huius Bullæ, conditionatè respondet, aitque, quod si sequamur opinionem Suarij, & aliorum asserentium per communionem diei Paschæ, intelligi communionem ex præcepto tantùm, & non ex deuotione, dicendum est posse in priuato Oratorio in die Paschæ communionem ex deuotione accipi: si autem sequamur sentẽtiam Nauarri, Rodriquez, quam addit esse veriorem, tunc per illa verba (excepto die Paschæ) non solùm intelligi communionem Paschalem, nẽpè ex præcepto, sed eam, quæ fit in ipso die Paschatis ex deuotione, & ideò non posse virtute Bullæ tali die in Oratorio priuato communionem sumi. Sic ex Trullench.

17 *Impugnatur prædicta responsio.* At eius respõsio non satisfacit, neque argumenti vim eneruat. Primò, quia nulla prorsus sufficiens ratio apparet, cur Pontifex excipere voluerit communionem illam, quam ad libitum fideles omittere poterant, vt est communio ex deuotione, & nullam facere mentionem de cõmunione necessaria ex præcepto, hoc autem pacto videri poterat excludere à priuilegio communionem ex præcepto, aut saltem præbere occasionem erroris. Secundò; quia finis huius præcepti est, vt vnusquisque communionem accipiat in propria Parochia, & à proprio Parocho, vt proprius Pastor posset oues suas agnoscere; ad hunc autem finem assequẽdum, non videbatur medium congruum & proportionatum, communio ex deuotione, quæ est in arbitrio fidelium, sed communio necessaria, quã fideles omittere nequeunt. Ex his igitur impugnatur responsio Aegidij Trullench, cum non tollat nostri argumenti efficaciam. Maneat igitur per communionem in die Paschæ à Pontifice intelligi communionem debitã ex præcepto; proindè si quis iam satisfecerit præcepto communionẽ recipiendo in Parochia, vel intentionem habeat adimplendi præceptum aliquo die intra Octauam Paschæ, antequam præcepti tempus labatur, & velit Eucharistiam sumere ex deuotione die primo Paschæ in Oratorio, poterit id facere virtute huius Bullæ, & idem assero de communione facienda per priuilegia Regularium; neque huic sententiæ obstat principium illud, nimirum priuilegium contra Ius commune esse limitandum, quia hoc verum est, quando limitatio, & restrictio non est talis, vt ex illa sequatur aliquod inconueniens, vel nulla est ratio dictans talem restrictionem esse omittẽdam, aut restrictio non sit dissentanea rectæ rationi: si autem verba coarctẽtur ad diem primum Paschæ, & ad quamlibet communionem, siuè ex præcepto, siuè ex deuotione, sequeretur inconueniẽs superiùs à nobis declaratum. Rursus ex ista restrictione deducitur aliquod inuerisimile iuxta mentem Pontificis, scilicèt, voluisse excipere communionem quamcumque, cum sufficienter finis intentus haberi possit excipiendo communionem ex præcepto, vt ostendimus.

Dices cum *Syluio l.c.* à S. Congr. fuisse decisũ anno Domini 1586. die 23. Ianuarij, non posse in die ipso Paschæ sumi Eucharistiam in Ecclesijs Regularium, siuè ex præcepto, siuè ex deuotione fiat communio. 18 *Obiectio.*

Respondeo primò, obiectionem istam directè non esse contra nostrum institutũ; quia nos loquimur in præsentia de priuilegio Bullæ, & non intendimus examinare vim priuilegiorum Regularium; tamẽ quia videtur forsitan, eadem esse ratio, & per consequens declaratio videtur se extendere ad priuilegium Bullæ, idcircò aliam addo solutionem. *Responsio prima.*

Respondeo secundò, de tali declaratione nobis non constare, & ideò dum de illa certi non sumus, debemus in hac re discurrere secundum ea, quę sunt probabiliora, & magis communiter à Doctoribus recepta, rectæque rationi magis conformia. 19 *Secunda responsio.*

(: † :)

SEC-

SECTIO III.

De vsu aliorum Sacramentorum, & de Benedictionibus Nuptiarum.

20 DVm viget Interdictum locale, & generale, de quo in hoc diplomate Pontifex loquitur, vltra sumptionem Eucharistiæ prohibetur collatio Extremæ vnctionis, vt patet *ex cap. Quod in te. de Pœnit. & remiss.* & Collatio Ordinis de qua licet non habeatur in specie declaratum aliquid in Iure, vt aduertit *Suarez disp. 33. sect. 1. de cens. nu.* 44. nihilominus venit prohibita sub illa vniuersali prohibitione Sacramentorum *in cap. Responso de sent. Excomm.* his addimus Benedictiones nuptiarum, seu Sacramentum Matrimonij contrahendum cum solemnitate, &c. Quærimus ergo quid in hac Bulla circa prædicta indulgeatur?

Prohibitio cōferendi Ordines includitur in prohibitione vniuersali Sacramentorum.

Vi Bullæ possunt tempore interdicti Sacramenta prædicta licitè administrari.

21 Dicendnm est primo, tempore Interdicti virtute Bullæ posse Sacramenta prædicta licitè administrari, & recipi. Est communis sententia, quæ expresè habetur in textu ipsius diplomatis illis verbis (*Item Eucharistiam, & alia Sacramenta, præter quam in die Paschatis recipere conceditur, &c.*) per alia Sacramenta intelligūtur ea, quæ per Interdictū erant prohibita; hæc autem sunt Eucharistia modo laico recipienda, Extrema vnctio, & Ordo. De Matrimonio autem est dubitatio, vt mox dicemus; reliqua enim sunt in ipso Iure excepta, vt est Baptismus, & Confirmatio *in cap. Quoniam. de sent. Excom. in* 6. Similiter Sacramentum pœnitentiæ, etiam extra articulum mortis excipitur *in cap. Alma Mater*. Quod verò attinet ad Matrimonium res est dubia; nam aliqui, inter quos est *Suarez disp. cit. sect.* 1. putant non esse licitum contrahere Matrimonium tempore Interdicti localis in loco interdicto, quos sequitur, *Bonacina de cens. disp. 5. p. 3. n.* 8. quamuis alij putent id esse licitum, si absq; solemnitate celebretur: in qua sententia est, *Sanches lib. 7. de matr. disp. 8. n. 2.* & quamplures apud ipsum, qui hoc probant, *ex cap. de Ferijs. §. Quia ergo*. Vbi habetur eam esse Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, vt quocumq; tempore Matrimonium contrahatur. Sed quidquid sit de hac controuersia; nam etiam si matrimonij celebratio tempore Interdicti nō esset licita, tamē per Bullam fieret licita.

Cōtractio Matrimoni tempore interdicti est dubium an sit prohibita.

Aliqui dicunt prohiberi.

Alij; putant licere absque solemnitate

Benedictiones nuptiarum pmittūtur vigore Bullæ.

22 Dicendum est secundo, Benedictiones nuptiarum esse permissas beneficio Bullæ. Est communis opinio, quæ probatur ex eo, quod Benedictiones istæ cōprehēdūtūr sub diuinis officijs, & sūt actus Ordinis, quia Sacerdos tātùm potest Spōsos benedicere: cum autem tempore Interdicti concedantur per priuilegium Bullæ dinina officia, intelliguntur etiam cōcessæ Benedictiones istæ. Sic *Aegidius Trullench §. illo 3. dub. 9. n. 1.* & addit hoc esse licitum, tum in Ecclesijs, tū in Oratorijs priuatis; nā Bulla, vt patet ex verbis relatis indifferenter quantum ad hoc loquitur de Ecclesia, & Oratorio.

Contin. non sub indulto celebrandi diuina officia.

Vsus huius priuilegij cōceditur cum limitationibus.

23 Dicendum est tertio. Vsus iste priuilegij intelligitur concessus cum illis moderationibus, sub quibus cōcessa fuit celebratio Missæ, & aliorum dininorum officiorum, nempè, vt vtens Bulla non sit personaliter interdictus, neque dederit caussam Interdicto, aut per ipsum non stet, quin tollatur; præterea, vt locus nō sit specialiter interdictus, hæ limitationes præscribuntur particulariter in Bulla; subintelligi autem debet, non esse aliquod impedimentum ex parte priuilegiati, videlicet excommunicationem, suspensionem aliquam, &c. quia aliquo ex his impedimentis posito, priuilegium prædictum non suffragabitur, nisi priùs auferatur censura impediens.

CAPVT V.

De Priuilegio in ordine ad Ecclesiasticam sepulturam pro tempore Interdicti.

VLtimum priuilegium, quod conceditur per hanc Bullam, dum Interdictum viget, est pro sepultura Ecclesiastica, quæ prohibetur per *cap. Quod in te. de Pœnit. & Remiss.* & per diuersa alia Iura relata *à Suarez disp. 35. de cens. sect.* 1. Hac autem prohibitione præsupposita Pontifex in gratiam Cruciatæ nonnulla concedit, de quibus nunc tractabimus. 1

SECTIO I.

An per Priuilegium assistendi diuinis Officijs, intelligatur concessa Ecclesiastica sepultura.

INfine huius paragraphi tertium apponitur priuilegium circa Ecclesiasticam sepulturam; hisque verbis declaratur (*Item mortuorum corpora, nisi forte vinculo excommunicationis innodati decesserint, cum moderata funerali pompa sepeliri conceditur*) Circa hoc, quod tertium vniuersale priuilegium nuncupari solet ex illis, quæ per hanc Bullam contra Ius commune conceduntur, quæri potest an sit distinctum, & nouum priui- 2

legium

Priuilegium sepulturę aliqui censent nō esse distinctū à priuilegio assistendi diuinis officijs.

legium à præcedente, per quod perceptio Sacramentorum permissa fuit: & non esse distinctum priuilegium affirmat *Ludouicus à Cruce in exposit. Bullæ disp. 1. cap. 7. dub. 7. initio*, idq; docet *ex S. Anton. part. 3. tit. 26. cap. 4. §. 1. ex Syluest. verb. Interdictum 5. quæst.* 10. quam opinionem expressè sequitur. *Henriquez lib. 13. cap. 44. n. 5. Emanuel Sà in aphorism. ver. Interdictum n. 21. Nauarr. in Sum. cap. 27. n. 181.* & citat *Calderinum de Interdicto, Auilã de cens. par. 5. disp. 4. sect. 3. dub. 4. concl. 1. & alios* loquentes de Priuilegio assistēdi Diuinis Officijs, sub quo comprehendunt Priuilegium sepulturæ ecclesiasticæ; volunt enim hi Doctores, Priuilegiatum ad audienda, & recipienda Sacramenta, & assistendum Diuinis esse priuilegiatum ad sepulturam Ecclesiasticam; & ideo ex hoc, idem Ludouicus infert in quattuor illis festis, in quibus per *cap. Alma Mater.* conceditur, vt tempore Interdicti Diuina Officia publicè, & solemniter celebrentur, licitum esse mortuis Ecclesiasticam dare sepulturam, & apud *Suarez disp. 35. de cens. sect. 1. nu. 11. Angelus, Syluest.* hoc ipsum docent. Idque primò probant, quia Ecclesiastica sepultura præcipuè prohibetur, quatenus annexū habet Diuinum Officium; quapropter si Officium Diuinum permittitur, censetur etiam sepultura concessa. Secūdo, quia communicatio cum aliquo viuente si est permissa, erit etiam permissa communicatio cum eodem iam mortuo, vt colligitur *ex cap. A nobis. 2. de sent. excom.* igitur cum viuens admittatur ad Diuina Officia, & per consequens cum illo viuēte communicamus, sequitur eidem esse concessam communicationē post mortem, quæ habetur per Ecclesiasticam sepulturam.

3 *Alij cum limitatione id admittunt.*

Alia opinio esse potest ea, quam affert *Auila*, quæ ait id fieri posse, quando priuilegium est ad Officia Diuina, & ad Sacramenta, & negat quando priuilegium tantum est ad Officia. sic *Federicus consil. 3. apud Nauar. l. c.*

4 *Priuilegium sepulturæ est distinctum à reliquis.*

Dicendum tamen est, hoc esse distinctum Priuilegium à præcedente, & in illo vi verborum minimè includi. Sic *Suarez sect. cit. nu. 13.* & apud illum *Glos. in Clem. 1. de sepult. Couarr. in cap. Alma Mater. par. 2. §. 5. n. 6. Maiolus de irregul. lib. 3. cap. 23. nu. 15.* Et huic sententiæ ascribuntur præter citatos. *Ioannes Prep. in 3. p. quæst. 4. de Interd. dub. 2. nu. 42. Aegid. Con. de Sacram. disp. 27. dub. 2. nu. 55. Hurtad. de Interd. diff. 9. n. 30. & plures alij apud Dianā par. 5. tract. 10. resol.* [illegible] Probatur hac ratione, effectus interdicti, de quibus hactenus loquuti sumus, enumerantur in Iure tamquam tres pœnæ inter se distinctæ, ita vt vna non contineatur in alia; igitur cōcessio, seu relaxatio circa Ecclesiasticam sepulturā erit nouum, & distinctum priuilegium ab eo, per quod conceditur, assistere Diuinis Officijs, &c. Antecedens autem patet *ex cap. Episcoporum. de Priuileg. in 6. & ex cap. Si ciuitas. de sent. excom. eod. lib.* Neque dicas, illas pœnas enumerari, vt distinctos effectus Interdicti, & relaxationes, vt distincta priuilegia ad maiorem explicationem, & non quod tertium non includatur implicitè in secundo, aut in primo. Ne dicas hoc, quia sine fundamento asseritur, vt mox videbimus soluēdo rationes oppositas; & quia spectando ipsa verba, quoad eorum significata, nequimus significatum priorum verborū, quibus cōceditur secūdū, aut primū priuilegiū extendere, ad significatū verborum, quibus datur tertium priuilegiū vt consideranti patet. Consequentia verò principalis argumenti est manifesta; quia si illi effectus sunt diuersi, & vnus est ab alio independes; ablationes eorumdē effectuum, seu pœnarum erūt diuersæ, & vna non continebitur in alia; sed erit ab illa independens.

Franc. Bard. in Bull. Cruc.

Ad primam autem rationem pro contraria sententia, nego, sepulturam Ecclesiasticam prohiberi præcipuè ob Diuinū Officium, sed prohiberi per se, quatenus est quidam locus sacer deputatus ad recipienda corpora mortua fidelium baptizatorum; & ideo sepultura, cum sit participatio loci sacri, prohibetur tempore interdicti. Et cōfirmatur *ex cap. Quod in te. de Pœnit. & Remiss.* in quo conceditur Clericis Ecclesiastica sepultura, non obstante interdicto; & tamen non conceditur Diuinum Officium annexum: & sic patet concessiones istas non esse connexas, & vnam sub alia minimè comprehēdi. Rursus *in cap. Cum, & plãtare. §. Quod si. de Priuileg.* Permittitur Diuinū Officiū quibusdam Templeraris, & Hospitalarijs, & eisdē negatur Ecclesiastica sepultura; proinde, hæc duo, cum in Iure separentur; necessè est, vt vnum sit ab alio diuersum, & in illo non includatur; atq; adeo Priuilegium, per quod vnum tollitur, erit distinctū ab eo, per quod tollitur aliud. 5 *Soluuntur cōtrariæ rationes.*

Ad secundam rationem respondeo, committi æquiuocationem; fit enim trāsitus de vna in aliam communicationē; quia dum Interdictū viget, per Priuilegium Bullæ permittitur communicatio in celebratione Diuinorum Officiorum; ex hoc tamen non sequitur esse permissā cōmunicationē respectu sepulturæ Ecclesiasticæ; quia hæc differt ab illa. & ad illud axioma, videlicet, si 6

permittitur communicatio cum viuēte permittitur ētiā communicatio cū eodē mortuo dico valere hoc axioma respectu eiusdem rei, in qua fit communicatio, & ideo si quis tempore Interdicti Priuilegium habet assistendi, & communicandi in Diuinis Officijs, poterit etiam, & mortuus suo modo communicare, nempè, per præsentiam, quatenus eius cadauer poterit ad Ecclesiam deferri, dum celebrantur officia, vel eius exequiæ; at cōpletis officijs debet extra locum sacrum sepeliri; quamuis hæc sit impropria communicatio; & propriè loquendo nec defunctus cōmunicat in celebratione Diuinorum cum viuentibus, nec viuentes in sepultura communicant cum mortuo, vt bene aduertit *Suarez sect. cit. num.* 17. & ex his explicari poterit dictum illud, cui communicamus viuo, communicare etiam possumus mortuo, quod axioma desumptum est *ex cap. à nobis* superius citato, in quo per negationem hoc modo proponitur, *Non communicetur mortuo, cui non est communicatum, & viuo*, quod intelligi debet, si per ipsum, in quo erat impedimentum communicationis, dum viuebat, non steterit, quin tollatur impedimentum excommunicationis, de qua in eo loco est sermo, sic ibi se declarat Pontifex, proinde axioma allatum nihil facit contra nos.

Explicatur illud axioma, si permittitur communicatio cum viuo, permittitur cum eodē mortuo.

SECTIO II.

An si aliquis tempore Interdicti pro defuncto Bullam accipiat, suffragetur illi in ordine ad sepulturam ecclesiasticam?

7 *Henriquez putauit Bullam viuorū suffragari mortuis pro sepultura ecclesiastica.*

CEnsuit *Henriquez lib. 7. de Indulg. cap. 20. in fine. Comment. lit. T. Z.* posse aliquem accipere Bullam viuorū pro defuncto tempore Interdicti, & vi talis Bullæ defunctum sepelire in loco sacro, quam opinionem *Trullench. lib. 1. in Bullam. §. 3. dub. 10. n. 1.* non existimat improbabilem, & soluit difficultates, quæ in cōtrarium adduci possent: tandem se remittit ad ea, quæ priùs dixerat, *§. 1. dub. 6. num. 2.*

8 *Oppositum sustinet Trullench.*

Sed ipse contrariam sentētiam tuetur, & apud ipsum. *Villalob. tom. 1. tract. 27. clauf. 5. nu. 2.* citat etiam *Rodriquez in addit. ad §. 5. nu. 92.* vbi nihil tale innenio.

9 *Opinio Authoris negatiua.*

Hanc autem sententiam puto esse omninò amplectendā, videlicet, nō posse Bullā viuorū sumi pro mortuo in hūc finem, vt vigente Interdicto in loco sacro defunctus sepeliatur. Probatur Conclusio, quia hoc tertium priuilegium pro sepultura ecclesiastica tempore Interdicti est concessum pro viuentibus, vt post eorum mortem effectum habeat; idcirco appositum fuit in Bulla viuorū, vt patet ex ipso diplomate. Confirmatur ex verbis, quæ habentur in clausula huius priuilegij, dum dicitur Priuilegiū concedi. *Iis, qui nec ibunt, nec mittent; si ex bonis sibi à Deo collatis in hanc expeditionem pro religionis defensione liberaliter contulerint, &c.* hæc autem verba nequeunt dirigi, nisi ad viuos; nam defuncti nō habent bona, nec de ijs, per se, aut per alium post mortem disponere possunt, nisi priùs in vita disposuerint.

Dices, dum quis pro mortuo Bullam accipit, licet non sit formalis acceptio ex parte ipsius, pro quo Bulla sumitur; quia est impossibilis ex parte defuncti: tamen est acceptatio virtualis, & implicita; quatenus defunctus ante mortem censetur voluisse omnia remedia sibi necessaria ad animæ salutem; si enim ante mortem interrogatus fuisset, an vellet, vt alius pro se acciperet Bullam, absq; dubio respondisset velle; & hoc pro adultis mortuis; pro Infantibus verò satis videtur ipsius Bullæ indigentia, in ordine ad sepulturam; sicuti in eisdem Infantibus sufficit indigētia Baptismi ad hoc, vt ipsi dicantur virtualiter Baptismum petere; & in Bulla pro mortuis satis est illam accipere, & mortuo applicare; quamuis, & acceptio, & applicatio fiat à viuente; sic etiam sufficit, etiā in ordine ad hūc effectum sepeliendi, vt viuens Bullam sumat pro defuncto, vt in loco sacro sepeliatur. 10 *Instantia.*

Vlterius posset quis dicere non esse necessariam acceptationem, nisi in illis priuilegijs, quæ viuis conceduntur; non autem in illis, quæ sunt pro defunctis; inde est, vt Pontifex consultò decreuerit apponere hoc priuilegium de sepultura separatum à præcedentibus, scilicet, à priuilegio audiendi Diuina, & recipiendi Sacramenta dum ait (*Vt mortuorum corpora possint cū moderata pompa sepeliri*) volens per hæc verba significare, sufficere in ordine ad hunc effectum Bullam pro defunctis accipere. Sic discurrit *Trullench in illo dub.* 10. defendēs opinionem, quam sequutus est *Henriquez*, & quam ipse improbabilem non putauit. 11

Verum discursus iste nihil fauet illi opinioni. Et ideo dico primo: trāseat illa virtualis acceptatio, quàm certo existimo esse confictam: attamen esset probandum Bullam viuorum se extendere ad defunctos, non obstante, quod acceptatio Bullæ sit post mortē illius, cui applicatur; ex acceptatione enim nequit hoc deduci, quia acceptatio ad hoc, vt prosit, supponere debet vim, & efficaciā in re 12 *Diluitur instantia.*

quæ

quæ acceptatur; igitur priùs erat probãda talis efficacia, & postea erat acceptatio inquirenda. Præterea, quod dicitur de baptismo Infantium est longè diuersum à casu nostro; quia Sacramentum Baptismi habet vim caussandi gratiam, etiã in ijs, qui vsu rationis carẽt, ex Christi Domini institutione, vt declarãt Cõcilia; at non habemus Bullam viuorum prodesse defunctis, si post eorum mortem ab aliquo viuente pro illis capiatur.

13 Demum disparitas illa inter priuilegia concessa pro viuentibus, & priuilegia cõcessa pro mortuis, quamuis veritatem, absolutè loquendo, habere possit: nihilominus supponit, Priuilegium viuentibus concessum posse defunctis proficere, quod nos negamus de Bulla viuorum, & oppositum esset ab aduersarijs probandum: quod tamen non probatur.

14 Ex his, quæ dicta sunt, duo colligimus, primo Bullam, quæ prodesse potest pro ecclesiastica sepultura esse Bullam viuorũ & suadetur ex ipsomet diplomate, nam Priuilegium de sepultura est appositum in Bulla viuorum, & nõ mortuorũ, in qua nihil prorsus de hoc priuilegio dicitur. Secundo, quod ad hoc, vt virtute Bullæ defunctus tempore Interdicti in loco sacro sepeliatur, oportet, vt Bulla capta sit ante mortem illius, cui applicatur, aliter si sumatur post eius mortem, erit prorsus inutilis applicatio, & licet efficacia Bullæ in ordine ad aliquem effectum se extendat post mortem sumentis; tamen oportet, vt ius ad talem effectum, in hac vita fuerit acquisitum, & hoc non gratis asserimus, sed magno ducimur fundamento, tum ex communi Doctorum consensu; nam pro contraria opinione, neminẽ vidi præter Henriquez; tum etiam quia verba ipsius Bullæ si rectè considerentur, hoc ipsum indicant, vt supra ostendimus.

Vt Bulla viuorum prosit pro sepultura Ecclesiastica sumi debet ante mortem ipsius accipientis.

SECTIO III.

An Priuilegium Cruciatæ pro ecclesiastica sepultura in aliquo Clericis faueat?

15 Ratio dubitandi pro parte negatiua desumitur ex eo, quod Clericis etiam primæ tonsuræ concessum est in Iure communi, posse tempore Interdicti sepeliri in loco sacro. Ita habetur expressè *cap. Quod in te. de Pœnit. & Remiss.* cum quibusdam conditionibus eod. cap. recensitis, & ita etiam affirmant cõmuniter Doctores *Couar. in cap. Alma Mater. par. 2. §. 4. n. 1. Sayrus de cens. lib. 5. cap. 8. n. 12. Henriquez lib. 13. cap. 44 n. 4. Suarez de cens. disp. 35 sect. 1. & alij* communiter; quapropter videtur priuilegium huius Bullæ, quoad effectum sepulturæ, nihil Clericis prodesse, quia independenter ab illo conceditur Clericis sepultura in loco sacro.

Dicendum tamen est primo, priuilegium Cruciatæ prodesse Clericis in ordine ad aliquam circumstantiã, quæ spectat ad effectum sepulturæ, videlicet, sepeliri cum moderata pompa funerali; nam licet de iure communi valeant Clerici tempore Interdicti sepeliri in loco sacro; nihilominus nequit id fieri cum pompa, vt expressè statuitur in dicto *cap. Quod in te.* excipimus tamen festiuitates illas, in quibus iuxta moderationem per *cap. Alma Mater*, licitũ est celebrare Officia Diuina cum solita solemnitate; nam, & si virtute Priuilegij *in cap. Alma.* non concedatur Ecclesiastica sepultura, etiam Clericis: tamen cum supponatur concessa ex vi alterius Iuris, licitè poterit addi Officium Diuinum cum illa solemnitate concessa *in cap. Alma Mater*. In reliquo autem anni tempore non potest durante Interdicto dari sepultura ecclesiastica cum funerali pompa absque priuilegio; per hanc igitur Bullam conceditur sepultura etiam cum pompa; atque adeo Priuilegium Cruciatæ erit etiam Clericis vtile, non quoad meram, & simplicem sepulturam ecclesiasticam, quàm independenter ab hoc priuilegio habent, sed quoad circumstantiam, nempè quoad solemnitatem. 16

Priuilegium sepulturę, quo ad aliquam circumstantiam fauet Clericis.

Vi Bullæ cõceditur sepultura cũ pompa funeris.

Dicendum est secundo. Præter honorem extrinsecum funeris nihil prodest Clericis priuilegium Bullæ in ordine ad sepulturam; nam reliqua concernentia ad illam sunt ipsis Clericis concessa per ius commune, vt vidimus. 17

Dices. Per textus *in cap. Quod in te.* conceditur Clericis sepultura solùm in Cœmeterio; per Bullam verò Cruciatæ extenditur etiam ad Ecclesias, ergo Priuilegium Cruciatæ fauet Clericis, non solùm quoad pompam funeralem, verũ etiam quoad locum. 18

Obiectio probans Priuilegium Cruciatæ fauere Clericis, etiã quoad locum sepulturæ.

Neq; valet respõdere per Cœmeteriũ intelligi Ecclesiam; hoc enim est apertè falsum: quia Cœmeterium se habet accessoriè ad Ecclesiam, & ideo non sequitur, facultatem concessam pro loco accessorio, & minùs principali ampliandã esse 19

esse ad locum principalem, qui non cõtinetur sub minùs nobili, licet minùs nobilis claudatur sub nobiliori, cuius est accessorius.

Præmittuntur quædam ad soluendā obiectionem.

20 Responsio ad hanc instantiam depēdet ab explicatione illius textus, seu ab assignatione caussæ, cur Pontifex in eo capite, *Quod in te*, Cœmeterium tantùm specificet; vt sic enim videtur tacitè denegare Clericis sepulturam in Ecclesia; cum enim omnis locus sacer tempore Interdicti pro sepultura sit prohibitus, dum de solo Cœmeterio fit mentio, implicitè omnis alius denegatur. Quapropter *Pater Suarez sect. illa n.* 7. asserit, quod quamuis iuxta verborum rigorem sub Cœmeterio non comprehendatur Ecclesia; tamen hanc interpretationē ait esse rigorosam, & addit difficile esse creditu, solum locum illum concedi Clericis in sepulturam, qui eorum statui, & dignitati videtur minùs decēs; proinde inquit fortasse nomine Cœmeterij significari omnem locum sacrum ad sepulturam fidelium destinatum; & quia olim fideles frequentiùs sepeliri solebant in Cœmeterijs; idcirco ex frequentiori vsu omnis locus ecclesiasticæ sepulturæ sub illa voce comprehensus est. Sic *ex Suarez*, qui in re hac non debuit nimium laborare, quærens, an sub nomine Cœmeterij omnis locus sacer ad sepulturam deputatus, sit comprehensus, nec rigorosam existimare explicationem illius vocis sumptæ iuxta propriam significationem, vt distinctam à significatione Ecclesiæ; neque demum difficile sibi videri debuit, solùm locum illum concedi Clericis in sepulturam: non debuit inquam, *Suarez* in his nimium laborare, si ad veterem ritum sepeliendi mortuos attendere voluisset; In primitiua enim Ecclesia non permittebatur, corpora fidelium intra ipsam Ecclesiam sepeliri, sed in sepulturam destinata erant atria Ecclesiæ, seu Cœmeteria sacra; probatio autem expresse habetur *in Concilio Triburensi cap.* 17. *in Concilio Nanatensi, vt refertur cap. Præcipiendum. §. Prohibentes* 13. *quæst.* 2. de qua re videndi sunt Scribentes in Decretum, & de qua fusè agit. *Stephanus Durante de ritib. Eccles. lib.* 1. *cap.* 23. *per totum*, *Lauorius in Lucubrat. de Prisco, & Recenti funerandi more tit.* 2. *cap.* 5. *à n.* 103. *Barbos. de Iure Eccles. lib.* 2. *cap.* 10. *nu.* 6. *&* 7. addens magnam fuisse veterū religionem, ac subinde strictè prohibitum fuisse, ne intra Ecclesiam aliqui sepelirentur; idcirco *S. Chrisost. hom.* 66. *ad Populum* de hac re loquens refert Constantinum Magnum sepultum pro foribus Ecclesiæ S. Petri magno fuisse honore affectum, & sic inquit (*Nam, & hic Constantinum Magnū ipsius filius honore magnum censuit haberi, si pro foribus piscatoris paternum corpus collocaret*) idemque dicitur de alijs Imperatoribus apud *Durantem l. c.* Attamen temporis progressu honor sepulturæ in Ecclesijs, cœpit deferri Episcopis, alijsq; insignibus personis, vt notant Doctores. *Henriquez l. c. Auila de cens. par.* 5. *disp.* 4. *sect.* 3. *dub.* 2. *vers. Circa quam. Turrecr. & alij in cap. Nullus caus.* 13. *q.* 2. *Alterius disput.* 2. *de Interd. cap.* 5. *ver. Respondeo posse. & disp.* 6. *cap.* 1. *vers. Respōdeo in cap. Quod in te.*

Antiquitùs corpora fidelium sepeliebantur in atrijs extra Ecclesiam, & in Cœmeterijs.

Denique Canones isti prohibentes sepulturā in Ecclesijs in desuetudinem abierunt; atque adeo fidelibus omnibus baptizatis cōceditur sepultura in Ecclesia, exceptis quibusdam casibus. Et hæc dicta sint per transennam ad ostendendum *in cap. illo Quod in te.* Cœmeterium acceptum fuisse in sua propria, & rigorosa significatione, vt distinctum ab Ecclesia; quia tunc erat proprius locus destinatus ad sepulturam fidelium, & hæc est ratio, quare *in cap. illo*, de sepultura in Ecclesia nihil dictum fuerit. Redeuntes autem ad instantiam contra nos factam: dicimus priuilegium Cruciatæ nihil fauere clericis circa sepulturam, nisi quoad circumstantiam honoris extrinseci; & quamuis in *cap. Quod in te*, solùm illis concedatur Cœmeterium: tamen ideo hoc factum fuit, quia eo tempore in sepulturam non concedebatur Ecclesia, communiter saltem; nunc verò quia indiscriminatim fideles in Ecclesijs sepeliuntur, priuilegium illud Iuris communis extenditur etiam ad sepulturam in Ecclesia; & quamuis Ecclesia non cōprehendatur sub verbis illius capitis veluti materialiter acceptis, ob rationem in argumento tactam: nihilominus comprehēditur sub eisdem verbis veluti formaliter sumptis, nempè, prout subſtant intentioni Pontificis, qui in tantum voluit Cœmeterium assignare in sepulturā Clericorū; in quantum tūc vigebat prohibitio sepeliendi in Ecclesia; proindè non erat locus alius honoratior pro omnibus in sepulturam destinatus; & non est præsumendum voluisse à Pontifice denegari locum nobiliorem, si fuisset talis locus communis pro sepultura concessus. Ex his patet responsio ad instantiam factam, cuius consequentia est neganda, ob discursum prædictum, & rationem à nobis datam.

Diluitur Obiectio.

(✝)

SEC-

SECTIO IV.

Quanamfit ista pompa funeralis, & moderata.

21 QVamuis per Bullã concedatur, eam sumentibus, sepultura Ecclesiastica post eorum mortem tempore Interdicti, & cum pompa; tamen additur, pompam debere esse moderatã. qua propter duo quærimus; primò de qua pompa sit sermo. secundò, quæ sit ista moderatio.

22 *Quenam sit pompa, qua conceditur.* Circa primum dico, pompam de qua loquimur, esse quamdam solemnitatem, quæ fit in honorem defuncti. Ea autem duplex est, vna humana, & politica; alia verò Ecclesiastica: de illa non loquuntur Canones statuentes pœnas Interdicti, neque Cruciata limitationem circa pompã præscribens; sed loquuntur de ista secunda, vt aduertit *Suarez d. 35. Sec. 1. nu. 7. & Alterius disp 6. de Interd. cap. 1. ver. quarto Dubitari potest*. Pompa autem humana cõsistit e. g. in comitatu plurimorum Famulorum, Virorum Nobilium, Magistratuum, &c. associantium defuncti corpus, & in similibus; pompa verò ecclesiastica, quæ prohibetur per Interdictum, & cuius moderatio inquiritur, consistit in comitatu Clericorum, & Religiosorum, in luminibus, quæ deferũtur ab ipsis Clericis comitantibus cadauer, & cum cantu recitantibus psalmos, & cõsuetas Orationes. Rursus importat pulsationem cãpanarum in signum mœstitiæ. & hæc de primò dubio.

23 Circa secundum, quod proposuimus, videlicèt, in quo consistat moderatio, quã Bulla expostulat, varia dicunt Doctores; *Moderatio, in qua consistat per Cordubã?* nam *Corduba de Indulg. quæst. 43. dub. 5.* declarãs quid circa pompam funeris fieri potest virtute Bullæ, sic inquit, *Posse ter pulsari Campanas pro suis clamoribus, si defunctus est vir; bis autem si est fœmina: Item posse Clericos, & Religiosos deferentes cadauer cantare, dummodo nõ dicatur aliud Officium diuinum, aut defunctorum, aut Missa, nisi id quod in ordinario ad deferendum, & sepeliendum defunctum, præscriptum est*: Et addit sic statutum fuisse in Bulla Cruciatæ contra Africam *per Leonem X. Anno Domini 1516. sed in Bulla contra infideles* concessa *per Iulium III. Anno 1552.* declaratum fuisse per pompam moderatã, intelligi medietatem illius pompæ, quæ fieret non existente Interdicto, & pariter sic etiam declaratum fuisse à *Pio IV. Anno 1564. & 1565.* Tandem se remittit ad cõsuetudinem loci, & iudicium Episcopi, & in eius absẽtia ad arbitriũ Curati; eamdẽ sentẽtiam sequuti sunt *Rodriquez in Bullam §. 5. nu. 13. Acosta quæst. 27. Henriquez lib. 7. cap. 13. nu. 4.*

24 *Exponitur opinio Authoris.* Dicendum est primò, in hac re adhærendum esse consuetudini loci, vel indicio Episcopi. Sic *Villalob. tract. 27. clausl. 5. nu. 3. Ludouicus à Cruce in Bullam disp. 1. cap. 5. dub. 7. n. 2. Trullench lib. 1. §. 3. dub. 10. nu. 6.* & hoc non est contrarium sententiæ *Cordubæ, & aliorum*, qui medietatem determinarunt pro moderata pompa; nam ipsi finaliter ad iudiciũ Ordinarij hoc remittunt, ad quem spectat declarare ea, quæ sunt diuini cultus, & in Sacris Canonibus, seu in decretis alijs Pontificijs sunt obscura: & licèt *Iulius III.* vt dictum est, declarauerit pompam moderatam intelligi medietatem solemnitatis, quę fieret si Interdictum non existeret secundum qualitatem defuncti: nihilominus hoc ipsum ab Episcopo est in indiuiduo declarandum, scilicèt, quęnam pompa ecclesiastica sit conueniens tali personæ in his circumstãtijs, vt ex illa sic spectata innotescat, quænã sit medietas permissa per priuilegium huius Bullæ.

25 *Sepultura vi Bullæ fit ianuis Eccl. sie apertis.* Dicendum est secundò, sepulturam, quæ in loco Sacro datur virtute Cruciatæ, fieri posse ianuis Ecclesiæ apertis. Sic *Henriq. eod. cap. nu. 4. lit. V.* & ratio, est manifesta; quia cum solemnitas ista, vt publicè exercenda, concedatur, licèt, cum moderatione, videtur etiam concedi fieri posse ianuis Ecclesiæ apertis, aliter non esset publica, sed occulta, & per consequens, neque Clerici associantes cadauer possent per viam alternis Choris cantare; maior enim est publicitas ista, quam illa, quæ est in Ecclesia, dum defunctus ianuis reseratis sepelitur; igitur cõcessõ eo, quod est maius, intelligitur concessum minus, quod est in eodem genere cũ illo maiori.

26 *Nequit vi Bullæ funus cum Missa celebrari.* Dicendum est tertio. Non potest vi huius Bullæ funus celebrari cum Missa. Sic *Henriquez l. c. & Trullench eod. dub. vt supra nu. 6.* Ratio autem est; quia sub pompa funerali non comprehenduntur Diuina Officia, inter quæ præcipuũ obtinet locum Sacrificium Missæ, proindè finita sepultura cum illa pompa, claudẽda est Ecclesia, atque etiam excludendæ sunt personæ non priuilegiatæ, & postea submissa voce absque sono campanarum, poterit pro anima defuncti Sacrum Celebrari, & non video, qua ratione moueatur *Henriquez* ad ponendam exceptionem; concedens enim posse defunctum vi Bullæ sepeliri in loco Sacro, & cum pompa moderata ianuis Ecclesiæ apertis, subdit (*sed absque Missa, nisi Episcopus dispenset, sic Henriquez*, & quamuis illi assentiar, non posse defunctum sepeliri cum Missa ex eo præcisè, quod sit permissa *Henriquez exceptio rejcitur.*

missa

missa sepultura ecclesiastica cum pompa prædicta, quia sub nomine pompę funeralis non continetur Missa, quæ comprehenditur sub nomine Diuini Officij: tamen nō placet exceptio; nā in lege ista de effectibus Interdicti, cum sit à Summo Pontifice, nequit Prælatus inferior, vt est Episcopus dispensare.

SECTIO V.

An Priuilegium Cruciatæ circa sepulturam extendatur ad locum specialiter interdictum.

27 HActenus loquuti sumus de priuilegio Bullæ in ordine ad sepulturam ecclesiasticam, quando extat generale Interdictum, de quo primò, & per se agitur in ipsomet diplomate; nunc verò inquirendum est, an saltem in aliquo casu priuilegium extendat se ad sepulturam in loco specialiter interdicto?

28 Et pro parte negatiua facit illud, quod notauimus supra *initio huius tractatus c. 1. Sect. 2.* videlicèt, Indulta ista vim habere pro tempore Interdicti generalis; quapropter hoc stante videtur statim cōcludenda pars negatiua; sed quia pro affirmatiua inuenio nonnullos Authores, & in aliquo casu per accidens eadē ratio militare videtur pro vtroq; Interdicto; proindè non erit ab re difficultatem hāc dilucidare. Et quamuis de isto puncto in terminis priuilegij Cruciatæ non reperiā passim Doctores, illud examinantes: nihilominus, quia eamdem difficultatem discutiunt ponderantes simile priuilegium *in cap. Quod in te. & in cap. Alma Mater.* cuius supra meminimus; idcircò solutio huius dubij deducenda erit ex Doctrina tradita à Doctoribus circa priuilegium Iuris communis; quibus positis.

29 *Pars negatiua est aliorum* Prima sententia ea est, quam tuetur *Io. Andr. apud Panorm. in cap. illo. Quod in te. de Pœnit. & Remiss. nu.* 10. negat enim posse Clericos licitè sepeliri in loco specialiter interdicto vi prædicti priuilegij; quia in priuilegio illo sermo est tantùm de Interdicto generali, in quo sufficiens erat ratio dispensandi, ne Clerici cogerētur sepeliri in loco prophano, q̄ ratio nō militat in speciali Interdicto; quia Clerici possent sepulturam habere in locis non interdictis: hanc opinionem etiam sequitur *Suarez disp. 35. Sec. 2. n. 49.* & vt veriorem eam amplectitur *Io. Prepos. quæst. 4. de Interd. nu. 40. Portel. in dubijs Reg. verb. Interdic nu. 34. Bauny de cens. disp. 8. quæst. 16. in fine* licèt hi Authores quamdam apponāt limitationem inferiùs declarādam.

Secunda sententia absolutè affirmat id fieri posse; & citatur *Hostiensis apud Panor.* eamque expressè defendit. *Auila de cens. par. 5. disp. 4. Sect. 3. dub. 2. ver. secundo notandum est post 3. conclusionem. Aegidius Trullench dub. 10. cit. n.* 5. & ait ita sentire quosdam recentiores; addit tamen *Auila* Clericos extraneos decentiùs esse sepeliri in propria Ecclesia, si non erit interdicta. Fundamentum huius opinionis est, quia videtur esse identitas rationis in vtroque Interdicto, quod ad hunc effectum. 30 *Alij Authores affirmant.*

Tertia opinio procedit cum distinctione, & ait Clericos Ecclesiæ specialiter interdictæ posse in ea sepeliri, non autem Clericos alterius Ecclesiæ; cum hac tamē limitatione; nam si in loco illo, vbi inueniuntur non sit alia Ecclesia, nisi interdicta, tunc poterunt etiā Clerici extranei sepeliri in illa specialiter interdicta. sic *Panorm. l. c. Couar. in cap. Alma. par. 2. §. 2. verb. Clericis etiam. Angelus verb. Interdic. 6. nu. 32. Syluest. verb. Interd. 5. nu. 10. in fine Henriq. lib. 13. cap. 44. n. 4. Alterius disp. 16. de Interd. cap. 4. & alij.* Ex his autem, quæ docent hi Authores colligo quid circa Cruciatam statuendum sit. 31 *Alij procedunt cum distinctione.*

Dicendum est primo, per se loquendo Priuilegium huius Bullæ circa sepulturam, non extendi ad locum specialiter interdictum; atque adeò Clericos, vi eiusdem priuilegij non posse in eo loco sepeliri. Probatur, quia verba diplomatis, si rectè perpendantur, diriguntur ad Interdictum generale locale, quod manifestum fit, si tenor huius clausulæ ponderetur; nam incipiens à primo Indulto circa celebrationem Diuinorum præmittit conditionem illam, scilicèt, vt in Ecclesijs, Interdicto durante permissū sit Diuina Celebrari; conditio autem ista supponit Ecclesiam non esse particulariter interdictam, vt de se patet, aliàs non possent in illa celebrari Diuina: & hoc est omnino certum, posteà in eadem clausula prosequens Pontifex ad alias gratias concedendas circa Ecclesias, debet loqui de Ecclesijs habentibus prædictam conditionem, nempè, vt permissum sit durante Interdicto in illis celebrari; talis autem permissio est ex vi priuilegij Iuris cōmunis *in cap. Alma Mater.* cum illis moderationibus, &c. & sic Indultum circa sepulturam intelligendum erit in ordine ad Ecclesiam, in qua possunt Sacræ functiones exerceri, vt enim supra diximus dictio illa, *Item,* est repetitiua præcedentium qualitatum, & conditionum, & sic sermo erit de Ecclesia specialiter non interdicta. 32 *Per se loquendo Bulla non extenditur ad locum specialiter interdictum.*

Dices cum *Aegidio Trullench* oppositā sententiam esse valdè conformem textui Bullæ

Bullæ, quæ absolutè sic ait (*Vt mortuorum corpora sepeliri possint* (hoc est Interdicto durante) *cum moderata pompa &c.*) & non limitat ad Ecclesiam, in qua aliàs de iure sepelire permissum est, sicut limitat in priuilegio celebrandi Diuina, vel illis assistendi, &c. ac proindè priuilegium sepulturæ ex vi verborum extenditur etiam ad Ecclesias particulariter interdictas, Hæc ex Aegidio.

34 *Discursus Aegidij, licèt, non improbabilis, tamen reijcitur.* Sed eius discursus, quãuis non sit existimandus improbabilis, & præsertim si Indulta ista credantur fauorabilia, & amplè interpetranda; nihilominus contrariũ puto esse amplectendum; quoniam in cõcessione huius gratiæ, cum sub intelligatur Interdicti existentia, vt certum est, & explicitè fateatur ipsemet Aegidius, non aliud Interdictum poterit subintelligi, nisi illud, de quo immediatè antea fuit sermo; tale autem Interdictum est generale, vt euidenter declarat conditio illa initio clausulæ apposita, videlicèt, circa aptitudinem loci ad celebrandum vi priuilegij iuris communis, vt supra diximus; & non est verisimile in eadem clausula, nunc sumi Interdictum in vna, nunc in altera acceptione; non apponendo, ad æquiuocationem, & occasionem erroris tollẽdam, aliquod verbum, per quod significaretur transitus sermonis de vno in aliud Interdictum.

Alia instãtia At posset quis vlterius sic vrgere. Ad ostendendam diuersitatem modi, sub quo conceduntur hæ gratiæ, satis fuit requirere conditionem illam loci in concessione vnius gratiæ, nimirum in celebratione Diuinorum, & eamdem tacere in concessione alterius gratię, idest in actione sepeliendi; eo enim ipso, quod in vna ponitur, & non in alia, implicitè censetur in illa postulari conditionem, non autem in ista. ..

35 *Soluitur.* Contra est, quia conditio illa, nempè aptitudo loci ad Diuina, cum afficere debuisset locum sacrum, videlicet Ecclesiã, tunc erat apponenda, quando de ipsa Ecclesia mentio fiebat; & ideò cum Ecclesia solùm initio clausulæ explicitè nominetur; indè est, vt conditio solùm initio fuerit ponẽda: quapropter licèt, dum cõceditur sepultura Pontifex non repetat eamdem conditionem: non debet esse mirũ; quia sicuti Ecclesia implicitè subintelligebatur, ita etiam, & eiusdem Ecclesiæ qualitas requisita. Denique conditio, quæ postulatur non est illa, quam putat Trullench, scilicèt, esse locum Sacrũ talem, vt in eo aliàs de iure sepelire permissum sit; sed illa, quam nos diximus, videlicèt, esse Ecclesiam, in qua Diuina celebrari possunt, non obstante Interdicto generali; & probatur manifestè, nam cõditio requisita in *cap. Quod in te.* nõ est alia nisi ea, quæ habetur *in cap. Alma Mater*, nempè posse tempore Interdicti in Ecclesijs cum moderationibus præscriptis Diuina celebrari.

Dicendum est secundo. Quando Interdictum speciale æquiualet generali, tunc priuilegium huius Bullæ in ordine ad effectum sepulturæ suffragabitur Priuilegiatis. Declaratur conclusio: In duplici casu poterit Interdictum speciale æquiualere vniuersali. Primò si in aliqua Ciuitate reperiãtur omnes Ecclesiæ specialiter interdictæ, & cum omnibus Cœmeterijs. Secundò si in aliquo Oppido sit tantùm vna Ecclesia, quæ Interdicto particulari subijciatur; in vtroque autem casu videtur priuilegium Cruciatę fauere posse in ordine ad sepulturam: quoniam in tali casu Interdictum particulare eumdẽ caussabit effectum, quem caussaret Interdictum generale, præscindendo à priuilegijs; nam eodem modo prohiberetur Clericis ecclesiastica sepultura, & ideo in loco prophano sepeliendi necessariò forent; hoc autem esset indecens Dignitati Clericali, & contra mentem Pontificis, qui per priuilegium iuris communis *in cap. Quod in te.* volens huic indecentiæ occurrere, statuit, vt Clericis detur pro sepultura locus sacer non obstante Interdicto; igitur cum adæquatum motiuum concedendi in fauorem Clericorum priuilegium Iuris sit omninò idem tum in generali Interdicto, tum in particulari, quando contingit alteruter ex modis explicatis; asserendum omninò est, priuilegium huius Bullæ se extendere etiam ad Interdictum speciale, quia vniuersali æquiualet, videlicèt quando eumdem effectum caussabit, quem caussaret Interdictum generale, & tunc per accidens diceretur ampliari ad Interdictum speciale.

36 *Interdictum speciale aliquãdo æquiualet generali; tunc fauet habenti Bullam.*

Dicendum est tertio, probabile esse, Clericos sepeliri posse in propria Ecclesia, quamuis sit specialiter Interdicta, vt volunt Authores tertiæ sententiæ, & hoc ex vi Iuris communis. Probat autem *Alterius* hãc opinionẽ à simili ex Sacris Canonibus; nam *in cap. vt Priuilegia. §. Sanè de Priuileg. &c.* fit mentio de quodam priuilegio concesso à Sede Apostolica quibusdam Regularibus, vt ij, qui eorum Fraternitatem assumpserint, possint sepeliri in eorum Ecclesia non obstante, quod fuerit interdicta, nisi Cõfratres sint excõmunicati, vel nominatim interdicti; igiturà pari, si Confratres sunt admittendi ad sepulturam in ea Ecclesia interdicta, ad quam pertinent; sic etiam conueniens est, vt Clerici non excludantur à suis Ecclesijs

37 *Probabile est Clericos aliquando sepeliri posse in Ecclesia propria, licèt specialiter interdicta.*

ĕlesijs sed etiam in eisdem interdictis tumulentur vi similis priuilegij. Hoc autē intelligi debet cum illis moderationibus enumeratis *in cap. Quod in te*; videlicet absq; officio, & sonu campanarum; Neque in his iuuat Priuilegium *in cap. Alma Mater*, quia ibi nihil disponitur pro Interdicto speciali, sed tantùm pro vniuersali, vt aduertunt *Couar. in eod. cap. Alma l c. Henriquez lib. 13. cap. 44. nu. 4. lit. B. & Alterius cap. 4. cit. verf. Illud tamen*.

38 Dicendum est quarto. Virtute huius Bullæ nequeunt Clerici sepeliri in sua Ecclesia specialiter interdicta, nisi in aliquo casu per accidens; vt explicuimus in secunda conclusione. Probatur, quia priuilegium huius Bullæ postulat, vt in Ecclesia illa sit permissa Diuinorum celebratio, in Ecclesia autem, quæ particulari Interdicto est affecta nequeunt Officia Diuina celebrari; proinde, non poterunt cadauera fidelium vi huius Bullæ in ea sepeliri.

Hoc autem erit in aliquo casu per accidens.

CAPVT VI.

De eodem Priuilegio Cruciatæ pro tempore extra Interdictum.

1 Gratiæ in præsenti clausula, dum nō viget Interdictum, concessæ sunt circa Sacrum in loco priuato peragēdū, sumptionem Eucharistiæ, & circa horā celebrandi; sed hoc vltimum, cum prærequirat licentiam à Commissario, vt in ipso diplomate præscribitur, remittimus decisionem huius rei in tractatum illum, in quo eiusdem Commissarij potestas examinabitur; proinde superest, vt de primo, & secundo sermonem instituamus, & occasione accepta, placet aliquātulum digredi, expendendo Breuia, quæ emanare solent à Sede Apostolica ad erigenda loca, seu Oratoria priuata in domibus prophanis, vt in illis Sacrum celebretur, quibusdam exceptis diebus.

(:†:)

SECTIO I.

An præcepto Ecclesiæ satisfaciat, si quis extra Interdictum in priuato Oratorio celebret, aut Sacrum audiat.

NON intendimus in hac Sectione cōtrouertere, an per Bullam Cruciatæ detur eam sumentibus facultas eligendi priuatum Oratorium, vt in eo Sacrum celebretur; nam certum esse debet per hanc Cruciatam tale priuilegium nequaquam dari, quidquid dicant aliqui apud *Trull. dub. 4. infra citando n. 6.* nam praxis manifestè indicat talem potestatē per Bullam non esse concessam. Rursus nec intendimus in præsentia expendere circa hoc pūctum potestatem Commissarij Generalis; videlicèt, an possit per facultatem traditam à Summo Pontifice licentiam dare ad Sacrum celebrandum in Oratorio priuato, quod erigitur in Domibus Sæcularium, scio ab *Alphonso Perez de Lara in compendio illo trium gratiarum fol. 52.* dum enumerat facultates Commissario Generali concessas à Pontifice pro Regnis, & Dominijs Catholicæ Maiestatis, pro Insulis adiacentibus, & pro Regno Siciliæ, inter alias ponere facultatē dandi licentiam celebrandi in Oratorijs priuatis, si Oratoria fuerint priùs ab Ordinario loci visitata; & hoc ipsum obiter ad notat *Trullench in Bullam lib. 1. §. 3 dub. 4. nu. 8. & lib. 2. §. 5. dub. 3. numero. 7.* qui addit, quod licèt, in Bulla Latina id saltem explicitè minimè habeatur: tamen si Commissarius tali vtatur facultate, credendum est, ab ipso id fieri posse; & hoc ipsum idem de Lara testatur in enarratione prædictarum facultatum, qui etiam dicit Commissario credendum esse, dum affirmat habere aliquam facultatem, etiam si litteras concessionis non ostendat: imò relatum mihi fuit in Hispanijs à Commissario Generali tale facultatem exerceri Nolo igitur de tali potestate sermonem in præsentia instituere, eamque examinare; sed solùm id, quod agendum proponimus est: an in Oratorio iam erecto, & per Episcopum designato possit celebrari, & audiri Sacrum ad præceptum ecclesiasticum adimplendū ab ijs, qui Bullam sumunt, absque alia licentia Commissarij? 2

Huius quæsiti solutio in ordine ad praxim est valdè vtilis, & necessaria; quia cū in Palatijs Magnatum, & illustrium Virorum passim erecta inueniantur Oratoria ab Episcopo designata, & approbata, in quibus ex licentia Summi Pontificis Missa celebratur, sæpè occurit, vt alij extranei, 3

nei, qui neque Familiares sunt, neque cōsanguinei ipsius priuilegiati, valent in eodem Oratorio præceptum ecclesiasticū de Sacro audiendo adimplere; ideoque postulant à Theologis, an Bulla Cruciatæ in hoc ipsis suffragari valeat: quapropter opere pretium est difficultatem hanc enodare.

Aliqui negāt vt Bulla posse audiri Sacrū in Oratorio alieno ad preceptum adimplēdum extra Interdictū. & probatur tripliciratione.

4 Prima autem sententia negat posse extraneos vi huius Bullæ in Oratorio priuato præcepto satisfacere extra tempus Interdicti, & ita sentiunt aliqui docti recentiores, & hoc probant primò, quia in Bulla nullibi inuenitur talis facultas concessa, cum solùm detur potestas celebrādi, aut audiendi Sacrum tempore Interdicti; extra quod tempus nihil disponitur de hac re; proinde omnia relinquuntur iuxta dispositionē Iuris cōmunis, in quo prohibetur celebratio Sacri extra ecclesiā sine licentia Episcopi. *cap. Sicut nō alij, & cap. Si quis etiam. De consec. distinct.* 1.

5 Secundò probatur ex praxi, secundum quam videmus, neminem præsumere in Oratorio priuato diebus festiuis Missam audire, nisi habeat ad hunc effectum speciale priuilegium.

6 Tertiò sequeretur ex opposita opinione maximum inconueniens, videlicèt, Ecclesias destitui, si qui Bullam habent possint in Oratorijs priuatis, aut Sacrum celebrare si Presbyteri sint, aut si Laici illi assistere die festiuo.

Nōnulli partem affirmatiua tuentur.

7 Secunda opinio est contraria, aitque virtute huius Bullæ posse, & Sacrum celebrari, & audiri in priuatis Oratorijs, non solùm tempore Interdicti, sed etiam extra tale tempus. sic docet *Emanuel Rodriquez in addit. huius Bullæ* §. 5. *nu.* 1. *Riccius ibidem nu.* 14. *Ludouicus à Cruce in expos. bullæ disp.* 1. *cap.* 5. *dub.* 1. *Aegidius Trull. in eamdem Bullam lib.* 1. §. 3. *dub.* 4. *nu.* 10. 11. *& seq. & dub.* 7. *nu.* 4. & in eadem opinione absque dubio est *Henriquez lib.* 7. *cap.* 13. *n.* 4. *lit. K. & quidā alij Theologi ex nostra Societate*, qui, & oretenus consulti, & scripto hanc sententiam defendunt.

Ratio fundamentalis.

Fundamentum vnicum huius sententiæ desumitur ex verbis Bullæ, per quæ Pontifex absolutè concedit, posse in Oratorio priuato si fuerit deputatum ad Diuinum cultum, & ab Episcopo approbatū fieri Sacrum, vel illi assistere; neque restringit priuilegium ad tempus Interdicti tātùm, vt indicat dictio illa, *Etiam*, quæ est implicatiua, & augmentatiua, sic enim dicitur (*Possunt dicto anno durante in Ecclesijs, in quibus aliàs Diuina Officia Interdicto durante, quomodolibet celebrare permissum fuerit, vel in priuato Oratorio ad Diuinum cultum tantùm deputato, ab Ordinario visitando, & designando, etiam tempore Interdicti, &c. Missas, & alia Officia Diuina per se ipsos si Presbyteri fuerint celebrare, vel per aliū celebrare facere, &c.*) particula enim illa, *Etiam*, denotat facultatem hanc pro omni tempore, esse concessam, videlicèt, tum pro tēpore Interdicti; tū pro alio tēpore, in quo nōn est Interdictū: & quia poterat esse dubitatio pro tēpore Interdicti; idcirco per ipsam particulam voluit Pontifex pro tempore Interdicti eā comprehendere, & de illo expressam mentionem facere.

Hæc secunda opinio ab Authore vt probabilis recipitur.

8 Dicendū est hāc secundā opinionē esse probabilē, ob rationē, cui innititur; nā si Pōtifex noluisset priuilegiū extēdere extra tēpus Interdicti, nō debuisset apponere dictionē implicatiuam; quæ de natura sua exprimens casū magis incertū, implicat minus dubitabilē, vt quā plurimorum auctoritate, & varijs Iuribus ostēdit *Augustinus Barbosa de dict. vsu freq. dict.* 112. *n.* 1. & talis est ordinarius, & cōsuetus loquēdi modus inter homines; nam si quis v. g. dicat Petrus contemplationi rerum Diuinarū, etiā nocturno tēpore vacat, loquutio ista significat, Petrū nō solū in cōtēplatione se exercere tēpore illo expresso; verū etiā horis diurnis, aliter superflua foret dictio implicatiua, & esset omittēda.

Suadetur probabilitas.

Explicatur efficacia huius dictionis, Etiam,

9 Pro maiori autē intelligētia efficaciæ huius dictionis ad includēda nō expressa, & ad soluēda nōnulla argumēta, q̄ æquiuocationē inuoluunt; est diligēter in hac re animaduertēdū subiectū, circa quod immediatè particula illa versatur; in hoc enim facilè inueniri poterit deceptio applicādo formale significatū huius dictionis alicui rei, cui nō sit applicādū, & hoc, vt clariùs pateat pono varia exēpla eorū, circa quæ versari solet dictio prædicta, vt sunt locus, tēpus, actiones, personæ, &c. nā si v. g. dicas: Petrus Panormi, aut etiam Neapoli manēs, prima die Septēbris tenetur tributū recognitionis soluere Regi Hispaniarū, tūc dictio nō implicat tēpus, sed locū, & sensus ērit, obligationē soluēdi tributū vigere tēpore præfixo siuè Panormi, siuè Neapoli Petrus cōmoretur.

Rursus ita applicabitur eadē dictio tē- 10
pori, dicēdo, Petrus se abstinet ab immoderato potu, etiā in æstiuis caloribus; sēsus implicationis erit circa tempus, & significatur, & in hyeme, & in æstate Petrum se abstinere à potu immoderato.

Præterea fit applicatio Personis, dū sic 11
asseritur. Imminente Turcarum bello cōtra Christianos, etiā Senes se præparāt ad prælīādū, loquutio ista tacitè implicat Iuuenes præparantes se ad pugnandum.

Deniq; implicatur actio, si dicas Petrus 12
ad carnem domandam etiam in ieiunijs se exercet, per verba ista indicatur,

Petrum non solùm ieiunijs, sed etiã alijs actionibus pœnalibus se macerare. Ex his, & similibus exemplis manifestè colligimus in explicatione propositionũ, quæ habent dictiones implicatiuas, esse attendendumq; subiectum, cui fit applicatio, ne in interpretatione erremus; aio igitur in clausula huius Bullæ dictionem implicatiuam, vt de se patet, versari circa tempus; proinde exprimendo tempus Interdicti, implicite includere tempus, in quo nõ existit Interdictũ: & per consequẽs vi huius Bullæ, etiã quãdo nõ est Interdictũ, posse fideles vti priuato Oratorio pro celebrando, aut audiendo Sacro dũ viget ecclesiasticum præceptum de auditione Sacri. Et hæc pro huius secundæ sententiæ probabilitate.

13 *Soluitur primum argumentum contrarium.* Ad argumenta autem in contrarium initio posita respondeo. Et ad primũ, nego, in Bulla nullibi inueniri facultatẽ celebrandi, aut Sacro assistendi extra Interdictum; quia licet tempus Interdicti exprimatur; nihilominus per dictionem implicatiuam Dispositio Pontificia amplatur ad aliud tempus extra Interdictum. Si verò quis contra argumentetur assumendo priuilegium istud esse odiosum; atque adeo non ampliandũ: responderepossumus in dictione implicatiua esse vim ampliatiuam, seu augmentatiuã; non solùm in rebus fauorabilibus, sed etiã in odiosis, vt docẽt quamplures, videlicet *Decianus lib. 2. consil. 46. n. 118. Gemin. consil: 85. n. 8. & consil. 125. n. 10. Parij. lib. 4. consil 46. n. 30. Cened.* post *lib. quæst. canon. sing. 51. n. 2. Tusc. tom. 2. lit. D. concl. 275. n. 4. & alij apud Barbosam.*

14 *Diluitur secundum.* Ad secundum aio, ideo fideles non vti Bulla in ordine ad satisfaciendum præcepto Missæ in Oratorio; quia plures ignorant virtutem huius priuilegij: alij verò, vt mihi constat, hanc opinionem absque scrupulo conscientiæ practicare non formidant.

15 *Diluitur tertium.* Ad tertium dico: falsum esse ex vsu huius priuilegij Ecclesias fore destituendas; nam paucissimi sunt, qui Oratorium habent in proprijs domibus; sunt enim Magnates, qui constituunt minimã partẽ Populi, & per se loquendo, familiares tantùm eiusdem domus solẽt assistere Sacro in huiusmodi Oratorijs, & nõ extranei; nemo enim reperitur, nisi sit valdè coniunctus, qui in hunc finem ad domũ alterius se cõferat, vt Sacrum ibi audiat. Et addo concursum populi ad Ecclesias non esse tantùm ad Sacrum audiendum, verum etiam ad concionem, & ad visitãdas ipsas Ecclesias; & ideo non sequitur destitutio illa, quam arguens putat.

16 Dicendũ est secundò, Probabilẽ etiam esse oppositam sententiã, quæ negat per Bullã cõcedi omnibus vniuersaliter talẽ potestatẽ, sed solũ personis illis, quæ Breue illud particulare obtinuerũt pro celebratione Sacri in Oratorio priuato; & cũ nequeãt tẽpore Interdicti vti Oratorio, per priuilegiũ huius Bullæ; cõceditur, vt etiã tẽpore Interdicti frui possint Breui illo ad vsũ Oratorij, & in sua, & suorũ Familiarũ præsentia; cũ igitur verba huius Cruciatæ hũc sensũ habere valeãt; consequẽs est, vt dicamus probabilẽ esse hanc opinionẽ negatiuã; cuius probabilitas fũdatur in sẽsu prædicto explicãdo verba; sed eius probabilitas nõ erit talis, vt destruat probabilitatẽ sẽtẽtiæ affirmatiuę, & pṙertim si priuilegia Cruciatæ, vt volunt aliqui, sint fauorabilia, & amplè interpretanda. *Admittitur etiam cõtraria opinio vt probabilis.*

SECTIO II.

Vtrum virtute Cruciatæ liceat in priuato Oratorio Missam celebrare, vel audire in festis solemnioribus exceptis.

IN Breui Apostolico, per quod Põtifex indulget, vt priuatũ Oratoriũ erigatur, & in eo erecto, & per Episcopũ approbato, Missa quotidie celebretur &c. solet limitatio apponi excipiendo solemniores festiuitates, vt sũt Natiuitas Domini, Epiphania, Pascha Resurrectionis, Pẽtecostes, Annũciatio B. V. eius Assũptio, festũ S. Io. Baptistæ, SS. Petri, & Pauli, & omniũ Sãctorũ, vt habetur *ex cap. si quis de consecr. dist. p.* & ex determinatione *Sacræ Congregationis Rituũ, 17 Nouẽbris 1617.* solẽt etiã excipi festa illa, quæ sũt solemniora in ea Ciuitate, in qua est erectũ Oratoriũ: vt sũt festa Patronũ, &c. Quærimus ergo, vtrũ illi, qui est ita priuilegiatus, quãuis virtute Breuis Apostolici, diebus prædictis celebrare in Oratorio priuato, vel ibi audire Missam, præceptũ adimplere nequeat, nihilominus sit licitũ ibi virtute huius Cruciatæ in festis enumeratis præcepto satisfacere, agendo Sacrum in suo Oratorio priuato, vel ibidem Sacrum audiendo. 17 *Refertur limitatio apponi solita in Breui Apostolico de celebrãda Missa in Oratorio priuato.*

18 *Nonnulli negant sieri posse, & eorum ratio.* Negãt aliqui docti recẽtiores id licitè fieri posse; & consequẽter aiũt audientes Missã in tali Oratorio nõ satisfacere præcepto ecclesiastico: & ducũtur ad hãc sẽtẽtiã, quia putãt priuilegiũ Cruciatę circa priuata Oratoria solũ prodesse pro tẽpore Interdicti; atq; adeo nullo existẽte Interdicto, quoad hũc effectũ, nihil proficere; dubitatio autẽ esse poterit apud authores huius opinionis, an si Interdictum incidat in diebus festiuis superiùs exceptis, possit quis in Oratorio priuato Missã audire

audire virtute Bullæ; sed huius dubitationis solutio inferiùs est ponenda.

19 *Alij affirmát.*

Alij verò partẽ affirmatiuam amplectuntur, videlicet diebus illis solemnioribus posse vi Cruciatæ præceptum de audiendo Sacro in priuato Oratorio adimpleri. Sic *Rodriq. in addit. ad Bullam* §. 5. *n.* 1. quamuis dicat non esse conueniens id fieri, eum sequitur *Vincentius Riccius ibidem nu.* 14. attamen author iste excipit diem Paschæ, quia, vt ipse inquit, in ipsamet Bulla excipitur; in eadem opinione cum Rodriquez est *Ludouicus à Cruce in exposit. Bull. disp.* 1. *cap.* 5. *dub.* 1. *a.* 3. *Trullench. lib.* 1. *in eamdem Bullam.* §. 3. *dub.* 4. *n.* 11. 12. *& Diana par.* 4. *tract.* 4. *resol.* 76. in eadem etiam sententia absque dubio est *Vasquez tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 279. *c.* 5. *n.* 50. si attentè legatur.

20 *Secunda sententia, vt probabilis, & tuta admitti potest.*

Dico primò hanc secundam sententiã mihi probabile videri, & posse tuta conscientia sequi, quia & si per Bullam minimè concedatur licentia extruẽdi Oratorium priuatum, vt in eo celebretur; tamen posita approbatione, licèt virtute illius Breuis Apostolici particularis in diebus solẽnioribus nequeat in eo Oratorio Ecclesiæ præcepto satisfieri, tamen virtute Bullæ poterit priuilegiatus Sacrũ audire in eo Oratorio, & præcepto Ecclesiæ satisfacere, quoniam Bulla absolutè, & sine limitatione indulget, vt in tali Oratorio Priuilegiatus per Bullã valeat, vel ibi celebrare, si Presbyter sit, vel celebrare facere: si igitur Pontifex voluisset limitationem aliquam facere, sanè illã fecisset, sicuti de facto et ponit in Breuibus particularibus, in quibus erectio Oratorij ad Sacrũ faciendũ conceditur.

21 *Reijcitur limitatio, quã ponit Vincentius Riccius.*

Dico secundò. Limitatio illa, quam addit Riccius de die Paschæ, non placet, quia falsò nititur fundamento; supponit enim ipse in Bulla inueniri exceptionem illam de die Paschæ, quod tamen non est ita, nam exceptio Paschæ solùm, vt patet ex textu, ponitur pro susceptione sanctissimæ Eucharistiæ, quæ ex præcepto est sumenda, non autem ponitur in concessione aliarum gratiarũ, inter quas est facultas assistendi Sacro. Rursus probatur conclusio alio argumẽto, quia nullũ apparet fundamentũ huius exceptionis, cũ absoluta sit concessio.

22 *Ab Episcopo non posse id prohiberi existimant aliqui.*

Dico tertio: si Episcopus prohibeat sub pœna etiam excommunicationis, ne aliquis celebret, vel audiat missam in Oratorio priuato aliqua die ex solemnioribus, non obstante tali prohibitione Priuilegiatum posse per Bullã Missam facere celebrare, aut audire in eodem Oratorio, secluso contemptu, & scandalo docet *Emanuel Rodriquez. Trullench, & Diana ll. cc.* & ratio est quia cũ istud priuilegium à Põtifice emanauerit, & sine relatione ad Ordinariũ, nisi quoad visitationem, & approbationem; idcircò semel posita approbatione facultas, quæ datur per Cruciatam non poterit ab Episcopo impediri: Verum hanc opinionem ex prædictorum Auctorum mente retuli, ipse autem suaderem, vt in hoc Episcopis mandato obtemperetur.

23 *Facultas locũ habet etiã in Oratorio alieno.*

Dico quartò. Potestas ista, quæ per Bullam datur, locum habebit etiam in alieno Oratorio. Conclusionem licèt, sub his terminis ab alio positã non viderim, nihilominus sequitur ex principijs iactis, quoniam in ipsa Bulla simpliciter conceditur, posse audiri Sacrum in Oratorio, & cum nulla fiat limitatio ad Oratorium proprium, nulla erit sufficiens ratio coarctandi verba ipsius priuilegij.

24 *Plures Missæ in Oratorio eadem die à diuersis Sacerdotibus vi Bullæ celebrari possunt.*

Dico quintò. Vi Bullæ non solum vna, sed plures Missæ à pluribus Sacerdotibus eadem die in Oratorio priuato celebrari possunt. Probatur, quia, & si Breue Apostolicum, quo cõcessum fuit Oratorium, limitet illud ad vnam dumtaxat Missam qualibet die celebrandam; tamen hoc nõ tollit, quin per aliud priuilegium, quale est priuilegium Cruciatæ, in quo non reperitur talis restrictio, possint plures eadẽ die Missæ celebrari.

25 *Potest priuilegiatus in sua præsentia celebrare facere.*

Dico sexto. Nõ solũ Priuilegiatus potest per se ipsũ vi Bullæ modo prædicto celebrare, sed etiã vi eiusdẽ Bullæ celebrare facere ipsomet præsẽte, & sic si Minister, qui inseruire debet Sacro, siuè Laicus sit, siuè Clericus, Bullã habeat, poterit vi illius inuitare Sacerdotẽ ad Celebrandũ in Oratorio priuato qualibet die etiã ex solẽnioribus, quãuis Sacerdos ipse Bulla careat, vel ipsemet Sacerdos poterit Ministrũ priuilegiatũ excitare ad vtendũ suo priuilegio, per quod facultatem habet, vt Sacerdos in præsẽtia ipsius Ministri celebret, & ratio est, quia in textu ipsius Bullæ habetur expressè, Priuilegiatũ posse vel per se ipsũ, vel per aliũ celebrare Sacrum in Oratorio priuato.

26 *Facultas ista præsertim in diebus solemnioribus non debet absque caussa sufficiẽti vti priuilegiatus.*

Dico septimo. Hac facultate, & maximè in festis solẽnioribus, & exceptis, vti nõ debet Priuilegiati, vt aduertũt authores, q hãc tuẽtur sẽtẽtiã affirmatiuã, proinde in praxi cõsulẽdi sunt, vt celebrẽt in publicis Ecclesijs, vel ibidẽ Sacro intersint, nisi aliqua congrua, & rationabilis caussa occurrat, ob quã cõueniẽter iudicetur in aliquo die. etiã magnæ solẽnitatis non fore rectæ rationi dissentaneũ, vt in Oratorio, præceptũ Missæ adipleatur.

27 *Argumẽtum contra sententiã Authoris*

Sed contra hanc sententiã affirmatiuã videtur contra nos vrgeri posse, ex eo, ꝙ priuilegiũ de celebrando, & audiẽdo Sa-

V 2 cro

cro in priuatis Oratorijs, est odiosũ, proinde strictè interpretãdũ, & nõ ampliandum sicuti à nobis ampliatur in præcedentibus assertionibus; proinde, erit admittenda alia explicatio strictior, nempe, vt verba huius clausulæ dirigantur solùm ad tempus Interdicti; & dictio illa, *etiã*, non inuoluat tempus non expressum, videlicet tempus, in quo Interdictum non existit; sed solùm designet tempus, de quo poterat esse dubitatio, nimirum tẽpus Interdicti.

28 *Responsio.* Respondeo. Quamuis Priuilegia Cruciatæ, & præsertim circa Sacrum in Oratorio priuato conficiendum, sint pressè explicanda: tamen non sunt ita restringenda, vt non inuoluant id, quod significant, seu quod verba sonant: quapropter cum in Bulla detur facultas celebrãdi, vel per se, vel per alium in priuato Oratorio, & sine limitatione temporis, personarum, & sine restrictione quoad numerum Missarum; necessariò sequi debent cõclusiones à nobis superiùs positæ, vt cõsideranti patet: & circa hoc non video, quid in contrarium esse possit; solùm dubitatio consistit in antecedente, nimirum, an potestas celebrandi, vel celebrare faciendi in Oratorio priuato detur vniuersaliter quoad illa duo, scilicet, quoad tempus, & personas; & quamuis hoc non sit euidens; negari tamen, meo iudicio, nemo poterit esse probabile, vt ostendunt rationes à nobis adductæ; accedente etiam plurium Theologorum consensu.

29 *Alia instantia.* Et si vlteriùs contra sic vrgeatur. Ex suppositione, quod verba huius Bullæ admittant sensum illum, quem pro prima sententia negatiua Intẽdunt Aduersarij, debemus huic opinioni negatiuæ adhærere, quia cum minùs amplè explicet Priuilegium, quod etiam secundùm nos est odiosum; idcirco conformior erit nostris principijs. *parte 1. huius Operis.* præhabitis circa horum priuilegiorũ explanationem.

30 *Solutio instantia.* Respondeo primò per hoc argumentum, nihil aliud probari, nisi quod iuxta sententiam eorum, qui putant priuilegia ista esse odiosa, adhærendum sit opinioni negatiuæ, quæ pressè priuilegium hoc interpretatur. sed nihil probari, contra eos, qui volunt priuilegia Cruciatæ esse fauorabilia; atque adeo amplè explicanda; proinde ad summum nihil aliud sequitur, nisi vtramq; opinionem esse probabilem, quod nos non negamus: imò hoc sentimus, & statuimus per supradictas conclusiones.

31 *Alia solutio.* Respondeo secundò. Non obstante illo principio à me admisso de stricta explicatione quorumdam priuilegiorum Cruciatæ, inter quæ præsens adscribendum esse censeo: placuit potiùs sententiæ affirmatiuæ acquiescere; quia sensus datus pro opinione contraria non videtur ita congruere textui, in quo est sermo vniuersalis, amplectens omnes illos, qui non euntes ad sacram expeditionem, nec mittentes, erogant præscriptam eleemosynã, & fruuntur gratijs, quæ in eodẽ paragrapho enumerantur sine vlla exceptione personarum, & tẽporis; coarctare autem aliquam ex his gratijs, quæ indiscriminatim omnibus dantibus eleemosynam conceduntur, ad vnũ tantùm personarum genus, nempè; ad personas illas, quæ obtinuerunt Breue illud Apostolicum, est verborũ sensum mutilare, & extorquere; quapropter licet ego libenter assentiam priuilegium istud esse strictè exponendum: tamen hoc est intelligendum, quando nulla fit verborum extorsio, aut sensus mutilatio. Ad illud verò, quod asseritur de dictione illa, videlicet, poni ad designandum solum tempus Interdicti, & non ad implicandum aliud tempus, hoc, inquam, quod asseritur est alienum à Iure, & à cõmuni authorum consensu, qui volunt particulã, *Etiam*, sumi implicatiuè, & non tantùm designatiuè; & nulla se offert ratio, cur ita vocabulum improprietur extra suam naturalem significationem, & hæc dicta sint in fauorẽ huius sententiæ affirmatiuæ.

Ex his autem colligi poterit, quo pacto sit soluenda dubitatio illa de Interdicto incidente in diebus solemnioribus, sistendo in opinione negatiua, videlicet, an vi Bullæ his diebus possit Sacrum fieri in Oratorio priuato? aliqui enim existimãtes prohibitionem, ne celebretur in talibus diebus esse vniuersalem, seu totalẽ, hoc est tùm pro tempore Interdicti, tùm prò tempore, in quo Interdictum non existit, dicunt non posse vi Bullę Sacrum fieri in Oratorio, quia Bulla indulget pro tempore Interdicti, si aliud impedimentum non inueniatur; in casu autem posito est impedimentum, proueniens ex præcepto non celebrandi in Oratorio concurrentibus festis illis: alij verò putantes, prohibitionem esse partialem, videlicet pro eo tempore, quo non est Interdictum, inquiunt, posse vi Bullæ celebrari; quoniam vnicum est impedimentum, nempè, Interdictum, in quo Bulla dispensat, ita diuisi sunt authores illius opinionis: attamen si à nobis postuletur, quid absolutè dicendum sit sistendo in terminis illius opinionis, dicimus, prohibitionẽ illam mihi videri vniuersalẽ; quia nulla apparet limitatio, & vbi lex non distin- 32 *Corollarium ex dictis.*

distinguit, neque nos distinguere debemus.

33 *Instantia.* Dices finis, quem assignāt Pontifices per sacros Canones, & locorum Ordinarij prohibentes Sacri celebrationem in Oratorijs est, ne tollatur populi concursus ad publicas Ecclesias; hæc autem ratio cessat tempore Interdicti; quia nequit esse concursus stante Interdicto, & ideo cessante fine prohibitionis, cessare debet prohibitio; & per consequens poterit fieri Sacrum in Oratorijs vi Cruciatæ.

34 *Responsio.* Respondeo, quamuis finis intentus à Summo Pontifice, & Ordinarijs non explicetur in prohibitione; tamen absque dubio esse illum, qui dicitur: at non sequitur ex hoc, prohibitionem esse partialem; quia finis ille, nempè, populorum concursus potuit esse motiuum, ob quod facta fuerit prohibitio illa vniuersalis; & tamē eo cessante in aliquo casu, ex raró contingentibus, prohibitionē adhùc manere; nā legislator dū prohibitionē statuit respectū habuit ad ea, quæ ordinariè eueniūt, nihil in contrariū disponēdo pro casu raró eueniēte, videlicèt, pro tempore Interdicti, quod non ita frequenter accidit, & sic dici posset finis in casu isto cessare solùm negatiuè, nō autem contrariè, hoc est ita cessare, vt non sit malum morale, quòd prohibitio etiam in tali casu vim habeat; & hæc probabiliter dicta sint; nam puto etiam probabilem aliam sententiam, quæ vult prohibitionem solùm respicere tempus, in quo nullum est Interdictum, & consequenter posse virtute Bullæ in solemnitatibus illis Sacrum fieri in Oratorio, dum Interdictum viget. Cæterum in terminis nostræ sententiæ dubitatio ista locum non habet; quia volumus priuilegium Cruciatæ suffragari posse, quoad hunc effectum pro quocumque tempore, & ideò in festis solemnioribus Bullam habens poterit vti Oratorio.

SECTIO III.

An virtute huius Bullæ possit vnusquisque absque Parochi licentia à quocūque Sacerdote Eucharistiam sumere.

35 Quæsitum non procedit de sumptione Eucharistiæ, quæ est ex præcepto Ecclesiæ tēpore Paschali, sed de alia, quæ fit ob deuotionē in reliquo anni tempore; supponitur autem in præsentia secundum ius commune, seclusis priuilegijs, non esse in arbitrio Laicorū Eucharistiam recipere à Sacerdote, qui non est proprius, vel ex eius commissione, vt communiter notant Authores, & determinatum est in *conc. Carthag. 1. cap. 7. in Mileuit. cap.* 18. & colligitur *ex cap. Omnis vtriusq; sexus. de Pœnit. & Remiss.* & Theologi id confirmant. *Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 27. Sect. 2. Vasquez disp. 219. cap. 2. Rodriquez in sum. tom. 1. quæst. 56. Aegidius Con. in 3. p. quæst. 82. ar. 3. n. 28. & alij passim.* hoc autē supposito, quærimus, an per Bullam concedatur libera facultas, vt Laici valeant Eucharistiam recipere à simplici Sacerdote sine licētia proprij pastoris? loquor autem de Laicis, nam Sacerdotes dum celebrantes communicant non obstringuntur hac lege, nisi more Laico vellent communicare extra sacrificium.

36 *Affirmatiuè aliqui respondent.* Prima igitur sententia asserit posse priuilegiatum vi Cruciatæ Eucharistiam extra tempus Paschale sumere à quocūque Sacerdote nulla petita licētia à proprio Pastore: hanc opinionem fusè defendit. *Vasquez in 3. p. tom. 3. disp. 279. cap. 5. n. 47.* quem sequitur. *Pater Diana par. 1. tract. 11. resol.* 20. *Eorum ratio.* fundant autem hāc opinionem non ex eo, quod per Bullam detur potestas eligendi Confessarium pro absolutione sacramentali; nam licentia ad ministrandum vnum Sacramentum, non intelligitur concessa ad aliud Sacramentum, & maximè quando est maior, aut diuersa ratio, vt facultas detur ad vnum, & non ad aliud; non fundant ergo prædicti Authores suam sententiam in hoc, sed in concessione directa recipiēdi, etiam tempore Interdicti, Eucharistiam, & alia Sacramenta, præter quā in die Paschæ; cum igitur in hac concessione nulla fiat limitatio ex parte Ministri, seu non restringatur facultas, vt à proprio Sacerdote Eucharistia sumatur; poterit vi Bullæ accipi à quocumque Sacerdote, & quocumque tempore, præter Pascha.

37 *Responsio contraria.* Et si quis ad hoc argumentum respōdeat, facultatem hanc subintelligi cum conditione, nempè, posse per Bullam etiam tempore Interdicti recipi Eucharistiam, ab eo tamen, qui aliàs extra Interdictum de Iure potest illam administrare.

38 *Impugnatio.* Contra est, quia si hoc Pontifex intenderet, nulla esset ratio excipiendi diem Paschæ; nam certum erat tempore Interdicti, etiam in die Paschæ posse Eucharistiam recipi à proprio Pastore, vel ab alio ex eius licentia; proinde si Pontifex in hac clausula loqueretur de receptione Eucharistiæ in ordine ad proprium Pastorem, superflua fuisset exceptio illa: signum igitur est, loqui præscindendo à licentia proprij pastoris, & loqui de quocumq; Sacerdote. Hæc pro sententia affirmatiua.

Se-

39 *Oppositum alij existimãt.* Secunda autem opinio est opposita, negat enim vi Bullæ dari hãc facultatem, & vult ad sumptionem Eucharistię etiam ex deuotione esse necessariam, vel vt immediatè ipsum Sacramentum recipiatur à proprió Pastore, vel ab alio ex eius cõmissione. Ita *Suarez l. c. Nuñus in 3. p. q. 82. à 3.* appellans contrariam sententiam improbabilem. *Rodriquez in addit. ad §. 5. nu. 9. Henriquez lib. 7. cap. 13. num. 4. Auila de cens. par. 5 disp. 4. Sec. 1. dub. 8. Trullench in exposit. Bul. lib. 1. §. 3. dub. 8. nu. 4. Cardinalis Delugo de Sacram. Euchar. disp. 18. sec. 2. & alij.* huius autem opinionis fundamentum mox erit adducendum.

40 *Admittitur secũda opinio, & probatur.* Dicendum est cum hac secunda sententia, quam probo efficaci ratione. Facultas recipiendi aliquod Sacramentum non extenditur ad circumstantias receptionis, nisi vel de illis fiat mentio, vel aliqua ex illis sit necessarió connexa cum receptione, igitur licèt per Bullam detur facultas recipiendi Eucharistiam tempore Interdicti, non extenditur facultas ista ad circumstantiam non expressam, & nõ necessarió connexam cum sumptione, qualis est circumstantia Ministri; ex eo enim quod indulgeatur sumptio, non indulgetur in ordine ad quemcumque Sacerdotem, & præsertim cum tale indultũ resultaret in præiudicium proprij Pastoris, sed debet priuilegium ita explicari, vt quantùm fieri poterit, non lædatur Ius commune, & Iurisdictio tertij. Non esse autem connexam circumstantiam Ministri ad libitum eligendi cum receptione, de se est euidens, quia receptio esse potest à proprio Sacerdote, & hoc pacto erit indultum interpetrandum, cum nulla sit ratio, quare verba illa exponantur in detrimentum Parochi; proindè nisi euidenter exprimatur, non est præsumẽdum, voluisse Pontificem derogari Pastorum iurisdictioni.

41 *Confirmatur hęc secunda sententia.* Confirmatur conclusio à posteriori; si enim esset vera explicatio ab aduersarijs intenta, sequeretur quod reliqua Sacramenta, quorum administratio beneficio Cruciatæ conceditur, vt sunt Extrema Vnctio, & Matrimonium, possent à quolibet Sacerdote administrari, nulla habita Parochi licentia; nam in eadem clausula, & sub eodem veluti periodo de his Sacramentis vniformis est loquutio, & concessio; at hoc videtur absurdum, & contra praxim, per quam neminem, etiam si habeat Bullam, videmus in extremis laborantem Sacro Oleo vngi à quocumq; Sacerdote, sed à Parocho, vel ab eius Delegato, & similiter Sacramentum Matrimonij contrahitur coram Parocho, & nequit contrahi coram alio, nisi ex commissione Parochi. Præterea posset Priuilegiatus per Bullam promoueri ad Ordines à quocumque Autistite absque dimissorijs proprij Ordinarij, quia per Bullam in eadem clausula etiam vsus huius Sacramenti conceditur.

42 *Responsio Vasquez.* Ad hãc instantiam respondet *Vasquez* concedens Extremam vnctionem recipi posse vi Bullæ à quocumque simplici Sacerdote, negat autem de Matrimonio, quia Parochus in illo contrahendo non se habet, vt Minister, sed vt principalis testis qualificatus, & essentialis; Ministri autem sunt ipsi contrahentes. Quod verò attinet ad Sacramentum Ordinis respondet, in Bulla sermonem esse de illis Sacramentis, quæ à Parochis, & Sacerdotibus, tanquam à proprijs Ministris recipi solent, & etiam quia Summus Põtifex voluit iurisdictionem Episcoporum, quæ consistit in vsu Pontificalium, illæsam cõseruare.

43 *Impugnatur responsio.* Contrà est, quia cum eodem tenore concedatur vsus Eucharistiæ, ac conceditur aliorum Sacramentorum; & nulla in ipsa clausula apponatur exceptio; gratis, & absque fundamento apponitur ab aduersario ad fugiendam argumẽti vim, neque apparet vestigium illius distinctionis à *Vasquez* adinuẽtæ, videlicèt ibi sermonem esse de illis Sacramentis, quæ à Parochis, & Sacerdotibus tamquam à proprijs Ministris recipi consueuerunt. Præterea cum quattuor ad summum sint Sacramenta, quorum administratio Interdicti tempore prohibetur, nempè Extrema Vnctio, Eucharistia, Ordo, & Matrimonium, ex quibus *Vasquez* duo excipit, scilicèt Ordinem, & Matrimonium, & vult ista duo non intelligi inclusa in facultate prædicta; non debuisset Pontifex concedẽs vsum Eucharistiæ, addere verba significantia plura Sacramenta, dum inquit, *Item Eucharistiam, & alia Sacramẽta prater quam in die Paschatis recipere, &c.* quia iuxta expositionem *Vasquez* præter Eucharistiam solùm remaneret Extrema vnctio, proindè potiùs erat singulariter dicendum, Eucharistiam, & aliud Sacramentum, aut clariùs Eucharistiam, & Extremam Vnctionem; at euidenter contrarium indicatur per dictionem, quæ pluralitatem significat; ergo vel est dicendum sub hac pluralitatè cõprehendi, præter Eucharistiam, alia tria Sacramenta, quorum vsus erat prohibitus, nimirum Ordinem, Matrimonium, & Extremam Vnctionem, administranda tamen non à quocumque Sacerdote, sed tantùm ab eo, à quo de Iure extra Interdicti tempus poterãt administrari, & sic tenor verborum, non

solùm

solùm esset clarus, verùm etiam nullam haberet difficultatem: vel esset dicendũ concedi facultatem, vt omnia prædicta Sacramenta à quocumque Sacerdote administrari valeant, quod tamen est manifestè falsum, & ab ipsomet *Vasquez* non conceditur; proinde primum est admittendum.

44 *Defensio pro responsione Vasquez.* Sed posset quis ex doctrina einsdem *Vasquez* dicere, per alia Sacramenta, quæ præter Eucharistiam cõceduntur, intelligi Extremam Vnctionem, & Sacramẽtum Pœnitentiæ; & ideo veritas verborũ per pluralitatem significata, firma manebit.

45 *Non placet, & reijcitur.* Contra est, quia, quod attinet ad Extremam Vnctionem, praxis ipsa indicat esse manifestè falsum; nam extra tempus Interdicti Extrema Vnctio à Parocho, vel ab eius Delegato administratur, & nequaquam permittitur administrari ab alio, etiam si qui vngi debet Bullam habeat, vel sit alio modo priuilegiatus, vt sunt, qui commorantur inter septa Domorum Religiosorum virtute priuilegij concessi toti Religioni, vt aliàs dicemus. Quod verò spectat ad Sacramẽtum Pœnitentiæ, nihil valet responsio, & duplici ratione impugnatur. Primo quia de illis Sacramentis in clausula ista Bullæ est sermo, quorum vsus est prohibitus tempore Interdicti; at vsus Sacramenti Pœnitentiæ non est prohibitus ex vi Interdicti, vt omnes fatentur, & in Iure expressè excipitur, vt patet *ex cap. Alma Mater. de sent. Excom. in 6.* Secundo, quia si Pœnitentiæ Sacramentum verbis illis includeretur, cogeretur *Vasquez* asserere alterutrum ex his, nempè, vel quod Priuilegiatus per Bullam facultatem habeat recipiendi hoc Sacramentum à quolibet simplici Sacerdote: quod est apertè falsum, cum debeat esse ab Ordinario approbatus; vel illud recipere à proprio Sacerdote Ordinario: vel ab eius Delegato; & sic expositio, quam his verbis dat *Vasquez* non subsisteret, videlicet, per verba huius clausulæ concedi facultatem, vt à quolibet Sacerdote Sacramenta prædicta administrentur. & licet *Vasquez* vniuersaliter hoc non admittat; sed solùm in Sacramento Eucharistiæ, & Extremę Vnctionis; tamen cum in verbis nullum sit fundamentum, aut inditium talis discriminis; expositio ista erit omninò reijcienda. Maneat igitur ex dictis, vi priuilegij per hanc clausulam expressè facultatem concedi recipiendi Sacramenta prædicta non obstante Interdicto, sed ab eo Sacerdote, à quo de Iure extra Interdictum possent administrari; atq; adeo Eucharistiam yt Bullæ non posse recipi, nisi à proprio Pastore, vel ab eius Delegato ex commissione: & opinionem contrariam puto non esse probabilem, vel parùm probabilem, & non tutam, cum in hac Bulla priuilegium solùm sit circa temporis circumstantiam, & nihil circa Ministrum disponatur, vt patet ex discursu facto.

Ad fundamentum verò contrarię sententiæ facilè respondebitur; fatemur enim in concessione, quæ fit pro tempore Interdicti circa Sacramenta, nullam fieri limitationem ex parte Ministri; quia nulla fit dispositio circa Ministri circumstantiam; quia concessio illa solùm est pro substantia receptionis in tempore prohibito, & ideo cum nihil dicatur de Ministro; ea, quæ pertinent ad Ministrãtem relinquuntur sub dispositione Iuris communis, ad quod abrogandum non sufficit nihil dicere, sed oportet vt positiuè abrogetur; cum igitur in Bulla nihil statuatur, nisi quoad receptionem, & circumstantiam temporis; ideo quoad reliqua intactum manet Ius commune. 46 *Diluitur ratio contrariæ opinionis.*

Ad illud verò quod additur, nempè, nullam esse rationem excipiendi diem Paschæ, &c. si Pontifex in hac clausula loqueretur de receptione Eucharistiæ in ordine ad proprium Pastorem; respondeo nõ esse superfluam exceptionem illam; quia cum in eadem clausula concedatur posse Eucharistiam sumi etiã in Oratorio priuato, & in Monasterijs Regularium, ab ipsismet Regularibus virtute suorum priuilegiorum, vi huius Bullæ concedit: tempore Interdicti illam sumi posse præter diem Paschæ, nempè, præter communionem ex præcepto ecclesiastico, quæ recipi debet in propria Parochia: negandum igitur est priuilegium hoc præscindere à licentia proprij Pastoris circa vsum prædictorum Sacramentorum, cum solùm sit, vt ostẽdimus, circa temporis circumstantiam. 47 *Præcluditur instantia in contrarium.*

Dicendum est secundò, licentiam administrandi Eucharistiam tempore habili posse à Parocho cuilibet simplici Sacerdoti cõcedi, etiam si Sacerdos iste, cui cõmittitur, nõ sit ab Ordinario approbatus ad Sacramenta administranda: sic affirmant *Suarez, Rodriquez, Delugo, & alij, ll. cc.* Et ratio primi dicti est, quia cũ iurisdictio, quam habet proprius Parochus in administrandis Sacramentis, sit ordinaria, poterit alteri Sacerdoti eam delegare, vt colligitur *ex l. more ff. de Iurisd. omn. Iud.* & probat *Sanches* loquendo de quolibet Ordinario *lib. 3. de matr. disp. 31. initio Merolla tom. 3. disp. 7. cap. 4. dub. 1.* contra nonnullos, qui volunt potestatẽ delegandi, non esse vniuersalem in omnibus 48 *Potest Parochus tempore habili cuicumque Sacerdoti concedere administrationem Eucharistiæ.*

Per se loquendo quilibet Ordinarius de Iure communi potest facultatē delegare nisi prohibitionē habeat à Superiore.

nibus Ordinarijs, sed solum in maioribus Magistratibus. At primũ est longè probabiliùs, nisi aliquis Ordinarius habeat potestatem eum limitatione, & cũ prohibitione, ne eam alteri deleget, sicuti post *C. Trid.* Parochi nequeunt delegare potestatem absoluendi Sacramentaliter Sacerdoti non approbato ab Episcopo, sed delegatio in ordine ad alia Sacramenta non est Parochis coarctata; proinde vi Iuris communis possunt eam delegare; & ideo certum est posse à Parocho committi pro suis ouibus administrationem Eucharistię alteri Sacerdoti. Ratio verò secundi dicti est, quia nullibi inuenitur Lex, aut Decretum Pōtificis requirentis hanc conditionem, scilicet Administrantem hoc Sacramētum debere esse ab Ordinario approbatum, & ita sentiunt communiter ferè omnes, *Suarez, Rodriquez, Reginaldus, Delugo, ll. cc.* & indicat praxis ordinaria.

49 *Satis est licētia rationabiliter præsūpta ad Eucharistiam administrandam.*

Dicendum est tertio. Satis esse licentiam Parochi rationabiliter præsumptā, vt ait *Nauarrus in sum. cap 21. n. 52. Trull. in bull. lib. 1. §. 3. dub. 8. n. 7. Delugo. sect. cit. n. 51.* qui ponit materialem differentiam inter communionem, quæ fit tempore Paschali ex præcepto, & communionem extra tale tempus; quia extra illud tempus faciliùs præsumitur consensus Parochi ad dandam communionem, non ita facilè in Paschate; quoniam volunt, vt Oues recognoscant proprium Pastorē; cōsiderandæ igitur sunt in vtroq; tēpore, circūstantiæ, personæ, occasiones, &c.

Facilius præsumitur licētia extra tempus Paschale.

Dices. Ad ministrandum Sacramentũ Pœnitentiæ non sufficit consensus præsumptus, seu ratihabitio de futuro proprij Pastoris; ergo neque sufficit ad ministrandum Sacramentum Eucharistiæ. 50

51 *Discrimen inter Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, quo ad licentiā præsumptam.*

Respondeo negando consequentiam; est enim disparitas; nam vt benè notat. *Aegidius Trull. l. c.* ad Sacramentum Pœnitentiæ Iurisdictio pertinet tamquam quid substantiale; quia consistit essentialiter in iudicio, per quod fertur sententia; proindè, vt sit legitima, supponere debet iurisdictionem actualem in eo, qui fert sententiam, vt etiam patet in humanis iudicijs; numquam enim censetur valida sententia, nisi procedat ab illo, qui actualem habet iurisdictionem; sed administratio Eucharistiæ non consistit in iudicio, quapropter Iurisdictio non est de eius substantia, sed solùm requiritur ad seruandum debitum ordinem in distribuendo ipso Sacramento.

TRACT.

TRACTATVS III.

IN §. XII.

DE PRIVILEGIO CIRCA CIBOS PROHIBITOS, ET IEIVNIA:

Concedit Pontifex in hoc §. nonnullas gratias circa cibos, qui Iure communi sunt prohibiti, & hac occasione plura tum circa prædicta, tum circa ieiunia exagitabimus.

CAPVT I.

De vsu carnium pro diebus vetitis.

1 INdulget Pontifex per Bullã, vt eam habentes consilio vtriusque Medici possint comedere carnes temporibus ieiuniorum totius anni, etiam quadragesimalibus, & hæc est prima gratia, quæ in hoc paragrapho continetur: circa quam nonnulla scitu digna tractabimus.

SECTIO I.

An circa carnium comestionem Bulla aliquid supra Ius commune concedat.

2 *Videtur nihil supra ius cõmune p Bullã concedi, quoad esum carnium, & varia Doctorũ placita proponuntur.*

RAtio dubitandi est, quia priuilegiũ istud videri poterit inutile; nam etiam præscindendo à Bulla ex consilio Medici poterit vnusquisq; carnibus tuta conscientia vesci; igitur vi huius Bullæ nihil supra ius commune conceditur. varias circa hanc difficultatem inuenio authorum sententias, seu explicationes.

3 *Aliqui dicunt nihil cõcedi supra Ius*

Prima enim ait, per hanc clausulam nihil de nouo esse concessum supra ius commune, sed solùm voluisse Pontificẽ ad sedandas conscientias scrupulosas explicare Ius, vt multoties fieri solet à Sũmis Pontificibus. ita declarat clausulam hanc *Riccius in addit. ad §. 6. n. 2.* & eidẽ *Franc. Bard. in Bull. Cruc.* adhærere videtur, *Fernandez in exam. Theol. mor. par. 3. cap. 9. §. 5. nu. 1.* quatenus citãs pro hac expositione *Rodriquez*, quãuis falsò eum non impugnet, neq; aliam tradit explicationem. Fundamentum huius opinionis aliud non est, nisi illud, quod proposuimus in ratione dubitãdi.

Secunda vult à Pontifice concedi aliquid de nouo, & aliud non esse nisi meritum ieiunij, hoc est satisfactionem illã, quæ per ieiunium poneretur, si priuilegiatus de facto ieiunaret. Sic *Emanuel Rodriquez in §. 5. n. 1. vers. (Pertanto) & in addit. ad §. 6. n. 1.* & ideo miror quo pacto *Fernandez* asseruerit hanc difficultatẽ proponi à *Rodriquez*, & indecisam relinqui, eamque explicari *in §. 9. n. 5.* duo autem, quæ asseruntur ab ipso authore sunt falsa. Primum in quantum dicit. *Rodriquez loco priùs citato* indecisam omisisse difficultatem, cum tamen ibi clarissimè eam determinet. Secundum quatenus citat eumdem *Rodriquez* quasi docentẽ per hanc clausulam tantùm explicari Ius commune: cum tamen ipse *Rodriquez in paragrapho illo nono* neque verbum de re hac dixerit, suam autem sententiam sufficienter explicuit *loco priùs citato*, & est longè diuersa ab ea, quam illi ascribit. *Fernandez*, vt vidimus. Pro sua autem sententia *Rodriquez* citat *Palatium*, & addit esse communem, & declaratam fuisse *in Bulla, quæ à Pio IV.* emanauit. 4 *Nõnulli aliũ concedi meritum ieiunij.*

Tertia vult per Bullam concedi comestionem carnium, quando necessitas est dubia, & non certa, & sic exponit concessionem hanc *Gomez in clausula 7. num. 1.* 5

Quarta ponitur à *Lopez apud Villalobos clauf. 6. nu. 1.* videlicèt priuilegium istud ita esse intelligendum, vt non requiratur, 6 *Alia opinio vult per priuilegiũ illud minorẽ requiri necessitatẽ*

magna necessitas ad comedēdas carnes, & vtrumque Medicum largiùs se esse gerendum cum ijs, qui Bullam habent, quā cum illis, qui ea carēt; sed ipse *Villalobos* videtur inclinare in expositionem primo loco relatam, scilicèt, nihil per hanc Bullam supra Ius commune indulgeri.

7 *Opinio cuiusdam recentioris asserēs vi Bullæ sufficere consiliū alterutrius Medici.* Placet hic referre expositionem cuiusdam, & in Iure Canonico, & in Theologia Doctoris, qui oretenus de re hac mecum discurrens, censebat sufficere vi huius priuilegij alterutrius Medici consiliū, & pro se adducebat *Henriquez* quasi hoc ipsum asserentem, & ideò videbatur dictionem illam (*vtriusque*) disiunctiuè sumere.

8 *Reijcitur prima opinio.* Dicendum est primò sententiam, quæ asserit, nihil de nouo per hanc Bullam haberi supra Ius cōmune, esse omninò reijciendam; tùm quia ferè omnes Authores oppositum docent, & multi inquiunt hoc esse magnum priuilegium; tum etiam, quia in Iure non habemus ex consilio Cōfessarij, & Medici carnes diebus vetitis legitimè comedi posse, sine euidenti caussa, aut saltem valdè probabili, & ideò priuilegium Bullæ, cum solùm consilium vtriusque Medici expostulet, aliquid operatur supra Ius commune.

9 *Non placet opinio Rodriquez.* Dicendum est secundò, opinionem, quam *Emanuel* tuetur, non placere, quia de merito, seu satisfactione, quæ in ieiunando inuenitur, nihil à Pontifice fit mētio, dum comestionem carnium concedit; proindè expositio ista videtur absque sufficienti fundamento procedere.

10 *Neque quæ vult priuilegium dari pro caussa dubia.* Dicendum est tertiò. Neq; placet sententia, quæ explicat priuilegium Bullæ, quoad istam clausulam comedendi cibos prohibitos ex consilio vtriusque Medici, quando caussa est dubia; nam etiam sine Bulla, vt dicunt communiter Doctores, si Medicus iudicet pensatis omnibus necessitatem vescendi carnibus esse dubiam, poterit Episcopus dispensare, & eo absente Parochus, vt affirmat *Syluest. verb. ieiunium nu.20. Les. lib.4. de iust. cap. 2. nu.45. Filliuc. tom.2. tract.27. cap.6. nu. 128. & alij*, quos refert *Ioannes Sanches in select. disp.51. nu.9.* respectu autem Regularium est eorum Prælatus. si igitur absq; Bulla in dubijs, secundum consuetudinem iam introductam, quæ aliquo modo facit Ius, poterunt fideles dispensationem habere circa comestionem carnium; priuilegium ipsius Bullæ, si nihil plus concederet, non esset necessarium, neque admodum vtile.

11 *Non admittitur sententia illius Recentioris.* Dicendum est quartò, expositionem illius Doctoris sumentis disiunctiuè dictionem illam (*vtriusque*) non esse admittendam; tum quia est extorta; nam, vt patet ex lectura ipsius textus, dictio illa copulatiuè ponitur: & meritò, quia vtriusque Medici peritia, & authoritas concurrere debet, cum agatur de re, & corporali, & spirituali, nempè, de necessitate, quam habet petens dispensationem ratione alicuius infirmitatis, & de ipsamet dispensatione in præcepto Ecclesiæ; neque *Henriquez* est in ea sententia, quæ disiunctiuè accipit dictionem illam; agens enim de hoc puncto *lib.7. cap.13. nu.12.* & inquiens per Bullam Confessario committi dispensationem, subdit (*Vbi verò morbus est notus potest Medicus, aut vir expertus etiā in caussā dubia, sed probabili, concedere vsum carniū absque Medicō spirituali*) *Hæc Henriquez*, qui non disiunctiuè loquitur, sed vult in caussa nota sufficere Medici iudicium, & non dicit sufficere iudicium Medici, aut Confessarij. *Consilium vtriusque Medici copulatiuè requiritur.* Præterea in casu, quem ipse *Henriquez* ponit, non requiritur priuilegium Bullæ, cum secundum Ius commune satis sit iudicium Medici, videlicèt, quando necessitas est manifesta: nec obstat, quod dixerit, *quando res est dubia, &c.* quoniam non loquitur de dubio quomodocumque, sed de dubio, quod reperitur in iudicio probabili, quia ipsemet addit, *in caussā dubia, sed probabili.*

12 *Priuilegium Bullæ quoad vsum carnis plus cōcedit quā ius commune.* Dicendum est quintò, Priuilegium Cruciatæ, quoad carnes comedendas esse valde vtile, & plus concedere, quàm datur per Ius commune, aut per consuetudinem vniuersaliter receptam. Declaratur, & probatur conclusio: aio igitur, efficaciam huius priuilegij sitam esse in hoc, vt in dubio non requiratur dispensatio facienda ab Episcopo, aut Parocho, sed sufficiat consilium Medici, & Confessarij, quod tamen sine Bulla non esset satis, sed esset recurrendum ad Prælatum superiorē, qui dispensaret. *Declaratur quid cōcedat.* Ita tenet *Palatius in 4. d. 15 disp. 8. Rosel. in sum. verb. ieiunium nu.26. Henriquez l 7. cap.13. nu. 12. Ioan. Sanches disp. cit. nu.11. Villal. vt supra Trullench in Bull. lib 1. §.4. dub.1. nu. 6. Ludouicus à Cruce in expos. eiusdem Bullæ disp. 1. cap.5. dub.9. & alij*, & expressè, desumitur ex ipsomet *contextu Bullæ*, vbi ad prædictum effectum non requiritur dispensatio Episcopi, aut alterius Prælati, sed Confessarij, & hoc non est iudicandū, esse parui momenti, cum sit magnum alleuiamentum, fideles non cogi adire Episcopum, aut Parochum, cum quilibet Confessarius sufficiat adhibito Medici corporalis consilio. Vlterius, vt nonnulli volunt, ad comedendas carnes virtute huius priuilegij minorem requiri caussā, quàm requireretur sine Bulla: sic asserit *Lopez loco cit.* & hoc mihi non displicet. *Lenior caussa sufficit.*

Dices

13 *Obiectio.* Dices. Si Medicus corporalis, & Confessarius iudicent aliquem ratione alicuius infirmitatis indigere esu carnium; poterit iste talis absque Bulla sequi iudiciũ, & consilium prudẽtis Medici, & Confessarij; ergo priuilegium Bullæ nihil videtur concedere. *Solutio.* Respondeo, consilium Medici, & Confessarij si procedat ex notoreitate morbi, certum est posse morbo illo laborantem sequi tale consilium, & sine Bulla; quia tunc prudenter operabitur comedendo carnes: & idem dicerem, si probabiliter, & non euidenter Medicus, & Confessarius iudicent circa necessitatẽ comedendi carnes: at interdum res est adeò dubia, vt ex vi ipsius rei non possint prudenter consulere comestionem carnium; vel quia grauitas morbi nõ est manifesta; vel quia morbus ipse non est adeò grauis, & tunc locum habet Bulla, & possunt Medicus, & Cõfessarius absque scrupulo consulere, vt vi Bullæ aliquis carnes comedat; & ideò negandum est per priuilegium Bullæ nihil concedi.

SECTIO II.

Examinantur qualitates, quæ in vtroque Medico requiruntur.

14 CVM in Bulla Summus Pontifex cõcedat dispensationem posito consilio Medici corporalis, & spiritualis, placet examinare quasdam cõditiones, quæ esse debent in vtroque Medico, & superfluas reijcere.

15 *Medicus spiritualis non debet necessario dispensare in actu confessionis.* Et primò initium sumendo à Medico spirituali, aio, non oportere esse Confessarium, qui audiat actu confessionem illius, qui petit dispensationem, vt ex *Rodriguez notat Villalob. claus. illa 6. num. 2. Ioannes Sanchez, Trullench, Ludouicus à Cruce, & alij.*

16 *Neque esse Confessarius qui petit dispensationem.* Secundò. Non oportet esse Confessarium ipsius, qui petit dispensationẽ; quia hoc nullo iure probari potest: & sicuti ad obtinendam absolutionem à censuris, & ad commutationem votorum, non est necesse recurrere ad Confessorem ordinarium ipsius pœnitentis; ita neque erit necesse ad dispensandum in cibis prohibitis.

17 Tertio. Sacerdos, qui dispensat in hac re, non debet necessariò esse approbatus ab Ordinario ad confessiones excipiendas. Assertio hæc non est adeò manifesta sicuti reliquæ præcedentes; quia poterit esse dubitatio ex eo, quod dispensans requiritur, vt sit Medicus spiritualis; dicitur autem Medicus spiritualis per ordinem, ad curandos animi morbos, qui sunt peccata, quæ non curantur, nisi per absolutionem Sacramentalem, ille autem Sacerdos, qui actu non est approbatus, nequit curare pœnitentes; proindè non potest dici actu Medicus spiritualis: sed posset quis respondere appellari Medicũ spiritualem non ex actuali iurisdictione, quam habeat excipiendi confessiones, sed ex ordine Sacerdotali, cui est annexa potestas absoluendi; vt sic enim habet proximam capacitatem recipiendi iurisdictionem in foro Sacramentali, vt validè absoluat. *Dubitatio contraria.*

18 Quarto. Qui virtute huius Bullæ eligitur ad consilium exhibendum vt Medicus spiritualis, debet esse Sacerdos; aliter cum neque actu, neque aptitudine habeat potestatem ad curandos animi morbos, non posset dici Medicus spiritualis, sicut requirit Pontifex per hanc Bullam: & in hac sententia meo indicio, sunt communiter Authores de hac re tractantes, dum in dispensante semper supponunt Sacerdotium. *Debet esse Sacerdos.*

19 *Obiectio.* Dices. Medicus spiritualis per Bullam requiritur ad consilium præstandum; at ad hunc effectum dandi consilium nullo pacto videtur exigi Sacerdotium; quia sufficit prudentia in ipso dispensante, quamuis non sit Sacerdos.

20 *Responsio.* Respondeo. Licèt ad cõsilium rectum, Prudentia, & non Sacerdotium requiratur: nihilominus congruenter à Pontifice exigitur, vt prudentia ista non sit, nisi illa, quæ est in Sacerdote; sicuti in alijs similibus V. G. ad absoluendum à censuris, & ad commutanda vota per se loquendo sufficeret prudentia, quæ esse poterit etiã in Laico; & tamen de facto Pontifex, in hac eadem Bulla, munus ad prædicta efficienda Confessario conferre voluit; sic licèt consilium istud dari possit ab homine etiam non Sacerdote: nihilominus cõgruum fuit, vt Sacerdotis consilium adhiberetur. Ratio autem congruitatis, & conuenientiæ est, quia per se loquendo Sacerdotes solent esse prudentiores, & peritiores, quàm sint Laici; quapropter est dicendum, Medicum spiritualem, cuius consilium in hac re postulatur, Sacerdotem esse debere; & hæc de Medico spirituali. *Congruentia quare requiratur Sacerdotis consilium.* Quòd verò spectat ad Medicum corporalem patet illum appellari, qui est deputatus ad corpora humana curanda.

21 *An Medicus iste Corporalis debeat esse talis professione.* Dubitatio hic moueri posset, an Medicus iste corporalis, cuius consilium exigitur, debeat esse professione Medicus, seu promotus ad gradum Doc-

toratus in Medicina; an verò satis sit scientiam habere artis Medicæ: hanc dubitationem à nemine excitatam videre potui; sed eius solutionem ex alijs similibus emedicare cogor. Ratio autem, quare exigatur gradus Doctoratus in Medicina, atq; adeo non sufficiat scientiā tātū huius artis habere, nisi sit promotus, deduci potest à pari; nam in litteris, quæ emanant à Sede Apostolica circa dispensationes pro foro interno additur clausula, vt ille, qui dispensaturus est, seu cui committitur munus dispensandi, sit Doctor in Iure Canonico. Quærunt autem authores, an dispensationes istas expedire valeat, qui publicè in Academia aliqua Theologiam, aut Ius Canonicum est professus, licet non sit adhuc ad gradum Doctoratus promotus? & respondent cōmuniter, non posse, nisi aliunde aliud habeat priuilegium, sicuti habet nostra Societas; & ratio est, quia nomine Doctoris non venit ille, qui solùm docet, sed qui insignitus est, quamuis de promotis ad gradum licentiatus aliqui partem affirmatiuam sustineant, vt fusè hanc dubitationem expedit *Sanches lib. 8. de matr. disp. 34. à n. 5.* applicando autē hanc doctrinam huic materiæ, de qua loquimur, posset aliquis dicere, quod dum requirit Pōtifex Medici corporalis consiliū, sub nomine Medici non veniat ille, qui scit præcepta Medicinæ, sed qui illam profitetur, vel gradu Doctoratus in ea sit promotus; proinde si desit qualitas ista, consilium non erit qualificatum eo modo, quo petitur in Bulla, & hæc opinio mihi videtur non solùm tutior, sed Iuri conformior, & opposita, nescio, an sit tuta, & practicè probabilis.

22 Sed posset quis inquirere, quid dicendum, si in aliquo paruo Oppido nullus inueniatur, qui habeat gradum Doctoratus in Medicina. Respondere posset aliquis: In eo casu esse petendū consilium à Medico alterius Oppidi oretenus, vel per epistolam, aut si experientia compertum sit in simili casu à Medico iudicatum fuisse vi Bullæ posse carnes comedi; tunc consilium illud præteritum extenderetur ad casum præsentem adhibito consilio Confessarij; vel si hæc omnia deficerent ob aliquod impedimentum, posset quis respondere in tali casu ex præsumpta Pontificis intentione consilium hominis periti in arte esse satis; licet peritia illius non sit publico testimonio approbata, sicuti est approbata peritia illius, qui habet gradū, & adhibito consilio Cōfessarij posse tutò carnes comedere vi Bullæ.

Quid dicendū in terminis primæ opinionis, si in aliquo paruo Oppido non sit Medicus.

23 Sed mihi expeditiùs videtur respondendum, in casu, quo Medici consilium haberi nequit, esse petendam dispensationem ab Episcopo, vel à Parocho.

24 Ex his omnibus, quæ in hac, & præcedente Sectione exagitata sunt, deducimus dispensationem, seu licētiam comedendi carnes vi huius priuilegij, propriè non dari à Medicis siuè corporalibus, siuè spiritualibus, sed solùm à Summo Pōtifice; nam ipse est, qui per Bullam dispensat, posita tanquam conditione vtriusque Medici consilio.

Licentia comedendi carnes vi Bullæ à nemine Medico datur, sed à Pontifice.

SECTIO III.

An posito vtriusque Medici consilio priuilegium de edendis carnibus pluribus omnibus habentibus Bullam?

25 DVas inuenio sententias; prima enim excipit omnes Patriarchas, Episcopos, Regulares, Presbyteros sęculares, &c. & ait, hos non posse vti Bulla in ordine ad comedendas carnes cum consilio Medici corporalis, & Confessarij, tùm in diebus quadragesimalibus, tùm in alijs ieiunijs extra quadragesimam, nisi sint sexagenarij. Hanc opinionem refert *Trullench lib. 1. Bullæ. §. 4. dub. 2. nu. 1.* fundatur in verbis ipsius Bullæ latinæ, in qua post concessionem priuilegij, statim apponitur limitatio, & sic dicitur (*& sub hoc indulto vescendi carnibus, ouis, lacticinijs comprehenduntur cuiusuis militiæ Regulares. Patriarchis verò, Archiepiscopis, & Episcopis, alijsque inferioribus Prælatis, nec non alijs Personis Regularibus, & qui in ordine Presbyteratus fuerint sæcularibus id minimè conceditur, nisi sexagenarij fuerint*) textus clariùs loqui non poterat; expressè enim excludit ab Indulto comedendi carnes, oua, &c. prædictas personas ante sexagesimum annum.

Aliqui non gaudent hoc priuilegio comedendi carnes iuxta mentem nonnullorum.

26 Secunda sententia vult prædictos frui posse priuilegio, quo ad esum carnium, & hanc opinionem, vt probabiliorem amplectitur *Trullench loco cit.*, & mouetur ex verbis eiusdem Bullæ translatæ ex latina in vulgarem sermonem auctoritate Commissarij generalis, in quo residet potestas translatandi, & transumpto est fides adhibenda; in hoc autem trāsumpto solùm excipiuntur personæ ecclesiasticæ ab indulto vescendi ouis, & lacticinijs absq; vlla mentione de comestione carnium; Verba autem in lingua Hyspanica hæc sunt (*Y en este Indulto de comer hueuos, y cosas de leche à su aluedrio no se comprehenden los Patriarchas, &c.*) Confirmari potest ex Bulla Italica, in qua idē asseritur his verbis (*& in questo Indulto di mangiare oua, è cose di latte à suo arbitrio*

Oppositum existimant alij.

trio non si comprehendono li Patriarchi) & sic exclusio prædictorum est solùm in Indulto vescendi ouis; non autem in alio antecedente, in quo omnibus vniuersaliter sine exceptione cōceditur eius carnium.

27 *Probabilior prima opinio.* Hæ sententiæ sunt oppositæ, & ambæ fundantur in verbis Bullæ, in qua secundum varietatem linguarum reperitur diuersitas; & ideo si inspiciamus Bullam latinam, necessariò asserendum est Patriarchas, & reliquos Prælatos, sicuti Regulares, & Presbyteros esse excludendos in vtroque Indulto; si verò spectemus Bullam Hispanicam, & Italicam, non inueniemus exclusionem prædictarum personarum, nisi in Indulto comedendi oua, &c. & ideo esset omnino declaranda res ista à Commissario generali ad tollendā occasionem erroris: sed dum declaratiō non habetur, puto standum esse Bullæ latinæ, quæ immediatè à Pontifice emanauit; proindè est maioris auctoritatis; atque adeo dicendum videtur, non posse Sacerdotes, aut aliam Personā ab exclusis consilio vtriusque Medici vi Bullæ carnes in diebus prohibitis comedere. Ducor etiam quadam coniectura ad hoc asserendum; potuit enim contingere fuisse occasionem huius diuersitatis declarationem illam, quā *Gregorius XIII.* posuit *in fine Bullæ*, dum inquit *Nostra intentionis fuisse, & esse sub Indulto vescēdi ouis, & lacticinijs Prælatos, Archiepiscopos, &c. extra quadragesimalia ieiunia tantùm, omnibus alijs temporibus, & ieiunijs totius anni comprehensos esse.* Cum autem Pontifex per hæc verba de solo Indulto ouorum loquatur, potuit facilè existimari, vt non excluderet personas illas ab Indulto comestionis carnium; at non est ita; nam *Gregorius* per illa verba noluit excludere, sed solùm declarare extra ieiunia quadragesimalia comprehendi in Indulto ouorum etiam Patriarchas, Episcopos, & reliquos, quod antea non erat declaratum; proindè intactas reliquit alias limitationes, & exceptiones; & ideo cum in Indulto prædicto excludantur personæ illæ quo ad carnes, & oua, ex ista declaratione *Gregorij* non rectè infertur exceptionem esse solùm quoad oua, & lacticinia; voluit autem *Gregorius* declarare priuilegiū quoad oua, se extēdere etiā ad Patriarchas, &c. extra ieiunia quadragesimæ, & noluit id asserere de priuilegio quoad carnes, quia forsitā videbatur cōueniens, vt personæ illæ non fruerētur tali priuilegio.

SECTIO IV.

Vtrum, qui virtute Bullæ est dispensatus ad carnes, teneatur diebus ieiuniorum non cœnare.

SOlent tres sententiæ circa rem hanc adduci apud *Filiuccium tract. 27. cap. 3. n. 51. & Dianam par. 1. tract. 9. resol. 25. & tract. 11. resol. 4.* Sed reuera puto esse tantùm duas, cum quadam modificatione inferiùs explicanda in relatione secundæ opinionis. 28

Prima enim censet dispensatum ad esum carnium non esse dispensatum ad ieiunium, cæterum ista sententia procedere debet; cum quadam limitatione, quam ponūt plures ex eius sectatoribus; nam dispēsatio ad carnes, vel poterit fieri, non solùm quia cibi prohibiti iudicātur nociui, verum etiam ad reficiendas vires deperditas, vt euenit in conualescētia; vel dispensatio fit ex eo præcisè, quod cibi noceant, licèt de reliquo dispensatus sit robustus, & non indigeat pluribus refectionibus. hoc posito dicunt authores citandi, si dispensatio fiat ob caussam primo loco relatam, tunc censeri etiam dispensationem esse circa ieiunia; proindè poterit sic dispensatus cœnare, & pluries eadem die comedere: si verò dispēsatio fiat ex eo, quod cibi noceant, vt explicuimus in secundo modo, tunc sic dispensatum teneri ad ieiunium. Ita docent plures, & graues authores, *Ioannes Medina Cod. de Ieiun. quæst. De his, qui ad ieiunium tenentur. §. de Infirmis. Corduba in sum. quæst. 143. & 167. Gomez in Bull. claus. 7. n. 5. Rodriquez etiam in Bulla. §. 6. nu. 4. & in sum. tom. 1. cap. 24. Lopez par. 2. Instruc. de ieiunio cap. 111. §. His tamen. Graff. par. 1. decis. l. 2. cap 37. n. 59. Val. in 2. 2. S. Thomæ disp. 9. quæst. 2. p. 5. Lessius lib. 4. de iust. cap. 2. dub. 6. n. 45. Fernandez in examine par. 3. cap. 9. §. 5. n. 3. Bonac. de leg. disp. 10. q. p. p. 2. n. 3. Ludouicus à Cruce in Bull. disp. 1. cap. 5. dub. 11. n. 1.* & verissimam eam putat *Filiuccius cap. cit. nu. 53.* licèt postea concurrat cum sententia mox referenda; ex eo, quod ordinariè dispensatio fit ad vtrumque, & alij apud ipsos. Fundamentum autem huius opinionis est; quia, cum ista duo præceptis distinctis ordinentur, sunt separabilia, & ideo si nulla sit sufficiens necessitas cœnandi, tenebitur dispensatus ad carnes, ieiunare die, in quo est ieiunium.

29 *Dispensatus à carne non est secundum aliquos dispēsatus in ieiunio.*

Secunda autem principalis sententia est extremè opposita; aitque ex vi solius dispensationis ad carnes, intelligi dispensationem ad ieiunium; atque adeo dum incidit dies ieiunij, poterit sic dispensatus pluries eadem die comedere, quam opi-

30 *Alia sententia, quæ asserit dispensatū ad carnes esse dispēsatū ad ieiunium.*

opinionem multi, & non minoris auctoritatis viri tuentur. Sic *Caietanus in 2.2. quaſt.147.a.8. Petrus Ledeſma in Sum.tom. 2.tract.17.cap.2. concl.3. Henriquez lib.7. cap.13.nu.13. Azor.par.1.lib.7. cap. 10.q.3. Toletus lib.6.c.3.nu.4. Sanches in opuſc. lib. 5.cap.1.dub.29. Suarez tom.3. in 3.p. diſp. 90.ſect. 2. in concl. pro ſecundo dubio longè poſt initium, & tom.2. de relig. l. 4. de horis can.c.28.n.25. Fagundez de 4. præcepto Eccleſ.lib.1.cap.2.num.5. & alij quamplures apud ipſos. Aegidius Trull. in Bull.lib.1.§. 4.dub.2.nu.5. Diana ll.cc.* laudatur etiam. *Villalob.in Sum.tract.23. de ieiunio.diff.8. n.8.& 9.* Sed ipſe ſimiliter in puncto Iuris veriorem putat primam ſententiam; licèt iſtam ſecundam probabilem in praxi

Ratio fundamentalis.

exiſtimet. Ratio autem fundamentalis huius ſecundæ opinionis eſt, quia comeſtio à carnibus eſt de eſſentia ieiunij; proindè qui comedit carnes eadem die ieiunare minimè tenebitur; hæc verò ratio impugnabitur à contrarijs, vt videbimus, ſed non ſolidè: modificant autem aliqui hanc ſententiam, vt refert *Henriquez cap.cit.n.12.in fine, & Sanches in fine illius dubij 29.* & laudat *Abulenſem in cap. 6.Matth.quæſt.171.* ſcilicet, ſi quis carnes comedat ex eo, quod inueniatur in extrema neceſſitate, & alios cibos non habeat, ſi erit dies ieiunij, tenetur ad ieiuniũ ſeruandum vnica comeſtione contextũ. Ratio autem, quæ aſſignatur, eſt, quia in eo caſu comedens non vtitur carnibus, vt carnibus, nempè, quatenus iuuant ad ſalutem corporalem, ſed vt iuſtrumento neceſſario ad ſuſtentandam naturam, ſeu ad vitandam mortem. Hæ ſuut opiniones, quæ de re hac inuenire potui; ſupereſt, vt noſtram in medium afferamus.

31 *Eligitur vt probabilior ſecunda opinio, & efficaci ratione oſtenditur.*

Dicendum eſt primò, ſecundam ſententiam mihi videri longè probabiliorẽ, & hoc aſſero ductus ea ratione, qua eius Sectatores eam defendunt, videlicèt, abſtinentiam à carnibus eſſe de eſſentia ieiunij; proindè carnium comeſtio tollens vnum ex prædicatis eſſentialibus ieiunij deſtruit totum ieiunium, ita vt conſiſtere nequeat; nam in Iure habetur, quod deſtructa forma, ſub qua actus aliquis præcipitur, aut ſi illa forma eſt impoſſibilis, deſinit lex obligare; quia cum obligauerit ſub tali determinata forma, ſi ceſſãte forma perſiſteret obligatio, non eſſet eadem, ſed eſſentialiter diuerſa, vt colligitur ex *l. Seia ff. de auro, & argent. leg. & l. Quid tamen ff. quib.mod.vſus fruc. amit. l. Peculium de leg. 2.* & ideò ſi quis voueret ieiunium in ſolo pane, & aqua, & ſub hac forma illud ſeruare nequeat, non teneretur ieiunare modo conſueto, & ſic in multis alijs ſimilibus.

Ad hoc argumẽtum, quod in hac materia eſt potiſſimum duas reperio reſpõſiones; prima, quæ eſt aduerſariorum communis, ait abſtinentiam à carnibus 32

Prima aduerſariorum reſponſio.

eſſe partem integralem ieiunij, non autẽ eſſentialem, atque adeò ea deficiente poterit ieiunij eſſentia conſiſtere, licèt, non integra, ad eum ferè modum, quo conſiſteret eſſentia, & natura hominis, quamuis pedes, & manus deeſſent.

Contra eſt, quia ieiunium eccleſiaſticum, de quo loquimur, cum abſtinentiã 33

Abſtinẽtia à carnibus eſt pars eſſentialis ieiunij, & nõ integralis

importet, vt de ſe eſt manifeſtum, & certum, vt notat *Layman lib.4.tract.8. cap. 1. initio*, & ſit ab Eccleſia inſtitutũ ad corpus macerandum, debet eius eſſentia potiſſimùm cõſiſtere in earum abſtinentia, per quam corpus magis maceratur; talis autem eſt abſtinentia à quãtitate, & qualitate ciborum, proindè vnicam admittit comeſtionem; at non admittit eſum carnium, pro vt carnes diſtinguntur à piſcibus, quia carnes ex natura ſua magis fouent partem ſenſitiuam, & plus excitant

Carnes maximè fouẽt partẽ ſenſitiuã, & excitant eius motus.

motus ſenſualitatis, quàm piſces; & ideò cum ieiunium importare etiam debeat abſtinentiam à qualitate ciborum, vt patet ex communi omnium conſenſu, & aduertunt *Canoniſtæ in Rubr. de obſeruat. ieiun. & omnes Theologi*: debet præcipuè importare abſtinentiam à qualitate illorũ ciborum, qui magis fouent ſenſum, corporiſque vires reficiunt, & de hoc non eſt controuerſia apud Catholicos; ſolùm eſt dubitatio, an abſtinentia à qualitate talium ciborum ſit quid eſſentiale, & ſolido fundamento ducimur ad hoc aſſerendũ, ſpectando finem immediatum, quem habuit Eccleſia ad ieiunium inſtituendum, nempè, macerationẽ corporis, quæ principaliùs reſidet in duobus prædictis, & ideo in duobus prædictis ponenda eſt eſſentia ieiunij: hora autem comedendi, quæ eſt circa meridiem, eſt quid minùs principale, & neminẽ vidi aſſerentẽ eſſe de eſſentia ieiunij; imò dicunt aliqui ſine tali circumſtantia temporis ſeruari poſſe totam ieiunij ſubſtantiam, vt rectè notat *Sanches l. 1. in decal. cap. 19.n.6. & aliqui Doctores* cenſent non eſſe graue peccatũ anticipare notabiliter horam prandij, de qua re in Tractatu de ieiunio, nam maceratio, quæ eſt finis intrinſecus ieiunij, principaliter manet in abſtinentia à quãtitate, & qualitate quorumdã ciborum; Neq; refert, oua, & lacticinia eſſe etiam à Iure prohibita in Quadrageſima, & hoc non obſtante comeſtionem ouorum, ſeu lacticiniorum manere cum ſubſtantia ieiunij; ex hoc autem non benè colligeretur idem de comeſtione carnium; quia oua, & reliqua, quæ originem trahunt à

carne,

carne, non ita fouent sensum, sicuti carnes, proinde non erit eadem ratio de lacticinijs, ac de carnibus. & hæc sufficere possunt contra primam responsionem ad ostendendam essentiam ieiunij, quæ est quid morale; in essentijs autem rerũ moralium inuestigandis, nequimus eam certitudinem, & euidentiam habere, quam habemus in rebus physicis, quarũ essentia est immutabilis, & non dependetã volũtate, & institutione hominum, sicuti dependent quamplures res morales.

34 *Alia responsio.* Secunda responsio excogitata fuit à *Villalob. l. c. n.* 8. inquit enim fundamentũ à nobis allatum pro hac opinione, non esse sufficiens, quia sequeretur, quod ille, qui necessitatem habet pluries comedẽdi eadem die ieiunij, posset comedere carnes, quod tamen est falsum; maior enim necessitas requiritur ad esum carnium in diebus prohibitis, quàm ad non ieiunandum. Vt autem huius argumenti vis clariùs innotescat, potest hoc pacto corroborari. Si essentia ieiunij consistit in illis duobus, videlicet in vnica comestione tantùm, & in abstinẽtia à carnibus, & per consequẽs destructo vno ex essentialibus destruitur totum constitutum, sic per duplicem comestionem, cùm tollatur aliquod essentiale, totum ieiunium corruit; proinde non remanebit obligatio ad aliam partem essentialem, nimirũ ad abstinendum à carnibus: ita discurrere quis posset, cõfirmando argumentum, quod *Villalobos* adducit.

35 *Infringitur prædicta responsio.* Sed hoc argumentum, & responsio data nullius prorsus est roboris, & miror quo pacto vir alioqui doctus potuerit sibi persuadere, argumentum istud esse alicuius efficaciæ, non aduertens abstinẽtiam à carnibus prohiberi ab Ecclesia, tũ directè, tũ indirectè; seu immediatè, & mediatè. Rẽ clariùs explico; prohibetur enim primò, & per se independenter à ieiunio præscriptis diebus, vt habetur in Sacris Canonibus, *cap. Denique dist.* 4. *& alibi*, prohibetur etiam indirectè, quatenus cõcurrit cum alia comparte, scilicet, cum abstinẽtia à pluribus refectionibus, ad cõstituendum ieiunium, & ideo licèt abstinentia à carnibus, vt pars essentialis cõstitutiua ieiunij desinat, deficiẽte abstinentia à secunda comestione, & cesset in quantum est materia legis præcipientis ieiunium: nihilominus non cessat, in quantum primò, & per se est materia alterius præcepti, videlicet de non edendis carnibus, &c.

36 *Probatur conclusio à posteriori ex praxi communi.* Probari etiam potest nostra sententia à posteriori, nimirum à praxi communi fidelium, qui licèt sint Religiosi, & timoratæ conscientiæ; tamen dispensati ad carnes tempore ieiuniorum, cœnant absque scrupulo; & hæc hodie est consuetudo recepta, vt ipsemet *Villalobos* fatetur.

Dices. Priuilegium istud est odiosum; proindè strictè explicandum; igitur dispensatio ad vnam partem ieiunij, nõ debet extendi ad aliam partem. 37 *Obiectio.*

Respondeo ita esse, si de extensione directa fiat sermo, non autem de indirecta. Declaro distinctionem, si nos diceremus, dispensationem ad alterutram partem ieiunij immediatè, & per se ampliandam esse ad aliam compartem, argumentum concluderet contra nos, & maximè facta illa suppositione, quod priuilegium istud sit odiosum: sed nihil concludit, si loquamur de ampliatione mediata, & indirecta; quia deficiente vna comparte essentiali, non potest subsistere essentia rei præceptæ; ideoque veluti per accidens alia compars cessat in ratione compartis, & desinit etiam esse materia illius præcepti, per quod indiuisibiliter primò, & per se ieiunium respiciebatur, quamuis remaneat, vt materia alterius præcepti, per quod præcipitur abstinentia à carnibus. 38 *Dispensatio ad carnes indirectè tollit ieiunium.*

SECTIO V.

An Priuilegium de comestione carnium ex consilio vtriusq; Medici vim habeat pro sexta feria, & Sabbatho.

Ratio dubitandi oritur ex diuersitate Bullæ Latinæ, & Italicæ; nam in latina Indultum conceditur pro diebus, in quibus est ieiunium; proinde posset rationabiliter aliquis dubitare priuilegiũ quo ad esum carnium restrictum esse ad dies ieiuniorum; sic enim dicitur (*Item vt dicto anno durante in omnibus, & singulis regnis, &c. carnibus de consilio vtriusq; Medici temporibus ieiuniorum totius anni, etiã quadragesimalibus vesci, &c.*) In Bulla verò Italica est verborum diuersitas, nam ita habetur (*Item concede à tutte le persone, che prenderanno questa Bolla, che durante il detto anno, possano di conseglio d'ambidue i Medici spirituale, e corporale, mangiar carne in quaresima, & altri tempi di digiuno, e giorni prohibiti di mangiar carne per tutto l'anno*) Ex his patet ratio dubitandi, quæ in verborum varietate fundatur; si enim attendere velimus ad Bullam latinam priuilegium solùm videtur esse pro diebus ieiuniorum; quia de his tantùm loquitur, contra verò si spectemus Bullam, quæ in nostrum vulgarẽ sermonem est trãslata, debemus asserere 39 *Diuersitas verborum inter Bullã latinã, & Italicã præbuit occasionẽ dubitandi.*

priui-

priuilegium esse magis amplum, quia præter dies ieiunij explicitè ponit dies totius anni, in quibus prohibita est carnium comestio.

40 *Priuilegium quoad vsum carniũ locum habet etiam in feria sexta, & Sabbato.*

Dicendum tamen est, non solùm ex vi nostræ Bullæ, sed etiam sistendo in verbis Bullæ latinæ, priuilegiũ vim habere pro sexta feriâ, & Sabbato; & ratio est, quia in re hac militat *regula illa Iuris in 6.* videlicet, *Cui licèt, quod est plus, licèt vtiq; quod est minùs*, & licèt regula ista nonnullas patiatur exceptiones, & non semper in omnibus casibus verificetur, vt latè probat *Sanches lib. 8. de matr. disp. 1. à nu. 32.* nihilominùs quando maius, & minus sunt prorsus eiusdem generis, regula valens in maiori, militat etiam in minori; quia tunc prorsus eadem est ratio, quod *Sanches* in multis exemplificat, & præsertim *num. 39.* in concessione ouorum, quæ extenditur ad lac, caseum, &c. vt infra suo loco videbimus, & vt hoc meliùs pateat, ponatur, quod feria sexta, aut Sabbatho, sit ieiunium, tunc certũ est posse vi Bullæ dispensari ad carnes, & ridiculũ foret asserere non posse dispensari; si eadẽ die non sit ieiunium; nam præceptum ieiunij potiùs deberet difficiliorem reddere dispensationem, quàm eam facilitare, est igitur non solùm paritas, sed etiam identitas rationis ad dispensandum in vtroque casu, quæ consistit in eo, quod cibi quadragesimales nocumentum afferant sanitati corporali, & ex eo quod prohibitio carnium die Veneris, &c. est quid minùs, quàm sit prohibitio carniũ eo die, quo est ieiunium.

Probatur ex regula Iuris.

Probatio ex absurdo.

SECTIO VI.

An Dispensatus ad carnes possit die prohibibito comedere carnes nociuas; vel cum carnibus pisces miscere.

41 *Non posse simul comedere carnes, & pisces autumãt aliqui.*

Circa primum quæsitum inuenio sententiam *Emanuelis Rodriquez in Sum. par. 1. cap. 24. n. 3.* loquendo de illo, cui dispensatum est ad esum ouorum in quadragesima, ait non posse comedere caseum, aut lac, si erit sanitati nociuum. idem opinatur *Ioannes à Cruce in Direct. consc. par. 1. præcep. 3. ar. 4. dub. 8. nu. 3.* qui negat posse dispensatum ad carnes, comedere carnes nociuas, vt sunt v. g. carnes porcinæ, nisi sit paruitas materiæ, quæ eomedentem excuset; & ratio est, quia dispensatio non extenditur ad carnes vetitas, quales sunt nociuæ; cum enim data fuerit ad sanitatem tuendam, coarctanda erit ad comestionem illarum carniũ, quæ iuuant ad sanitatẽ seruandã.

Sed opposita sententia affirmat, quam multi tuentur, inter quos est *Sanches li. 8. de matr. disp. 1. nu. 39.* & clariùs *lib. 4. sum. cap. 11. nu. 57. Ioannes Sanc. in select. disp. 51. nu. 20. Villalob. in sum. tract. 23. diff. 8. nu. 11. Viualdus in supplemen. ad Candel. cap. 11. n. 37. Trull. in Bull. lib. 1. §. 4. dub. 2. nu. 2. & in Decal. lib. 3. cap. 2. dub. 2. num. 9. Diana par. 5. tract. 5. resol. 47. Pasqualigus de ieiunio decis. 46. nu. 4. & alij.* 42 *Contraria opinio admittitur ab aliis.*

Dicendum est primò. Qui comedit Carnes, aut alios cibos, quos agnoscit esse sibi nociuos peccat contra virtutem sobrietatis, siuè grauiter, siuè leuitèr iuxta quantitatem nocumenti corporalis, & de hac conclusione nulla esse potest controuersia. 43 *Comedens vtrumq; genus cibi peccat cõtra sobrietatem.*

Dicendum est secundò. Qui comedit carnes noxias diebus prohibitis, si erit dispensatus ad carnes, non peccabit contra præceptum Ecclesiæ, vt rectè asserunt Doctores pro secunda sententia adducti. Probatur conclusio, quia Præceptũ Ecclesiæ, per quod statutis diebus interdicitur caro, indiuisibiliter respicit carnem vt sic; proinde per dispensationem totaliter aufertur tale præceptum; atq; adeo comedens carnes nociuas, cum vi dispẽsationis fiat liber ab hoc præcepto, non poterit contra illud peccare durante tempore dispensationis, etiam si notabile nocumentum sibi inferat comedendo carnes nociuas; nam Ecclesia non prohibet carnes ex motiuo seruandi sanitatem corporalem, sed ex motiuo macerandi corpus; idcircò quamuis comestio carnis noxiæ afferat detrimentum sanitati, propter hoc nõ fit contra præceptum Ecclesiæ, quæ in prohibitione carnium tale motiuum minimè respicit; 44 *Non peccat contra præceptum Ecclesiæ, sed cõtra præceptũ naturale.* *Suadetur ratione.* *Motiuũ Ecclesiasticum ad prohibendas carnes.*

Ad rationem pro contraria sententia respondeo; licèt primò, & per se dispensatio non extendatur ad carnes vetitas vt sic; tamen secundariò ad illas extenditur, quatenus p relaxationẽ præcepti, caro quæcumq; sit, perindè se habet, ac si nullum extaret præceptum Ecclesiæ: & quamuis dispẽsatio concessa fuerit in ordine ad sanitatem, tamen non sequitur ex hoc, dispensatum teneri ex statuto Ecclesiæ conseruare sanitatem; quia Ecclesia nullam instituit legem pro tuenda sanitate, & ideò relinquit dispensatum cũ ea tãtùm obligatione, quam habet si nullum latum fuisset Ecclesiasticum preceptum; talis autem est obligatio ad seruandam sanitatem ex lege naturali, & Diuina. 45 *Satisfit rationi cõtrariæ*

Quoad secundum quæsitum fuerunt aliqui, quibus placuit opinio, quæ negat esse licitum simul cum carnibus comedi posse 46 *Putarũt aliqui non posse dispensatum ad carnes simul edere pisces.*

posse pisces. citatur *Nauar. in cōsil. tom 1. concl. 5. de obseruat. ieiunij. nu. 2.* licet de re hac nihil dicat. *Graf. in decis. par. 1. lib. 2. cap. 37. num. 59. Lauorius de Iubil. par. 1. cap. 20. n. 28. Rodriq. in Addit. ad §. 6. nu. 5. verb.* (*Respondeo*) quamuis *in expositione Bullæ §. 6. dub. 4.* videatur oppositum docere *in secunda conclusione*, sed potest in vtroque loco reconciliari, nam in conclusione secunda citata concedens mixtionē carnis cum piscibus, loquitur quando licentia concessa à Medico corporali, & spirituali ad carnes edendas fuit ad recuperandas vires in conualescentia; at in tertia conclusione docet id fieri non posse quādo dispensatio ad carnes fuit ex eo, quod pisces nocēt; & sic loquitur cōformiter ad ea, quæ asseruerat *in addit. in 4. autē conclusione* ait, posse cū carnibus comedi aliquē piscem salubrē, vt truttā, &c.

Excusatur Rodriquez à contradictione.

Ratio huius sententiæ.

Ratio autem apparens, cui innituntur, & passim circumfertur apud vulgares homines, est sequēs dilemma: vel pisces nocent, vel non nocent, si primum, comedens illos, peccabit; si secundum nulla erit caussa dispensandi ad carnes; quia in tantum potest esse valida, in quantum petens dispensationem indiget ob aliquam corporis infirmitatem bonis cibis se nutrire, & pisces illi nocent.

47 *Opinio contraria est communior.*

Sed alia opinio est communiter recepta, videlicèt dispensatum ad carnes, posse simul comedere pisces. Sic *Henriquez li. 7. cap. 13. nu. 13. Angles in flor. quæst. 9. de ieiun. a 1. diff. 6. Villalob. in sum. tom. 1. trac. 23. dub. 8. nu. 10. Azor. tom. 1. lib. 7. cap. 10. quæst. 5. Fagundez de præcep. Eccles. lib. 1. c. 2. nu. 18. Filliuccius tract. 27. par. 2. cap. 3. nu. 55. Trull. in decalog. dub. cit. nu. 9. & alii quamplures*, quos citat *Pasqualigus de ieiun. decis. 47.*

48 *Præfertur hæc secunda sententia.*

Dicendum est cum hac secunda sententia. Et ratio est, quia, vt supra diximus, Ecclesia in his præceptis instituendis non respicit sanitatem corporis tuendam, sed afflictionem, & macerationem corporis; proindè etiam si demus mixtionem prædictorum ciborum esse nociuam: tamen non cadit sub Ecclesiæ præceptum, sed sub præceptum temperantiæ: & addo, à nonnullis neque nociuam videri mixtionem illam, si erit moderata; imò si sumatur parua quantitas pisciū ad appetitum excitandum, nullam esse culpam.

49 *Soluitur argumētum pro prima opinione.*

Ad argumentum pro prima sententia dico, etiam si dicamus pisces esse nociuos sanitati, ex hoc non sequi committi peccatum contra Ecclesiam, sed contra temperantiam.

SECTIO VII.

An si quis die ieiunij dispensatus ad carnes, ab his tamen se abstineat, & solùm comedat pisces, aut oua, teneatur ieiunare?

50 Ponamus casum. Titius vi Bullæ dispensationē obtinuit, posito vtriusque Medici consilio, ad edendas carnes per totam quadragesimam; at quadam die voluit abstinere à carnibus, & ideò comedit pisces, aut oua; quærimus an teneatur tali die ieiunare?

51 *Sanches cum distinctione soluit quæstionem.*

Examinat quæsitum *Pater Sanches li. 5. consil. cap. 1. dub. 30.* illudque cum distinctione resoluit; ait enim, quod si dispensatus ad carnes habeat vires manifestas ad ieiunandum, & dispensatio fuerit ad præseruandum: tunc si à carnibus abstineat, tenebitur ea die ieiunare, stante Ecclesiæ præcepto; & ratio est, quia nulla alia ratione iste talis excusari poterit à ieiunio, nisi quia abstinentia à carnibus est essentialis ieiunio; proindè ea non seruata, non poterit consistere ieiunium; sed si ea ponatur, nulla habebitur ratio excusans ad non ieiunandum; cæterum si dispensatio fuit facta ratione debilitatis, & præsentis infirmitatis: tunc si dispensatus aliqua die carnes non comedat, hoc non obstāte, non tenebitur ieiunare, quamuis eius saluti conduceret ieiunium. Ita *Sanches*, quem postea sequutus est *Aegidius Trull. in decalog. lib. 3. cap. 2. dub. 2. nu. 7 Megalius tom. 2. resol. var. resol. 153. n. 5. Pater Diana par. 4. tract. 4. resol. 189.*

Cæterum *Carolus Zambranus Author Casuum Conscientiæ Bononiensis anno Domini 1637. cas. 2. mense Ianuarij*, quęsitum proposuit, ad quod duas dat responsiones; prima autem ea est, quam ex *Sanchez* retulimus; secunda verò ab ipso excogitatur, inquit enim (*Obtenta legitima dispēsatione ad carnes edendas, non videri obligatum ad ieiunādum ijs diebus, quibus dispensatus ex sua deuotione abstinet ab esu carnium, etiam si alioquin habeat manifestas vires, & sanitatem ad ieiunandum*) & eamdem opinionem contra Sanchez tenet *Zaccharias Pasqualigus de ieiun. dec. 268.* Ratio pro hac sententia esse potest, quia Titius dispensatus ad carnes censetur omnino liber ab omni obseruatione ieiunij; proindè quamuis non vtatur dispensatione circa qualitatem ciborum; vtitur tamen illa circa pluralitatem refectionum; nam qui habet 52

Ratio quæ ducitur.

Franc. Bard. in Bull. Cruc.

priuilegium circa diuersa, quæ sunt separabilia, non cogitur vti tali priuilegio circa omnia, ad quæ priuilegium, seu dispēsatio extenditur, sed ad sui libitum circa vnum, & non circa aliud, poterit priuilegio, seu dispensatione vti: sic dispensatio ad carnes in die ieiunij duo respicit, qualitatem scilicèt ciborum, & pluralitatem refectionum, quæ possunt seiungi; & ideò licèt, sic dispensatus non vtatur dispensatione, quoad primum, non sequitur quin valeat ea vti, quoad secundum.

53 *Admittitur opinio Thomæ Sanchez.* Dicendum est primò, sententiam quā tuetur Sanchez, vt probabilem admitti posse: & ideò aio, quod si Titius virtute Bullæ, aut alteriùs priuilegij dispensatus fuit tempore quadragesimali ad carnes edendas, & aliqua die abstineat, vel ob deuotionem, vel ob aliam caussam ab esu carnium, comedendo pisces, aut oua, si dispensatio fuit ob virium debilitatem ex infirmitate præsenti, vel præterita prouenientem: poterit pluries comedere siue pisces, siuè carnes. Probatur, quia dispēsatio ista tanquam obiectum adæquatum respicit, & bonum nutrimentum ex qualitate ciborum, & recuperationem viriū corporalium: quapropter licèt Titius noluerit vti dispēsatione, quoad primum, integrum ipsi relinqui videtur vti illa quoad secundum, nempè, ad non ieiunandū; quia manet caussa, ob quam dispensatio fuit concessa, videlicèt virium recuperatio.

54 *Opinio Zambrani non placet.* Dicendum est secundò. Si dispensatio fuit ad præseruandum, & non ad virium restaurationem; tunc si Titius abstineat à carnibus tenetur ieiunare, si eo die est ieiunium. Conclusio est contra *Zambranum, & Pasqualigum,* quorum opinio mihi videtur parùm probabilis, & non tuta. Probatur, nam in hoc casu dispensatio solùm respicit, vt adæquatum obiectum, bonum nutrimentum ex qualitate ciborum, & non corroborationem virium, quia iam supponimus dispensatum esse robustum, & pati posse afflictionem ieiunij; igitur si ob piscium, seu ouorum comestionem non potest haberi nutrimentum causādum ex comestione carnium, cessat totaliter finis dispensationis; atque adeò remanent omnia, facta tali hypothesi, iuxta dispositionē Iuris communis; ac proindè vrgebit obligatio ieiunij. Confirmatur efficaciter, nam in tantum Titius erat liber à lege ieiunij, in quantum ponebat conditionem incompossibilem cum ipso ieiunio, nempè, comestionem carnium, & ideò tali conditione non apposita nulla erit exemptio ad non ieiunandum.

55 Dices. Dispēsatio à ieiunio est accessoria ad dispensationem carnium; igitur si est in libertate Titij comedere, vel non comedere carnes, erit in eius libertate ieiunare, vel non ieiunare. *Instantia.*

56 *Diluitur.* Respondeo, dispensationem à ieiunio non esse directè intētam, & per se, sed solùm indirectè, & per accidens, in quantū inuoluit comestionem carnium, quæ est incompossibilis cum ieiunio; & hoc pacto si aduersarij velint eam accessoriam appellare, non est cum illis contendendum. ad argumentum autem, distingui debet consequens; est in libertate Titij ieiunare, &c. absolutè nego, ex suppositione, concedo; nimirum ex suppositione comestionis carnium.

57 *Alia instantia ex absurdo.* Dices secundò, ridiculum videri, quod Titius meridie comedens pisces, in nocte valeat carnes, & non pisces comedere; hoc autem videtur sequi ex nostra sententia, secundum quam ponimus in libertate ipsius dispensati esum carninm.

58 *Nullum sequitur incōmodū ex sententia Authoris.* Respondeo negando id sequi ex nostra opinione; dicimus enim, qui meridie pisces, aut oua comedit, vesperi neque pisces, neque carnes, aut quicquam aliud edere posse, sed ordinariam dumtaxat refectiunculam sumere, quæ sumi consueuit ab alijs in die ieiunij: neque nos dicimus, esse in libertate Titij comedere pisces, posita quacūque conditione; si enim manè comedit pisces, postea non erit in eius arbitrio pisces, aut aliud edere; libertas autem solùm est in prima comestione, non verò in reliquis, si nulla posita fuerit conditio incompossibilis cum ieiunio, qualis est carnium comestio; nam ea posita, cum ieiunium eo die non fit ampliùs reparabile, facultas erit ad comedendos quoscumque cibos.

59 Dices tertiò. Obligatio illa in Titio non apparet à quo ponatur, quia per dispensationem ad carnes lex ieiunij fuit in ipso Titio extincta, aut suspensa.

60 *Nō est noua, sed antiqua obligatio ex præcepto Ecclesiæ.* Respondeo, non esse nouam obligationem, sed antiquam impositam ab Ecclesia ijs, qui impedimento carent ad ieiunandum: at posito, quod Titius se abstineat à carnibus, nullum habet impedimentum ad ieiunādum; proindè erit obligatus; suspensio autem illa in lege ieiunij est dependenter ab ista conditione, scilicèt dum non ponatur aliquod incompossibile cum ieiunio.

61 *Talis obligatio non fuit totaliter sublata sed solum ex suppositione.* Alia, quæ adducuntur à *Pasqualigo,* supponunt obligationem ieiunij in Titio fuisse absolutè sublatam, quod tamen est falsum, cum solùm ablata fuerit dependenter à comestione carnium, propter incompossibilitatem cum ieiunio, & ideò cum ista, aut similia facilè soluantur ex dictis, non est, cur in eis immoremur.

Ad

62 *[Sa]tisfit argu[m]ento pro prima sententia.*

Ad rationem autem contrariam euidens est solutio ex dictis; aio igitur per dispensationem Titium censendum esse liberum à ieiunio dependēter à comestione; & ideò nego, quod si non vtatur dispensatione circa qualitatem ciborum, illa vti posse circa pluralitatem refectionum. Et ad illud principium; Qui habet priuilegium circa diuersa, &c. Respondeo, tunc verificari, quando ea, quæ sunt diuersa, & separabilia per se conceduntur, non autem quando vnum ex illis cōceditur ex suppositione alterius, vt euenit in casu nostro.

SECTIO VIII.

An tempore ieiuniorum dispensatus ad carnes, si eius valetudini conducat cœnam omittere, & hoc non obstante cœnet edendo carnes, peccet contra præceptum Ecclesiæ.

63 Formo casū hoc pacto. Titius vi Bullæ consilio vtriusque Medici obtinuit dispensationem pro diebus ieiunij ad carnem comedendam, quo posito fingamus valdè conferre ad eius sanitatem aliqua die non cœnare, & tamen cœnet edendo carnes. quærimus an peccet cōtra præceptum negatiuū, per quod esus carniū prohibetur statutis diebus.

64 *In die ieiunij ecclesiastici duo concurrūt præcepta.*

Vt autem dubitandi ratio agnoscatur, supponendum est in die ieiunij duo concurrere præcepta, vnum per quod interdicitur secunda refectio; alterum, per quod prohibetur qualitas ciborū, nēpe, carnium, & istud esse distinctum præceptum, & vniuersaliùs, quàm sit primum; quia afficit etiam eos, qui ratione ætatis ad ieiunandum ex præcepto Ecclesię minimè tenentur. Hoc supposito tanquam certum statim insurgit dubium; quia cū abstinere à carnibus die ieiunij sit præceptum negatiuum, vt omnes fatentur, obligat, vt aiunt Theologi, semper, & ad semper; ad differentiā præcepti affirmatiui obligantis semper, sed non ad semper; & ideò si quis die ieiunij absque necessitate, vel dispensatione ter comedat carnes, tria committet peccata. Deueniendo nunc ad quæsitum, dico, quòd Titius etiā si dispensationem vi Bullæ, aut alterius priuilegij habuerit circa comestionem carnium, si ad sanitatem fernandam, deberet ex consilio Medicorum non cœnare, & ipse cœnet cum carnibus, videtur grauiter delinquere, etiam si manè in prandio carnes comederit; nā quamuis nō teneatur ieiunare, quoniam per esum carnium non est ieiuniū ampliùs reparabile iuxta nostrā sententiam; nihilominus ex vi præcepti negatiui ecclesiastici obligādus videtur ad abstinendum non à secūda comestione vt sic, sed à secunda comestione carniū, quia cum nulla sit necessitas excusās; imò sit necessitas opposita, scilicèt, non cœnandi, idcircò locum non habet dispensatio, quæ in necessitate comedēdi carnes, & abstinēdi ab alijs cibis nociuis fūdabatur, & p cōsequēs Titius sic cœnādo, nō poterit excusari à peccato.

De hoc dubio consultus fui à quodam viro docto, & religioso, qui dispensatus tēpore quadragesimæ ad carnes scrupulo angebatur, an potuisset carnibus cœnare, si nulla necessitas, sicuti ipse iudicabat, ipsi fuisset ad cœnandum. Authores sub his terminis de re hac agētes, inuenire nō potui, licèt per trāsenā, vt mox dicā, huius quęsiti decisionē in casu ęquiualēti ponāt. 65

66 *Comedendo carnes non peccabit si dispensatio fuit absoluta.*

Dicendum igitur est primò. Quamuis nulla sit necessitas cœnādi, imò cœna hic, & nūc nocumentum potiùs corporali sanitati sit allatura: nihilominus si Titius vi Bullæ, aut alterius priuilegij dispensatus fuerit ad carnes, absolutè, & absq; vlla restrictione nullū committet peccatū cōtra præceptū Ecclesiæ, si cœnet comedendo carnes: hanc conclusionem colligo ex *Sāchez in consil. li. 5. cap. 1. dub. 30. n. 3.* vbi docet, quod dispensatus ad carnes comedēdas ratione debilitatis, &c. nō tenetur ieiunare, quāuis eius sanitati cōducat ieiuniū; & consequenter non ieiunando non peccabit cōtra præceptū Ecclesiæ, sed solū contra sobrietatem: ferè eādem doctrinā habet in *sum. lib. 4. c. 11. n. 57.* idéque asserit *Ioan. Sanchez in selec. disp. 51. n. 21.* de eo, qui dispensatus comedit carnes nociuas, & pariter *Aegidius Trullench in Bull. lib. 1. §. 4. dub. 2. n. 2. & in Decal. lib. 3. cap. 2. dub. 2. n. 9. 10. & alij.* Quod autem hi Doctores dicūt de ieiunio, quādo secūda comestio nocet sanitati, vel quæ dicunt de qualitate pisciū non salubriū, ego assero de comestione secunda, cum carnibus; proindè aio, quod si Titius vi Bullæ cōsilio vtriusq; Medici dispēsationem habet tēpore quadragesimali ad edēdas carnes; quāuis pluries eodem die intēperatè comedat, nō peccabit contra præceptū Ecclesiæ prohibētis carnes; & ratio est, quia per dispensationem fuit simpliciter liber effectus à præcepto Ecclesiæ, proindè cōtra illud non delinquet.

Dices. Opinio huius cōclusionis nō videtur cohærere cum illa, quam Sectione præcedenti sequuti sumus in secūda conclusione, in qua sustinuimus, quod Titius dispensatus ad carnes comedēdas nō ad reparandas vires, sed ad præseruandum, ne qualitas ciborū noceat sanitati corporali, si à carnibus se abstineat, & comedat 67

cibos compossibiles cum ieiunio, teneri eo die ad ieiunandum; qua opinione posita, sic contra nos ad hominem argui poterit; sicuti facta suppositione comestionis ciborum proportionatorum ad ieiunium, obligatur Titius in eo casu ad ieiunandum, sic facta suppositione, quod non indigeat cœna, imò, quod cœna potiùs noceat, tenebitur abstinere à carnibus, etiam ex præcepto Ecclesiæ; cum enim hoc præceptum sit negatiuum, & obliget semper, & ad semper, sicuti alia similia præcepta, retinebit vigorem pro reliqua diei parte, & quoniam dispensatio ad carnes fuit ex suppositione necessitatis corporalis, idcirco si talis necessitas tẽpore cœnæ cesset, præceptum abstinentiæ à carnibus vrgebit; & si hoc præceptum non vrgebit, neque vrgebit illud aliud de ieiunio in primo casu; proinde, hæ duæ sententiæ non cohærent, & videntur inuicem pugnare.

68 Respondeo negando has duas opiniones non esse cohærentes, & inuicem pugnare. Pro intelligentia autem huius rei supponendum est, si propriè loqui velimus, in Medico non esse facultatem dispensandi, sed solùm declarandi Titium v.g. non posse ieiunare, aut non posse pisces comedere, sed debere carnes edere; nam facultas dispensandi in præceptis Ecclesiæ est spiritualis; atque adeo tantũ pertinet ad Prælatos; dum igitur Medicus declarat Titium ita se habere, vt eadẽ die pluribus indigeat comestionibus ad vires restaurandas, tunc directè declaratio fertur in præceptum ieiunandi ab Ecclesia institutum; & ideo stante tali declaratione Ecclesia non intendit obligare suos fideles ad huius præcepti obseruationem; contra verò dum Medicus declarat pisces, & lacticinia nocere sanitati corporali Titij, licet de reliquo ipse Titius necessè nõ habeat plures eadẽ die refectiones sumere; tũc declaratio Medici directè, & per se fertur in præceptũ abstinendi à carnibus, & non in præceptum ieiunij; proindè carnes edens, licèt ex vi declarationis Medici teneretur ad ieiunandum; tamen quia probabilis est opinio carnium comestionem esse incõpossibilem cum ieiunio; idcirco ex alio capite à ieiunio excusatur; nempè, depẽdenter à suppositione comestionis carnium: quapropter si aliqua die Titius se abstineat à carnibus, & edat pisces ex nullo capite poterit deobligari à ieiunio, non vi declarationis factæ à Medico; quia vt diximus declaratio ista non fertur in præceptum ieiunij; neque extat suppositio prædicta destruens essentiam ieiunij; neque assignari potest aliud caput; ergò remanet obligatio ad ieiunandum. Hoc autem potest ex alijs similibus confirmari; v.g. dicat Medicus Titium debere ob aliquam infirmitatem se cõtinere in cubiculo, si sit dies festiuus, non tenebitur ad audiendum Sacrum, non ex vi ordinationis Medici, quasi Medicus declarauerit Titium tali infirmitate laborantem non posse videre Sacrum; sed quia commoratio illa in cubiculo est incompossibilis cum auditione Missæ: ex quo infertur, quod si fortè in eodem cubiculo celebretur, vel Titius non curans ordinationem Medici Ecclesiam adeat, obligabitur ad Sacrum audiendum, à quo non erat exemptus nisi ex suppositione, quod non debebat egredi à cubiculo, & alio modo non poterat Sacro assistere.

Cæterum in secundo casu iudicium, & declaratio Medici fertur in præceptũ de non edendis carnibus, declarans Titium non posse absq; sanitatis dispendio tale præceptum seruare; ideoque vi huius declarationis lex Ecclesiastica non comprehendit Titium, & per consequẽs liber effectus è præcepto, etiam si cœnet cum carnibus, absque necessitate cœnãdi, peccabit solùm contra sobrietatem, & non contra præceptum negatiuum Ecclesiæ. Disparitas igitur in hoc consistit, quod in primo casu declaratio Medici tendit per se ad eximendum à præcepto ieiunij; in secundo verò casu solùm per se fertur in præceptum abstinẽtiæ à carnibus; & ideo in primo casu excusatio à ieiunio est directa, & non ex suppositione comestionis carniũ. In secũdo vero casu exẽptio à præcepto abstinendi à carnibus non dependet à necessitate cœnæ; nam aliquando poterit Titius non indigere secundã refectione; sed dependet ab illa indispositione habituali, ob quam Medicus existimauit Titium esse liberum à præcepto abstinentiæ à carnibus: & sic patet nullam esse repugnantiam inter has duas sententias, & omninò ita esse dicendum: aliter fideles quamplurimis angustiarentur scrupulis; si deberent ipsi iudicare an hic, & nunc possint cœnare, si exemptio à præcepto dependeret ab illa actuali necessitate cœnandi, vel non cœnandi; secùs autem esset dicendum si Medicus non declararet absolutè Titium non posse pisces comedere, sed declararet non posse absque detrimento sanitatis duobus refectionibus eadem die illos comedere, at posse sine tali dispendio vna tantùm vice singulis diebus carnibus nutriri, tunc Titius semel v.g. mane comedẽs carnes, non posset illis serò vti, aut vice versa, si vellet cœnare cũ carnibus, debe- 69

ret

ret mane in prandio ab illis abstinere.

70 *Dispensatus comedens carnes contra quod praeceptum peccat?*

Dicendum est secundo. Si Titius cœnet edendo carnes absq; necessitate secundæ comestionis, peccabit contra ius naturale, & Diuinum, seu contra virtutẽ temperantiæ, vt diximus, non quia comedit carnes, sed quia comedit cum detrimento propriæ sanitatis, quam conseruare tenetur non comedendo, sed abstinendo.

71 *Satisfit rationi contrariæ initio positæ.*

Ad rationem verò dubitandi initio huius Sectionis declaratam respondeo, concedendo suppositiones, videlicèt, præceptum abstinendi à carnibus esse distinctũ à præcepto ieiunij, & esse negatiuum, ideoque obligare semper, & ad semper, eiusque fractionem toties quoties esse peccaminosam, &c. sed ad casum nostrum particularem, aio, quod vi dispensationis, Titius est simpliciter exemptus à tali præcepto, ac si pro illo præceptum minimè ab Ecclesia latum fuisset, & ideo non poterit peccare contra præceptum, quod non habet, licèt, vt dixi, cœnando peccet contra sobrietatem, nõ quia comedit carnes, sed quia comedit cum sui detrimento.

CAPVT II.

De Priuilegio comedendi oua, & lacticinia.

1 *Refertur priuilegium.*

POst indultum circa carnes proceditur ad aliud indultum cum maiori libertate ipsius priuilegiati; conceditur enim vi huius Bullæ edi posse oua, & lacticinia, & verba hæc sunt (*Ac pro eorum libito ouis, & lacticinijs vesci posse, ita, quod qui carnes non comederint, seruata in cæteris ieiunij ecclesiastici forma, dicto ieiunio satisfecisse videantur*) postea verò sic additur (*Et sub hoc indulto vescendi carnibus, ouis, & lacticinijs comprehenduntur omnes cuiusuis militiæ Regulares. Patriarchis verò, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs inferioribus Prælatis, nec non alijs personis Regularibus, & qui in ordine Presbyteratus fuerint Sæcularibus, id minimè conceditur, nisi sexagenarij fuerint*) hæc est summa huius priuilegij, in cuius initio ponitur clausula, vt intelligatur concessum in regionibus, in quibus viget ipsa Bulla, & non extra. Quæ omnia sunt diligenter à nobis perpendenda.

SECTIO I.

An circa lacticinia aliquid contra Ius commune per Bullam concedatur?

OCcasionem huius quæsiti nobis exhibet. *Fagundez, qui in 4. præcepto Eccles. lib. 1. cap. 2. n. 11. & sequentibus* docens de iure communi, non esse prohibita saltem sub mortali oua, & lacticinia in ieiunijs etiam quadragesimalibus; citat pro se in particulari aliquos, qui tamen loquuntur extra quadragesimam, vt S. *Anton. Paludanus, & Nauar.* 2

3 *Vi Bullæ aliquod contra ius commune circa comestionem lacticinio. concceditur.*

Dicendum est primo. Per Bullam circa comestionem ouorum, & lacticiniorũ concedi aliquid contra ius commune, per quod prohibentur oua, & lacticinia tempore quadragesimali, sub peccato mortali, vt sustinent communiter Doctores, Canonistæ, & Theologi, quos laudat, & sequitur. *Ioannes Sanches in select. disp. 51. n. 18. & Pasqualigus de ieiun. decis. 71.* triginta septem refert Doctores, qui expresse hoc docent. Probatur autem communiter conclusio *ex cap. Denique dist. 4.* Vbi Summus Pontifex, qui erat S. Gregorius respondens ad Augustinum Episcopum Anglorum, sic inquit inter alia: (*Par autem est, vt quibus diebus à carne animalium abstinemus ab omnibus quoque, quæ sementinam carnis trahunt originem, ieiunemus, à lacte videlicet, & caseo, & ouis.*)

Probatur ex Iure canonico.

4 *Interpretatio aduersariorũ ad textum Iuris.*

Ad hunc textum posset quis respondere cum *Fagundez* in eo non contineri præceptum, sed conuenientiam quamdã, quæ significatur per illam dictionem (*Par*) quasi dicatur, æquum, seu iustum esse, &c. vt interpretatur. *Glossa ibidem.*

5 *Impugnatur expositio.*

Sed ista expositio est prorsus abijcienda, quia *Augustinus Episcopus, vt in declaratione notat Glossa,* inquirens à Pontifice, an sicuti tempore ieiuniorũ abstinemus à carnibus, ita etiam abstinere debeamus, ab ouis, caseo, lacte, &c. & respondet Pontifex, *quod sic*; quia sicuti à carnibus, ita etiam est abstinendum ab omnibus, quæ sementinam originẽ ab illis trahunt, & ideo *eadem Glos. vers. ab omnibus* sic exponit (*quasi dicat ex quo caro prohibetur, ergo, & omnia, quæ de carne procedunt*) Pontifex autem in hoc Canone declarat præceptum abstinendi à carnibus in ieiunijs quadragesimalibus extẽdi ad oua, & lacticinia; proinde sub eadem prohibitione, & præcepto continentur carnes, & lacticinia.

6 *Probatio ex canone Trullano non est efficax.*

Solet etiam ab alijs probari sententia ista *ex Canone 56. Trullano sextæ Synodi generalis* vbi expressè prohibẽtur oua, & lac-

& lacticinia, sed *Canones isti Trullani* cõmuniter non recipiuntur, cum editi non fuerint ab ipso Cõcilio, sed à quibusdam Episcopis, qui peracto Concilio conuenerũt simul in Palatio Trullano Imperatoris Iustiniani, & sine authoritate Summi Pontificis congregati Canones illos ediderunt: idcirco argumentum ex illis magnam vim non habet; at negari non potest ex prædicto Canone colligi consuetudinem Ecclesiæ, nempè, etiam illis temporibus fuisse prohibita lacticinia, dum dicti Episcopi præcipiunt Armenis, vt Ecclesiæ ritum in abstinentia horum ciborum seruent.

7 *Efficacius probatur ex nostra Bulla Cruciatæ.*

Probatur tertio, & valdè efficaciter nostra cõclusio ex priuilegio huius Bullæ; nam si lacticinia non essent prohibita diebus ieiuniorum, Pontifex non solùm nihil concederet per hoc indultum, sed nec debuisset excludere personas illas ecclesiasticas; dum autem eas excludit ab indulto comedendi oua, &c. Signum euidens est, ab ipso Pontifice supponi prohibitionem in Iure, atque adeò non supponi solam conuenientiam contineri *in cap. Denique*, quia sola conuenientia, seu consilium de abstinentia lacticiniorũ non esset sufficiens ad excludendas tot personas ecclesiasticas ab indulto vniuersali comedendi oua, caseum, &c. exclusio enim parùm, aut nihil operaretur, nam ipsa non obstante possent personæ exclusæ comedere oua; si solo consilio per Sacros Canones astringerentur ad abstinendum ab illorum comestione.

8 *Priuilegium Cruciatæ vtile est etiam pro ieiunijs extra Quadragesimam.*

Dicendum est secundo. Etiam pro ieiunijs extra quadragesimam vtile est hoc priuilegium; quia licet in Iure non habeamus expressum testimonium, per quod oua, & reliqua lacticinia prohibeantur extra quadragesimam; nihilominus in multis regionibus est introducta consuetudo abstinendi ab ouis, & lacticinijs, & viri docti, atque timoratæ conscientiæ putant absque caussa rationabili, & dispensatione non posse in vigilijs Sanctorum, & quattuor anni temporibus lacticinia comedi; & ideo cũ per hanc Bullam concedatur posse ad arbitrium comedi cibos prædictos in ieiunijs extra quadragesimam; consequens est, vt dicamus, priuilegium huius Bullæ esse etiã vtile pro tẽpore ieiuniorum extra quadragesimam.

9 *Instantia probans in cap. Denique prohibitionẽ lacticiniorum esse de consilio*

Dices *in illo capite Denique*. Pontifex sub eodem tenore loquens, multa proponit, & præscribit potiùs de consilio, & conuenientia, seu æquitate, quàm de præcepto; inde est, vt non vtatur verbis præceptum, sed exhortationem indicãtibus, loquens de diebus ieiuniorũ sic ait *Piscium esus ita Christiano relinquitur, vt hoc ei infirmitatis solatium, & non luxuria pariat incendium*. Rursus addit. *Qui abstinent à carne nequaquam sumptuosiora marinarum beluarum conuiuia præparent.* Hæc autem sunt ex consilio, & non ex præcepto; ergo etiam ex consilio erit abstinentia à lacticinijs; quia sub eadem forma de his omnibus est sermo.

Respondeo, in hoc capite Pontifex cũ procedat declarando legem, non esse mirum verbis præceptiuis nequaquam vti; quapropter admonet esum piscium non debere nobis esse incentiuum ad luxuriam, sed ad leuamen, & solatium humanæ infirmitatis, & esse remouenda lauta conuiuia etiam in piscibus; hæc autem dicta, quamuis exhortationem inuoluant; supponunt tamen præceptum iuxta regulas temperantiæ dictantis fugienda esse, quæ ad malum luxuriæ nos excitant; inter quæ non infimum locum obtinet ciborum qualitas, & quantitas. 10 *Impugnatur.*

SECTIO II.

De Personis, quæ includuntur in Priuilegio comedendi lacticinia, & de Personis, quæ excluduntur.

Dicẽdum est primo. Sub indulto lacticiniorum in ieiunijs extra quadragesimam comprehenduntur omnes, qui Bullam hanc accipiunt, siue sint Sæculares, siue Ecclesiastici, siue Regulares, & Presbyteri; quamuis sexagesimum nõ attigerint annum. Probatur conclusio ex ipsomet diplomate; nã etiã si in paragrapho isto sub indulto vescendi lacticinijs excludantur absolutè, & pro omnibus diebus ieiuniorum Patriarchæ, Archiepiscopi, Prælati inferiores, Presbyteri, & omnes Regulares: nihilominus *in fine Bullæ latinæ Gregor. XIII. f. m.* declarauit intentionis suæ fuisse, & esse sub indulto vescendi ouis, lacticinijs, &c. cõprehendi prædictas personas, quamuis non sexagenarias in omnibus ieiunijs extra quadragesimam. 11 *In ieiunijs extra Quadragesimam Priuilegiũ comedendi cibos prohibitos extenditur ad omnes habentes Bullam.*

Dicendum est secundo. In ieiunijs quadragesimalibus, sistendo in terminis huius Bullæ generalis, excluduntur ab hoc indulto Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, alijque Prælati inferiores, nec non omnes Regulares, & omnes Presbyteri, etiam Sæculares, nisi sint sexagenarij, sic habetur in hoc præsenti paragrapho. Ratio autem, quare hæc personarum genera excludãtur, est; quia in illis ratione dignitatis, quam habent, & status, in quo reperiuntur, maior exigitur abstinentia, vt colligitur *ex cap.* 12 *Vi huius Bullæ generalis in quadragesima excluditur aliqua personarum genera à priuilegio comedẽdi oua, &c.* *Sexagenarij fruuntur hoc priuilegio.*

Sta-

Statuimus dist. 4. vbi Clericis, quorum vita à laicorum conuersatione discreta esse debet, sic, & in ieiunijs, alijsque corporis afflictionibus differre etiam oportet; & inter ipsos Clericos illi, qui cæteris præsunt, & illustriora virtutũ exempla præferre tenentur; certè non erit abs re breuissimam quamdam de prædictarum personarum, conditionibus, declarationem præmittere, vt agnoscamus eos, qui à priuilegio isto remouentur.

§. I.

Qui veniant sub nomine Patriarcharum, & Primatum.

13 *Qui sint Patriarchæ, & Primates.*

Dicendum est, Patriarchæ, & Primates, licèt largè loquendo inter se non differant, *vt notat Glos. in cap. 1. dist. 99. initio, & cap. Cotam de in integrum restit. vers. Super Primaria*, quod etiam tradit. *Cassan. in catal. glor. mundi. par. 4. consf. 9. & alij apud Barbosam de Iure eccles. lib. 1. cap. 6. n.* 10. tamen strictè loquendo differunt; quia Patriarcha Græcè idem importat Latinè, quod Summus Patrum vt habetur *cap. Cleros. dist. 21. ex B. Isidoro lib. 2. etym. cap.* 12. simpliciter autem loquendo sub hoc nomine veniunt Patriarchæ principales, qui sunt post Pontificem Maximum, vt Constantinopolitanus, Alexandrinus, Hierosolymitanus, & Antiochenus, *sic Glos. cap. Cleros cit. vers. in Patriarchas.* De horũ Patriarcharũ dignitate, & iurisdictione super reliquos Prælatos videri potest *Barbosa cap. cit. nu.* 24. Præter enumeratos dãtur alij Patriarchæ minores, vt Aquileiensis, Gradensis, Indianus, Aethiopensis, & alij apud *Glos. in eodem cap. Cleros vers. Archiepiscopos, & apud Cassan. Barbosam ll. cc.* vbi hos minores Patriarchas dicunt comprehendi sub nomine Primatis, & appellari Primates, & non absolutè, & simpliciter Patriarchas; quia minorem potestatem, & dignitatem habent, quàm maximi illi Patriarchæ. Et hæc satis circa nominis explicationem; deuenientes autem ad rem nostram dicimus, hos omnes excludi ab hoc indulto tempore quadragesimæ.

Strictè loquẽdo Patriarchæ, & Primates differunt.

Patriarchæ maiores sunt quatuor.

§. II.

De Archiepiscopis, & Episcopis pro vt excluduntur ab Indulto.

14 *Declaratur Etymologia horum nominum.*

Archiepiscopus, qui iuxta *Isidorum de Etym. lib. 7. cap.* 12. dicitur, quasi Princeps Episcoporum, præest toti Prouinciæ, & appellatur Metropolitanus à Ciuitate Matrice, quæ est Metropolis, & aliarum Ciuitatum Mater, & Caput.

Episcopus autem græcè, latinè verò, Speculator nuncupatur *cap. Cleros. dist.* 21. quasi superintẽdens. *cap. Qui Episcopatum* 8. *quæst.* 1. vt ex multis refert *Barbosa de potest. Episc. tit. 1. cap.* 2. apud quem videri poterunt multa alia nomina, quæ Episcopo à Iure Canonico, & à Canonistis tribui solent. 15

Dico igitur primo, tum Archiepiscopos, tum Episcopos exclusos esse ab hoc indulto circa comestionem ciborum prohibitorum tempore quadragesimæ, vt patet ex verbis Bullæ superiùs relatis. 16 *Archiepiscopi & Episcopi excluduntur à priuilegio comedendi cibos vetitos.*

Dico secundò, Antequam Episcopus (& idem intelligo de Archiepiscopo; quia in hoc sunt pares) confirmetur à Pontifice, non censetur exclusus; quia ante confirmationem, vt est certum, neque dignitatem, neque iurisdictionem habet, proinde gaudere poterit indulto lacticiniorum, nisi sit Sacerdos, quia tunc alio titulo erit exclusus. 17 *Ante confirmationẽ Pontificiam non intelliguntur exclusi.*

Dico tertio. Post confirmationem nõ intelligitur comprehensus in priuilegio, quamuis non sit adhuc cosecratus. est contra *Rodriquez in addit. ad §. 6. n. 8. in fine*, vbi absolutè docens Episcopum ante consecrationem non comprehendi in exceptione, apertè significat post confirmationem ante cõsecrationem frui posse indulto isto: & in eadem opinione est *Ludouicus à Cruce in Bull. disp. 1. cap. 5. dub. 17. n. 3. circa finem*; sed alij merito oppositum sustinent, inter quos est *Aegidius Trull. lib. 1. in Bull. S. 4. dub. 5. n.* 2. Et ratio est; quia vi solius confirmationis etiam ante consecrationem Episcopus acquirit potestatem exercendi iurisdictionem tẽporalem, & spiritualem per totam suam Diœcesim, & sic poterit censuras ferre, approbare Confessarios, indulgentias cõcedere, &c. Ergò est verè Episcopus; proindè inclusus in exceptione, & exclusus à priuilegio. Et confirmatur alia ratione, quã ponderat. *Trullench.* si enim sub ratione Episcopi intelligeretur solũ ille, qui est consecratus; iam supponeretur Sacerdos; quia consecratio episcopalis non confertur, nisi post Sacerdotiũ, & ideo inutilis esset clausula illa, per quã postularetur consecratio ad hoc, vt Episcopus exciperetur; quia per Sacerdotiũ iam esset exclusus; ergo ne dicere cogamur, clausulam illam esse inutilem, & superuacaneam, asserendum est nomine Episcopi in ordine ad effectum huius exclusionis, intelligi illum, qui est confirmatus, etiam adhuc non consecratus; & sic non cogimur fateri inutilem esse hãc exclusionem; nam confirmatio non supponit necessariò Sacerdotium; proinde datur 18 *Exclusio eorũ incipit à puncto confirmationis.*

Oppositum sustinetur cũ alijs, & probatur.

datur casus, in quo Episcopus veniat exclusus, & non ratione Sacerdotij, sed tantùm ratione dignitatis Episcopalis, vt explicatum est, quod dici nequit ab illis, qui excludunt Episcopum cõsecratum, & non excludunt solummodo confirmatum.

§. III.

De Prælatis inferioribus, qui à priuilegio excluduntur.

19 *Qui veniant sub nomine Prælati.*

Dicendum est primò. Sub Prælati nomine veniunt omnes, qui habẽt iurisdictionem ordinariam & spiritualem. Videri potest *Ludouicus à Cruce dub. 17. cit. nu. 3. Trullench dub. 5. vt supra* seu vt ait *Gloss. in cap. Decernimus de Iudic. verf. Ecclesiam.* nomine Prælati intelliguntur Iudices ordinarij; nempè, illi, qui habent ordinariam potestatem, vt declarat *Panorm. ibidem. nu. 16. Azor. tom. 2. lib. 3. cap. 25.* initio, quamuis, vt notant prædicti Doctores latè sumpto vocabulo dicantur etiam Prælati, Clerici curam animarum habentes: tamẽ in præsentia per Prælatos exclusos in hac Bulla intelligimus eos, qui propriè, & simpliciter sunt Prælati, vt Abbates, Generales religionum, Prouinciales, Guardiani, Priores, Rectores, Præpositi, & similes, qui habent iurisdictionem, prædictam. Hi omnes excluduntur ab indulto vescendi lacticinijs in quadragesima.

20 *Renuntiantes prælaturã gaudent priuilegio isto.*

Dicendum est secundo. Si quis ex enumeratis renuntiet Dignitatem, seu Prælaturam poterit lacticinia comedere tempore quadragesimæ, sicuti reliqui; nisi sit Sãcerdos, aut Regularis, aut Episcopus vt bene notauit *Aegidius loco citato*.

21 *Cardinales nisi habeant aliquod impedimentum, fruuntur hoc priuilegio.*

Dicendum est tertio. Cardinales, si vt sic spectentur, gaudere possunt hoc indulto, quoad cibos vetitos, vt inquit, *Rodriquez in addit. ad §. 6. n. 9. Ludouicus à Cruce, & Trullench. vt supra.* Et ratio est, quia de illis nulla fit mentio in exceptione: dixi, vt sic, quoniam alio titulo possunt esse exclusi; nam si essent Sacerdotes, Episcopi, Prælati, Regulares, &c. tunc non possent frui priuilegio, quoad hunc effectum.

(: † :)

§. IV.

De Regularibus Exceptis.

Aliud personarm genus, quod in exceptione enumeratur, continet Regulares, de quibus aliqua ponderabimus. 22

23 *Qui intelliguntur sub nomine Regularium.*

Dico igitur primo. Per Regulares intelligimus omnes, qui emiserunt tria vota substantialia religionis per Summum Pontificem approbatæ post peractum nouitiatum coram Prælato legitimè acceptante, vel coram alio ex eius commissione. Sic aduertit. *Rodriquez in addit. ad §. 6. n. 10. Gomez in Bull. ad clauf. 7. n. 10. Villalob. tom. 1. tract. 27. clauf. 6. nu. 7. Trullench. dub. 5. cit. n. 3. Ludouicus à Cruce dub. 17. n. 1. in cap 5.* nam hi per professionem trium votorum, videlicet, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ coram eo, qui professionem acceptare poterat, sunt verè Religiosi sub aliquo instituto regulari vitam degentes, proinde simpliciter Regulares nominantur.

24 *Qui post biennium nouitiatus emittunt in Societate tria vota excluduntur ab hoc priuilegio.*

Dico secundò. Religiosi nostræ Societatis, qui post biennium Nouitiatus tria illa vota simplicia emittunt, excluduntur eodem modo; sicuti cæteri Religiosi à præsenti indulto; nam per emissionem horum votorum constituuntur verè, & propriè Religiosi iuxta declarationem *Gregor. XIII. in Bulla ascendente Domino.* sic notarunt *prædicti Authores*, loquentes de nostra Societate: qui addunt, quod si post emissionem votorum è Societate expellantur, & non sint Sacerdotes, possunt oua, & reliqua lacticinia comedere vi huius Bullæ; quia per relaxationem votorum cessant à statu religioso, & non sunt ampliùs Regulares.

Secus si è Societate egrediantur, & non sint Sacerdotes.

Dico tertio. Sub nomine Regularium comprehenduntur etiam Laici, ita Authores citati, & bene; quia dum in Bulla excipiuntur Regulares non requiritur Sacerdotium, sed solùm status religiosus. 25

Laici religiosi non gaudẽt hoc priuilegio.

26 *Excipiuntur etiã Moniales ab eodem priuilegio.*

Dico quarto. Continentur in exceptione Moniales; quia verè sunt personæ religiosæ, & Regulares. Sic *Villalob. Trullench, & alij.*

27 *Religiosi militares fruũtur hoc indulto.*

Dico quinto. In exceptione ista non veniunt Regulares Ordinum militarium; quia in ipsamet Bulla implicitè conceditur indulto gaudere, dum dicitur *(& sub hoc indulto vescendi carnibus, ouis, & lacticinijs comprehenduntur omnes cuiusuis militiæ Regulares)* proinde non solùm fruũtur hoc priuilegio Equites S. Iacobi, Alcantaræ, Calatrauæ, de quibus est dubium, & controuersia, an sint propriè Religiosi; sed etiam Equites Ierosolymitani, qui absq; dubio sunt veri Regulares.

Ratio

Ratio autem, qua Pontifex in hoc indulgere sibi placuit cum his equitibus, non obstante, quod sint religiosi, est quia ipsi secundùm proprium institutum nō profitentur austeritates illas corporales, quas sustinent cæteri religiosi claustrales; ipsi enim dediti sunt laboribus præliorum contra hostes Sanctæ Fidei, ideoque videntur indigere cibis, qui meliùs nutriūt, & vires corporis corroborant.

Ratio quare includātur sub priuilegio.

28 Quæres, an hi Equites gaudent priuilegio isto, etiam si sint in statu sacerdotali; videtur affirmatiuè respondendum, quia in Bulla latina, sine vlla limitatione declaratur ipsos comprehendi sub hoc indulto; sic enim asseritur *(& sub hoc indulto vescendi carnibus, ouis, &c. comprehenduntur omnes cuiusuis militiæ Regulares)* & ideo nonnulli, quos citato nomine refert *Villabos.n.9.* partem affirmatiuā amplexi fuerunt, sed eos reijcit *ipse Villalobos*, & meritò, quia non est verisimile plus concessum fuisse, in ordine ad hunc effectum, Presbyteris religiosis, quàm sæcularibus cum illi maiori teneantur obligatione ad vitæ perfectionem acquirendam, quam isti.

29 Dico sextò. Neque excipiūtur ab isto priuilegio illi, qui appellantur Tertiarij, aut fœminæ tertiariæ, quæ vulgariter, & italicè vocari solent *(Monache di casa andarine)* neque excipiuntur Eremitæ, hi enim omnes non sunt religiosi, quia non emittunt tria illa vota substantialia, quæ Religiosum constituunt, Sic *Aegidius Gomez, Villabos, & alij.*

Tertiarij Eremitæ, & similes non excluduntur.

30 Dico septimò. Nouitij non excipiuntur, sed liberè possunt vti indulto vescēdi ouis, &c. Sic communiter *Doctores citati*, & huius conclusionis ratio est illa vniuersalis, secundum quam dicimus, in odiosis Nouitios non comprehendi sub nomine Religiosorum, seu Regularium.

Neq; Nouitij Religionum.

31 Dico octauo. Omnes prædictæ personæ, quæ exclusæ sunt ab hoc indulto, quando sunt sexagenarij, in illo comprehenduntur. Ita præscribitur in ipsa Bulla, & notant communiter Doctores; voluit autem Pontifex ætati simili indulgere; in sexagesimo enim anno vires corporales debilitantur; proinde conueniēs fuit personas illas priùs exclusas, includere, dum ad talem ætatem perueniunt.

Personæ exclusæ attingentes sexagesimū annum gaudent priuilegio.

32 Aduertere tamen hic oportet, sub hoc indulto numquam comprehēdi Religiosos nostræ Societatis, nisi cum dependētia à consensu superioris iuxta declarationem Gregorij XIII. vt adnotanimus in prima parte huius Operis, agentes de personis, quæ fruuntur priuilegijs Cruciatæ.

Limitatio pro Religiosis Societatis Iesu.

SECTIO III.

Vtrum Annus sexagesimus requisitus per Bullam ad includendum sub indulto ciborum, personas exclusas debeat esse totaliter cōpletus.

Quia vt vidimus Summus Pontifex in exceptione prædicta, per quā varia personarum genera excludit ab indulto vescendi ouis, & lacticinijs apponit limitationem; cum declarat in exceptione illa non includi sexagenarios, idcircò quæri potest, an annus iste sexagesimus debeat necessariò esse completus; an verò sufficiat esse incœptus, vt sumi solet in alijs casibus. 33

Quæsitum in terminis nostræ Bullæ ab alijs exagitatum hactenus neminem vidi; licèt multi illud examinent, loquentes de exceptione à ieiunio ecclesiastico ratione ætatis: sufficere autē annum esse incœptum probant nonnulla argumenta, nam in fauorabilibus annus inchoatus habetur pro completo, vt colligitur, *ex l. Qua Aetate ff. de testamentis, & Glos. ibi ver. Dies ergo*, loquens de die, ait, *diem inceptum haberi pro completo*, & ita docet *Thomas Sanches. lib. 7. de matr. disp. 104. nu. 2.* & alius *Sanches in select. disp. 54. nu. 10. Flamin. de resignat. benef. lib. 12. quæst. 8. n. 19. & sequen: Medina Codic. de ieiunio quæst. De his, qui tenentur ad ieiunia, Trullench in decalog. lib. 3. cap. 2. dub. 4. n. 3. &c. & alij apud prædictos*, & confirmari potest à pari, nam in promotione ad sacros Ordines, satis est, vt promouendus v. g. ad Presbyteratum attigerit vigesimū quintum annum, sicut etiam ad contrahendum matrimonium sufficit in masculo decimus quartus annus incœptus, & in fœmina duodecimus pariter inchoatus, vt Doctores communiter testantur. 34

At in casu nostro non sufficere esse inchoatum, sed requiri esse completum, suadetur, quia hoc priuilegiū, cū exorbitet à Iure communi, pressè est interpretandum, proinde sexagesimus annus sumendus erit completus, & non inchoatus. 35

Hæc sunt argumenta pro vtraque opinione spectando annum sexagesimū in ordine ad ieiunium Ecclesiæ, sed loquendo de priuilegio Bullæ in ordine ad cibos vetitos, quid sit dicendum, per subsequentes conclusiones declaro. 36

Dico igitur primò. Aetatem senilē ad exi- 37

Aetas senilis eximens à ieiunio ecclesiastico nō est determinata sicuti iuuenilis.

eximendum hominem à ieiunijs ecclesiæ, non esse ita determinatam, sicuti est ætas iuuenilis; quamplures enim, quos laudat *Diana par. 1. tract. 9. resol. 20.* putāt in anno septuagesimo ætatis hominem excusari à ieiunio; alij verò dicunt esse sexagesimum, deniq; alij id arbitrio prudentis decidendum relinquunt, habito respectu ad vires, & complexionem ieiunantis; & ideo cum nemo dicat, saltem in masculis, ætatem excusantem à ieiunio esse ante sexagesimum annum, mihi videtur dicendum debere hunc annum esse completum, quia à Iure non habemus, quantum ad hoc, tempus determinatum, & non deuenio ad hanc sententiam propter illud principium, quo ducuntur authores illi, qui volunt annum sexagesimum debere esse completum ex eo, quod exemptio à ieiunijs Ecclesiæ, est priuilegium derogans Iuri, proinde strictè explicandum; non deuenio inquam ad hanc sententiam ob hoc principium; licèt enim dicamus sexagesimū annum sufficere; tamen non asserimus hoc esse ex priuilegio Principis; quia senes non deobligantur ab onere, & lege ieiunij ex fauore Principis, sed ex necessitate naturæ; nam senectus reddit illos talis legis incapaces, ideoque locum non habet interpretatio lata, aut stricta, cum exemptio non fundetur in priuilegio, sed in debilitate virium. Moueor autem ad asserendum, requiri sexagesimum annum completum ob rationem assignatam, videlicet, quia in Iure talis ætas non est determinata, sed eius determinatio dependet ab hominum arbitrio, qui non excusant ante talem ætatem à ieiunio, & licèt aliqui, *vt Ioannes Sanches l. c. & Pasqualigus de ieiunio decis. 158. & Trullench. in decal. loco citato* censeant sufficere annum sexagesimum incœptum, idque fundent in eo principio, videlicet, in fauorabilibus annum inchoatum haberi pro completo; nihilominùs id puto verum esse, quando in Iure, vel etiam arbitrio prudentum est præfixus terminus; at in casu nostro non est ita, quia neque in Iure, neq; communi hominum iudicio habemus tempus determinatum, in quo fideles à ieiunijs ecclesiæ eximantur, sed vt vidimus in assignatione huius temporis diuersæ sunt authorum opiniones; proinde illa sententia, quæ asserit, eum, qui attingit sexagesimū annū, non teneri ad ieiuniū, mouetur, quia in tali ætate existimāt incipere virium defectū. Altera verò opinio, quæ non ponit hanc exceptionē, nisi vsq; ad septuagesimū annum, ducitur ad hoc, ex eo, quod iudicat vsq; ad talē ætatē esse sufficientes vires, & in hac re discur-

Quādo annus inchoat' habetur pro cōpleto in fauorabilibus.

rendū est, sicuti in qualitate requisita ad furtum mortale; nā alij materiā notabilē furti existimant quinq; alij sex argenteos, &c. & non in minori quantitate, & cōsequēter docēt, quod ex determinata quātitate ad furtū mortale, si vnum obolum deficiat, materiā illam non esse notabilē, & sufficientem ad culpā grauem, eodem prorsus modo est ratiocinandum in casu nostro.

38 Dico secundo, loquendo in terminis nostræ Bullæ, annum sexagesimum requisitum debere esse completum, tū ob rationem dictam, tum etiam; quia priuilegium, quoad hunc effectum est odiosū, & strictè explicandum cū sit contra cōmunem legem, quæ præcipit abstinentiam à lacticinijs.

SECTIO IV.

An qui diebus ieiuniorum non ieiunant possit per Bullam comedere oua, & lacticinia?

39 *Propositum modicū examinādi quæsitum.*

Decisio præsentis quæsiti facillima erit Viris Doctis, & in earum rerū, quæ in hac Bulla continentur intelligentia aliquantulum versatis. Quare dubij propositi examen, & solutionē omittere decreueram, ne mihi ascriberetur velle pagellas inutilibus, & superuacaneis implere; sed quia video non solùm vulgares homines; verùm etiam nonnullos in scientijs mediocriter institutos in ipsissmet huius priuilegijs verbis offendere; idcirco à pristino consilio discedere operæ pretium duxi, & quæstium trutinare.

40 *Refertur error aliquorū.*

Censent enim aliqui eos, qui diebus ab ecclesia statutis non ieiunant, siue ob defectum ætatis, siue ob malitiam, aut ob quamcumque aliam caussam, non posse vi Cruciatæ oua, & lacticinia comedere, & ea edētes grauiter delinquere; & hoc, quia putant priuilegium in hoc paragrapho declaratum, ijs tantùm fauere, qui præceptum ieiunij ferunt. Fundantur autem ad hoc asserendum in verbis ipsius textus, quibus conceditur facultas comedendi cibos prohibitos; postquam enim elargitur esum carnium de consilio vtriusque Medici tempore ieiuniorū totius anni, & etiam in quadragesima: sic subditur. (*Ac pro eorum libito ouis, & lacticinijs, ita quod, qui carnes non comederint, seruata in cæteris ieiunij ecclesiastici forma, dicto ieiunio satisfecisse censeantur*) in hac autem clausula inueniūtur verba illa, scilicet, *seruata in cæteris* & q̄ sequūtur quæ cū inuoluant cōditionalē virtualiter imbi-

imbibitam, & à quibusdam ea conditio referatur ad potestatem comedendi lacticinia; ideo hanc dant verbis prædictis intelligentiam, hoc est, ad eorum libitum posse diebus ieiuniorum oua, & lacticinia comedere, si ieiunij ecclesiastici formam seruent; proindè hac conditione non seruata pro illis cessare autumāt hoc priuilegium, & consequenter vigere Ius cōmune prohibens vsū lacticiniorum. Verùm hi, sic verba huius Bullæ explicantes, quàm longè à veritatis scopo aberrent, notissimum esse debebit apud omnes, qui verba superiùs citata attentè ponderare voluerint.

41 *Statuitur vera sententia, & probatur explicando verba huius priuilegij.*

Dico igitur, vi Cruciatæ posse comedi oua, & lacticinia etiam à non ieiunantibus diebus, quibus ieiunij præceptum incidit, ob quamcumque caussam non ieiunent, siue licitam, & permissam, siue illicitam, & non permissam; dummodo lacticinijs vescentes non sint ex personis in hac eadem Bulla exclusæ. Hæc opinio, quæ certissima est, & indubitata, ostenditur ex verbis relatis, rectè tamen expensis; nam conditionalis illa implicitè, & virtualiter imbibita non est referenda ad potestatem comedēdi cibos, vt falsò existimant contrarij; sed ad obseruationem, & præcepti ecclesiastici adimpletionem; cum enim ad ieiunium ecclesiasticum requirantur aliqua; nimirum abstinentia à carnibus, & ab ijs etiā, quæ sementinam carnis originē trahunt, vt supra *ex Cap. Deniq; dist. 4.* statuimus, & etiam ne plures præter vnicam sumāt refectionem, & hora competenti iuxta morem Ecclesiæ fit, vt Pontifex concedendo sumentibus hanc Bullam priuilegium, quo ad vsum lacticiniorum, ne ex hoc dubium insurgat, hos fruentes diebus ieiuniorum tali priuilegio non satisfacturos ieiunio Ecclesiæ, declarat, quod si hi seruent, quoad reliqua formā præscriptam in ieiunijs censeantur adimplenisse, & satisfecisse obligationi ieiunādi; & ideo cōditionalis illa in verbis allatis inclusa refertur ad obseruationem præcepti, & nōn ad facultatem circa vsum lacticiniorū.

(✝)

SECTIO V.

Si quis habeat Priuilegium comedendi lacticinia tēpore quadragesima cum suis commensalibus, an possit Commensalis Presbyter, aut Regularis lacticinijs vesci?

42 Casus iste ordinariè contingere non solet, quia tale priuilegium passim non conceditur, de tali autem indulto mentionem facit. *Henriquez in Sum. lib. 7. de indulg. cap. 13. n. 10. in fine, & Aegidius Trull. in exposit. Bulla. lib. 1. §. 4. dub. 6.* refert audiuisse nōnullos primarios viros in Aragoniæ Regno obtinuisse priuilegium vescendi ouis, lacticinijs, sagimine, &c. omnibus diebus ieiuniorum diebus totius anni, cum ampliatione ad commensales ipsius priuilegiati; proinde par est, vt inquiramus, vtrum Bulla Cruciatæ aliquem effectū habeat in vsum prædicti priuilegij.

43 *Commensales etiā si aliunde sint exclusi gaudēt hoc priuilegio.*

Dicendum est primo. Commensalis personæ priuilegiatæ quāuis sit Presbyter, aut Regularis, aut alio titulo exclusus ab indulto lacticiniorum, quod conceditur per Cruciatam, poterit vesci lacticinijs. Sic *Rodriquez in addit. ad §. 6. n. 7. Henriquez, & Trullench locis citatis, & Ludouicus à Cruce in Bull. disp. 1. cap. 5. dub. 18. nu. 11.* Conclusio est certa, quia specìale illud priuilegium, sicuti supponimus, vt extendatur ad alios præter priuilegiatum principalem, nullam aliam expostulat qualitatem, seu conditionem in alijs, nisi commensalitatem, qua posita, statim in illis effectum habebit: neque obstabit Sacerdotium, professio religiosa, aut alia qualitas, quæ est sufficiens ad excludendas personas istas à simili priuilegio concesso per Cruciatam; nam qualitas quæ excludit à priuilegio huius Bullæ non est satis ad excludendum ab vsu alterius priuilegij. Et confirmatur conclusio à similibus; nam habens priuilegiū audiendi Sacrum tempore Interdicti, eodem priuilegio gaudent eius familiares, vt supra declarauimus, & qui ex priuilegio potest anticipare horas canonicas, eas recitando ante tempus, si recitet cū Socio, qui obligatur ad horas, etiam ipse Socius satisfaciet suæ obligationi; quia quod disponitur de vno correlatiuo, intelligitur dispositum de alio, vt habetur, *in l. finali. C. de indic. vidui. Bartolus, & Baldus ibi, & alij*, quos laudant *Merolla tom. 2. disp. 4. cap. 9. dub. 10. & Suarez de legib. lib. 6. cap. 4. n. 7.* *Probatur à pari.*

44 *Commensalitas ista strictè in hoc casu sumitur.*

Dicendum est secundo. Commensalitas ista strictissimè est sumenda; nam priuilegiū eam requirens est odiosum, cū

admodum repugnet Iuri prohibenti esū talium ciborum; proindè censeo per cōmensales hic non intelligi eos, qui in eadem domo cum principali cohabitant, eiusque expensis viuunt, sed illos, qui inuitati à priuilegiato in eadem mensa comedunt; moueor ad hoc, quia similia priuilegia conceduntur ad honorem inuitantis, vt plures in eodem conuiuio reperiantur; idcirco per commensales puto solùm significari inuitatos, nisi aliud exprimatur per ipsum priuilegium.

Intelliguntur ij, qui in eadē mensa comedunt cū priuilegiato.

45 Dicendum est tertio. Commensales isti in ordine ad hunc effectum comedēdi lacticinia diebus vetitis non indigent Bulla Cruciatæ, quia per Bullam non datur illis tale priuilegium, imò ab indulto Bullæ, vt vidimus, excluduntur, sed fruūtur extraordinario, & speciali priuilegio per quamdam participationem, seu connexionem, quam habent cum principali, in cuius gratiam priuilegium extenditur ad ipsos commensales.

Pationes cōmensales non indigent Bulla ad comedenda lacticinia.

46 Dicendū est quarto. Ad hoc, vt principalis priuilegiatus pro se, & commensalibus gaudeat tali priuilegio, habere debet Bullam Cruciatæ; quia, vt infra dicemus Commissarius suspendit omnes gratias, & facultates similes, aut dissimiles Cruciatæ, & quæ eius vsum impedire possunt, & postea eas reualidat pro suscipientibus eamdem Bullam; & ideò si aliquis ex commensalibus hanc Bullam habebit, eaque careat Principalis; neque ipse specialiter priuilegiatus; neque alij frui poterunt priuilegio isto; & ratio est manifesta; quia huiusmodi priuilegia in locis, in quibus est concessa Cruciata, nequeunt habere effectum, nisi dependēter ab ipsa Cruciata; neque iuuat Bulla, quam habent Commensales; tum quia, vt supponimus, si sint Presbyteri, aut Regulares, &c. excluduntur ab indulto comedendi lacticinia tempore quadragesimæ ante sexagesimum annum; tum etiam quia si Priuilegiatus principalis nō potest gaudere ob carentiam huius Bullæ; neque poterunt effectum specialis priuilegij participare Commensales, qui sunt accessorij.

Principalis priuilegiatus vt gaudeat & ipse & commensales debet habere Cruciatam, & quare.

SECTIO VI.

Vtrum in Dominicis Quadragesimæ absq; Bulla lacticinia comedi possint.

47 Pars affirmatiua nonnullis placuit, inter quos est. *Antonius Gomez in clauf. 7. huius Bullæ nu. 7. Llamas par. 3. Methodi. cap. 5. §. 26. in fine. Corduba in Sum. q. 168. Pasqualigus de ieiunio decis. 72. num. 3.* qui pro hac opinione adducit. *Stephanum Fagundez de 4. præcepto Eccles. lib. 1. cap. 2. n. 12. licèt Pasqualigus pro numero 12. apposuerit numerum 44.* at *Fagundez* non absolutè tenet hanc sententiam, sed solū ait Dominicis quadragesimæ non esse prohibita lacticinia sub mortali; voluit enim esse prohibita sub veniali, vt dixerat *nu. 11. antecedente* loquendo de ieiunijs quadragesimalibus. Cæterum opinio negatiua defenditur ab alijs, vt ab *Angles quæst. 9. de abstinentia à cibo diff. 7. à Rodriquez in Bull. §. 6. n. 8 in fine, Henriquez lib. 7. cap. 13. n. 10. Sanches in decal. lib. 4. cap. 11. nu. 53. & in consil. lib. 5. cap. 1. dub. 19. n. 3. Villalob. tom. 1. tract. 23. de ieiunio diff. 8. n. 1.* quamuis *tract. 27. clauf. 6. nu. 11.* dicat non esse damnandam contrariam opinionem. *Io. Sanches in select. disp. 11. n. 25. Diana par. 3. tract. 6. resol. 80. §. Notandum. 3. Lezana tom. 3. verf. Ieiuniū nu. 3. Trull. in decal. lib. 3. disp. 2. dub. 2. n. 3.* licèt in fine dicat contrariam sententiam non esse improbabilem, *& alij quamplures.*

Laudantur Authores partem affirmatiuam tuentes.

Alij negatiuā sententiā amplectuntur.

Dicendum est primò, hanc secundam sententiam esse omninò admittendam, non solùm quia est ferè communis, sed etiam quia est Iuri Canonico cōformis: nam *cap. Denique dist. 4.* vbi est sermo de quadragesima, declarat Pōtifex quòd in illis diebus, in quibus abstinemus à carnibus, debeamus etiam abstinere à lacticinijs, non autem dicit *diebus, in quibus ieiunamus*, sed *in quibus abstinemus à carnibus*; à carnibus autem abstinemus non solū in diebus ieiuniorum, verùm etiam in dominicis quadragesimæ. 48

Admittitur hæc secunda opinio vt cōmunis, & Iuri conformis.

Sed contra hanc sententiam in fauorē primæ proponit nonnulla Pasqualigus, quæ sunt à nobis soluenda. 49

Dices ergo primò. *in cap. Denique cit.* manifestè excluduntur dies Dominici quadragesimæ ab abstinentia lacticiniorum; ergo in Dominicis quadragesimalibus absque Bulla comedi possunt. Probatur consequentia, quoniam *ex capite illo, & non ex alio* habetur præceptum de abstinentia ab ouis, &c. igitur si *in eodem capite* excluduntur Dominicæ quadragesimæ, nulla erit prohibitio; proindè, nulla erit necessitas Bullæ pro lacticinijs comedendis in Dominicis quadragesimæ. Tota autem difficultas residet in antecedente, quod Pasqualigus probat ex verbis eiusdem capitis; nam *Episcopus Anglorum* quæsiuit à *Pontifice*, an quadragesimalis abstinentia esset seruanda in Dominicis quadragesimæ, *& Pontifex* respondet negatiuè, etiam quoad carnes, cuius verba placet hic referre; sic enim inquit (*De ipsa verò die Dominica hæsitamus,* 50

Prima obiectio.

mus, quid nam dicendum sit, cum omnes, & laici, & sæculares illa die plùs solito cæteris diebus accuratiùs cibos carnium appetant, & nisi noua quadam auiditate, vsque ad medias noctes se ingurgitent, non aliter se huius sacri temporis obseruationem suscipere putant, quod vtique non rationi, sed voluptati, imò cuidam mentis cæcitati adscribendum est; vnde nec à tali consuetudine euerti possunt, & ideo cum venia suo ingenio relinquendi sunt, ne fortè peiores existant, si in tali consuetudine prohibeantur, vt enim ait Salomon, qui multum emungit, elicit Sanguinem) Ex verbis huius textus putat *Pasqualigus*; suum intentum probari posse, quia Pontifex non solùm oua, & lacticinia non prohibet, sed neq; carnes. Et si respondeas *à Pontifice* solùm permitti comestionem talium ciborum, & ideo cibis istis vescentes excusari tantùm in foro externo, non autem in foro conscientiæ à peccato.

51 *Responsio contraria Pasqualigi.* Contra sic vrget *Pasqualigus*. Permissio respiciens abusum, est solùm in ordine ad intemperantiam ingurgitandi se carnibus, vsque ad mediam noctem,; deinde etiam si permissiuè tantùm se haberet *Pontifex*, quoad soluendam abstinentiam quadragesimalem in diebus Dominicis, cum hoc non sit cōtra Ius Diuinū, aut Naturale; atque adeo non sit secundum se illicitum, eo ipso, quod est permissum sit licitum, etiam si alioquin esset contra aliquod præceptum positiuum, quia iam consuetudo, de qua ibi Pōtifex, firmatur per consensum *eiusdem Pontificis*. Hæc ex Pasqualigo.

52 *Reijcitur Pasqualigus.* Sed discursus iste fallax est, & in pluribus deficit: & primò *Pasqualigus* supponit permissionem illam esse dumtaxat in ordine ad intemperantiam ingurgitandi se carnibus, vt inferat non esse prohibitum lacticiniorum esum in diebus Dominicis quadragesimæ; at in hoc decipitur; quia id, quod Pontifex sæcularibus permittit in eo textu est comestio carniū in die Dominico quinquagesimæ, & patet euidenter ex titulo illius capitis, vbi dicitur, *A quinquagesima ieiunādi propositum sumant, quos Ecclesiastici gradus dignitas exornat*. Pro qua re aduertendum est *ex Glos.* caput illud diuidi in quinque partes iuxta quinque petitiones factas ab Episcopo Anglorum: primò enim quæsiuit *à Gregorio Papa*, an Clerici ieiunium incipere debeant à quinquagesima, & respōdit *Pontifex* affirmatiuè: secundò quæsiuit, an Laici, qui consuetudinem habent solemniùs epulari in Dominicis à tali cōsuetudine debeant remoueri. Ad hoc quæsitum *Gregorius* respondet negatiuè, ne deteriores fiant; loquitur enim *Pontifex* de Dominica quinquagesimæ, in qua ieiunium prædictum incipiebat, & circa oua, & lacticinia pro Dominicis quadragesimæ nihil in his verbis disponitur. Tertiò statuit, vt in diebus quadragesimæ, in quibus à carnibus abstinemus, abstineamus etiam à lacticinijs, quod quæsitum fuit ab illo Episcopo. Quartò respondet in quadragesima piscibus esse vtendum ad infirmitatis solatium, non autem ad luxuriam. Quintò denique inquit, vino esse vtendum, dummodo ebrietas vitetur. Ex his manifestè colligimus, in prioribus verbis; nempè in secunda petitione nihil determinari, aut permitti circa lacticiniorum vsum, vt putauit *Pasqualigus*, sed solùm voluit *Pōtifex* permittere abusum Laicorum, qui in ea Dominica quinquagesimæ, quæ *à Glos. ver. Dominica, & à Turrecremata ibidem* vocatur *Dominica carnis priuij*, ardentiùs carnes appetere solebant, easque nimia auiditate comedebant vsque ad mediam noctem, & hoc permittitur ad vitanda scandala, ne ipsi peiores euaderent.

Secundò, decipitur *Pasqualigus*, in quantùm docet, quod ex tali permissione comestio illorum ciborum reddebatur licita; hoc enim est manifestè falsum; nam, vt rectè asserit *Barbosa exponens idē caput in fine*. Permissio non reddit actum licitum; idque probat *ex Nauarro lib. 3. consil. de empt. & vendit. consil. 15. ad 11. quæstionem*, & expressè habetur *ex Glossa in hoc cap. Denique. ver, (venia)* ait enim id intelligi de venia pœnæ, non de venia culpæ, & subdit, *tolerat enim Gregorius crimen tale, propter periculum schismatis, vel scandali; vnde non est dicendum, quod ignoscatur eis, licèt, non puniat eos, propter multitudinem, vel scandalum, &c.* sic *Glossa* contra quam loquitur *Pasqualigus* dicēs ex hac permissione actum illum Laicorum licitum reddi. 53 *Permissio non reddit actum licitum.*

Tertiò deficit, quia malè infert ex permissione illius intemperantiæ in die Dominico, in quo incipiebat priuatio carniū licitam esse comestionē ouorum, & lacticiniorum in Dominicis quadragesimæ, de quibus nihil in prædicto paragrapho *Pontifex* disposuerat. 54

Dices secundò *ex eodem Pasqualigo*, *Per caput Quadragesima de consecr. dist. 5.* Dies Dominici intra quadragesimam nō sunt dies abstinentiæ, quia ibi dicitur, *(Qui de abstinentia subtracti sunt)* igitur abstinentia, quæ in quadragesima præcipitur non cadit supra dies Dominicos, alioquin non subtraherentur ab abstinentia; & confirmat idem *Pasqualigus* ex eo, quod in fine eiusdem textus, fit mentio de illis quattuor diebus, qui sunt ante primā 55 *Secūda obiectio.*

Domi-

Dominicam quadragesimæ, & additi sūt, vt *in textu* dicitur supra triginta sex dies, vt compleretur numerus quadragenarius dierum abstinentiæ, ergo si addendi erant quattuor dies pro integrando numero illo quadragenario abstinētiæ, Dominici dies non sunt numerādi inter dies abstinentiæ.

56 *Solutio.* Respondeo, argumentum laborare in æquiuoco; nam dies abstinentiæ possunt dici tum quoad quantitatem, tum quoad qualitatem ciborum, & hoc pacto sūt, propriè loquendo, dies ieiunij: possunt etiam dici latè dies abstinētię, quoad qualitatem tantùm ciborum, & sic Dominicæ quadragesimæ appellari poterunt dies abstinentiæ, sed minùs propriè; *in Canone* autem *illo* per dies abstinentiæ intelligūtur dies ieiunij, à quibus subtrahuntur dies Dominici in quadragesima, & sic patet responsio ad instantiam in cōtrarium adductam: ideoque dicimus, abstinentiam strictè acceptam non cadere supra dies Dominicos; secùs abstinentiam largè sumptam, quatenus dicit prohibitionem à qualitate ciborum.

SECTIO VI.

Vtrum Prælati, & Presbyteri vi Bullæ in Dominicis quadragesimæ possint lacticinia comedere.

57 SErmo est de omnibus illis personis, quæ in Bulla ordinaria exclusæ sunt in quadragesima ab indulto illo lacticiniorum, & de hac re fuit, & est aliqua dubitatio, quæ meo iudicio ortum habuit ex diuersitate formæ, sub qua varijs temporibus emanauit Cruciata.

58 *Opinio certè volēs in Dominicis quadragesimæ à prædictis personis lacticinia comedi posse.* Prima igitur sententia vult prohibitionem, seu exclusionem prædictarum personarum solùm restringi ad dies ieiuniorum quadragesimæ; proindè diebus Dominicis eiusdem quadragesimæ posse ab eisdem personis ad libitum lacticinia comedi vi huius Bullæ. & ita sentit *Corduba in sum. quæst. 168. Gomez in exposit. Bullæ claus. 7. nu. 7. Villalob. tract. 27. claus. 6. n. 11. Nuñus in 3. p. tom. 2. tract. de Cruciata §. 8. dub. 5. Fernandez in examine Theologiæ moral. par. 3. cap. 9. S. 5. nu. 5. Pasqualigus de ieiun. decis. 73. nu. 4. Trull. in Bull. lib. 1. §. 4. dub. 7. num. 2.* qui, vt veriorem hanc opinionem amplectitur, eamque probabilē existimat *Ludouicus à Cruce disp. 1. cap. 5. dub. 18. n. 5. & Pater Diana par. 1. tract. 11. resol. 5.* Fundamentum huius affirmatiuæ opinionis est, quia in Bulla Latina excipiuntur personæ prædictæ ab indulto lacticiniorum pro diebus ieiuniorum quadragesimæ; at dies Dominici non sunt dies ieiunij, ergo exclusio non cadit supra dies Dominicos; & quamuis Commissarius vertendo Bullam è latino in vulgarē sermonem, loco ieiuniorum quadragesimalium, posuerit dies quadragesimæ; tamen idem importat vtrumque; quia Cōmissarius, licèt habeat potestatem vertēdi Bullam, non habet facultatem variandi verborum substantiam; igitur ne dicamus variatam esse substantiam, debemus pro eodem sumere dies ieiuniorum quadragesimæ, & dies quadragesimæ.

Et confirmatur hæc sententia alia ratione; In Bulla conceditur facultas Prælatis, & Presbyteris comedendi lacticinia in ieiunijs extra quadragesimam, vt patet ex ipso contextu; ergo verisimile non est prædictos esse exclusos ab esu lacticiniorum in diebus Dominicis quadragesimæ; nam minùs est comedere oua, &c. in Dominicis istis, quàm in ieiunijs vigiliarum, & quatuor temporum. 59 *Confirmatio.*

Secunda opinio negat vi huius Bullæ posse Prælatos, Presbiteros, &c. edere lacticinia in Dominicis quadragesimæ. Sic *Henriquez lib. 7. cap. 13. nu. 10. Rodriquez in Bull. S. 6. nu. 8. Angles in floribus quæst. 9. de ieiunio a 1. diff. 7. Vega tom. 1. summæ. c. 14. casu 29. & alij.* 60 *Opinio negatiua.*

Dicendum est primò. Si attendamus formam Bullæ Latinæ, probabiliorem censeo sententiam priùs relatam. Et hoc ob tenorem verborum, qui habetur in ipso diplomate latino; nam *Gregorius XIII. in paragrapho, Ac vti omnes Christi fideles, &c.* declarat suam intentionem fuisse, & esse sub indulto vescēdi ouis, lacticinijs, &c. comprehensos esse Prælatos, Archiepiscopos, Episcopos, &c. omnibus temporibus, & ieiunijs totius anni extra quadragesimalia ieiunia tantùm, &c. his autem verbis excludit Pontifex prædictas personas in ieiunijs quadragesimalibus, easque includit pro omnibus alijs tēporibus, & ieiunijs; at dies Dominici in quadragesima, non dicuntur dies ieiunij quadragesimæ; ergo in Dominicis posūt prædictæ personæ vesci lacticinijs; nam dies isti Dominicales continentur sub illo alio membro nempè (*omnibus alijs temporibus*) in quibus locum habet Indultum in ordine ad illas personas; neque obstat, quod post extensionem indulti circa comestionem lacticiniorum *Pontifex* apponat illa verba sequentia, videlicèt (*extra dicta tempora quadragesimalia*, quasi dicat posse hos Prælatos, & Presbyteros lacticinijs vesci extra tempus quadragesimæ, sub quo clauduntur dies Dominici; non obstat inquam hoc, quia sequentia ista verba sunt relatiua ad præcedentia, vt ini- 61 *Verba quæ habentur in Bulla latina magis fauent primæ sententiæ.*

dicat

dicat dictio illa (*dicta tempora*;) nempè, tempora illa quadragesimalia, de quibus immediatè antea *Pontifex* loquutus fuerat, nimirum tempora ieiuniorum quadragesimæ.

62 *Iuxta tenorē Bullæ italicæ longè probabilior est secunda opinio.* Dicendum est secundò. Si inspiciamus Bullam in vulgare idioma translatam, lōgè probabilior est secunda sententia, quia in Bulla Italica Prælati, & Presbyteri excluduntur à priuilegio lacticiniorum in diebus quadragesimæ; at dies Dominici cum omni proprietate dicantur dies quadragesimæ, quamuis vocari nequeant dies ieiuniorum quadragesimæ, verba autem Bullæ Italicæ hæc sunt (*Et in questo indulto di mangiare oua, è cose di latte à suo arbitrio non si comprendono li Patriarchi, Primati, Arciuescoui, Vescoui, ne altri Prelati Inferiori, ne qualsiuoglia persona Regolare, ne Sacerdoti secolari, in quanto alli giorni di quaresima solamente*), & ideò sistendo in terminis huius Bullæ italicæ, probabilior videtur secunda opinio, quæ Prælatos, & Presbyteros excludit ab hoc indulto in Dominicis quadragesimæ.

63 *Comparatiuè loquendo probabilior est prima sententia.* Dicendum est tertiò. Comparatiuè autem loquendo potius est adhærendum Bullæ latinæ, quam vulgari, & per consequens prima opinio, pensatis omnibus, videtur probabilior, quia hæc Bulla italica regulanda est cum latina.

64 *Obijcitur declaratio quedam Cōmissarij.* Sed quis in cōtrarium vrgere poterit, à Commissario Generali Cruciatę declaratum fuisse lacticinia, etiam virtute Bullæ, comedi non posse in Dominicis quadragesimæ à Prælatis, & Sacerdotibus. Ita testatur *Rodriquez* accepisse a Commissario, & ita responsum fuisse à Sede Apostolica.

65 *Non constat iuridicè talis declaratio.* Respondeo, talem declarationem iuridicè minimè constare, & dum nobis res ista legitimè nō notificatur possumus adhærere Bullæ latinæ.

66 *Non idem significat dies quadragesimæ, & dies ieiuniorū quadragesimæ.* Ad illud verò quod *Trullench. & alij* volentes conciliare clausulas vtriusque Bullæ, asserunt, idem significari per dies quadragesimæ, & per dies ieiunij quadragesimæ, respondeo nullo modo placere, nam, vt diximus, dies Dominici proprijssimè sunt dies quadragesimæ; imò quadragesima propriè loquendo incipit à prima Dominica post cineres vt notatur *in Rationali Diuinorum officiorum edito à Guglielmo Durādo lib. 6. capit. 32. in principio.*

(:†:)

SECTIO VII.

De Bulla Lacticiniorum concessa ab Vrbano Octauo anno 1624. pro Patriarchis, Archiepiscopis Episcopis, Sacerdotibus, &c.

IN præcedentibus examinauimus Indultum vescendi ouis, & lacticinijs, quod habetur in Bulla generali, & pariter expendimus exceptionem, per quam vidimus personas, quæ excluduntur ab effectu talis indulti: nunc se offert considerāda Bulla, quam cōcessit Vrbanus VIII. f.m. die XIII. Iunij MDCXXIV. & extat in ipsomet diplomate latino. Cōceditur autē per hanc Bullam omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, alijsque inferioribus Prælatis, & Presbyteris sæcularibus, vt diebus quadragesimæ vsq; ad maiorem hebdomadam valeant ad sui libitum oua, & lacticinia comedere, & ideò circa hanc Bullam, breuiter nonnulla adnotabimus. 67

Dico igitur primò, Bullam istam esse veluti partem Bullæ generalis, seu esse illius extensionem, quia Bulla illa generalis non extendebatur, quoad hunc effectum, ad personas prædictas pro diebus quadragesimalibus; nunc verò extenditur. 68 *Bulla ista est quadam Bullæ generalis extensio.*

Dico secundò. Bulla ista particularis non habet vigorem, nisi pro eisdemmet locis, in quibus promulgatur Bulla vniuersalis; nam Bulla ista parua, cum sit extensio illius magnæ, respicere debet easdē regiones, quas Bulla magna respicit. 69 *Habet vigorem in ijs locis, in quibus habet Bulla generalis.*

Dico tertiò. Regulares nullo modo vti possunt parua ista Bulla, quia de illis nulla fit mentio, & etiam quia excluduntur per dictionem illam (*tantum*) quæ additur Presbyteris sæcularibus; ait enim, Pontifex Bullam hanc cōcedere Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs inferioribus Prælatis, necnon, Clericis, & Presbyteris sæcularibus prædictis tantùm, &c. 70 *Regulares nō fruuntur hac Bulla.*

Difficultas autē est, an Regulares promoti ad aliquam dignitatem ex enumeratis, possint vti hoc indulto, V.G. si Religiosus efficiatur Episcopus, an comprehendatur sub hoc indulto. Partem affirmatiuam sustinet *Aegidius Trullench in expositione huius paruæ Bullæ nu. 6. & n. 10. in fine*, quia Pontifex supradictis personis hoc priuilegium concedit, nullam faciens restrictionem ad sæculares, aut Regulares, at ratio ista posset facilè solui, quia aliquis respondebit, Indultum esse concessum Episcopis, & similibus habētibus digni- 71 *Dubium an Regulares promoti ad aliquam dignitatem gaudeāt hac Bulla.*

gni-

gnitatem aliquam ex assignatis,nisi impediatur ex additione alterius qualitatis, per quam veniant exclusi,& talis qualitas est professio religiosa, & regularis; sicuti, dũ aliquis promouetur ad Episcopatum fit Dominus redditũum Ecclesiasticorũ; attamen si est religiosus fit tantùm administrator,& non Dominus, vt fusè probat *Sanchez in sum.lib.6. cap.6. num.8.* & ideò quamuis dignitati Episcopali sit concessum tale dominium, si tamen inueniatur coniuncta cum alia qualitate exclusiua dominij, ratione huius coniunctionis, dignitas ipsa Episcopalis, non erit sufficiens ad Dominium illud acquirendum; & sic in multis alijs similibus id ostendi poterit. Ita posset quis impugnare rationem *Aegidij*; nam, & si dignitas aliqua ex illis sit satis ad includendum illum, qui habet talẽ dignitatem: nihilominùs si habeat aliam qualitatem impedientem, qualis est esse Regularem non includetur in hoc priuilegio. Sed oppositum censeo probabiliùs vt mox ostendam.

72 *Regularis assumptus ad Episcopatum gaudet hac Bulla.*

Dico igitur quarto. Regularis assumptus v.g. ad dignitatem episcopalem,vel ad aliam ex enumeratis comprehẽditur in priuilegio lacticiniorum concesso per hanc paruam Bullam. Hanc sententiam apud alios inuenire non potui, nisi apud *Trullench*, qui breuissimè se expedit ab illa, non ponderando vtriusque partis rationes; & ideo ad tuendam conclusionem oportet argumenta in eius fauorem ex varijs paritatibus,& similibus casibus, aut parùm differentibus deducere. Optimum autem exemplum habemus *ex cap.fin.de obser.ieiun.* sicuti enim Religiosus promotus ad episcopalem dignitatẽ potest carnibus vesci sexta feria, si eadem die incidit Festum Natiuitatis Christi Domini, non obstante *Capite illo*, in quo à priuilegio comedendi carnes excludũtur, qui sunt voto regularis obseruantiæ obstricti,& tamen dignitas episcopalis in ordine ad hũc effectum magis præualet, quam regularis obseruantia ita quamuis professio regularis remoueat Religiosum ab hoc indulto: tamen adueniente dignitate episcopali professio illa non erit sufficiens ad impediendum,quin religiosus frui valeat hoc priuilegio: Episcopum autem non teneri ad abstinentiam carnium tali die, nisi ex quadam honestate docet. *Sanchez cap.cit.n. 20. Castropalaus tom.3.disp.4.p.29.n.18. & alij apud ipsos, contra aliquos* contrarium sentientes, & idem autumant *Sanchez, & Castropalaus* de alijs obseruantijs regularibus; nam per assumptionem ad Episcopatũ religiosus eximitur à iugo regulæ, ita & nos discutrere possumus in casu, quem examinamus; nam, & si regularis non includatur in hoc priuilegio, tamen promotus ad dignitatem episcopalem, statim ratione dignitatis censetur inclusus; Et confirmatur ex eo, quod professio religiosa, licèt sit caussa non inclusionis, tamen non habet positiuè excludere religiosum, si alio titulo debeatur ipsi inclusio.

73 *Responditur ad rationem oppositam.*

Ad rationem verò in contrarium nego paritatem; quia incapacitas ad acquirendum illud dominium fundatur in voto paupertatis, quod cum sit de essentia status religiosi; idcirco manente statu religioso in Episcopo, manebit etiam votum seruandæ paupertatis, eo modo, quo explicant authores prædicti,& alij; sed de reliquis obseruantijs, quæ non sunt de essentia, non militat eadem ratio.

74 *Episcopus Regularis etiam solùm titularis fruetur hac Bulla.*

Dico quinto. Quæ dicta sunt in præcedente conclusione valent etiã pro Episcopo regulari nõ habente subditos, quãdo est solùm titularis; & ratio est quia in tali Episcopo dignitas integra manet, licèt iurisdictio solùm habitu, & non actu in illo inueniatur; & ideo eodem modo loquuntur Authores citati de vtroque Episcopo: nam exemptio conceditur illi intuitu Dignitatis; & non Iurisdictionis.

75 *Idem dictũ si Episcopatũ renuntiauit, nisi sit degradatus.*

Dico sexto. Episcopus regularis, qui Episcopatum renuntiauit, gaudet eodem priuilegio; quia ad huc retinet dignitatem, nisi vt notat Castropalaus sit degradatus; tunc enim per actualem degradationẽ amittit omnia priuilegia,& exẽptiones, quæ ratione dignitatis illi cõpetebant, & idem dicere debemus, si renuntiat non solùm iurisdictionem, verum etiam Dignitatem; tunc enim non censeretur inclusus impediente inclusionem professione regulari, quæ in tali casu non erit coniuncta cum dignitate episcopali.

76 *Superiores Regulares probabilius non includi.*

Dico septimò, probabilius esse in hoc Indulto nõ comprehendi Superiores Religionum, nempè, Generalem,Prouincialem,&c. Ita *Trullench tod.n.6.* & ratio est, quia licèt, in hac parua Bulla post Episcopos, ponantur Prælati inferiores,& sic alicui videri possit, prædictos Superiores comprehensos esse: tamen Commissarius in Bulla Hispanica, præscribens eleemosynam, quæ iuxta dignitatis gradum est maior, aut minor, Inferiores Prælatos, vt distinctos ab Abbatibus nequaquam nominauit, sed loco illorum, solos Abbates posuit immediatè post Episcopos, alios Prælatos omittendo, ex quo colligere possumus solos Abbates comprehendi sub nomine Prælatorum inferiorum.

77 *Cardinalis si est Presbyter Regularis nõ gaudet hac Bulla.*

Dico octauo. Si quis sit Cardinalis, & simul Presbyter regularis non gaudet hoc priuilegio, quia ex vna parte esse regula-

larẽ impedis, ne quis fruatur hoc indulto vescendi lacticinijs; ex alia verò parte dignitas Cardinalitia non continetur inter illas, pro quibus hæc parua Bulla emanauit, vt notauit *Aegidius n.* 10.

78 *In maiori hebdomada cessat hæc Bulla.*

Dico nono. Vi huius indulti nequeũt personæ enumeratæ comedere lacticinia in maiori hebdomada, quæ incipit a Dominica palmarum, & durat per totum Sabbatum sanctum. Sic expressè excipitur hebdomada ista *in ipsa Bulla*, & aduertit *Trullench. num.* 12. quamuis addat posse in Dominica palmarum vesci lacticinijs virtute Cruciatæ, non solùm sæculares, verùm etiam presbiteros, &c. attamen hoc supra impugnauimus.

79 *Efficacia huius paruæ Bullæ non dependet à Bulla generali.*

Dico decimo. Vt personæ nominatæ in hac parua Bulla possint diebus quadragesimæ comedere oua, &c. vi huius indulti, non oportet habere Bullam maiorem Cruciatæ, quia hoc nulla ratione probatur; nam hæc parua Bulla continet priuilegium omninò distinctum ab ijs, quæ conceduntur per Bullam maiorem, nec Pontifex apponit hãc limitationem; idcirco absq; Bulla magna poterit suum effectum habere. Et hæc sufficiant pro priuilegio isto.

SECTIO VIII.

Vtrum virtute Cruciatæ licitum sit comedere lacticinia in ieiunijs ex voto, pœnitentia, & Iubileo præscriptis.

80 *Non posse existimãt aliqui.*

Loquendo de his ieiunijs, partem negatiuam tuetur *Nauarrus in consil. de obseruat. ieiun. lib.* 3. *cons.* 5. *in* 2. *aditione, & Graff. par.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 37. *nu.* 60. & apud *Pasqualigum de ieiunio decis.* 77. *Lublinus in sum par.* 1. *verb. ieiun. n.* 24. probat autem *Nauarrus*; quia Bulla Cruciatæ solùm concedit facultatem comedendi oua, & lacticinia in diebus ieiunij ecclesiastici, vt patet *ex ipsomet contextu*, ergo priuilegium non est ampliandum ad alia ieiunia, & præsertim in nostra sententia, secundum quàm dicimus, priuilegium istud esse strictè interpretandum, & esse odiosum, vt ipsemet *Nauar. ibidem* notat. Rursus à diuersis non fit illatio, vt habetur *l. Papinianus. ff. de minor.* at ieiunium ecclesiasticum est diuersum à ieiunio ex voto, & à ieiunio iniuncto in pœnitentiã à Confessario. Igitur facultas comedendi lacticinia concessa per Bullam Cruciatæ non extenditur ad alia ieiunia, quæ ex voto, vel ex Iubileo, aut ex præcepto Superioris imponuntur.

81 *Alij partem affirmatiuã tuentur.*

Alij verò communiter aiunt in omnibus prædictis ieiunijs comedi posse lacticinia virtute Bullæ. Ita *Franc. Bard. in Bull. Cruc.* *Rodriquez in Bullam.* §. 6. *n.* 38. loquens de ieiunijs Iubilei, *Trullench. in eamdem Bullam. l.* 1. §. 4. *dub.* 8. *& in decalog. cap.* 2. *dub.* 2. *n.* 13. *Ludouicus à Cruce disp.* 1. *cap.* 5. *d.* 14. *n.* 4. *Sanches in Sum. lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 49. *Portel. in addit. ad dub. regul. verb. ieiunium n.* 7. *Ricoius in addit. ad* §. 6. *n.* 14. 15. *& alij quamplures tũ ex antiquis, tum ex recentioribus*, quos laudat, & sequitur *Pasqualigus l. c.*

Pro solutione huius difficultatis, notandum est, nos loqui in præsentia de eo, qui hanc Bullam habet: at nõ erit abs re per transennam, etiam controuersiam decidere, quando, qui ieiunare tenetur, Bulla caret. 82

Dicendum est virtute Bullæ in ieiunijs ex voto, pœnitentia, aut Iubileo possunt comedi lacticinia, vt vult secunda sentẽtia, nisi aliud speciale sit expressum in ipso voto, pœnitentia, aut Iubileo possunt comedi lacticinia, vt vult secunda sententia, nisi aliud speciale sit expressum in ipso voto, aut impositione pœnitentiæ, aut Iubileo. Probatur conclusio; quia tum Vouens, tum Confessarius, tum Põtifex ieiunium imponentes non intendũt alio modo illud præscribere, nisi eo modo, quo ab Ecclesia indicitur; at ieiuniũ ecclesiasticum adimpletur comedendo vi Bullæ oua, & lacticinia; ergo etiam adimplebitur ieiunium ex voto, aut ex pœnitentia, aut ex Iubileo præscriptum comedendo lacticinia. Antecedens antẽ, in quo consistit robur difficultatis, probatur ex quodam vniuersali principio, videlicet obligatio, quæ de re aliqua imponitur, explicanda est eo modo, quo practicari solet, & de hoc adduci possent infinita exempla, & præsertim circa contractus onerosos, per quos vnus alteri se obligat ad aliquod opus faciendum v. g. ad excolendam vineam, tunc obligatio ista explicatur iuxta consuetudinem loci & ordinarium modum excolendi, & sic in alijs, nisi aliquod speciale exprimatur. Ita dum quis se obligat ieiunare, aut dum Confessarius auditis peccatis in satisfactionem ieiunium imponit, censendũ est obligationem esse de illo ieiunio, quod cõmuniter fieri cõsueuit; & quia in locis vbi viget Cruciata, ieiunia ecclesiastica fieri solent cũ ouis, & lacticinijs; idcirco alia ieiunia eodẽ modo sunt intelligẽda. 83 *Sententia Authoris est affirmatiua, cũ limitatione.* *Probatur ex principio vniuersali.*

Probari etiam posset conclusio ex eo, quod priuilegium Cruciatæ circa oua, & lacticinia, se extendit ad quæcumque ieiunia, vt patet consideranti ipsius diplomatis verba; sic enim dicitur (*Carnibus de consilio vtriusque medici temporibus ieiuniorũ totius anni, etiam quadragesimalibus vesci, ac pro eorum* 84 *Confirmatur ex ipsamet Bulla.*

Aa bisto

libito ouis, & lacticiniis; ita quod, qui carnes non comederint, seruata in cæteris ieiunii ecclesiastici forma, dicto ieiunio satisfecisse censeantur, &c.) dictum autem ieiunium sumitur relatiuè ad illa ieiunia, de quibus immediatè antea fuerat sermo; nempè, ad quælibet alia ieiunia. Dixi, nisi aliud speciale sit expressum; quia si votum fuit emissum ex intentione abstinendi à lacticiniis, aut Confessarius iniungens ieiunium se declarauit velle imponere strictius ieiunium; tunc certum est vi Bullæ non posse comedi lacticinia pro similium ieiuniorum adimplemẽto.

85 *Soluitur argumentum contrarium.* Ad argumentum autem oppositæ sententiæ respondeo, quod Bulla Cruciatæ dans facultatem comedendi lacticinia in omnibus ieiuniis totius anni, facit vt ieiunia consueta in iis, qui habent Bullam fiant cum ouis, & lacticiniis, & per consequens tali posita consuetudine vi huius priuilegii, cætera ieiunia, quæ alio titulo debentur, intelligenda sunt iuxta modũ, quo in tali loco, vbi est Bulla exerceri solent ieiunia ecclesiastica; proinde quãuis indultum Cruciatæ primò, & per se non comprehendat, neque dirigatur, nisi ad ieiunia ecclesiastica; nihilominus secundariò, & per accidens extenditur ad quæcumque alia ieiunia, nisi aliud exprimatur; quatenus operatur determinatam consuetudinem quoad ciborum qualitatem. Neque à nobis priuilegium istud extenditur; neque ipsum immediatè dat formam, seu modum reliquis ieiuniis, sed inducendo modum in ecclesiastica ieiunia, ex illo alio vniuersali principio, quod supra attulimus, per quamdã redundantiam præfigitur modus ordinarius circa qualitatem ciborum in aliis ieiuniis, quæ mensurantur à modo, quo fit communiter ieiunium ecclesiasticũ.

86 *Diluitur secundum.* Ad secundum argumentum dicimus, à diversis, vt formaliter diversis non fieri illationem; secùs si in aliquo conueniunt, & aliquam connexionem habent: in casu autem nostro, licèt ieiunium ecclesiasticum sit diuersum à ieiunio ex voto, pœnitẽtia, &c. tamẽ possunt conuenire, & cõnexionem habere in modo, seu forma, sub qua fiunt.

(:†:)

SECTIO IX.

Vtrum in prædictis ieiuniis sit adeo necessaria Bulla Cruciata ad comedenda lacticinia, vt absque illa comedi nequeant.

Solet difficultas ista sub aliis terminis proponi, sed idem significantibus, videlicet, an quando ieiunia ista incidũt diebus, in quibus est ieiunium ecclesiasticum possint adimpleri edendo oua, & lacticinia. 87

Aliqui docent satisfieri his ieiuniis absque Bulla comedẽdo lacticinia. Sic *Henriquez lib. 3. cap. 13. nu. 13.* & in ea videtur esse *Angles in tract. de ieiun. quæst. 9 a. 1. post 7. difficultatem dub. 2. proposi.* 3. & expressè *Sanches in decal. l. 4. cap. 11. n. 49. Ludouicus à Cruce in exposit. Bulla disp. 1. cap. 5. dub. 14. n. 12. Pasqualigus de ieiun. decis. 78. nu. 3. & alij apud ipsos, quorum aliqui* de ieiunio ex voto, *alij* de ieiunio ex pœnitentia iniuncta à Confessario, *alij*, de ieiuniis Iubilei, *alij* deniq; de his tribus ieiuniis explicitè loquuntur, sed eadem prorsus est ratio de vno, ac de alio ieiunio ex tribus enumeratis, & argumenta facta pro vno, probant etiam pro alio, vt consideranti est manifestum. Ratio autem fundamentalis pro hac opinione est, quia obligatio ad ieiunandum proueniens ex aliquo capite ex recensitis, solùm respicit substantiam ieiunii, vt sic, nempè ea, quæ simpliciter sunt necessaria ad saluãdam essentiam ieiunii, quæ cũ possit subsistere cum ouis, & lacticiniis, vt communiter fatẽtur Doctores, obligatio proueniens ex prædictis titulis non exigit abstinentiam à lacticiniis, sed solùm à carnibus. 88 *Aliqui putãt neq; Bullam esse necessariã.*

Alij verò ex diametro oppositum cẽsent, scilicet his ieiuniis satisfieri non posse cum lacticiniis absque Bulla Cruciatæ, vel simili priuilegio. Sic *Rodriquez in §. 6. n. 2.* loquẽs de ieiuniis iubilei, addit verò limitationem, nisi in aliquo loco sit consuetudo comedendi oua, & lacticinia in quadragesima. *Riccius ibidem nu. 14, 15.* Probatur hæc sententia; quia obligatio fundata in aliquo ex tribus illis titulis respicit ieiunium eo modo, quo à fidelibus seruari solent ieiunia ecclesiastica, quæ absque Bulla, aut alio simili priuilegio non admittũt esum carnium, & etiam lacticiniorum. 89 *Negant alij.*

Alij media incedentes via, inquiũt, si ieiunia ista extraordinaria incidant extra quadragesimam nõ includunt necessariò abstinentiam ab ouis, cæterisque lacticiniis; si verò sunt in quadragesima illis non satisfit edendo oua, &c. sic distinguit *Aegidius Trul. dub. 8. cit. n. 31. & 5.* 90 *Media sententia.*

Alij

91 *Nonnulli ad consuetudinē se remittunt.* Alij denique dicunt, ieiunia ista esse regulanda eo modo, quo iuxta consuetudinem loci seruari solent ieiunia ecclesiastica. Sic *Azor. tom. 1. lib. 7. cap. 10. quæst. 2. & lib. 11. cap. 21. quæst. 7. Portellius in addit. ad dub. regul. verb. ieiunium nu. 8. & alij ab eisdem relati.*

92 Pro maiori intelligentia, & solutione huius difficultatis, aduertendum est, pūctum consistere in hoc, videlicèt, an ieiunia ista votiua, & extraordinaria solùm expostulent substantiam, seu essentiam ieiunij, videlicèt ea tantùm, quæ sunt necessaria ad ieiunium saluandum; an verò etiam expostulent circumstantias, consuetas ieiunij.

93 *Prima sententia est probabilis.* Dico primò sententiam, quam primò loco retulimus, esse probabilem, & tutam in praxi, tum ob auctoritatem eorum, qui eam patrocinantur, tum ob rationes, quibus innititur. Probatur etiam hoc argumento; obligatio ista cum sit de re pœnali, & per consequens odiosa, strictè est interpretāda; & quia etiam ob opinionum diuersitatem est obscura, in ipsa est admittendum dumtaxat minimum vt præscribitur *in regulis Iuris in 6.* nempè *in obscuris minimum est sequendum*, minimū autem in re hac consistit, in essentia ieiunij vt sic, quæ saluatur in esu lacticiniorū; & ideò quāuis in quadragesima quis habeat obligationem ieiunandi, vel ex voto, vel ex pœnitentia, & ieiunando comedat oua absque Bulla, peccabit contra præceptum latum *in cap. Denique*, non autem contra votum, aut contra pœnitentiam à Confessario iniunctam.

94 *Probabilior secunda, saltē tempore quadragesimæ.* Dico secundò, oppositam sententiam, quæ vult sine Bulla saltem in quadragesima his votis non satisfieri, esse tutiorem, & probabiliorem, & in praxi consulendā, & hoc ob fundamentum, cui innititur; nam ieiunia ista siuè ex voto promissa, siuè imposita à Confessario, siue à Papa præscripta in Iubileo, interpretanda sunt sicuti ieiunia ecclesiastica, & quæ iuxta loci consuetudinem fieri solent, vt diximus Sectione antecedente; idcircò si in aliqua regione sit consuetudo legitimè præscripta ieiunandi cum ouis, & lacticinijs sine Bulla, in eisdem locis ieiunia ista votiua cum lacticinijs adimpleri poterūt: contra verò si non solùm in quadragesima, verum etiam in alijs ieiunijs extra illam sine Bulla non est consuetudo edendi lacticinia, ieiunijs istis non poterit satisfieri, comedendo lacticinia. Fundamentum solidum huius conclusionis est, quia præsumitur ieiunium promissum, aut iniunctum iuxtà morem regionis, vt patet in alijs similibus.

Vbi est consuetudo legitima ieiunādi cū lacticinijs possunt ieiunia ex voto sub hac forma adimpleri, secus si talis cōsuetudo non extet.

95 Ad argumentum verò in oppositum contra vtramque conclusionem respondendum est; & ad primum pro prima sētentia, nego per obligationem istā solùm respici substantiam ieiunij vt sic, sed respici etiam circumstantias, quæ pertinent ad naturam ieiunij consueti, vt sunt hora prandendi, abstinentia à lacticinijs, si ita erit consuetudo. *Satisfit argumento contra vtramq; conclusionem.*

Ad aliud argumētum à nobis allatum pro prima conclusione, respondeo: licèt ista obligatio sit odiosa, & strictè explicāda, tamen explicatio esse debet, attendendo formam consuetam ieiunandi, & ea non destructa possumus obligationem istam limitare: Rursus nego nos esse ita in obscuris, vt cogamur asserere, ab obligatione ista respici solam substantiam, & nō circumstantias determinantes ipsam substantiam; nempè, vt fiat hoc, vel illo modo. Alia argumenta contra reliquas opiniones potiùs pro nobis, quàm contra nos faciunt, vt patet ea consideranti. 96 *Soluitur argumentum contra primam conclusionem.*

CAPVT III.

De nonnullis cibis, de quibus est dubitatio, an sub lacticinijs comprehendantur.

TRia se offerunt, de quibus posset esse controuersia, & dubitatio; an numeranda sint inter carnes: an verò inter lacticinia. Hæc autem sunt sagimen, sanguis, & oua adhùc existentia intra Gallinam, ante quam albumine circumdentur, & vulgò dici solent oua non nata. Hæc autem, vt clariùs procedamus, per distinctas Sectiones sunt examinanda. 1

SECTIO I.

Vtrum in illis diebus, in quibus vi Bullæ possunt comedi lacticinia, licitum sit vti sagimine.

IN hac quæstione bifariam procedere possumus: primò, attendendo cōsuetudinem: Secundò præscindendo ab illa, & solùm spectando Ius commune, & ipsius rei naturam. His positis. 2

Dico primò. Posita cōsuetudine legitimè introducta circa vsū sagiminis, quādo carnes prohibentur, nullū erit peccatum vsus sagiminis. & in hac cōclusione neminē vidi discrepantē; nā omnes conueniūt, & meritò, quia *in c. fin. de cōsuetudine*, statuitur per cōsuetudinē longeuā derogari posse Iuri positiuo humano, si sit rationabilis, & legitimè præscripta, & sic de facto multa ieiunia, quæ p sacros canones erāt indicta, fuerūt tēporis progressu per consuetudinē cōtrariā abrogata; requirēs autē *Pōtifex in eo cap.* duas has cōditiones, supponit p cōsuetudinē duas illas habētē cōditiones derogabilē esse legē ecclesiasticā 3 *Consuetudo licitum facit vsum sagiminis.*

4 Quænam autem sit consuetudo rationabilis, est aliqua cõtrouersia apud Doctores, vt fusè examinauimus in quodam speciali tractatu supra validitatem cuiusdam donationis factæ à quodam Nouitio Ordinis S. Benedict. intra bimestre professioni proximum, sed absque Episcopi, aut eius Vicarij licentia, iuxta præscriptum *Tridentini*; nunc verò supponendo ea, quæ ibi diximus, & quæ Doctores asserunt: breuiter dico, consuetudinem rationabilem, eam appellari, quæ non est contra Ius naturale, aut Diuinum, neque contra libertatem Ecclesiasticam; atque adeò, quæ non includit aliquod repugnãs rationi. Ad consuetudinem autem rationabilem has requiri conditiones, probatur; quia debet esse talis, vt possit esse materia legis iustæ, & honestæ. Vide *Suarez lib.7. de legib.cap.6.à nu.13.* Rursus debet esse legitimè præscripta per determinatũ temporis progressum, vt communiter affirmant Doctores, & ideò ad abrogãdam legẽ Ecclesiasticã, debet esse continuata per spatium quadraginta annorum, vt notat *Gloss in eo cap. finali ver. (legitimè, &c.)* & ..c antequam tempus istud sit cõpletum, consuetudo non erit præscripta.

Quæ sit præscriptio n cõsuetudine requisita.

5 Deueniendo autem ad casum particularem dico, quod si vsus saginiminis per consuetudinem inuoluentem duas illas conditiones inualuerit, tunc diebus vetitis absque scrupulo poterit vnusquisq; eo vti; & de hac re nequit esse controuersia.

6 Dico secundo, in hoc Siciliæ Regno, saltem in Vrbe Panormitana, & in multis alijs Ciuitatibus, & Oppidis, si non in toto Regno, est consuetudo immemorabilis circa vsum saginiminis, & die Veneris, & Sabbati etiam absq; Bulla; diebus verò ieiuniorum cum Bulla; inueniri autem hanc consuetudinem non possum ostendere cum pertineat ad factum, sed satis erit, quod constet incolis huius Regni, & hoc ipsum testatur, *Diana* concius meus *par.1. tract. 9. de ieiun. resol. 21. ver. Quod verò*, eademque consuetudinẽ inueniri in Regnis Galleciæ, & Perù affirmat *Henriquez lib. 7. cap. 13. in comm. lit. I.* Confirmari autem potest consuetudo in hac Diœcesi Panormitana ex edicto, quod pro reformatione morum promulgare iussit *Eminentissimus Cardinalis ab Aurea f.m. olim Archiepiscopus Panormitanus prima die Cinerum Anno Domini 1624.* per quod *edictum* primò prohibebat omnibus comestionẽ carnium cuiuscumque generis tempore quadragesimæ, cæterisque diebus vetitis ab Ecclesia, exceptis infirmis, &c. postea verò prohibebat esum ouorum, & lacticiniorũ pro tempore quadragesimali absque Bullæ Cruciatæ priuilegio, & descendens ad particulares cibos, hæc verba habet (*Ne meno alcuno possa mangiare, oua, butiro, latte, formagio, Saime, ò altri cibi vietati nel tẽpo quadragesimale, eccettuati coloro, che ciò facessero per priuilegio della Bolla della Sãta Crociata*) ex his verbis est desumenda confirmatio pro consuetudine recepta in Diœcesi Panormitana circa vsum Saginiminis; si enim talis non extitisset consuetudo, numquam *Eminentissimus Cardinalis*, qui erat Pastor, in numero ciborum, qui virtute Bullæ diebus prohibitis comedi possunt, sagimen apposuisset; imò debuisset sub grauibus pœnis illud prohibere.

In Regno Siciliæ multis in locis est consuetudo vtẽdi sagimine.

Eadem consuetudo in alijs Regnis reperitur.

Vsus saginiminis in Vrbe Panormi probatur ex Edicto Cardinalis ab Aurea Archiepiscopi.

7 Sed posset quis respondere, *in paragrapho illius edicti*, vbi fit mentio de cibis, lacticinia proponuntur expressè; implicitè autem carnes, quæ continentur in illis verbis (*ò altri cibi probibiti*); & ideò sensus illorum verborũ alius est, nempè, iste, quod hi, qui habent Bullam possunt comedere cibos prohibitos eo modo, quo in ipsa Bulla conceduntur; & ita oua, & lacticinia ad libitum; carnes verò de consilio vtriusque Medici; at de sagimine non deciditur, an sit ex illis cibis, qui ad libitum; an verò ex illis, qui ex consilio Medici per Bullam comedi possunt.

Explicatio, quæ dari poterit verbis Edicti.

8 Cæterum hæc responsio est reijcienda. primò, quia falsum est *in eo paragrapho* carnes implicitè nominari; nam immediatè ante verba superiùs relata, est expressa locutio de carnibus; sic enim habetur (*si guardi ogn'vno di qualsiuoglia stato, grado, è conditione, che fosse, nel sudetto tempo quadragesimale, & in tutti altri giorni probibiti dalla Santa Chiesa di mangiar carne di niuna sorte, se non in caso d'infermità, ò conualescenza, è questo sia con licenza di sua Signoria Illustrissima, ò suo Vicario generale, è del Medico*): & postea immediatè subditur *probibitio ouorum, &c.* igitur est apertè falsum, carnes implicitè proponi: Præterea neque est verum illis verbis generalibus videlicèt, (*ò altri cibi vietati, &c.* comprehendi carnes; nam verba hæc apponuntur ad includenda alia lacticinia explicitè non enumerata; cum enim exemplificatiuè quædam tantùm fuerint enumeratæ, ne viderentur omitti reliqua, vt sunt V. G. flos lactis, iusculus, Recocta, & similia huius generis, apposita fuerũt verba illa generalia. Denique sensus verborum non est ille, qui proponitur ab arguente; quoniam si de sagimine *Archiepiscopus* noluisset aliquid determinare illud in ciborum enumeratione omisisset; sensus igitur proprius est, vt sine Bulla in diebus prohibitis, neque

Reijcitur explicatio ista.

oua,

oua, neque lac, neque caseus aut sagimen edi possint; virtute autem Bullæ comedi valeant: propositio enim illa exceptiua, cum dicitur, *eccettuati coloro, che ciò facessero per priuilegio della Bolla*, apertè indicant, priuilegiatos exclud. à prohibitione, & per consequens esse in eorum arbitrio vsum prædictorum ciborum, & quo ad consuetudinem dicta sint satis.

9 *Proponitur quid sit dicendum secundùm Ius.* Superest, vt statuamus, quid sit dicendum spectando Ius commune, & ipsius sagiminis naturam, & qualitates. & in hac re inuenio duas sententias contrarias.

10 *Aliqui negant.* Prima enim vult sagimen non posse vi Bullæ, comedi diebus prohibitis; quia vel est caro, vel proximè ad carnem accedit, & magis, quàm oua. Ita asserunt *Rodriquez in Bullam. §.6. nu.1. in fine. Tabiena ver. Ieiun n.7. Viualdus in supplemēto Candelabri aurei cap.11. de ieiunio quadragesimali nu.39. Henriquez lib.7. cap.13. n.11. in fine*, docens, vbi non est consuetudo, id non esse permittendum; cum sagimen, & ius carnium magis pertineant ad carnem, quàm oua. *Villalobos in Sum. tom.1. tract.23. diff.8. num.16. Ludouicus à Cruce in Bullam disp.1. cap.5. dub.16. nu.4. Trullench. in calog. lib.3. cap.2 dub.2. n.8. Filliuccius tract.27. par.2. n.61.* & nouissimè hanc sententiam tuetur quidam Siculus Catanensis, cui nomen Scipio Portius in suis physicis quæstionibus quæsito primo, vbi fusè rem hanc exagitat, & quia multa dicit, ea à nobis inferiùs sunt ponderanda.

11 Secunda sententia, quam sustinent graues Doctores, affirmat vsum sagiminis diebus prædictis esse licitum; proinde virtute Bulle in ieiunijs Ecclesiæ, edi posse, sicuti lacticinia. Authores, qui hanc sententiam admittunt, sunt *Glossa. cap. Admonere 33. quæst.2. ver. Carnem*, vbi sic inquit, *Sagimen permitti, quando oua permittuntur, & in cap. Presbyter. dist.82. ver. Sagimine*, quamuis loco *sagiminis* dicat *sanguinem*, tamen textus est corruptus, vt multi aduertūt; ait enim sic: *Licet comedere de sagimine illis diebus, quibus oua & caseum licet comedere. Hostiensis in sum. tit. de obseru. ieiun. Angelus ver. Ieiunium n.5. in fine. Panorm. in cap Consuluit nu.2. de Iudais. Felinus ibi. n.1*; licet dicat *sanguinem*, tamen apertè videtur fuisse error in impressione; nam citat *Glos. in cap. Admonere vt supra*, quæ clarè de sagimine, & non de sanguine loquitur. *Sylaest. vers. Ieiun. quæst 5. n.16. Bertachinus de episcop. par.1. membr.4. n.79. Graf. in decis aur. lib.2. cap.37. n.12. Corsettus in singularibus vers Caro lit.C. Riccius in addit. ad 6. paragraphum. num.11.* Refertur pro hac opinione *Azor. tom.1. lib.7. c.10. quæst. vlt.* sed ibi proponens vtramque sententiam, nullam determinat, sicuti etiam facit *Fagundez de 4. eccles. præcep. lib.1. cap.2. nu 20. in fine.* & in partem affirmatiuā videtur inclinare *Layman lib.4. tract.8. nu.5.* licet loquatur cum præseruationibus, & dicat speculatiuè hanc opinionem probabilem videri posse, & consuetudine, consentientibus Prælatis, esse introductam, ideoque pro lege tenendam: *at in nostris regionibus*, inquit, *id non esse permissum*; & addit esse periculum, si detur hominibus talis licētia, ne eam ad similia v.g. farcimina, iusculum ex carnibus paulatim extendant; non sine graui scandalo, & ieiunij detrimento: tandem *in sequente paragrapho* apponens tria documenta, *in secundo* ait: *non esse damnandos facilè de peccato mortali, ne comedentes illam, peccent propter conscientiam.* Nouissimè autem hanc sentētiam amplexi sunt *Diana l.c. & Pasqualigus decis 74.*

Dico tertio, vtramque sententiam esse probabilem, & hanc secūdam videri Iuri conformiorem, positis quibusdam principijs physicis; nam pinguedo non est caro, vt docet *Aristoteles lib.1. de generat. animalium c.18. & cap.19.* in vtroque enim loco ait pinguedinem esse excrementum, vt semen, &c. *& in problematibus sect.5. quæst.4.* ponit manifestū discrimen inter pinguedinem, & carnem, nam inquit, pingue concalefactum liquescere, quod tamen carni non euenit, & sic patet in eius sententia pinguedinem non esse carnem. Præterea, vt rectè aduertit *Dandinus de corpore animato lib.3. cap.5. de adipe*, nemo, quem ipse scit, dubitauit, adipem non esse carnem, idque probat diuersis coniecturis; nam adeps nulla ex parte habet terminum, sicuti habent reliquæ omnes, quæ sunt verè partes animalis. Rursus in prima partium formatione adeps non apparet, sed postea accedit, ideoque non est vera pars, sed excrementum, & vt dictus author ait, nihil est aliud, nisi pinguior, & tenuior sanguis ex venis exudans, & magis concoctus, & vi sudoris condensatus: citat autem *Galenum*, ita adipis naturam exponentem, *lib.2. de temperamentis*, multa alia circa adipem discurrit *Dandinus* apud quem videri possunt. Si igitur pinguedo est excrementum, certum est nō esse carnem, quæ est pars præcipua constans animalis substantiam; excrementum verò est quid superfluum; hoc posito cum in die Veneris, & Sabbati non prohibeatur ab ecclesia nisi caro, præceptum non debet ampliari ad alia; proindè liberum erit, comedere sagimen. Rursus in diebus ieiuniorum, sicuti ijs, qui Bullam habent 12

est

est licitum vesci lacticinijs, sic etiam sagimine, quod potiùs sub lacticinijs, quā sub carne continetur; quia est de ijs, quæ sementinam carnis originem trahunt, ideoque non est caro. Sed dices neque sanguis est caro, & tamen diebus vetitis eius esus non est licitus; ergo neque esus saginis; videtur enim eadem esse vtriusque ratio. Respondeo negādo paritatem inter sanguinem, & sagimen; disparitas autem infra dabitur.

13 Dico quarto. Si quis sumat portionē aliquam puræ pinguedinis, eamq; cum pulte decoquat, nullum committet peccatum; quia dum pinguedo liquefit, erit formaliter sagimen.

14 *Obijcitur discursus Scipionis Portij.* Sed obijcere possumus discursum, quo vtitur Scipio Portius, quem supra citauimus, in quæsito enim primo suarū physicarum quæstionum plura præmittit, distinguens varia sanguinis genera, de quibus incipit agere in secundo prælibato ver. (*Hinc aliud*;) ea vero, quæ ad nostrum institutum pertinent, & contra nos tendunt sunt duo, quæ examinanda proponimus. Primo enim docet Portius pinguedinem esse carnem, seu partē quasi carnis, ita ver. (*Quibus praeuntibus*) & hoc probat; quia pinguedo fit ex eodē sanguine, ex quo fit caro, nempe, ex sanguine aereo. & puro, & ideo infert adipē magis cum carne, quàm cum lacticinijs communicare. Secundo docet, *in cap. Denique* cum interdicitur caro, & quæ sementinam originem carnis ducunt, sub nomine carnis comprehēdi sanguinem, medullas, pinguedinem, ossa, neruos, cartilagines, & reliqua, quæ sunt partes, quibus cōstat animal prohibitum, & hoc quia canon ille non distinguit carnem à prædictis; sed à lacticinijs, & ouis. Ex his omnibus sic Portius concludit. *Hæc sufficere, vt diebus ab ecclesia prohibitis crassum carnis* (vt eius verbo vtar) *detestemur, cum sit pars animalis prohibiti, ita vt non minùs præceptum Ecclesiæ euertat comedens crassum carnis animalis prohibiti, quàm carnem formaliter, ne dum medullas, sanguinem, ac reliquas eius partes.* Hæc *ex Portio*, in cuius discursu, duo, vt vidimus cōtra nos faciūt.

15 *Solutur eius prima fundamētalis ratio.* Ad primum igitur negamus pinguedinem esse carnem; aduersatur enim Aristoteli, locis citatis, & consequenter dico non generari ex sanguine puro, ex quo fit caro, sed ex superfluo, seu excrementitio, ex quo fit etiam semen; inde est, vt pinguiores minùs semen habeant, teste ipso *Aristotele 1. de gener. Animalium. cap. 19.* Rursus Pinguedo non sentit, vt dicitur *2. de par. cap. 5.* Præterea ipsa pinguedo est inter cutem, & carnem, vt asseritur *lib. 3. de hist. Animalium. cap. 18.* Caro verò inter cutem, & ossa; cum igitur pinguedo tot diuersas habeat proprietates à carne, neque erit caro, neque pars carnis, neque propriè loquendo erit pars animalis, nisi largè loquēdo de partibus: vide *Dandinum de corpore animato lib. 3. à cap. 1. vsq; ad 6.*

Ad illud verò aliud, quod dicit Portius, videlicet adipem magis cum carne quàm cum lacticinijs communicare, est omnino reijciendum, quoniam comparatione facta inter ista tria, nempè, inter carnem, lacticinia, & adipē, quoad animalis nutrimentum, ita se habent, vt caro sit reliquis omnibus magis nutritiua, & optimi alimenti; postea secundum obtinēt locum oua, & lacticinia, minùs autem omnibus nutrit pinguedo, vt asserit *Galenus lib. 3. de alimentorum facultate cap. 11.* Igitur adeps propriùs ad lacticinia, quàm ad carnem accedit. 16 *Inter cibos caro est magis nutritiua adeps minùs quàm reliqui nutrit.*

Respondet Portius, licèt adeps minùs nutriat, quā oua, & lacticinia, nō tamē se tenere magis cum lacticinijs, & ouis, quā cum carne: & huius rei nullam aliam assignat rationem, nisi quia adeps est pars carnis. 17 *Instantia in fauorē Portij*

Hæc autem responsio non valet; quia esset probandum adipem esse partem carnis, quod tamen *Portius* non alio modo probat nisi supponendo esse ex sanguine puro, ex quo est caro, quod supra nos impugnauimus: & etiam confirmat, *ex cap. Denique* ex quo capite eius intentum minimè colligitur, vt mox dicam. 18 *Diluitur.*

Ad secundum autem desumptum *ex Canone prædicto* respondeo, sub nomine carnis in eo capite non comprehendi pinguedinem, quæ vt patet ex dictis potiùs continetur sub ijs, quæ sementinam carnis originem trahunt. 19 *Secundū fundamētū Portij falsū supponit.*

Dices sequeretur ex nostra doctrina sanguinem, medullas, & similia posse etiā comedi diebus prohibitis eo modo, quo sagimen ex pinguedine. 20

Respondeo negando sequelam; quia non est eadem ratio, vt. *Sectione tertia* videbimus. Et hæc sufficiant obiter tetigisse; magis enim ad Medicorum disciplinam, quàm ad nostram spectare videntur. 21

SEC-

SECTIO II.

An vsus saginis aliorum Animalium sit licitus.

22 POsset quis curiosè inquirere, an sicuti pinguedo porcina liquefacta comprehenditur sub lacticinijs: Ita etiam sit dicendum de pinguedine liquefacta alterius animalis V. G. Gallinæ, Iuuenci, Bouis, &c.

Casum in terminis apud neminē, præter citandos, decisum videre potui: attamen inuenio *Paulum Layman. n. 5. cit.* qui proponit dubitationem hanc sub his terminis, scilicèt; an diebus ieiuniorum, in quibus licitum est vel priuilegio, vel consuetudine comedere oua, liceat quoque vesci larido porcino, vel anserum pinguedine; & sic in illis casibus, in quibus admittit id esse licitum, videtur consequenter nō limitare opinionem affirmatiuam ad pinguedinem suinam. Præterea *Pasqualigus dec. 74. cit. in tit.* proponit inquirendum, an sit licitum vti sagimine siuè porcino, siuè aliorum animalium, & in corpore decisionis concludens partem affirmatiuam, videtur concedere vsum saginis ex pinguedine cuiuscumque animalis esse licitū: alios præter hos duos Authores non inuenio, qui de re hac aliquam faciant mentionem.

23 *Pinguedo porcina, & aliorū animalium physicè loquēdo, videntur eodem modo se habere.* Dicendum est, quæsitum cum distinctione esse decidendum, idcircò aio, quod si rem physicè spectemus, quæ dicta sunt de sagimine porcino æquè benè dici possēt de sagimine cuiuscumque alterius animalis, vt de Bouino, Gallinaceo, &c. sine vlla prorsus disparitate, quæ ad rē faciat; si verò rem hanc attendamus non physicè, sed moraliter, vt spectari debet; non audeo asserere eamdem esse rationem, quia cōsuetudine potuerunt duo ista moraliter diuersificari; sicuti si consuetudo extaret comedendi oua, & non alia genera lacticiniorū, vt caseum, butyrum, &c. tunc, quamuis physicè omnia ista conuenirent; attamen ratione consuetudinis moraliter essent diuersa; & sic licitum foret comedere oua diebus vetitis; non autem caseum; aut butyrum, &c. Do aliud exemplum magis explicatiuum; de facto die Sabbati in Regno Castellæ licitus est esus intestinorū animaliū prohibitorū & non est licitus esus aliarū partiū, & tamē sunt sub eodem genere, & secundum ius commune, sub vna eademque prohibitione cōtinentur: sic, licèt pinguedo porcina liquefacta sit sub eodem genere cum pinguedine Bouina; nihilominùs consuetudine potuit reddi licitus esus saginis ex pinguedine porcina, & non ex alia pinguedine.

Dices. Decisio ista fundatur in sola cōsuetudine, & nihil determinat, quid sit dicendum iuxta Ius commune, præscindēdo à consuetudine: nos autem hic Ius inquirimus, & non consuetudinem; secundum Ius verò positis principijs prædictis à nobis admissis, oppositum videtur concludendum, nempè, sagimen de quocumque animali sit extractum posse comedi sicuti lacticinia; nam loquendo de feria sexta, & Sabbato, videtur res minorem continere difficultatem, quia in his diebus sola caro prohibetur per Sacros Canones vt patet ex *cap. de esu carnium, & cap. Sabbato de consecr. dist. 3. & cap. quia die Sabbati dist. 5.* Igitur pinguedo cum non ex consuetudine, sed ex sua natura habeat, vt non sit caro, consequens est, vt dicamus in die Veneris, & Sabbati, non esse prohibitum sagimen, quodcumque sit, ꝙ est pinguedo liquefacta; in ieiunis verò ex præcepto de ipso sagimine est eadē ratio habenda, sicuti de ouis; quæ cum Bulla comedi possunt, quia cum non sit caro, contineri debet sub ijs, quæ originē sementinam carnis ducunt, vt sunt lacticinia. 24 *Obiectio.*

25 *Diluitur obiectio.* Respondeo, certum esse, hoc argumētum efficaciam aliquam habere; sed commodè illud soluere possumus, quia nihil aliud probat, nisi, quod idem prorsus sit fundamentum à parte rei ad introducendam consuetudinem edendi sagimē porcinum, & sagimen Bouinum, vel alterius similis animalis, quod nos vltrò concedimus; at de facto consuetudo non est introducta, nisi circa sagimen suinum, & ideò moraliter loquendo, illud contineri poterit sub genere lacticiniorum; istud verò minimè, quicquid sit, si rem physicè spectemus, Duo igitur assero in hac Sectione. Primum in hoc Siciliæ Regno, esse introductam consuetudinem de esu saginis porcini, & ex isto præciso capite, etiam si nihil aliud pro licita eius comestione haberetur, posset licitè comedi in ijs locis, in quibus reperitur talis consuetudo. Secundum, quod dicimus est, præscindendo à consuetudine, & attendendo Ius, æquè se habere sagimē porcinum, & sagimen aliorum animalium: hoc tamē non obstante potuit introduci consuetudo circa vnum, & non circa aliud, sicuti diximus de partibus internis, & externis animalium in Regno Castellæ; ac proindè cum circa sagimen Bouinum, &c. non sit introductus talis vsus, idcircò non videtur licita eius comestio, licet neutrum sit caro, & in hoc æquè conueniant. Et hæc mihi videntur dicenda, nisi in aliqua regione sit mos legitimè introductus comeden-

medendi sagimen aliorum animalium; tunc enim eius comestio erit licita ratione consuetudinis connotantis in re æquale fundamentum in ordine ad legem prohibentem, & ad consuetudinem inducendam de quocumque sagimine.

26 *Alia instantia.* Sed vlterius vrgebis ad prohibendum, vel permittendum vtrumque sagimen, est identitas rationis; ergo lex permittens vnum, censetur, & aliud permittere; nam, vt dicitur in tract. de leg. Identitas rationis est sufficiens, vt lex de vno casu extendatur extensione comprehensiua ad aliũ casum non expressum per ipsam legem, vt communiter authorum sententia firmat apud *Suarez lib.6. de legib. cap.3. n.16. Merollam tom.2. disp.4. cap.9. nu.47.* esse autem in hac re identitatem rationis patet, quia, vt diximus, ita negat esse carnem vna pinguedo, sicuti, & altera, & quia negatio carnis est ratio, seu fundamentum, quare sit licita comestio sagiminis porcini, erit etiam eadem ratio de sagimine Bouino.

27 *Identitas rationis nõ habet locum in cõsuetudine.* Respondeo, principium illud, nempè ex identitate rationis legem transferri ex vno in alium casum, non habere locum in consuetudine, quæ numquam extenditur, sicuti in quibusdam circumstantijs extenditur lex, & ideò in ordine ad hunc effectum non valet argumentum à lege ad consuetudinem.

SECTIO III.

Vtrum diebus prohibitis sanguis animalium vi Bullæ comedi possit.

28 POsset aliquis dubitare, sanguinem non esse prohibitum feria sexta, & Sabbato, vt enim supra diximus, in his diebus ab Ecclesia solùm caro interdicitur; atque adeò sanguis non videtur comprehendi sub lege prohibente; & si lex vim habeat in ieiunijs tũ quadragesimæ, tum extra illam, beneficio Cruciatæ poterit priuilegiatus sanguine vesci. citari solet pro hac opinione *Felinus, & Ananias in cap. Consuluit de Iudæis* id expressè docentes.

29 Pro solutione huius quæsiti debemus illud examinare vel in ordine ad Ius cõmune, vel in ordine ad consuetudinem.

30 *Ius commune non prohibet comestionem sanguinis quãdo est licitus vsus lacticiniorum.* Dicendum est primò, in Iure communi non habetur lex, quę prohibeat sanguinem diebus, in quibus est licitus vsus lacticiniorum, & ita docet *Ludouicus à Cruce in exposit. Bullæ cap.5. dub.16. nu.2. & 4.* & plures refert, sed falsò; nam authores ab ipso citati, de sagimine, & non de sanguine loquuntur, & quamuis *Felinus in cap illo, consuluit de Iudæis* initio ponat sanguinem, tamen vt notauimus supra, textus est mendosus. Probatur conclusio ex eo, quod nullus locus in sacris Canonibus assignari poterit, in quo sãguis prohibeatur, ergo in Iure non habetur lex, quæ prohibeat sanguinem, &c.

31 *Ex consuetudine prohibetur.* Dicendum est secundò, inspiciendo vniuersalem consuetudinem, comestio sanguinis, etiam in diebus, in quibus possumus vesci lacticinijs, non est licita. Sic *idem de la Cruce nu.4.* qui malè confundit sanguinem cum larido, & sagimine, ex quo sequuntur eius falsæ citationes, nam loquens de his tribus ac si eadem esset res, refert plures pro sua conclusione, qui tamen, vt diximus, non de sanguine, sed de sagimine sermonem habent. Stante igitur tali consuetudine, quamuis sanguis non sit caro, sed proximum alimentum carnis, nullo pacto est licitum vesci sanguine feria sexta, aut Sabbato, & multò minus in diebus ieiuniorum, etiam cum Bulla. *Ludouicus à Cruce cõfundit sanguinem cum larido, & sagimine.*

32 Et si quis vrgeat paritatem afferendo, quæ reperitur inter sagimen, & sanguinem, ex eo quod vtrumque trahit originem carnis, & neutrum est caro, & sic videtur par esse vtriusque ratio, & vterque esus esse licitus; si inquam quis ita vrgeat. Respondeo negando paritatem, primò, quia maior connexio est inter carnẽ & sãguinem, quàm sit inter pinguedinem, seu sagimen, & carnem; nam sanguis est in proxima dispositione ad hoc, vt in carnem conuertatur, & aliquo modo est pars animalis viuentis, quatenus sine sanguine vita consistere nequit; cũ sit eius alimentum; at pinguedo est merum excrementum, & nõ necessaria ad vitam sustentandam; proinde magis videtur accedere ad carnem sanguis, quàm adeps, seu pinguedo. secundò, etiam si demus esse eamdem vtriusque rationem physicè loquendo, nihilominus moraliter non ita, quia consuetudo vescendi sagimine in multis locis est legitimè præscripta, non autem inuenitur talis consuetudo circa esum sanguinis, & si in aliqua regione introducta sit similis consuetudo, quæ nõ cõstat, ibi esset permittẽdus vsus sanguinis, diebus, quibus lacticinijs vescimur; & ex his patet disparitas, quam supra in hunc locum distulimus inter sagimen, & sanguinem. *Maior connexio est inter carnem, & sanguinem quàm inter carnem & pinguedinem.*

(:†:)

SEC-

SECTIO IV.

De Ouis non dum natis.

33 Aliud cibi genus, de quo dubitatio esse potest sunt oua adhuc è gallina nonnata; sed intra ipsam manentia affixa partibus ipsius gallinæ, & carentia albumine illo, quo circumdari solet vitellum, seu rubeum ipsius oui: quæritur autem, an oua ita se habentia enumerari debeant inter lacticinia, an verò inter carnes. De hac re consultus fui præteritis temporibus à quodam viro illustri, qui à me petijt; an possint die Veneris talia oua absque Bulla comedi, & in diebus ieiuniorum cum Bulla.

34 *Laudatur Diana.* Authores de hoc puncto loquentes non reperio, nisi *Patrem Dianam*, qui diligens casuum moralium, & practicabilium scrutator *in par. 3. tract. 6. Miscel. resol. 80, vers. notandum est etiam*, de re hac sermonem instituens, aduertit Confessarijs non debere scrupulos inijcere pœnitentibus tempore quadragesimæ cum Bulla Cruciatæ comedentibus oua prædicta; quia sunt eiusdem speciei, & ex eadem materia, ex qua generantur oua perfecta.

35 *Rationes pro parte negatiua.* Contra verò videtur oua ista sub carne comprehendi; quia antequam perfectam formationem habeant, sunt pars gallinæ, à qua producuntur, & ideo cum partibus animatis gallinæ continentur.

36 *Oua non dū nata inter lacticinia enumerantur.* At his non obstantibus, consultus respondi; oua prædicta sub lacticinijs, & nō sub carnibus esse enumeranda; quia substantialiter, neque sunt caro, neq; sanguis, sed solùm differunt ab ouis perfectis ratione albuminis, putaminis, &c. Quod autem non sint caro, neq; sanguis patet ex diuersitate accidentium, & proprietatum; & quia vitellum illud nihil differt ab ouo iam nato, nisi quoad albumen, & corticem; proinde secundum intrinsecam substantiam, & naturam nullo pacto substantialiter differunt; Igitur si oua perfecta neque caro, neque sanguis sunt; neque erunt oua intra gallinam manentia.

37 *Limitatur conclusio.* Cæterum ouicula illa exigua ad instar acini, quæ sunt affixa veluti cuidam racemo gallinæ, non possunt comedi; nam adhuc retinent sanguinis naturam, & non sunt in substantiam oui conuersa.

(:†:)

CAPVT IV.

De Necessitate Bullæ ad comedendos cibos prohibitos in ordine ad quadam Personarum genera.

Ad esum carnium, & lacticiniorum statutis diebus, esse necessarium priuilegium Cruciatæ, in præcedentibus sufficienter ostensum est, nunc verò agēdum erit, an saltem respectu quorumdā; nempè, respectu talium personarum, vt talium, sit licitus prædictorum ciborum vsus diebus vetitis, absq; priuilegio Bullæ. 1

SECTIO I.

An Pueri indigeant Bulla, ad comedenda lacticinia in diebus ieiuniorum.

Certum, & indubitatum est, pueros ante annos discretionis nullo indigere priuilegio ad edenda lacticinia illis diebus, in quibus ab Ecclesia prohibentur, imò etiam ad comedendas carnes; & ideo qui illis tales ministrant cibos, nequaquam peccant. Ratio autem est manifesta; quia ante vsū rationis nullius præcepti sunt capaces. 2

Difficultas verò oritur, tum ex parte ipsorum puerorum, quia vsus rationis non incipit in omnibus eodem determinato tempore; nam aliqui citiùs, aliqui tardiùs perueniunt ad annos discretionis, licet communiter soleat incipere in primo septennio ætatis: tum etiam ex parte legum ecclesiasticarum aliquæ enim priùs, aliquæ verò posteriùs obligant. v. g. lex ieiunandi non incipit obligare, nisi post tertium septennium, lex confessionis statim post vsum rationis & lapsum in aliquod peccatū mortale post baptismum: lex autem communionis, quando completus est decimus, aut duodecimus annus circiter, &c. 3 *Leges ecclesiasticæ non incipiunt obligare simul in eadem ætate.*

Quæsitum igitur in duas diuidendum erit partes, & primò est videndum; an pueri etiam si ad vsum rationis peruenerint ante septennium, teneantur abstinere à cibis prohibitis; atque adeo ad illorum esum indigeant Bulla; ita vt nemo possit absq; peccato tales cibos illis subministrare, nisi pueri sint priuilegiati per Bullam Cruciatæ. Secundò an sit designabilis ætas, in qua præceptum horum ciborum incipiat obligare. 4

Circa primum est sententia multorum, qui non obligant pueros ad præcepta Ecclesiæ, etiā si habeant vsū rationis, nisi post aliquot annos, quāuis sit aliqua diuersitas in assignatione horū annorum; si autē sentētia ista erit vera possumus ex illa deducere pueros etiā habētes vsū rationis, nisi sint in maiori ætatę non indi- 5 *Aliqui existimant pueros non obligari nisi post aliquos annos, etiā si habeāt vsum rationis.*

gere Bulla ad comedenda lacticinia; imò, & carnes, V. G. ponamus ætatem, in qua incipit præceptum ecclesiæ obligare, esse annum pubertatis, qui in masculis est decimus quartus, duodecimus in fœminis; tunc antequam perueniant ad pubertatẽ possent comedere sine Bulla lacticinia, & ab alijs absque peccato lacticinia, & carnes eisdem pueris porrigi. Authores autem, qui vniuersaliter loquuntur, & indiscriminatim circa præcepta Ecclesiæ, sũt *Sotus in 4. dist. 12. quæst. 1. a 11. in fine corporis ver. sed si quæras. S. Anton. par. 2. tit. 9. c. 8. §. 2. Henriquez lib. 8. cap. 42. nu. 4. & lib. 13. cap. 49. nu. 2. & in com. lit. N.* & explicitè dicunt hoc de præcepto isto particulari circa cibos, *Ioannes Sanchez in selec. disp. 51. nu. 31. in fine, & Pasqualigus de ieiunio decis. 50. n. 2.* aiunt enim non obligari pueros ante septennium, etiam si habeant vsũ rationis ad abstinendum à cibis prohibitis, quia lex cum humano modo procedat, & non intendat obligare, nisi eos, qui vsum rationis habent; idcircò non intendit illos obligare, nisi in ea ætate quando vsus rationis præsumitur, nempè in septẽnio, & quamuis interdum vsus rationis præueniat in quibusdam, id erit per accidens, ac proindè de eo non est curandum.

6 *Alij volunt pueros obligari dum incipiunt habere vsum rationis*

Altera opinio ait, statim post vsum rationis pueros obligari ad præceptũ abstinẽtiæ horũ ciborũ. Ita loquũtur de omnibus Ecclesiæ præceptis præter præceptũ ieiunij, & Eucharistiæ *Sanches lib. 1. summæ cap. 12. nu. 6. Azor. to. 1. l. 7. c. 29. quæst. 6. Merolla tom. 2. d. 4. c. 3. nu. 448. Castropalaus to. 1. tract. 3. d. 1. p. 24. §. 2. nu. 5.* qui omnes volunt, pueros cum primò peruenis̃t ad vsum rationis obligari legibus Ecclesiæ, quamuis hæc non intendant de omnibus legibus, &c.

7 *Hæc secunda opinio est admittẽda vniuersaliter intellecta.*

Dicendum est primò, hanc secundam sententiam, vniuersaliter loquendo esse admittendam, vt pote communiorem; nã sicuti pueri post vsum rationis funt capaces obligationis circa præcepta naturalia, & diuina, ita eadẽ capacitas videtur sufficiens, vt obligentur præceptis Ecclesiæ.

8 *Instantia contraria.*

Dices maiorẽ esse rationẽ de preceptis naturalibus, & diuinis, quàm de ecclesiasticis, quia illa strictiùs obligãt; atq; adeò illatio ab vna obligatione ad aliã erit nulla.

9 *Soluitur*

Respondeo negando consequentiam; recta enim est illatio, quia, & si præcepta naturalia, & diuina strictiùs obligẽt, quàm precepta ecclesiastica; tamen ex hoc non habetur, quod ad obligationẽ illorũ sufficiat vsus rationis, non autem ad istorum obligationem, quia vtriusque præcepti genus obligat iuxtà suam naturam, videlicèt magis, aut minus strictè.

Dicendum est secundò. Si loquamur de particulari præcepto Ecclesiæ, quod est circa ciborum qualitatem, sententia *Ioannis Sanchez* est satis probabilis, videlicèt, pueros non obligari ante septenniũ, etiam si in ipsis præueneris vsus rationis, quia est attendendum id, quod est per se, & non id, quod est per accidens; sicuti ante vigesimum primum annum non obligat præceptum ieiunij; & hoc quia communiter ante illam ætatem natura exigit alimentum propter incremẽtum corporale, ratione cuius est indigentia ob caloris abundantiam, vt frequentiùs fit nutrimentum, tamen, si fingamus aliquem peruenisse ad perfectum statum augmẽti, & non habere talem indigentiam, propter hoc non obligabitur ieiunijs, vt vult communis opinio, quia hoc est per accidens, sic & in casu nostro. 10 *Satis probabile est pueros non obligari ad abstinendum à cibis prohibitis ante septẽnium, etiam si vsũ rationis habeant.*

11 *Obiectio in contrarium.*

Dices. Si hoc esset verum, sequeretur, neque puerum ante septẽnium teneri ad alia ecclesiastica præcepta, nempè ad cõfessionem annuam, etiam si habeat peccatum mortale, ad audiendum sacrum diebus festiuis, ad abstinendum ab opere seruili, &c. quod videtur absurdum.

12 *Responsio.*

Respondeo negando sequelam, quia non est eadem ratio de alijs præceptis, & quod spectat ad confessionem habemus expressam legem *cap. omnis vtriusque sexus de Pœnit. & Remiss.* vbi obligantur omnes ad annuam confessionem statim post annos discretionis: Rursus quia confessio confert ad gratiam, & reconciliationem cum Deo obtinendam; idcircò strictissimè obligat: Audire autem sacrum, & abstinere a seruilibus die festiuo pertinẽt ad religionẽ, quæ plùs obligat, quàm sobrietas, & non officit sanitati corporali, at lacticinia, imò carnes in ea tenera ætate videntur aliquo modo necessaria ad sanitatem conseruandam; & ideò præceptum circa hos cibos non videtur ita vniuersaliter obligare, quoad tempus, sicuti, & reliqua supradicta. Et hæc de prima parte quæsiti.

Circa secundam partem, nempè an sit designabilis ætas pro hac obligatione. 13

14 *Non est determinata ætas, in qua vrgere incipiat præceptum abstinẽdi a cibis prohibitis.*

Dicendum est tertiò, non esse designabilem vnam pro omnibus, nam aliqui velociùs, aliqui verò tardiùs acquirunt vsũ rationis: communiter autem incipere solet in septennio completo, vt ex multis Iuribus ostendit *Thomas Sanches lib. 1. de de matr. disp. 16. n. 2.* & communiter affirmant Authores, igitur completo septennio, si puer habeat vsum rationis, indigebit Bulla, vt lacticinia comedat diebus ieiuniorum Ecclesiasticorum, si sequamur sententiam secundò loco relatam.

Di-

Dicendum est quartò, Difficultas fieri posset si dubium sit, an puer habeat nec ne vsum rationis, sistendo in terminis secũdæ opinionis, controuersia esse posset; an sit licitum illi porrigere lacticinia, imò & carnes in diebus ieiuniorum; an verò sit illicitum, & requiratur Bulla. Aio esse cum distinctione procedendum; nam vel puer compleuit septennium, vel adhùc non compleuit. Si primum præsumptio est pro lege, quæ præcipit abstinentiam à talibus cibis eis, qui rationis vsũ habẽt, & nisi euidenter constet de opposito, præsumitur in puero illo inueniri vsũ rationis, atque adeò obligari ad legem seruãdam, & ministrãtes peccare, si cibos prohibitos tali puero porrigant: si vero non est adhùc completum septennium, & dubium sit, an vsus rationis aduenerit; tunc præsumptio est pro puero, & per consequens poterunt absque alio priuilegio illi ministrari cibi prohibiti. Hanc autem cõclusionem fundo in vtroque Iure tum ciuili, tùm Canonico; vtrumque enim Ius ante septennium completum non præsumit adesse vsum rationis, quem præsumit completo septimò. Sic *l. si infans C. de Iure delib. & cap. Iuuenis de sponsal. cap. litteras cap. Accessit de desponsat. impub. & communiter Scribentes in eadem iura*, de qua re egi *in tract. de conscientia dubia cap. 5. Sect. 1. quæst. 5.*

Completo septennio si est dubiũ de vsu rationis præsumitur incæpisse.

Ante septennium completum nisi constet de vsu rationis nõ præsumitur cæpisse.

16 · Dicendum est quintò. Si pensatis omnibus dubium sit; an in puero reperiatur vsus rationis, & etiam sit dubium, an septennium sit completum, certum est antequam cibi prohibiti ministrentur, esse adhibẽdam diligentiam sufficientem ab ipsis ministrãtibus, vt veritas habeatur circa ætatem, & si post adhibitam diligentiã adhuc manet vtrumque dubium, ex vna parte videtur dicendum, posse puerum vesci cibis prohibitis, eidemque posse ministrari ab alijs, quia licèt lex sit certa, tamen obligatio huius pueri non est certa; proindè erit possessio pro libertate: cotra verò oppositum videtur asserẽdum, quia lex est certa, obligãs omnes fideles, & excusatio est dubia; idcirco possessio videtur esse pro lege, & per consequens non erit licitum tali puero ministrare cibos prohibitos absque Bulla. Vtraque sententia habet suam probabilitatem, & ideo sustineri vtraque poterit; nam probabile est onus probandi obligationem se tenere ex parte legislatoris, qui cùm ediderit legem obligantem fideles ad abstinendum à lacticinijs, posita ex parte subditi determinata conditione; nempè vsu rationis, siuè id certò constet, siuè præsũptiuè post septennium, adhoc; vt legislator fundet suam intentionem, deberet supponere, & ostendere in subdito inueniri conditionẽ illam, scilicèt vsum rationis saltem præsumptum. Quapropter nisi supponatur existentia huius conditionis, non erit fundata eius intentio, atque adeò cum ipsi incumbat onus probandi talem conditionem existere, lex non poterit ante probationem obligare. Est etiam probabile oppositum, quia posset aliquis dicere onus probandi non habere vsum rationis, neq; esse septennium completum, se tenere ex parte subditi; & ideo nisi fiat ista probatio, possessio erit pro lege, & per consequens obligabit puerum ad abstinentiam lacticiniorum diebus prohibitis. Hæc dici possent pro vtraque sentẽtia. & cum neutra appareat certa, poterit vtraque sustineri, sed probabiliorem iudico primam opinionem, scilicèt onus probandi esse, transfusum in legislatorem, aliter, vt probat ratio facta, eius intẽtio nõ erit fũdata.

Si dubium est de vsu rationis, & de septennio; hinc inde sunt rationes, a quo stet possessio.

Probabilior videtur prior sententia.

SECTIO II.

An Pauperes ostiatim mendicantes indigeant Bulla ad comedenda lacticinia diebus vetitis, quæ in eleemosynam recipiũt.

Dicendum est, Pauperes, qui mendicant; & aluntur ex cibis eleemosynæ, si in die, in quo est ieiunium Ecclesiæ habeant in elemosynam V. G. duo oua, aut frustulum casei, posse ista comedere, & ad eorumdem esum non indigere Bulla. Sic expressè *Sanches in cons. lib. 5. cap. 1. dub 19. nu. 5.* & in eadem sententia, est *Rodriquez in sum. tom. 1. cap. 23. in fine* eximens pauperes ostiatim mendicantes ab obligatione abstinẽdi à lacticinijs, quæ in eleemosinam recipiunt in die ieiunij, si alios cibos à prohibitis nõ habeãt, *Henriq. lib. 7. cap. 13. n. 9. Riccius in §. 6. Bullæ n. 12. Aegidius Trullench in decalog. lib. 3. cap. 2. dub. 2. nu. 6. Pasqualigus de ieiunio decis. 82.* sufficit enim in similibus personis loco Bullæ titulus paupertatis; secùs autem esset dicendum, si alios cibos non prohibitos haberent, tunc enim non possent edere eo die lacticinia absq; Bulla. 17

Secùs si cibos non prohibitos, & sufficientes habeant.

Dicendum est secũdò. Agricolæ si existant in locis, vbi non sunt Pisces, possunt absque Bulla comedere oua, & alia lacticinia in diebus prohibitis; sic *Sanchez vt supra nu. 4. Henriquez, Trullench locis citatis, & Pasqualigus decis. 83. nu. 1.* Ratio autem huius conclusionis est, quia intentio ecclesiæ præcipientis ieiunium, nõ est obligare fideles, vt abstineãt à lacticinijs, quando carent piscibus, aut alijs cibis nõ prohibitis; hoc enim foret ieiunium extraordinarium, & valdè rigorosum. 18

Agricolæ existẽtes in locis, in quibus non sũt pisces possunt sine Bulla comedere lacticinia.

19 Dicendum est tertio. Quamuis sit securiùs in casu posito petere dispensationem comedendi lacticinia ab eo, qui illa dare potest; nihilominus censeo, non esse obligationem; quia necessitas est manifesta ad comedendos tales cibos. Sic *Sanches, vt supra.*

In rigore non est petenda licentia quamuis sit tutius.

20 Dicendum est quarto, in eodem casu licitum erit, subministrare lacticinia domesticis, & operarijs, qui in agris excolendis laborant, vt docet idem *Sanches*; quia si ipsi operarij in illis circumstantijs absq; peccato lacticinijs vescuntur, porrigens lacticinia non peccabit; quia nō coopeąratur peccato.

Eisdem personis licitè subministrantur cibi prohibiti.

21 Quærere quis posset, an habens solùm carnes, & sit dies ieiunij, teneatur abstinere à comestione carnium, & præsertim si habeat panem ad sufficientiam.

22 Ad hoc quæsitum respondet *Angles quæst. 9. de ieiunio a. 1. diff. 4. apppend. p. & Vega tom. 1. summæ. cap. 14. cas. 28.* si carentia aliorum ciborum solùm sit duratura per vnum tantùm diem, non posset homo comedere carnes, sed solo pane deberet esse contentus; at si carentia esset per plures dies perseueratura, tunc posset carnibus vesci; at *Pasqualigus decis. 49.* putat, etiam si per vnicum tantùm diem alijs cibis careret, posset loco ipsorum carnes comedere, & ratio, quam assignat ad suam sententiam suadendam est, quia Ecclesia prohibet carnes intendendo illam corporis macerationem, quæ oritur ex abstinentia carnium, & nō aliam maiorem, & extraordinariam, quæ habetur comedendo panem dumtaxat; proinde, cum nequeat lex ecclesiastica seruari sine tali extraordinaria abstinentia, cessat obligare. Præterea lex ista in tantùm prohibet carnes, inquantum relinquit alios cibos, quibus commodè cibari possumus; at in casu posito, est carentia aliorum ciborum, ergo debemus interpretare legem, non obligare in tali casu. Sic discurrit *Pasqualigus.*

23 Mihi autem ita dubium istud decidendum videtur, quod si sermo sit de lacticinijs, longè probabiliùs esse in die ieiunij si quis careat piscibus, & illos habere nequeat, non teneri ad comedendum solùm panem; nam ex vna parte cum lacticinijs stat ieiunium; ex alia verò parte non videtur iste obligadus ad rigorosam abstinentiam; si autem loquatur de carnibus, & per vnicum tantùm diem passurus quis sit penuriam piscium, aut aliorum ciborum non prohibitorum, nō auderem asserere posse carnes comedere, quia præceptum ieiunij inuoluit aliud præceptum abstinendi à carnibus; proinde edendo carnes, ponitur actio incōpossibilis cum duplici præcepto; & ideo maior requiritur necessitas ad comedēdas carnes, quàm lacticinia; & sic existimo, quod si absque notabili incommodo non habens alium cibum nisi carnes, deberet vti solo pane; secus autem, si penuria ciborum non prohibitorum esset duratura per plures dies; tunc enim si quis alios cibos, præter carnes non habeat, neque habere possit, carnes edens non peccabit; quia non videtur illi imponenda obligatio tàm rigidæ abstinētiæ per plures dies faciendæ; an verò libertas comedendi carnes possit secunda die penuriæ concedi; an verò sit longiùs differenda, nō possumus vniuersaliter determinare, quia in hoc est maximè attendenda qualitas, & complexio personæ; nam quidā, & præsertim rustici solent frequenter solo pane vesci, & ideo non statim sunt de obligandi à præcepto Ecclesiæ: alij verò & maximè nobiliores nequeunt ita facilè sustinere abstinentiam adeo strictam, & his faciliùs, & strictiùs erit libertas comedendi carnes concedenda; proinde in casu isto, qui in continuatis ieiunijs, vt sunt quadragesimalia, locum habere potest; arbitrio prudentis res decidi debet.

In die ieiunij si desunt pisces possunt absque Bulla comedi lacticinia.

Limitatio.

Declaratio limitatio.

In hac re est attendenda complexio personæ.

24 Superest, & hic agere de restrictione illa, quæ in Bulla plumbea latina habetur circa priuilegium comedendi cibos prohibitos, per quam admonentur priuilegiati, non posse vti priuilegio isto, quoad cibos extra regna, in quibus viget vsus huius Bullæ, sed de re hac videnda sunt, quæ diximus *par. 1. tract. 20. cap. 2. sect. 2. §. 4. & sect. 3. & 4.* ibi enim sufficienter determinauimus, quæ circa hanc restrictionem sit sentiendum.

TRAC.

TRACTATVS IV.

IN §. XIII. XIV. XV. XVI.

DE INDVLGENTIIS, QVAE PER CRVCIATAM CONCEDVNTVR.

A Decimo tertio paragrapho; nempè ab illis verbis (Erogantes prædicti) *vsque ad XVII. exclusiuè, qui incipit* (Mandatur vt Summarium.) *conceduntur varia Indulgentia, & tres earum formula explicantur, & pariter participationem omnium precum, eleemosynarum, & peregrinationum, aliorumque bonorum operum, qua à fidelibus exhibentur: attamen hac dua priuilegia sub quodam onere, Pontifex elargitur; qua omnia distinctè sunt ponderanda, & primò de Indulgentijs erit nobis agendum, non in tota earum latitudine, & ex professo; sed quantùm videbitur necessarium ad huius priuilegij declarationem: postea verò de prædictarum bonorum operum communicatione.*

CAPVT I.

De Partialibus Indulgentijs, qua in hoc paragrapho donantur.

1 ERogantibus præscriptã eleemosynam, & hanc Bullam accipientibus remittit Põtifex quindecim annos, & totidem quadragenas de pœnitentijs iniunctis. quo pacto autem sint harum indulgentiarum formæ interpretandæ, & quem habeant effectum in præsenti capite dilucidabimus.

SECTIO I.

Explanatur harum indulgentiarum sensus.

2 PRo intelligentia huius formulæ, sub qua indulgentia concedi solet, supponenda est antiqua Ecclesiæ consuetudo, secundum quam attenta peccatorũ grauitate, diuersas cõsueuisse per sacros canones, qui pœnitentiales appellantur, pœnitentias imponi, vt patet ex ipsis met Canonibus, qui referuntur *in fine Decreti Gratiani post tertiam partem*, & etiam ponuntur *à Guillelmo Durante speculatore in Rubr. de pœniten.* & transcripti reperiũtur *in Sacerdotali Romano*, dum agitur de confessione Sacramentali; *In his* autem *sacris Canonibus* sparsim inueniuntur variæ pœnitentiarum species, pro quibusdam grauibus delictis, magis quoad temporis durationem, quàm quoad modum, modus enim relinquitur arbitrio Sacerdotis, qui considerare debet personarum circumstantias, attendendo ad regulas generales, quæ sunt in Iure, & sunt directiuæ ipsius Sacerdotis, cum ostendunt, quo pacto debeat se gerere in impositione pœnitentiarum. Pro diuersitate autẽ delictorum iniungebatur, nunc septennium, nunc decennium, nunc quadragenarius dierum numerus, &c. quo tempore continuari debebant pœnitentiæ iuxta prudens Confessarij arbitrium, & ideo secundum qualitatem, & quantitatem delictorum, modus pænitentiæ erat magis, aut minus asper. Sed cum hæ pœnitentiæ fuerint valdè graues, idcirco deficiente illo antiquo feruore, quo fideles pœnitentiarum acerbitatem sustinebant, summi Pontifices paulatim cœperunt remittere pœnas iniunctas, cõcedendo varias indulgentias.

Antiquà cõsuetudo in iniungẽdis pœnitentijs.

3 Prædictæ autem pœnitentiæ his nominibus significabãtur, nam aliquæ dicebãtur *quadragena* quæ per 40. dies agebantur, aliæ *septena*, quæ per septenniũ, aliæ verò *carena*, per quã delinquẽs priuabatur omni cibo, & solo pane, & aqua alebatur in aliquo secreto loco reclusus; & de hac pœnitentia fit mentio *cap. Presbyter. dist. 82. & cap. Accusasti de accusation. & ibi Glos. verb. Carena, & cap. Accepisti de sponsa duorum*, vocabatur autem *carena* à carentia ciborum, & commercij humani, vt notat *Ioan. Lauorius de indul. par.*

Sub multiplici forma, & nomine præscribebantur.

par.2, cap. 10. n. 37. & Suarez d. 50. sect. 5. n. 14. addit aliã explicationẽ; nempè *Carenã* dici *per Syncopen*, quasi *quarẽtena*, & vtrũque verum esse poterit. Remissiones autem harum pœnitentiarum nomina sortitæ sunt ex tempore, quo duratura erat pœnitentia; proinde alia dicitur *quadragena*, alia *septena*, &c. *quadragena* appellatur, quatenus per eam relaxabitur pœnitẽtia illa, quæ per *quadraginta dies* erat imposita: *septena*, per quam condonabatur pœnitentia agenda per septem annos alia verò dicitur *carena*, seu *carantena*, quæ remittebat pœnitentiam agendam per quadraginta dies. His omnibus præmissis.

4 Dicendum est primo in hoc paragrapho Pontifex concedens quindecim annos, & totidem quadragenas remittit debitum agendi pœnitentias per istud tempus designatum. Conclusio, vt iacet est certa apud omnes, & patet ex contextu.

5 Dicendum est secundo. Per supradictos annos, & dies intelligi debent anni, & dies præsentis vitæ, non autem purgatorij. Est contra *Viguerium in institutionibus cap. 18. §. 6. vers. 22. Cordubam. lib. 9. de indulg. quæst. 32. apud Barth. à S. Fausto de sacris indulg. in communi lib. 2. cap. 153.* putarunt autem hi doctores annos istos esse intelligendos de annis Purgatorij, & ideo sensum verborum esse annos quindecim, & totidem quadragenas ex pœna Purgatorij remitti, eo modo, quo dies, & anni exprimuntur in indulgentia, sed alij communiter reijcientes hanc expositionem, sequuntur nostram sententiam. Sic *Sotus in 4. d. 21. q. 2. a. 1. Suarez. l. c. Aegid. Con. de indulg. disp. 12. dub. 4. n. 27. Toletus lib. 6. Summa cap. 23. Fillhucius tom. 1. trac. 8. cap. 7. quæst. 10. n. 19. S. Fausto l. c. & alij.* Probatur autem conclusio ex verbis formæ, sub qua indulgentia ista conceditur, datur enim sub nominibus, quibus vtuntur *Canones* imponentes pœnitentias, videlicet sub nominibus *quadragenæ, carenæ, septena*, &c. Igitur Pontifex concedẽs e. c. *quadragesimam*, &c. relaxat pœnam illam sustinendam per quadraginta dies iuxta præscriptum *sacrorum Canonum*. & confirmatur; nam per has indulgentias non remittuntur, vt dicitur *in ipso textu*; dies, & anni pœnæ, sed pœnitentiæ; pœna autem Purgatorij propriè loquendo non solet nominari pœnitentia, sed simpliciter pœna.

Aliqui putarunt annos pœnitẽtiæ respõdere tot annis Purgatorij.

Reijcitur.

6 Dicendum est tertio. Pœna, quæ ex Purgatorio relaxatur, non est illa, quæ respondet quoad tempus, tempori designato per hanc indulgentiam, ita vt si indulgentia sit quindecim annorũ, totidẽ remittantur anni ex pœna Purgatorij, sed ea est, quæ redimeretur per pœnitentiam iniunctam; Quanta verò sit pœna, quæ remittitur ex pœnis Purgatorij, nos latet, Deus autem scit, sed pro nostra intelligentia expedit exemplum adducere v. g. si pœnitentijs faciendis per *quindecim annos*, & *quindecim quadragenas*, respondẽt, quo ad pœnam luendam in Purgatorio, decem anni; tunc homini lucranti hanc indulgentiam relaxarẽtur decem anni quo ad pœnam, & sic de alijs. Ista est communis sententia, quam docet, *Suarez sect. 5. cit. n. 11. Bartholomæus à S. Fausto l. c. & alij.* suadetur; quia cũ ex vna parte, vt ostẽdimus per nomina illa, *quadragena, septena*, &c. significetur remissio annorum pœnitentialium in hac vita: igitur per has indulgentias remittuntur tot anni, & dies ex pœna Purgatorij, qui essent redimendi, si pœnitentia cum effectu adimpleta fuisset.

Pœna Purgatorij q̃ remittitur, quo ad tempus nõ respondet tẽpori designato per indulgentiam.

Pœna Purgatorij quãta sit nos latet.

Dicendum est quarto, Indulgentiæ istæ toties quoties ponuntur à pœnitente onera præscripta, obtineri possunt, sic dicitur in ipsa Bulla. 7

Multoties lucrifieri potest.

Sed contra superiùs determinata vrgere quis posset; ex nostra sententia sequi fructum huius indulgentiæ esse valdè incertum, etiam si modus pœnitentiæ, dum iniungitur, sit determinatus, v. g. ponamus, quod imponatur ieiunium per quadraginta dies, iam haberemus opus afflictiuum, determinatum, & præscriptum: & quadragenarium istud ieiunium, cum possit fieri ex maiori, aut minori charitate, & complexio, seu dispositio subiecti sit diuersa, atque adeo respectu vnius erit efficaciùs ad remittendã maiorem pœnam ex Purgatorio, quàm respectu alterius, & sic ex nostra sententia sequeretur fore incertum fructum huius indulgentiæ, & incertam habere mensuram. 8

Obiectio ex incertitudine fructus.

Respondeo posse nos ad hoc argumẽtum respondere iuxta duplicem sententiam, quam circa rem hanc inuenio; nam aliqui censent fructum, qui responderet pœnitentiæ iniunctæ si fieret, non esse mensurandum ex circumstantijs personæ; nempè, ex ipsius dispositione, & cõplexione, quia hæ sunt diuersæ, & merè interiores, de quibus homo iudicare non potest, sed esse mensurandum ex tali determinato opere laborioso, nempè ieiunio quadragenario, & istum modum videtur admittere *Suarez n. 16. illius sectionis*, licet subobscurè loquatur. Alij verò volunt considerandum esse statum, in quo reperitur pœnitens, dum indulgentiam lucratur, & pariter affectum, & deuotionem, seu charitatem, qua se dispo- 9

Satisfit obiectioni.

nit

nit ad indulgentiam acquirendam, & secundum hunc statum commensurandū esse fructum; ita vt tanta pœna Purgatorij per hanc indulgentiā remittatur, quāta redimeretur per tale opus pœnale; nēpe per tale ieiunium, tanto tempore, & in tali statu, & dispositione pœnitentis præstitum, quod valdè probabile existimat idem *Suarez ibidem*. Clarius mihi videtur respondendum, dies, & annos in hac indulgentia esse computandos secundum pœnitentias prudenter imponendas pro his, vel illis peccatis; & licèt hoc pacto fructus indulgentiæ vniuersaliter nequeat esse certus; quia prudentia arbitrandi latitudinem, & diuersitatem habet: nihilominus hoc non obstat, nam sufficit in indiuiduo semper esse certum apud Deum.

10 Ad argumentum autem respondeo primò, in omnium explicatione inueniri aliquam incertitudinem in effectu, seu fructu huius indulgentiæ, vt patet consideranti, nam etiam si dicamus mensurādum esse cum opere laborioso, præscindendo à circumstantijs personæ, cum opus non causet æqualem laborem in omnibus, sed in vno maiorem, & in altero minorem, consequenter in vno maiorem, & efficaciorem esse pœnitentiam, quàm in altero; licèt ieiunium materialiter sit idem; atque adeo non possemus assignare certam mensuram, & æqualem fructum respectu omnium, & sic non vitabitur incertitudo, quam aliqui fugere conantur, idcirco dicimus modum expeditiorem, & rationi congruentiorem illum esse, quem nos attulimus, & quamuis vniuersaliter, & veluti in abstracto fructus huius indulgentiæ sit indeterminatus, hoc nullum erit inconueniens, cū dependeat à varijs circumstantijs, tum intrinsecis ipsi operi laborioso, tum eidem extrinsecis, à quibus in hoc fructu mensurando præscindere non debemus; sufficit enim fructum in particulari apud Deū, semper esse certum; & determinatū, & ideo modus iste à nobis assignatus erit expeditior, & est idem cum secundo modo relato, vt patet discurrēti.

(†)

SECTIO II.

An indulgentia huius clausula extendatur solùm ad pœnitentias iniunctas an verò ad alias.

IN concessione huius indulgentiæ apposita est quædam particula, quæ videtur limitare relaxationem pœnitētiarum, nam dicitur remitti *quindecim annos, totidemque quadragenas* de iniunctis penitentijs; quapropter videtur indulgentia limitari ad solas pœnitentias impositas, & non ad alias, etiam si debitæ sint ab ipso pœnitente; oportet igitur quæsituui hoc expendere, & quid probabilius sit sentiendum in mediū afferre. 11

Omittimus autem in hoc loco quorūdam antiquorum sententiam, quos relicto nomine refert *Cardinalis Delugo disp. 27. de Sacram. pœnit. sect. 2. initio*, hi autem asserebant per indulgentias de facto non remitti pœnam in foro Dei, sed solùm in foro Ecclesiæ, quatenùs, qui indulgētiam lucratur, deobligatur ad implendā pœnitentiam iniunctam; sed opposita sententia, quæ est communis, admitti debet, & est adeo certa, vt *Pater Suarez* cēseat esse de fide; videlicet posse ab Ecclesia talem concedi indulgentiam, vt per eam extra Sacramentum pœnitentiæ remittatur pœna apud Deum; & sic ait *tom. 4. in 3. p. d. 50. sect. 2. n. 2.* nam Apostoli, & alij, qui tamquā Pastores loco Apostolorum succedunt, potestatem receperunt à Christo Domino soluendi quemcumque super terram, & solutus in terris, erit etiam solutus in Cœlis, quod fit per relaxationem pœnæ; nemo igitur dubitare potest in Ecclesia esse potestatem hanc, & de facto ab ipso supremo Pastore applicari hanc potestatem, & ideo dari remissionem pœnarum apud Deum medijs indulgentijs sine errore negari nequit. Supposita autem hac veritate, quæ est indubitata inter catholicos, quærimus; an indulgentia sub forma prædicta; nempè de iniunctis, extendatur etiam ad non iniuncta, & loquimur secundum Ius commune, abstrahendo à verbis, quæ apponuntur in hac Bulla, per quæ, vt videbimus infra in vltima conclusione, tollitur omnis difficultas. Hoc autem præmisso. 12 *Exploditur opinio asserens per indulgentias remitti pœnam solùm in foro Ecclesiæ, & nō in foro Dei.* *Per Indulgētias remittitur pœna coram Deo.*

Prima opinio vult, per has indulgentias relaxari solùm pœnas respondentes pœnitentijs iniunctis. Sic *Caiet. opusc. de indulg. tract. 10. quæst. 1. ver. (& Propterea) Petrus Sotus lect. 2. & apud Suarez d. cit. sect. 3. nu. 2.* sequuntur eamdem opinionē *Durandus, Alensis, Paludanus, Adrianus,* 13 *Aliqui censēt relaxari pœnam respondentem tantū pœnitētijs iniunctis.*

nus, &c. Ratio autem pro hac sententia desumitur ex formula, sub qua indulgentia datur; nempè de iniunctis, ergo non se extendit ad *non iniuncta*; aliter superflua esset additio huius particulæ.

14 *Alia opinio distinguit.* Secunda opinio cum distinctione procedens ait, quando tenor indulgentiæ nõ est limitatus per illam additionem *ad iniunctas*, sed est absolutus, vt cum dicitur concedi tot annos, tũc remissionem pœnæ se extendere ad iniunctas, & non iniunctas iuxta valorem indulgentiæ; at verò quando ponitur restrictio significata per illam particulam (*iniunctas*) tunc indulgentiam non se extendere, nisi ad pœnitentias impositas; & hanc opinionem quamplures tum Theologi, tum Canonistæ tuentur apud *Suarez nu.3 & Henriq. l.7.c.6.nu.3. Nuñus in 3.p.tom.2.quæst.25. a 1.quæst.3.in 4. conclusione*, & nouissimè eam defendit *Cardinalis Delugo disp. 27. cit. Sec. 2. à nu.11.* qui tamen addit *nu* 14. quod licèt hodie non sit in vsu, imponere pœnitentias illas grauissimas, quæ in Sacro iure præscribuntur, cum solùm leuissimæ iniũgãtur: nihilominùs etiam hodie non sunt vanæ; sed vtiles tales indulgentiæ, & suum effectum habere possunt, quia pœnitẽtiæ *de iniunctis* nõ videtur restringi solùm ad pœnitentias re ipsa à Cõfessario impositas, sed extẽdi posse ad pœnitentias, quas, per se loquendo, debuisset Confessarius imponere, & quæ iam per Canones impositę sunt, licèt per accidens ob impotentiam, seu fragilitatem pœnitentis Confessarius noluerit illum ad eas obligare, & sic quamuis eas à Confessario pœnitens non acceperit, poterit, hoc non obstante, per indulgentias liberari ab illo onere radicali, & debito, qnod ex lege habebat subeundi obligationem, & hoc iuxta mensuram correspondentem antiquis Canonibus. Hæc Delugo.

15 *Nõnulli asserunt extensionem absolutè loquendo esse ad omnes pœnitentias.* Tertia opinio vniuersaliter loquens asserit Indulgentias, siuè concessæ sint simpliciter, siue cum illo addito extendi ad omnes pœnitentias, & pœnas peccatis commissis debitas. Sic *Suarez nu. 3. cit. in fine. Aegid. Con. de Indulg. disp. 12. dub. 3. concl. 3.4. Filliuccius tom. 1. tract. 8. cap. 7. n. 192. Candidus in Disquisit. moral. de Confes. sacr. disq. 24. art. 69. dub. 34. Layman in sum lib. 5 tract. 7. cap. 3. §. At vero, & alij.*

16 *Per indulgẽtias concessas sine addito, omnes pœnitentiæ relaxantur.* Dicendum est primò. Quando indulgentia conceditur simpliciter, & siue additione illa, de pœnitentijs iniunctis, relaxantur non solum pœnitentiæ impositæ, & pœna illis respondẽs, verum etiam aliæ debitæ, & non iniunctæ, sed debitæ iuxta quantitatem concessionis. Probatur, quia cum à Põtifice absolutè, & absq; restrictione concedatur, ita pariter à nobis absolutè, & sine restrictione sumi debet, & sine sufficienti fundamento apponitur ab aduersarijs limitatio.

17 *Instantia ex Iure.* Instabis ex quodam Iuris principio *in cap. Licèt de Translat. episc.* videlicèt, quæ generalem habent cõcessionem, esse explicanda iuxta ius cõmune; proindè cum in Iure communi forma, sub qua indulgentia conceditur est cum illo addito; nempè de iniunctis, vt patet *ex cap. Cum ex eo de Pœnit. & Remiss. cap. Romana eod. tit. in 6. & ex Clem. Vnic. de Reliq. & vener. Sanct.* igitur quamuis in aliquo Indulto, aut Breui Apostolico Indulgentia absque tali addito detur; tamen est intelligenda iuxta formam Iuris.

18 Respondeo *in cap Licèt* non haberi expresè cõcessionem generalem esse regulandam, & interpretãdam iuxta Ius commune, sed esto aliquid colligatur ad stabiliendum supradictum principium: tamen in Iure non apparet Decretum, per quod significetur, omnes indulgentias, & præsertim à Summo Pontifice concessas, intelligẽdas esse cum illa additione, seu restrictione, quamuis fateamur, in quibusdam Decretis ex citatis id haberi.

19 *Alia instantia.* Instabis vlteriùs. Indulgentiarum concessio est odiosa, proindè est restringenda etiam si absolutè, quoad verborum sonũ concedatur; esse autem odiosam, sustinetur ab aliquibus, & ducuntur ad hoc, quia eneruant pœnitẽtias, & satisfactiones Sacramentales à Confessario iniunctas, continẽtque dispensationem bonorum omnium scilicèt bonorum spiritualium, quæ in Ecclesiæ thesauro conseruantur.

20 *Soluitur primò.* Respondeo primò. Esto concessio indulgentiarum ob rationem assignatam sit odiosa, & strictè explicanda, quatenùs nõ est amplianda ad casus similes, aut ad actiones, & personas similes; tamẽ stricta hæc explicatio non debet esse talis, vt vi illius addatur aliqua particula restrictiua ipsius concessionis; hoc enim nullo iure fundari poterit, & est contra rationem, vt benè aduertit *Suarez, sectione illa quinta nu.8.* V. G. si tenor indulgentiæ inuoluit plenitudinem, non debet plenitudo ista limitari, quo ad aliqua peccatorum genera, cum ex se, & secundum suam significationem rigorosam denotet extensionem ad remissionem pœnæ cuiuscumque peccati.

21 *Secunda solutio.* Respondeo secundò, negando concessionem hanc esse odiosam, proindeque strictè interpretandam; puto enim esse fauorabilem; atque adeò potius amplè exponendam, iuxta principia à nobis posita *Par. 1. huius Operis* dum ageremus, an priuilegia Cruciatæ sint amplè, an verò pressè declaranda; nam comestio ista non est

in

in præiudicium tertij, sed solius concedentis, quatenus contentus est remittere totum Ius, quod habet, aut partem illius ad iustam vindictam exigendam pro offensis contra ipsum factis; præiudicium autē concedentis nō reddit beneficiū, seu priuilegiū odiosum, vt ibidē probauimus.

22 *Alia instātia ex modo iudicandi Sacramentaliter.*

Iterum instabis. Iudex Ecclesiasticus non iudicat, nisi de ijs, quæ ad suum forū & iudicium sunt delata, ergo dum pœnas remittit, non extendit relaxationem nisi ad pœnitentias Sacramentales, quę ab ipso Confessario, vt Iudice, sunt iniunctæ.

23 *Responsio.*

Respondeo, id verum esse sistendo intra forum Sacramētale, in quo Iudex Ecclesiasticus nequit imponere, aut soluere pœnas, nisi eorum peccatorum, quæ ad ipsum in eodem foro sunt aliquo modo delata; at forum indulgentiarum non est coarctatum ad forum Sacramentale, sed est ab illo diuersum. Vide alias differentias apud *Suarez nu.* 13.

24 *Si cōcessio indulgētiarum habet clausulā restrictiuā, hoc non obstante extenditur ad omnes pœnitentias.*

Dicendum est secundò, Si in concessione indulgentiarum addatur clausula illa de iniunctis, probabiliter sustineri poterit vtraque opinio superiùs relata: nihilominus probabiliorem censeo tertiam, eamque simpliciter, & absolutè amplector. Probatur primò eneruando fundamentum præcipuum aduersariorum, qui suam opinionem defendūt ex forma, sub qua indulgentia conceditur; cum enim dicitur, remitti pœnitentias ex iniunctis, videtur Pontifex coarctare cōcessionem solùm ad pœnitentias iniunctas; hoc autē fundamentum non est firmum, quia clausula illa de iniunctis non stat restrictiuè, sed ampliatiuè, vt communiter docent *Authores citati* pro nostra sententia, & sensus totius propositionis est, remitti pœnitentias etiam iniunctas. Cæterum cum clausula valeat vtroque modo intelligi, nempè & restrictiuè, & ampliatiuè, nobis incumbit ostendere in hac concessione intelligi ampliatiuè, quod ostendimus afferendo alias rationes, quæ conclusionem suadentes confirmāt hoc, quod diximus de intelligētia huius clausulæ, & ideò secundò probatur conclusio à *Suarez, & alijs* ex illo principio *Iuris Canonico in cap. Ex parte 27. de Decimis*, vbi præscribitur regula, quod vbi conceditur maius, minus concessum esse videtur; addit *Suarez*, hoc maximè procedere in his, quæ sunt eiusdem ordinis, & per se ad idē priuilegium, seu potestatem pertinent, vt sunt ea, de quibus nunc agimus.

Clausula de iniunctis non restrictiuè, sed ampliatiuè sumitur.

25 *Responsio Cardinalis Delugo.*

Sed respōdet Delugo in casu nostro locum non habere illud principiū, sicuti si quis dispensetur in voto castitatis, nō ideò censetur dispensatus in ieiunio, quod est quid leuiùs; idcircò regula illa intelligi debet, quādo illud, quod est minus, & annexū, vel inclusum in maiori; & sic dispēsatus ad Sacerdotiū intelligitur dispensatus ad omnes ordines inferiores, qui sunt cōnexi, & inclusi in Sacerdotio; & exēplum, quod affert *Suarez* pro sua sentētia cōfirmāda nō vrget, scilicèt de facultate habita ad absoluendū à reseruatis, quæ intelligitur etiā pro nō reseruatis, impugnat inquā hoc exemplū *Cardinalis Delugo*, quia absolutio à reseruatis necessariò requirit absolutionē à nō reseruatis ob cōnexionē, quam habēt mortalia in ordine ad remissionem, sed in nostro casu nulla est cōnexio inter remissionē ab vno debito, & remissionē ab alio: Præterea ratio cōcessionis non est eadē, nam finis est diuersus, nēpè liberare ab obligatione circa vnū, & nō circa aliud, &c. Hęc ex Cardinali Delugo.

26 *Impugnatur prædicta responsio.*

Sed cōtra vrgere possumus, impugnādo paritatē, quæ ponitur ex vna parte inter dispēsatū in voto castitatis, & nō dispēsatū in voto ieiunij; & ex alia parte inter remissionē pœnitētiæ iniūctæ, & nō iniūctæ: est enim manifesta disparitas, quā sic ostēdo. Si enim res benè cōsideretur, videbitur in remissione pœnitentiarū extrema, vel esse eadem, vel saltem in eodē genere nēpe in ratione satisfactionis debitæ pro peccatis, & solùm differre per qualitatem aliquā extrinsecùs aduenietem, videlicèt per impositionē factā à Confessario, & per negationem eiusdē impositionis; impositio autē ista, est quid extrinsecum obligationi pœnitētiæ, & reddit illā sic modificatā, & qualificatā, vt sit difficilioris dispēsationis; difficiliùs enim relaxatur pœnitentia Sacramētalis, quàm nō Sacramētalis; igitur remissio ad id, quod in hoc genere est supremū, & reliquis difficiliùs cōtinet remissionē alterius, quod est in eodē genere, minus difficilè; habemus autem plura similia exēpla in fauorē nostræ sentētiæ, sed satis erit vnū, aut alterū in mediū affere. V. G. vota iurata cōparātur ad nō iurata, tāquā vīcula qualificata, & difficilioris relaxationis, ad vincula eiusdē generis nō qualificata; & nō ita difficilis dispēsationis, & ideò si quis potestatē habet dispēsandi in votis iuratis, habebit etiā facultatē ad dispēsādū in votis nō iuratis; & si casu eueniret, quod quis ex vi prædictæ potestatis putās vota esse iurata, dispenset in illis, si re vera nō sint iurata, validā esse dispēsationē hāc nemo dubitat, quia eius efficacia cū potuerit destruere votum firmatum iuramēto, & difficilioris solutionis, multò magis poterit destruere votū non ita firmatum, quale est illud, quod caret coniunctione iuramenti.

Afferuntur exempla in confirmationem nostræ sententiæ.

Aliud exēplū simile erit de impedimētis dirimētibus matrimoniū, quæ dū sunt 27

coniűcta difficiliorẽ reddűt dispẽsationẽ quàm dũ sűt separata; sed facultas cõcessa à Pontifice ad dispensandum in his impedimentis coniunctis extẽditur ad eadem non coniuncta; sicuti etiam actualis dispensatio ad impedimenta, quæ putatiuè sunt coniuncta, erit valida, si vnum tantũ ex illis inueniat impedimentum; sic discurrere possumus in casu nostro; nam sicuti remissio pœnitentiarum iniũctarum erit difficilior, quàm sit remissio, non iniunctarum; ita facultas remittendi iniũctas erit efficacior, quàm sit facultas remittendi non iniunctas; & ideò illa ad has se extendit, imò eam includit, at non ita se habent illa duo vota castitatis, & ieiunij; tum quia communiter ex praxi habemus, potestatem concessam ad dispensãdum in vno voto, vt sic, sicuti, & actualis dispensatio, vt tendens in tale votum non inuoluit aliquam qualificationem, ratione cuius possit se extendere ad aliud votũ æquale, aut minus æquale, quoniam votũ ad quod tendit; non est qualificatũ, sicuti est qualificata remissio tendens ad pœnitentias iniunctas ratione præcepti sacramentalis; atque adeò ratione huius qualificationis, cum fiat efficacior, poterit se extendere ad pœnitentias non qualificatas, ad quas remittendas requiritur mi-

28 nor efficacia.

Ex his autem patet responsio ad instãtiam, quam in contrarium ipse Delugo contra doctrinã Suarij, & nostrã obiecit.

29 Illud autem principium, seu regula, videlicèt, vbi conceditur maius, &c. quamuis, vt verum fatear, debeat intelligi de his, quæ connexionem habent: attamen non oportet, ita se habere, vt vnum includatur in alio, cum sufficiat inter vtrũque esse identitatem rationis, aut saltem talem similitudinem, vt æquiparentur in ea ratione, quæ mouit Principem ad disponendum de vno, sub qua dispositione intelligitur, & aliud comprehensum, vt patet allatis exemplis, & multis alijs similibus, quæ adduci possent, de quibus in materia de legibus fusè tractant Doctores explicantes, quo pacto lex, aut priuilegiũ sit interpretandum. Exemplũ verò, quod pro se affert *Pater Suarez* de facultate absoluendi à reseruatis; sub qua continetur potestas remittendi non reseruata, pati potest calumniam, *& à Cardinali Delugo* efficaciter impugnatur, quia absolutio à nõ reseruatis est necessaria ad hoc, vt pœnitens absoluatur à reseruatis, ne Confessio Sacramẽtalis absque rationabili caussa dimidietur; at non ita se habet remissio pœnitentiarum iniunctarum respectu nõ iniunctarum; illæ enim relaxari possunt absque eo, quod istæ remittantur, cum nulla inter ipsas pœnitẽtias, & earum remissiones sit connexio: quapropter relinquendo exemplum istud, quod noluimus in præsentia defendere, satis nobis sunt exempla adducta, & in quo sensu faueat nobis regula illa *Vbi conceditur maius, &c.*

Illud principium vbi cõceditur maius &c. declaratur.

Sufficit identitas rationis aut saltẽ equiualens similitudo.

Non ita se habet remissio iniunctarũ sicuti remissio reseruatorũ respectu non reseruatorum.

Tertiò probari potest conclusio, quia adiectio ista apponitur in fauorem ipsius priuilegiati, proindè non debet concessio excludere remissionem aliarum pœnitẽtiarum; aliter sæpe contingeret, vt priuilegiatus adimpleta pœnitentia imposita à Confessario non posset cõsequi remissionem pœnæ debitæ alijs peccatis, pro quibus non fuit iniuncta pœnitentia, & sic lucrando indulgentiam, nullum fructum ex illa consequeretur ex defectu materiæ, inquantum scilicèt indulgentia nullam inuenit pœnitentiam iniunctam, quod non videtur admittendum, quia cum per pœnitentiam adimpletam pœnitens fiat dignior, non videtur propter hoc priuandus fructu indulgentiæ, si habeat reatum pœnæ luendæ ob peccata commissa. 30

Additio iniunctarum pœnitentiarum ... sentis.

Quartò, nullùm apparet rationabile fũdamentum, cur Pontifex voluerit concedere relaxationem pœnitentiæ iniunctæ in Sacramento, & non concedere remissionem pœnitentiarum, de quibus nõ est præceptum datum à Confessario in foro Sacramenti. 31

Probatur ex congruentijs.

Ex his, & alijs similibus congruentijs, quas fusè exagitat *Suarez* apparet probabiliùs esse, clausulam illam de iniunctis, sumẽdam esse ampliatiuè, & non restrictiuè; & hæc secundum Ius commune, ex quibus patet responsio ad contraria fundamenta, quæ desumpta sunt ex formula, seu tenore concessionis. Cæterum remanet, vt decidamus controuersiam in terminis nostræ Bullæ, 32

Clausula de iniunctis ampliatiuè, & non restrictiuè sumitur.

Dicendum est tertiò, Indulgentiam quindecim annorum, & totidem quadragenarum esse de pœnitẽtijs siuè iniunctis, siuè non iniunctis. Conclusio ista sistendo in doctrina superiùs à nobis recepta, est probabilior ob rationes assignatas, at absolutè loquendo, spectatis verbis, quæ habentur in hoc paragrapho, res est indubitata, quia non solùm remittuntur pœnitentiæ iniũctæ, verùm etiam aliæ quomolibet debitæ; sic enim dicitur (*Dicto anno durante, quindecim anni, & totidem quadragena de iniũctis eis, & quomodolibet debitis pænitentijs misericorditer in Domino relaxantur, &c.*) quapropter etiam si daremus clausulam illam de iniunctis intelligendam esse restrictiuè: nihilominus indulgtiaẽ huius Bullę nõ restringeretur ad iniuncta tantùm, sed vlteriùs ad alia quomodolibet debita extenditur. 33

Indulgentia ista extenditur ad iniunctas, & non iniunctas pœnitentias.

SEC-

SECTIO III.

An Pœnitens lucrando indulgentiam huius Bullæ possit omittere pœnitentiam Sacramentalem à Confessario sibi impositam.

34 *Refertur opinio Suarez negãs remissã pœnitẽtiã.* EXistimauit *Pater Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 38. sec. 10. n. 10. in fine*, his temporibus, spectato modo, quo pœnitentiæ imponi solent rarò, vel nunquam licitum esse omittere pœnitentias impositas ob indulgentiam, quia pœnitentiæ, quæ imponuntur sunt leuissimæ, & ideo vix sufficiunt per modum medicinæ. Hanc autẽ conclusionẽ ipse deduxit ex doctrina immediatè antea ab ipsomet tradita; postquam enim sequens S. Thomæ, S. Bonauenturæ, & plurimorum Scholasticorum sententiam, dixerat posse à Superiore habente potestatem concedendi indulgentiam, per illam remitti pœnitentiam; postea verò subdiderat hoc esse intelligendum de pœnitẽtia imposita, quatenus est satisfactoria, non autem quatenus medicinalis, quia indulgentia non datur in destructionem, sed in ædificationem animæ; tollere autem medicinam curatiuã peccati esset in magnum animarum detrimẽtum; neque concedentis intentionem esse hanc; neq; ad hoc habere potestatem, sed solùm ad remittendã vindictã; nẽpè satisfactionem; postquam inquã *Suarez* hæc dixerat, statim posuit conclusionem relatã, videlicet nunquam, vel rarò ob indulgẽtiam omitti debere pœnitẽtiam à Confessario iniunctam.

35 *Oppositum tenetur De Lugo.* At *Cardinalis Delugo de Sacramẽto pœnitentiæ disp. 27. sec. 2. num. 22.* ait, esse communem sententiam, tum antiquorum, tum recentiorum, Pœnitentem liberari per indulgentiam ab obligatione pœnitentiæ, & laudat quamplures & graues Authores; probat autem hanc opinionẽ primò *ex cap. Cũ ex eo de Pœnit. & Remiss.* vbi *in fine illius capitis Summus Pontifex* inquit, per indiscretas, & superfluas indulgentias satisfactiones Sacramentales eneruari, Igitur per indulgentiã tollitur obligatio adimplendi pœnitentiã; aliàs si maneret obligatio etiam in ratione medicinæ, nihil prorsus eneruaretur de satisfactione. Secundò probat ex eo, *quod Glos. in extrauag. Antiquorum de Pœnit. & Remiss.* longè post medium refert *Põtificẽ* declarasse anno Iubilei à Pœnitentiarijs, non debere imponi alia onera pœnitentibus, præterea, quæ in Iubileo illo erant præscripta, ne indulgentia frustraretur; signum igitur est, Pontificem existimasse acquisita indulgentia, aliam pœnitẽtiam non esse imponendam. Tertio probat à priori, quia pœnitentia à Confessario imponitur, vt pœnitẽs pro suis peccatis Deo satisfaciat, sed cum per indulgentiam tollatur debitum totius pœnæ, cessat fundamentum illius obligationis, & per consequens desinit obligatio ad pœnitentiam exequendam. Et si contra hanc doctrinã respondeatur, pœnitentiam imponi non solùm in satisfactionem, verum etiam in medicinam, & remedium, vt pœnitens præcaueat peccatũ, vt colligitur *ex Tridentino Sess. 14. cap* 8. proindè quamuis per indulgentiam cesset pœnitentia iniuncta, quatenùs satisfactio, non cessat quatenus medicina; si inquam, aliquis ita vrgeat, respondet *Delugo*, verum esse, pœnitentiã frequenter imponi, vt medicinã; at Confessarius non potest obligare ad illam, nisi quatenùs est satisfactio, & vindicta; sicuti Iudex licèt curare debeat, vt pœna, quam delinquenti imponit, sit non solùm in vindictã, sed etiam in medicinã, nõ tamẽ posset exequi illã etiam in medicinã, si Princeps supremus eã remitteret delinquẽti; ita Sacerdos cũ sit simul Iudex, & Medicus, debet iniungere pœnitentiam pro peccatis, vt satisfactionem, & medicinam; at si pœna condonetur nequit obligare ad medicinam, quia Medicus, vt Medicus non obligat, sed consulit, intelligendo tamen de medicina, quæ nõ sit simpliciter necessaria ad peccata in posterum vitanda. Hæc, & multa alia fusè docet *Cardinalis Delugo* interpretando *Concilium* iuxta datã doctrinam, & soluẽdo nonnullas contrarias instantias minoris momenti, apud quem legi possunt.

36 Pro solutione autem huius difficultatis duo sunt à nobis præstanda. primò declarare quid propriè sit esse pœnitentiã medicinalem, quæ per indulgentiam dicitur non tolli. secundò controuersiam hanc, & speculatiuè, & practicè definire. His præmissis.

37 *Pœnitentia medicinalis est in duplici differentia.* Dicendum est primò, Pœnitẽtiam medicinalem bifariam sumi posse, videlicèt, in quantùm primò, & per se, seu directè tendit ad præseruãdum hominem à peccato, vt est e. g. ablatio occasionis proximæ ad lapsum, restitutio alieni, depositio odij contra aliquẽ, & similia, ad quæ pœnitens tenetur, & Confessarius debet eadem illi imponere. Aliod genus pœnitentiæ dicitur secundariò medicinalis, quia primò, & per se intenditur vt satisfactio, & consequenter, vt præseruatiua; & talia sunt multa opera bona, vt ieiunium, per quod homo macerando carnem satisfacit, erogatio eleemosynæ ad reprimendam auaritiam, orationes, frequentia Sacramẽtorũ ad amorẽ terrenarũ extirpãdum, &c. in impositione autẽ harũ pœni-

tentiarum, quod primariò intenditur, est satisfacere Deo pro peccatis commissis; secundariò verò, est, præseruare hominem à peccatis; dum autem authores dicunt per indulgentiam non remitti pœnitentias medicinales; id est intelligendũ de medicinalibus primi generis; quia pœnitens cum sub obligatione graui teneatur pœnitentias illas exequi, indulgẽtia non tollit ab illo hãc obligationẽ; quia etiam acquisitis indulgentijs tenetur ad illa præstanda; at non est intelligendum de pœnitentijs medicinalibus secundi generis, & hoc pacto explicat hoc duplex genus pœnitentiæ medicinalis *Ludouicus Beia in responsionibus casuum conscientiæ par. 1. cas. 38. §. Non etiam officit, & sequentibus;* & similiter *Vincentius Candidus disquis. 24. dub. 35.* Et ratio est manifesta; quia si per pœnitentiam medicinalem, quæ non tollitur per cõsequutionem indulgẽtiarum intelligeretur omne illud, quod aliquo modo influit, & iuuat ad moderãdas passiones, nulla daretur pœnitentia, quæ remitti possit per indulgẽtias; quia quælibet esset medicinalis in sensu explicato; nam quælibet suo modo confert ad passiones mitigandas, & sic malè dicerẽt authores per Iubileum, aut per indulgentiam tolli; nec quicquam valet, si dicas tolli, vt satisfactionem, non autem vt medicinam; quia formalitas ista est quædam conceptibilitas inseparabilis ab actione satisfactoria, & ideo in te semper maneret obligatio ad pœnitentiã iniunctam, & nihil proficeret pœnitenti, illam adimplere sub vna tantùm, & non sub vtraque formalitate.

Pœnitentia medicinalis simpliciter necessaria tollitur per indulgentiam.

38 Dicendum est secundò, opinionem, quæ asserit per indulgentiam eximi priuilegiatum ab obligatione adimplendi pœnitentiam à Confessario sacramentaliter iniunctam, speculatiuè esse probabiliorem, quàm sit opposita; vt efficaciter probant rationes adductæ à *Cardinale Delugo*; si enim indulgentiæ non haberent hanc vim, non potuisset *Innocentius III. in cap. illo. Cum ex eo.* dicere per indiscretas indulgentias eneruari satisfactiones Sacramentales. Præterea ipsa ratio hoc efficaciter ostendit, nam cum certũ sit per indulgentiam remitti pœnam temporalem, quam homo post hanc vitam in Purgatorio est passurus, pœnitentiam iniuncta, quæ primò, & per se imponitur ad satisfaciẽdũ pro illa pœna, cessare omnino oportet; quia homo nihil ampliùs in satisfactionem præstare debet, cum iã lucrando indulgentiam satisfecerit; cessante enim fine, cessant ea, quæ sunt ad finem. Conclusio autem ista intelligitur de indulgentia illa, quæ est proportionata ad tollendam pœnitentiam iniũctam; idcirco si est plenissima, aut plena extinguit obligationem ad omnem pœnitentiam satisfactoriam; si verò est partialis, vt est ea, quæ datur per vnum annum, vel per duos, aut septem annos, &c. tollit pœnitentiam iniunctam à Confessario exequẽdam pro æquali tempore & non vltra v.g. si Confessarius imposuit pœnitenti ieiunium faciendum singulis ferijs sextis per annum, aut per duos annos, &c, & indulgentia concedatur ad tollenda iniuncta per biennium, tunc indulgentia ista obtenta erit sufficiens ad liberandum pœnitentem ab obligatione ieiunandi per duos annos; at si ieiunium v.g. erit per septennium, tunc indulgentia ista biennalis, non erit sufficiens ad eximendum pœnitentem à tota pœnitentia imposita, sed solùm à parte, detrahendo duos tantùm annos ex septem iniunctis.

Opinio secunda speculatiuè probabilior.

Indulgentia debet esse proportionata, vt tollat pœnitentiam iniunctam.

39 Dices si esset vera ista sententia, secundùm quam asserimus, annos pœnitentiales respondere annis, pro quibus indulgentia conceditur, sequeretur interdum minoris efficaciæ esse indulgentiam concessam per plures annos, quàm concessã per pauciores; hoc autem videtur absurdum; quia illa cum ad plures annos pœnitentiales se extẽdat, erit perfectior, atque adeo nobilior, ergo, &c. Sequela autem ostenditur. Ponamus ex vna parte, quod Confessarius iniungat pœnitenti ieiunium per annũ ter in hebdomada, & etiã rosariũ quotidie recitandum, confessionem, & communionem menstruam, &c; & postea pœnitens acquirat indulgentiam de iniunctis per annum, iuxta ea, quæ diximus, pænitens liberabitur ab exequendis his pœnitentijs iniunctis; Ex alia verò parte ponamus, quod Confessarius iniungat ieiunium dumtaxat per biennium, & pœnitens, cui tale ieiuniũ fuit iniunctum, lucretur indulgentiam per duos annos, aut plures, in hoc autem vltimo casu pœnitentia vnius ieiunij in qualibet hebdomada per biennium est longè minor, quàm sit pœnitentia in primo casu duratura per annum, vt patet consideranti; nam pœnitentia biennalis continet quinquaginta duo ieiunia, annalis verò centum quinquaginta sex, vltra alia opera iniuncta, hoc tamen non obstante, indulgentia data pro iniunctis in biennio, cum sit biennalis, erit perfectior, & tamen remittendo minùs perfectum caussabit effectum, & sic erit de facto minoris efficaciæ, quod erat probandum.

Obiectio et incommodum.

Ref.

40 *Responsio.*

Respondeo distinguendo consequens maioris, sequeretur interdum minoris efficaciæ esse indulgētiam per plures annos, &c. ex defectu sui, nego; ex defectu materiæ concedo, & nego esse absurdum. Declaratur distinctio, & ideo notandum est, in indulgentia V.G. biennali, quantum est ex se inueniri efficaciam ad tollendas omnes illas pœnitentias, quas inuenit impositas per biennium siuè leues, siuè graues, siuè paucas, siuè plures; & si interdum pœnitentiæ iniunctæ sunt leues, & paucæ, id erit per accidens respectu efficaciæ, quam habet remissio: quapropter licèt effectus in actu secundo huius remissionis, quandoque sit minùs perfectus, effectu caussato per remissionem vnius anni, hoc, vt dixi, erit per accidens ex eo, quod non inueniat plures, aut grauiores pœnitentias impositas.

Indulgentia quantùm est ex se vim habet tollēdi pœnitentias impositas.

41 *Rarò euenit, vt pœnitens in praxi possit omittere pœnitentiam, ratione indulgentiæ.*

Dicēdum est tertio, In praxi nunquā, aut rarò euenit, vt pœnitens possit non adimplere pœnitentiam Sacramentalē à Confessario impositam, & ita sentit *Valentia in 3. p. tom. 4. disp. 7. quæst. 20. p. 3. §. Sunt autem circa hanc, &c. Nuñus in 3. p. tom. 2. q. 25. a. 1. quæsit. 3. in 4. conclusione. §. Ad quod possemus 1. Candidus ar. cit. dub. 36. concl. 47.* qui id probant ex eo, quod aliàs truncaretur Sacramentum pœnitētiæ, tollendo ab illo partem integralem, qualis est satisfactio, vt declaratum est in *Concilio Tridentino sess. 14. de pænit. cap. 3.* Rursus probant; quia praxis est in oppositum, secundùm quàm videmus etiam in Iubileis plenissimis à Confessario imponi aliquam pœnitentiam ipsis pœnitētibus. Tertiò; quia nemo est certus se consequutum fuisse effectum indulgētiæ, tenetur igitur pœnitens ob hanc incertitudinem acceptare pœnitentiam, eamque adimplere, vt se liberet à reatu pœnæ. Sic probant Authores prædicti hanc sententiam; sed postea *Candidus in conclusione subsequente* docet esse satis probabile, posse pœnitentem, adueniente indulgentia se eximere ab onere adimplendi pœnitentiam impositam, & ab ipsomet acceptatam, quatenus opus præscriptum in cōcessione indulgentiæ subrogatur loco pœnitentiæ iniunctæ. Et id confirmat ex *cap. Cum ex eo, &c. de quo supra, & in alia conclusione*, quæ est 49. assignat ea, quæ requiruntur ad hoc, vt pœnitens tuta conscientia valeat pœnitentiam omittere per consequutionē indulgentiæ; & ideo inquit sufficere non constare sibi de inualiditate confessionis, & bona fide credere fuisse validam; præterea credere se fuisse in gratia tempore, quo debebat obtinere effectum indulgētiæ; demum respondet, Sacramentum effici integrū, quatenus opus illud, quod præcipitur in indulgētia, habet locū pœnitētiæ iniūctæ, & pro hac sentētia laudat *Nuñum*, qui probabilem existimat hanc opinionem, & etiam laudat *Beiam loco citato*. Cæterum pro nostra conclusione firmanda, nō inuenio efficaciorem rationem ea, quam 3. *& vltimo loco* retulimus; incertitudo enim illa facit, vt practicè pœnitens non debeat omittere pœnitētiam iniunctam; nam ratio illa de mutilatione Sacramenti non multùm vrget; quia, vt aduertit *Suarez disp. illa 50. sect. 3. n. 7. & Delugo sec. 2. cit. n. 27.* Sacramētū pœnitentiæ non postulat hanc integritatem satisfactionis; nisi in ordine ad hunc effectum satisfaciendi pro pœna debita; & ideo si per consequutionem indulgentiæ nihil ampliùs debetur omittēdo pœnitentiam iniunctam, non erit contra reuerentiam ipsi Sacramento debitam; & addo Sacramentum non esse mutilū, quia opus iniunctum in ipsa indulgentia aliquo modo substituitur loco pœnitentiæ impositæ à Confessario. Maneat igitur, rationem efficaciorem desumendā esse ex incertitudine illa superiùs dicta, in qua etiam fundatur praxis fidelium, qui recipiunt Sacramentales pœnitētias, & Confessarij debent illas iniungere, quamuis tempore Iubilei, aut plenissimæ indulgentiæ sint imponēdæ leuiores pœnitentiæ.

42 *Soluitur prima ratio in contrarium.*

Ad primam autem rationem contrariæ sententiæ, quam sustinent *Delugo, & alij*, respondeo, & quod attinet ad *textum illum Canonicum in cap. Cum ex eo*, in quo rectè dicitur, per indiscretas, & superfluas indulgētias satisfactiones Sacramentales eneruari, aio, ideo à Pontifice id dictum fuisse, quia multi negligentiores fiunt, occasionem sumentes ex indulgentijs, quas lucrantur; proinde, vel negligunt pœnitentiam iniunctam, vel leuissimam pœnitentiam ob peccata cōmissa sibi imponendam curant.

43 *Diluitur secunda ratio.*

Ad secundam *ex Glossa* respondeo, nobis non constare de illa declaratione; Rursus dico, per declarationem illam, vt refertur *à Glossa*, Pōtificem non declarasse absoluiè à suis Pœnitentiarijs non esse imponendam pœnitentiam tempore Iubilei, sed esse iniungendum in satisfactionem illud ipsum opus, quod præscriptum fuit in ipso diplomate, ne pœnitentes nimium grauati, opera Iubilei non adimplentes, fructum indulgentiæ perdant; hoc autem non est contra nos; quia non asserimus opera Iubilei nō posse in satisfactionem Sacramentalem iniungi, sed quod volumus est, debere pœnitentes non omittere pœnitentiam in-

iunc-

iunctam à Confessario, & ab ipsis acceptatam intuitu superuenientis indulgētiæ, & hoc ob incertitudinem cōsequutionis: quando autē opera in Iubileo præscripta à Confessario imponuntur in satisfactionem Sacramentalem; tunc etiam si pœnitens Iubileum non lucraretur ratione alicuius defectus, aut impedimenti adimplendo opera illa iniuncta, satisfaceret præcepto Confessarij.

44 *Responsio ad tertiam ratione.* Ad tertiam iam dixi non esse certum pœnitentem de consequutione Iubilei; proinde non esse deobligandum ab onere pœnitentiæ iniunctæ: si tamen poneretur certitudo, tunc non teneretur illam adimplere.

SECTIO IV.

Vtrum vi harum indulgentiarum relaxentur pœnæ pro aliquo delicto à Iudice Ecclesiastico imposita.

45 POnamus casum, vt clariùs difficultas appareat. Titius Sacerdos aliquod patrauit delictum, per quod Episcopus, aut Ecclesiasticus Iudex in vindictam suspendit illum, vel à Diuinis, vel ab excipiendis fidelium confessionibus, aut à beneficio, &c. & hoc per annum, seu ad beneplacitum ipsius Iudicis, quærimus an virtute Cruciatæ possit Titius remissionem huius pœnitentiæ obtinere, & idē inuestigare possumus de illis pœnis, quæ à sacra Pœnitentiaria, vel ab ipsomet Summo Pontifice in dispensationibus imponi consueuerunt.

46 *Ratio dubitādi pro parte affirmatiua.* Ratio autem pro parte affirmatiua videtur esse; quia in hoc diplomate vniuersaliter conceditur remissio de pœnitentijs non solùm iniunctis, sed etiā quomodolibet debitis; proinde sub hac vniuersali concessione comprehendi videntur pœnitentiæ, de quibus procedit quæsitum. De re hac paucis ab hinc diebus consultus fui à quodam Religioso nostræ Societatis, casu eueniente in quadam Diœcesi huius Regni, vbi statutum ab Episcopo erat Edictum contra Confessarios sollicitantes, ne exciperent confessiones illarum mulierum, quæ fuerant illius delicti complices, & hoc sub pœna suspensionis ab officio Confessarij; petebat autem Sacerdos ille nostræ Societatis, an virtute Cruciatæ potuisset Confessarius absolui à tali pœna iniuncta; atque adeo validè, & licitè confessiones fideliū excipere, non obstante pœna per statutū imposita.

47 *Pars negatiua admittitur.* Dicendum est, priuilegium huius Bullæ, quod in præsentia examinamus, non extendi ad remittendas pœnas, seu pœnitentias istas, & ita respondi ad Religiosum illum; quia sub hoc priuilegio comprehenduntur solùm pœnitentiæ, per quas priuilegiatus Deo pro peccatis cōmissis satisfacere debet, non autem pœnæ, quæ concernunt forum externum, & non sunt per modum censuræ, sed dumtaxat per modum solius pœnæ in vindictam, seu punitionem delicti commissi. Probatur, quia aliter deberent per Bullam hanc remitti pœnæ corporales, vt detentio in carceribus, fustigationes, exilia, pœnæ pecuniariæ, &c. quod nemo dixit, & hoc foret valdè inconueniens; quia daretur occasio patrandi quamplurima delicta; nam Delinquentes spe fugiēdi pœnam delicta committerent, & sic etiam vnum forū perturbaretur ab alio, in quantùm sententia vnius Iudicis infligentis pœnam irrita redderetur per absolutionem vi Cruciatæ; maneat igitur tanquam certum, pœnitentias iniunctas, quæ relaxantur per hanc indulgentiam, solùm esse eas, per quas Deo satisfacere debemus in foro conscientiæ.

CAPVT II.

De Bonorum Operum Participatione.

IN secunda parte huius decimitertij paragraphi post concessionem indulgentiarum, prosequitur Pontifex ad elargiendā bonorum operū communicationem, eamq; sub his verbis declarat (*Et insuper omnium precum, eleemosynarum, peregrinationum, etiam Hierosolymitanæ, & aliorum bonorum operum, quæ in vniuersali militanti Ecclesia, & singulis eius membris fiunt, participes redduntur.*) 1

SECTIO I.

In quo prædicta communicatio consistat.

PRo intelligētia huius gratiæ supponimus vt de fide certū, inter iustos esse cōmunicationem bonorum operum, vt dicitur *in Symbolo, Credo Sanctorum communionem,* & *in psal.* 118. Propheta loquēs cum Deo ait; *Particeps ego sum omnium timentium te,* quæ verba secundum communiorem, & magis litteralem interpretationem intelliguntur de iustis timentibus Deum, qui vinculo charitatis cōiuncti, mutuam habent communicationem in operibus bonis, quæ ab ipsis fiunt, & hæc est illa Societas, de qua *S. Ioannes in sua prima Canonica cap. 1.* inquit (*vt, & vos* 2 *Inter iustos esse talem communicationem de fide.*

vos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum Patre, & cum Filio eius Iesu Christo) hæc autem societas sita est in communione Sanctorum, vt exponit *Cathechismus Pij V.* Hæc verò Sanctorũ communio est ratione fidei iu Deum, & Christum Dominum, in Sacramentorum perceptione, quæ omnibus fidelibus sunt communia, & quæ Deo, & Christo nos coniungunt tamquam membra viua cũ suo capite, & demum in bonis operibus, quæ à iustis in hac vita exercentur, nam charitas facit omnia communia, & ideo *S. Ambrosius in expositione illius versiculi, Particeps ego sum, &c.* ait *(sicut membrum particeps esse dicimus totius corporis, sic cõiunctum omnibus timentibus Deum)* per hanc autem communionem non solùm intelligimus influxum, quo Christus Dominus tanquam caput iu sua membra iugiter influit, vt loquitur *Tridentinum sess.6. cap.16.* & communicationem Sacramentorum, verùm etiam participationẽ bonorum operum, quæ consistit in eo, quod quilibet iustus applicare possit sua opera bona iu satisfactionem pro alijs, & rursus consistit in ratione impetrationis, & meriti de congruo ad obtinendum aliquod donum siuè supernaturale, siuè naturale. Vide *Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 48. per totam, & disp. 51. sect. 2. & alios* de hac re tractantes. His præmissis quærimus, an Pontifex per hoc priuilegium concedat aliquid vltra ius commune, & ratio dubitandi sumitur; quia etiam priuilegio isto secluso, omnes iusti prædicta communicatione fruuntur, vt explicatur in Symbolo.

3 *Nihil per hoc priuilegium concedi supra ius commune putãt aliqui.*

Fuit sententia *Henriquez lib. 7. cap. 30. num. 1. lit. D.* huius partiticipationis priuilegium nihil supra ius commune concedere, quod asserunt quidam *alij Recentiores apud Ludouicum à Cruce in exposit. Bullæ disp. 1. cap. 8. dub. 15. nu. 11.* dum voluerunt à Summo Pontifice in Bulla concedi prædictam participationem, vt nouo titulo assequendam.

4 *Alij asserunt aliquid concedi.*

Alij verò asserunt per hanc Bullam aliquid à Pontifice concessum esse supra ius commune circa hanc participationem. Sic *Ludouicus à Cruce dub. cit. n. 14. Trullench. in explicatione eiusdem Bullæ lib. 1. §. 5. n. 3. & seq.*

5 *Participatio ista nõ est indulgentia.*

Dicendum est primò, concessionem huius participationis, non esse indulgentiam. Ita *Ludouicus à Cruce dub. cit. nu. 9. Corduba lib. 5. de indulg. quæst. 3. §. Dicitur, & quæst. 42. à puncto 4. Suarez tom. cit. disp. 55. sec. 5. n. 2. & seq.* & ratio est; quia indulgentiæ sunt de communi Ecclesiæ thesauro, in quo est cumulus meritorum, seu satisfactionum superabundantium Chisti, & Sanctorum; at concessio ista est de satisfactionibus iustorum, quæ nũquam in thesauro Ecclesiæ repositæ fuerunt, ergo propriè loquendo non est indulgentia; alias differentias inter hanc concessionem, & indulgẽtiam vide apud laudatos authores.

6 *Per hanc cõmunicationẽ aliquid speciale conceditur.*

Dicendum est secundo. Per hanc cõmunicationem aliquod speciale conceditur à Pontifice. Vt autem conclusio hæc meliùs intelligatur, supponendum est applicationem bonorum operum, quæ fiunt ab vno in vtilitatem alterius esse duplicem; nam alia est per modum satisfactionis; alia verò per modum meriti, & impetrationis; illa est quædam solutio æquiualẽs ad totam pœnam, vel ad partem, & semper requirit specialem intentionem, ista verò consistit in quadam dignitate personæ operantis, quæ mediatè opere bono impetrat alteri aliquod donum, seu præmium, & non semper postulat specialem intentionem. Rursus est aliud discrimen, nam applicatio per viam satisfactionis habet latitudinem; quia potest esse maior, & minor iuxta minorem, aut maiorem numerum participantium; at explicatio per viam meriti non habet neque incrementum, neque decrementum in ordine ad numerum participantium, cum fundetur in dignitate operis, seu personæ operantis, quæ neque crescit ob minorem numerum eorum, quibus impetratur donum, neq; decrescit ob maiorem eorumdem numerum. Vtraque autem applicatio potest esse generalis, & specialis; illa fundatur in vinculo fidei, & charitatis, qua homines iusti mutuo vniuntur sub vno capite, ista verò fit à personis particularibus, vel ab earum Superiore, qui communitati præest vt sunt Generales Religionum, Prouinciales, alijq; Superiores, & totius Ecclesiæ Summus Pontifex.

Applicatio bonorũ operũ est duplex.

7 *Si bonũ opus dum fit non applicatur, ponitur in thesauro.*

Præterea supponendum est, quod homo fidelis in charitate manens, nisi applicet sua opera bona dum fiunt statim reponũtur in thesauro communi Ecclesiæ. Personæ autem particulares nequeũt thesaurizare; proinde transacto opere, & non applicato, non possunt ampliùs illud applicare, cum iam sit repositum in thesauro communi; supra quem solus Papa ius habet illum distribuendi, vt rectè probat *Corduba lib. 5. de indulg. cap. 42. vers. Octauum dictum. Lauorius de indul. par. 2. cap. 4. n. 17. 18. Suarez tom. 4. cit. disp. 55. sect. 5. n. 4. & 5.* apud quem videri possunt huius rei rationes. His omnibus præmissis pro intelligentia huius conclusionis aio, per hanc Bullam aliquod speciale beneficium concessum esse fidelibus

nam

nam eam sumentes, & exhibentes opera iniuncta fiunt speciali modo participes omnium satisfactionum, quæ exercentur à iustis, & sunt superabundantes; nempe non necessariæ ipsis operantibus ad satisfaciendum, & non sunt applicatæ; neque in thesauro Ecclesiæ adhuc repositæ; & ideo satisfactiones istæ sunt vel illæ, quæ actu fiunt in eo momento, quo Priuilegiatus per Bullam præstat opera; vel sunt postea faciendæ, & non applicandæ, durante anno eiusdem Bullæ. Rursus speciali etiam modo merentur aliquod donum siue ordinis supernaturalis, siue naturalis mediante impetratione aliorum iustorum de congruo merentium alteri tale donum, V. G. vt aliquis conferuetur in gratia; at si ille, qui debet esse particeps, non est in gratia, poterit ex Diuina liberalitate per meritum de congruo proueniente ex bonis operibus iustorum obtinere à Deo gratiam, vt conuertatur, vel obtinere aliquod aliud bonum temporale, &c. & sic per hoc priuilegium aliquod speciale supra ius commune conceditur. Probatur autem conclusio; quia ex vna parte quantùm fieri potest, priuilegium debet ita explicari, vt aliquod supra Ius conferat: ex alia verò parte nequit assignari alius modus isto aptior, & probabilior; quicumque enim alius vel nihil ponit supra generalem illam communicationem, quam iusti inuicem habent, vel non erit sufficiens ad explicandum intentum; igitur modus iste à nobis assignatus est admittendus.

Probatur aliquod speciale concedi.

8 Quæres primò, quanta sit huius participationis taxa. Respondeo à nobis determinatè sciri non posse, sed à solo Deo est præscripta, & cognita.

Quæsitum primum.

9 Quæres secundò, cur Pontifex loquendo de communicatione boni operis, quod consistit in peregrinatione, specialem faciat mentionem de peregrinatione Hierosolymitana? Respondeo, quia inter omnes peregrinationes, maxima est Hierosolymitana, vt infra in tractatu de commutatione votorum adnotabimus.

Quæsitum secundum.

SECTIO II.

An Prælati Religionum valeant per applicationem participes alios efficere bonorum operum suorum subditorum.

10 Quia in præcedente sectione diximus specialem applicationem bonorum operum, quæ sunt à persona particulari fieri posse vel ab ipsa persona operante, vel à suo Superiore, placet hic examinare controuersiam illam, an Prælati Religionum potestatem habeant admittendi extraneos ad communicationem, seu participationem piorum operum, quæ in suo Ordine, vel in aliquo Monasterio, seu Conuentu à proprijs subditis exercentur; & rursus expendere modum, & circumstantias talis potestatis.

Suppono autem me non loqui de concessione, seu applicatione alicuius indulgentiæ; quia certum est in Prælatis Religionum non esse talem facultatem, vt contra *Medinam lib. de indulg. cap. 29.* communiter dicunt Theologi, quamuis ipsemet *Medina* modificans suam opinionem asserat, facultatem hanc ita de Iure Diuino fuisse Prælatis concessam, vt possit ab Ecclesia auferri, sicuti de facto, vt ipse ait, ablata illis est; supponimus igitur in præsentia, hanc communem sententiam, quæ patet *ex cap. Accedentibus. de excessibus Prælati.* Sermo igitur est de bonorum applicatione, quæ consistit in quadam oblatione, seu donatione suffragiorum, vt aduertit *Suarez tom. 4. disp. 55. sect. 5. n. 2. & alij*; ideoque circa rem hanc multa sunt à nobis dilucidanda per sequentes conclusiones. 11

Dicendum est primò, à Prælatis Religionum quicumque sint, siue Generales, siue Prouinciales, siue Locales, & immediati admitti posse extraneos ad participationem bonorum, quæ à subditis fiunt. Ita *Suarez l. c. n. 6. 10. Lauerius de indulg. par. 2. cap. 4. à n. 12. Corduba lib. 5. de indulg. cap. 42. per totum, & alij communiter.* Dixi posse id fieri à quocumque Prælato, quod est intelligendum secundum Ius commune; nam in aliqua Religione determinata secundùm suas constitutiones, vel statuta, poterit facultas ista esse limitata, ita vt nequeat inueniri nisi in Generali, aut Prouinciali, & de facto in nostra Societate talis potestas non residet nisi in Præposito Generali, vt patet *ex Compendio nostrorum priuilegiorum verb. Generalis. §. 7.* 12

Externi admitti possunt à Prælatis ad participanda bona spiritualia Religiosorum.

Modificatio.

Dicendum est secundo. Participatio bonorum operum valet ad hoc, vt participantes ratione peculiaris coniunctionis cum aliqua Religione obtineant à Deo aliquod beneficium siue supernaturale, vt gratiam conuersionis, illuminationes, præseruationem à peccatis futuris, &c. siue naturale, vt sanitatem corporis, euasionem periculorum, & similia, quæ obtinentur per impetrationem, & meritum de congruo intuitu bonorum operum, quæ à Religiosis fiunt. Sic *Corduba quæst. sit. p. 2.* & ratio est; quia eo ipso, quod aliquis est effectus, modo particulari membrum, vel socius talis communitatis; nempe Religionis, Deus sua liberalitate; intuitu meri- 13

Vi huius participationis aliquod beneficium, siue supernaturale, siue naturale obtinetur.

Ob merita Religionis Deus premiat ijs, qui eidem Religioni sunt coniuncti.

meritorum eiusdem Religionis mouetur ad premiandum ijs, qui eidem Religioni sunt coniuncti, etiam si bona opera, seu materia Religiosorum ad hunc finem nō sint relata, vt aduertit *Suarez disp. cit. sec. 6. num. 11. 12.*

14 *Ad participanda suffragia Religiosorum requiritur intentio operantis.*

Dicendum est tertio; ad participanda suffragia Religiosorum per modum satisfactionis requiritur intentio operantis ad hoc, vt bona opera applicata prosint. *Sic Suarez num. 10. & 12. Corduba quaest. cit. dicto 2. 3. Lauorius nu. 24. 25.* Probatur quia opus nequit applicari, nisi ab eo, qui supra illud immediatum habet dominium, quoad vsum; hic autem est ille, qui proximè operatur; at Prælatus non habet immediatè, & directè dominium in operibus, quæ fiunt ab alijs etiam subditis, cum non sit proximè operans; igitur voluntas superioris non erit sufficiens ad dirigendum moraliter alienum opus, vt aduertit *Suarez nu. 6.* & esto demus, à Prælato posse subditum compelli, ad applicandum opus iuxta voluntatem Prælati, & subditus operans non applicet iuxta mentem præcipientis, & malè faciat, hoc tamen nō obstāte, opus nō intelligitur applicatū iuxta ipsius Prælati voluntatem: Dixi esto demus, nā aliqui negant id à Prælato fieri posse, de qua re inferius; attamen *Corduba in tertio dicto circa medium* concedit, in aliquo casu, & caussa rationabili concurrente, posse opus illud applicari etiam, inuito subdito, quia Prælatus est caput, & idem sentit *Lauorius*; sed si hoc intelligant, in hoc sensu, videlicet in Prælato esse ius applicandi illud opus mediatè, hoc est imperando subdito, vt applicet, transeat; si verò intelligant illud opus esse de facto applicatum independenter ab operantis intentione, cēseo id esse falsum ob rationem assignatam.

Prælatus nequit immediatè applicare op^9 subditi absque eius intentione.

SECTIO II.

An Prælati Regulares possint subditis præcipere, vt extraneis applicent aliqua opera satisfactoria.

15 Solent interdum superiores Religiosorum ordinare, vt subditi applicēt Benefactoribus Religionis sacrificia, orationes, aut similia opera pia; quærimus an talis ordinatio cadere possit sub præceptum.

16 *Aliqui dicūt nō posse præcipi. Aliqui verò affirmant.*

Partē negatiuā sequuntur aliqui apud *Suarez disp. cit. sect. 6. in fine*, sibi videri sic sensisse *Scotum apud illos*, quamuis apud Scotum saltem clarè hoc nō inuenio. Partem verò affirmatiuam oppositam, tuetur ipse *Suarez n. 8. Lauorius Franc. Bardi in Bull. Cruc. cap. cit. num. 25. & alij.*

Dicendum est primò, probabile esse Prælatum non habere potestatem imperandi subdito, ut sub præcepto applicet opus in satisfactionē alterius, vt vult *Scotus.* Probatur primo, quia applicatio ista est op^9 mere internū; proinde cadere nequit sub præceptum humanum, vt *S. Thomas docet 2. 2. quaest. 104. ar. 5. in corp.* & sequitur *Sanch. & Lessius locis infra citandis.* Confirmatur; Prælatus enim superior nō potest præcipere subditis religiosis, vt operentur ea; quæ mandātur ab ipso Superiore sub formali motiuo obedientiæ. *Sic Sanches in sum. lib. 6. cap. 3. num. 6. Lessius lib. 2. de iust. cap. 46. dub. 6. nu. 44.* quemadmodum licèt omnes fideles teneātur obedire præceptis Diuinis, & Ecclesiasticis, tamen ad id non tenentur sub ea ratione obedire, videlicet sub hac ratione, quod sint præcepta, sed sufficit ea exequi ex quocumque motiuo virtutis. Secundò, quia non videtur posse Superior præcipere, vt subditus opus aliquod efficiat cum omnibus circumstantijs, quæ requiruntur ad satisfaciendum, nam, vt sic possit præcipere, vt subditus se ponat in statu gratiæ coram Deo; at modus operandi in gratia, & cum reliquis omnibus bonis circumstantijs non potest cadere sub humanum præceptū, & tamen certum est, statum gratiæ esse simpliciter necessarium ad fructum satisfactionis. Hæc, & similia argumenta, quæ pro prima sentētia fieri possent, reddunt illam probabilem.

Dicendum est secundò, Probabiliorē esse opinionem affirmatiuā secūdo loco relatam, quam præter Authores citatos, eam expressè sequuntur *Sanches n. 6. cit. Bartholomaeus à S. Fausto in thesauro religioso lib. 6. quaest. 42. nu. 6.* Probat autem *Suarez* sententiā istam hac ratione. Opus ad satisfaciendum pro alio, est opus charitatis, ergo quemadmodū Superior potest præcipere inferiori, vt faciat eleemosynā, ita etiā, vt faciat hoc suffragiū, quod est quædam spiritualis eleemosyna. 17

Probabilius est præcipi posse.

Sed ratio ista, me Iudice, nō probat efficaciter intētum, quia est manifesta disparitas, nam in erogatione eleemosynæ duo possunt spectari, primò subuentio illa, quæ fit pauperi, secundò motiuum internum erogandi eleemosynam, quatenus est opus misericordiæ in proximum &c. primo modo est actus externus, circa quem versari potest præceptū Superioris: secundo autem modo est actus merè internus, circa quem non videtur ferri posse præceptum. sic in casu nostro celebratio missæ potest esse præcepta, quia est actio externa; at applicatio, 18

Ratio conclusionis assignata à Suarez non est sufficiens.

cum sit merè interna non videtur cadere sub præceptum; sic respondere possunt aduersarij, ac proinde eluderent argumētū. Aliud autem argumentum, quod pro se affert *Suarez*, cum procedat impugnādo responsionem, quam ipse affert *ex Scoto* ad primum argumentum, quod retulimus, & ego non inueniam apud ipsum *Scotum* hæc, quæ à *Suarez* adducuntur, non curo impugnationem hanc examinare. Alia verò ratio assignata *ab ipso Suarez*, quæ desumitur ex dominio, quod specialiter habet Superior per votū obedientiæ supra voluntatem subditi patitur difficultatem; nam contrariæ sententiæ defensores negarent tale dominium in actibus merè internis, & sic remaneret dominium istud probandum. Meliùs igitur mihi videtur suaderi posse conclusio, distinguendo actus internos; nam aliqui ita se habent, vt ab ipsis dependeant actus externi, saltem secundùm aliquod esse morale, quod lex humana intendere, & præcipere potest. Aliqui verò sunt actus interni, merè concomitāter se habentes ad externos, ita, vt sine internis, actio externa possit esse honesta ex obiecto, & circumstantijs extrinsecis. Ponamus exemplum actuum vtriusque generis. V. G. Ecclesia statuit, vt habentes ordinem sacrum vocaliter orent, recitando singulis diebus horas Canonicas; recitatio autem ista, vt sit vera oratio, & actus religionis tēdens in Dei cultum, debet procedere ab actu interno; nempe ab intentione orandi; aliter si quis absq; tali intentione formali, vel virtuali, legat horas, non satisfaceret suæ obligationi; quia recitatio non esset religiosa, neque inuolueret cultum Diuinum; proinde cū certum sit, per legem ecclesiasticam imperari posse orationem vocalem, sequitur indirectè imperari posse actum illum internum, sine quo oratio vocalis non subsistit: similiter præceptum de annua confessione requirit actum internum doloris, & sine illo erit simplex enarratio, & non Sacramētalis; & ita *lex in cap. Vtriusque sexus de Pœnit. & Remiss.* indirectè fertur in internam displicentiam peccatorum; demum potest in varijs casibus Iudex ecclesiasticus iubere contractionem matrimonij, quæ expostulat internum contrahētium consensum, sine quo nullū erit matrimonium, & ideo consensus ipse cadit indirectè sub præceptum Iudicis, & sic in multis alijs similibus: ex quibus omnibus colligimus præceptum ecclesiasticum de actu interno, sicuti explicuimus, non excedere humanum operandi modum; quia actus illi interni, cum sint necessarij ad honestatem actionis externæ, nequit Ecclesia illam præcipere, quin etiam præcipiat actum internū, sine quo illud esse morale particularis honestatis in actione haberi minimè potest. Exempla verò actuum secundi generis hæc sūt. Imperet Prælatus assistentiam subditorū, dum recitantur litaniæ Sanctorum, Officia Diuina, vel imperet obsequia præstāda pauperibus infirmis, in finē obtinēdi à Deo auxilia contra hostes Christiani nominis bellantes contra fideles, vel ad obtinendam tempore penuriæ abundantiā, &c. Si aliquis ex subditis prædicta exequatur ex alio motiuo honesto, & non ex illo, quod habuit Prælatus, non censebitur delinquere contra præceptum ecclesiasticum; quia cum intentio operandi ex motiuo obtinendi auxiliū contra infideles, &c. non superaddat actui externo, nisi quamdam bonitatē accidentalē, per respectum ad ipsam intentionē, nō poterit bonitas ista accidentalis, præcipi ex vi præcepti, quo imperantur actiones illæ externæ; proinde deberet directè imperari, & per distinctum præceptum, hoc autem esset Ecclesiā posse per suas leges directè ferri in actum internum, quod tamen excedit mensuram, & consuetū modū humanarū legū, & licèt aliquis contēdat, talem potestatem in Ecclesia non esse impossibilē; tamen nolo rē hanc in præsentia discutere, sufficit nobis hunc modū præcipiendi, non esse necessarium ad subueniendū communibus Ecclesiæ necessitatibus, atque adeò nō esse conueniētem ad rectum ipsius Ecclesiæ regimen. Vide *Suarez, lib. 4. de legib. cap. 13.* quamplurima circa hoc punctū hinc inde exagitantem.

Actus externus interdum dependens ab interno secundum aliquā honestatem, quæ humano iure præcipi potest.

Quando actus internus est necessarius ad honestatem actus externi potest cadere sub præcepti humanum.

Ex his autem, quæ hactenus à nobis dicta sunt, tria ad maiorē huius quæsiti claritatē breuiter colligimus. Primò rectè ab Ecclesia præcipi posse actū internum, quādo se habet veluti forma, aut circumstātia necessaria, vt actio externa sub illa ratione, qua imperatur, sit honesta in specie aliqua virtutis. Secundò legē, seu præceptū de actu interno, à quo depēdet actio externa, secundùm aliquā moralē honestatē posse cadere sub legē Ecclesiasticā, quando id expedit ad conuenientē gubernationem Ecclesiæ. Tertiò si id nō expediat excedere ius humanū, & mensurā humanæ legis, saltē in hoc rerū ordine, & spectata potestate illa, quam Christus Dominus suæ Ecclesiæ de facto conferre voluit. 19

Et sic his omnib' positis patet ratio, qua probare possumus cōclusionē illam, videlicèt in Prælatis Regularibus facultatē inueniri, ad præcipiendū subditis, vt pro extraneis, vel pro alia caussa applicent aliqua opera satisfactoria, & ideò ordinationem hāc cadere posse sub præceptum. 20

SEC-

SECTIO III.

Sub qua obligatione Religiosi nostræ Societatis teneantur exhibere orationes, & sacrificia per constitutiones, aut per Superiorum ordinationes iniuncta.

21 *Assignatur ratio cur de sola Societate fiat quæsitũ.*

INstituimus quæsitum pro nostra tantùm Societate, quia non inquirimus potestatem, quam habent Superiores ad imperandum proprijs subditis, vt opera bona, quæ ipsis facisit, applicent pro extraneis, vel pro alijs caussis, & necessitatibus Religionis; de hac enim facultate superiùs sufficienter egimus; sed inuestigamus id, quod est de facto; proindè cum nobis de institutis, & cõsuetudinibus aliarum Religionum sermonem habere nequaquam expediat, tum quia regulas, & ordinationes aliorum institutorum in particulari ignoramus; tum etiam quia ex ijs, quę de Societate dicturi sumus, poterunt alij Regulares inferre, quid dicendum sit in proprio Ordine: omittentes quid circa alia instituta de facto sit asserendum, deuenimus ad quæsitum soluendum. Pro qua re supponenda est obligatio, quæ in nostra Societate reperitur, circa suffragia, nimirum Orationes, & Sacrificia Missæ, quæ præscribũtur, vt faciẽda à personis eiusdem Societatis; & ideò aio, aliqua esse ordinata singulis annis, alia mẽsib⁹, & septimanis; alia verò esse extraordinaria, præsertim pro Benefactoribus, & Fundatoribus, & hæc declarantur in constitutionibus *par.4.cap.1. & in 18. can. tertiæ Congregationis*, quandoque etiam iniungũtur arbitrio Superiorum pro necessitatibus occurrentibus: Imponuntur autem Sacerdotibus Missæ celebrandæ; eis verò, qui Sacerdotes non sunt, Coronæ B. V. aut tertia pars Rosarij his præsuppositis.

22 *Onus suffragiorum in Societate obligat eo modo, quo Regulæ.*

Dicendum est primò. Onus applicandi prædicta, non est sub peccato; atque adeò non obligat, nisi eo modo, quo obligant regulæ ipsius Societatis. Ita docet *Suarez tom.4. de Relig. lib.8. cap.2. num.5. Sanchez in summa tom.2. lib.7. cap.28. nu. 23. & Castropalaus tom.3. tract.16. disp.3. p. 11. nu. 11.* qui vult ex sola decentia, & honestate, & ad summum ex fidelitate obligare ordinationem Missarum in Societate, & colligitur expressè *ex eisdem constitutionibus p.6. cap.5.* vbi declaratur, constitutiones, ordines, &c. exceptis votis, non obligare neque ad peccatũ mortale; neque ad veniale, nisi à Superiore sub certa forma imperentur; cum autem declaratio ista vniuersaliter loquatur, quibusdam tantùm exceptis, absque dubio comprehendit impositionem Orationum, Missarum, &c.

Sed an contra Benefactores ex hac sententia aliquod obueniat nocumentum? aut horum suffragiorum spem abijcere debeant? dum in personis Societatis strictæ, & rigorosæ obligationis ex iustitia immunitatem admittimus. Nequaquam; quia, vt omnibus est compertum, in tota Societate laudabilis, & pia ista consuetudo ita exactè custoditur, vt vnusquisque nostrum his oneribus indesinenter grauatus, proprium commodũ, vtilitatemque postponat, & summa cum diligentia ad populorum ædificationem erga suos Benefactores gratum se ostendere conetur, & hoc fuit constans, atque perpetuum incitamentum ad piorum animos mouendos; ideoque ab eisdem quãplurima collegia, & religiosæ domus in dies fundantur. 23

24 *Si Superior iniungit suffragium in virtute obedientiæ, &c. obligatur sub peccato.*

Dicendum est secundò. Si Superior iniungat aliquid in nomine Domini, Iesu Christi; aut in virtute obedientiæ, tunc res præcepta obligabit sub mortali. Ita *in capite illo constitutionum*, & asserit *Suarez loco cit. Castropalaus to.3. tract.16. disp. 3. p.4. nu.4.* & idem esset dicendum si alijs verbis æquiualentibus Superior præcipiat; dum res capax sit talis præcepti.

25 *Transacto tẽpore præfixo, si omittãtur suffragia sine causa, durabit obligatio.*

Dicendum est tertiò iuxta sententiam *Suarij cap. cit. nu.7.* Qui tẽpore præscripto nempè mense, vel hebdomada, suffragia absq; caussa legitima, & rationabili omittit, tenebitur etiam transacto tempore assignato ea exhibere, & huius rei rationẽ assignat *Suarez*, quia suffragia illa præcipiuntur non tanquam onus determinati temporis, sed propter vtilitatem, quæ ex oblatione talium suffragiorum resultat, & licèt designetur tempus, nihilominus designatio ista non est ad extinguendam obligationem, sed ne vlterius differatur solutio; proindè trãsacto eo tempore, adhuc vrgebit obligatio: addit tamen, quod si quis tali mense, vel hebdomada legitimo detentus impedimento, vt ægritudine, nauigatione, &c. suffragia illa persoluere non potuerit, quia vertente alio mense, hebdomada, &c. alia similis aduenit obligatio, illa prior non expleta extinguitur. Hæc ex *Suarez*. Cæterum si loquamur de suffragijs extraordinarijs, quæ fiunt pro Benefactoribus, Fundatoribus, &c. res est indubitata, nimirum semper manere obligationem satisfaciendi; quia suffragia ista nullam habent tẽporis designationẽ: si verò sermo sit de suffragijs ordinarijs, scilicet de illis, quæ fieri debent singulis annis, mensibus, & hebdomadis *Suarij* opinio difficultatem habet; si enim suffragia

ista per se, & propter fructum ex ipsis cō-surgentem, imperantur, & non vt onus tali tempori addictum; & ideo dum voluntariè omittuntur, eorum obligatio durat, & non extinguitur: idem esset asserendum, etiam dum inuoluntariè, & ob legitimum impedimentum non fiunt; nā si motiuum adæquatum ea imponendi sit fructus ex illis consequens, tali motiuo perseuerante, durabit etiam obligatio illa persoluendi, & hoc suaderi poterit inductione onerum, quæ secundum se, & non intuitu temporis præfiguntur, vt V.G. præceptum communicandi in Paschate, quod secundùm longè probabiliorem opinionem non extinguitur, eo tempore transacto, siue culpabiliter, siue inculpabiliter eius exequutio omittatur, & idem dicunt quamplures de præcepto annuæ confessionis, & quamuis nonnulli loquentes de præcepto sumendi Eucharistiam ponant distinctionem illam de omissione culpabili, & de inculpabili, & dicant extingui præceptum, si culpabiliter omittatur; secus si inculpabiliter; nihilominus sententiam istam cum tali distinctione paucissimi tuentur, & impugnatur ab alijs communiter, vt à *Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 70. sect. 2. ver. Alij verò authores, &c. & à Cardinali Delugo tract. de Euchar. disp. 16. sect. 4. Layman lib. 5. tract. 4. cap. 5. num. 8. §. Vera. & ab alijs*, sic in casu nostro ex hypothesi, quod suffragia non imponantur, vt tali tempori affixa, sed intuitu fructus ex illis resultantis, quomodocunq; omittātur, siuè culpabiliter, siue inculpabiliter, non extinguetur eorum obligatio, sed durabit vsque dum persoluantur; & ideo mihi videtur dicē-dum alterutrū ex his duobus, videlicet, vel semper perseuerare obligationem hanc post tempus designatum, siue omissio fuerit culpabilis, siue inculpabilis, vel transacto tempore extingui obligationē, nullo habito respectu ad caussam omissionis. Quid autem sit in praxi absolutè dicendum, non possum determinare, cū hoc dependeat ex intētione legislatoris, qui vtroque modo potuit imponere hāc obligationem; nempè, vt onus affixum tempori, scilicet mensi, hebdomadæ, &c. & non vt tale onus, & ideo de re hac Pater Generalis est consulendus, eiusque determinationi standum erit.

26 *Obiectio contra primam conclusionē.* Obijcies contra primam conclusionē, per quam asseruimus, onus persoluendi suffragia non esse impositum sub graui obligatione; obijcies inquam tali pacto. suffragia pro Benefactoribus, & Fundatoribus debentur ex pacto saltem tacito inter ipsos Benefactores, &c. & Societatē, quia ipsi mouentur ad benefaciendum, vel ad fundanda Collegia; quoniā sciunt suffragia orationum, & missarum, quæ ab ipsa Societate offeruntur pro Benefactoribus, & Fundatoribus, & sæpè non inducerentur ad hoc faciendum, nisi fructum suffragiorum sperarent, ergo suffragia ista videntur ex rigore iustitiæ debita; proinde absque graui peccato omitti non posse.

Respondeo obligationem istam non esse sub peccato, & vt ait *Suarez l. c. nu. 5.* 27 *Soluitur.* non excedere vim regulæ, & quamuis ipse hoc, vt probabilius amplectatur, tamen mihi videtur quasi certum, vt nunc declarabo, & ad argumentum tactum respondeo nullum interuenire pactum neque explicitum, neque implicitum, seu tacitum inter Benefactores, & Societatē; quia tale pactum repugnat paupertati, quam profitetur Societas; nempè nihil accipere pro missarum sacrificijs, prædicationibus, &c. vt habetur *in examine generali posito ante constitutiones cap. 1. S. 3. & par. 6. constit. cap. 2. §. 7.* & quamuis alij moueantur ad benefaciendum spe fructus suffragiorum, tamen hoc non sufficit ad pactum, neque ad obligationem iustitiæ; sicuti si quis donet alteri centum aureos ad eius animum alliciendum, vt aliquid faciat, & ipse donatarius sciat, ea intentione donantem moueri ad donandum, & si sciret ipsum donatarium nūquam esse flectendum ad rem illā faciendam, non donaret, hoc non obstante, donatarius non erit obligandus ad restitutionem; quia donatio licèt interiùs videatur conditionalis, exteriùs tamen est absoluta; proinde non erit obligatio restituendi, vt ait *Molina de iust. tom. 2. disp. 286. n. 1. Lessius lib 2. cap. 18. dub. 16. Barth. à S. Fausto in spec. conf. disp. 20. quæst. 118.* illa enim interna spes nō est satis ad hoc, vt donatio ista sit conditionalis: sic licèt aliqui moueantur ad legandam pecuniarum quātitatem alicui Domui, aut Collegio Societatis, vel ad illud fundandum ducti spe suffragiorum, tamen spes ista non erit sufficiens, vt censeatur pactum interuenire inter Societatem, & Benefactorem; quia est actus internus, & exteriùs in pactum nequaquam deductus, & etiā quia Societas solùm obligatur iuxta formam constitutionum, & cum ea obligatione, quæ ab eisdem constitutionibus iniungitur, & non cum maiori; in constitutionibus autē, siue in alijs decretis congregationum generaliū nō extant verba, quæ inducāt præceptum circa suffragiorum solutionem.

Idem etiam est dicendum, dum à Superioribus Societatis præscribuntur subditis hæc, aut illa pia opera facienda pro ali- 28 *Idē dicitur de impositione suffragiorum extraordinariorum.*

aliqua caussa, vel pro intentione Superioris; hæc enim impositio non est, nisi quædam simplex ordinatio, & dum aliud non constat, non præsumitur rigorosa obligatio à Superioribus imposita, quæ præcepti rationem habeat.

CAPVT III.

De Oneribus requisitis ad lucrandas vi Bullæ indulgentias explicatas, & bonorum operum participationem.

1 VT indulgentias temporales, de quibus superiùs egimus, per hanc Bullam priuilegiati cõsequantur, & similiter participes fiant bonarum operationum, quædam subire debent onera, quę in hoc eodem paragrapho his verbis declarãtur (*Item erogantes prædicti, qui diebus ieiunio non suppositis ad implorandum Diuinum auxilium pro vnione, & victoria prædictis voluntarium ieiunium; velsi ieiunare legitimè impediti fuerint, aliud opus pium arbitrio eorum Confessoris, vel Parochi assumpserint, & simul preces ad Deum pro vnione & victoria prædictis fuderint toties quoties id fecerint, &c.*) Duo autem per hæc verba præscribuntur facienda ab ijs, qui frui volunt gratijs commemoratis; videlicèt Ieiunium, & Preces ad Deum ob finem assignatum; quo pacto autem hæc intelligenda sint declarabimus in sequentibus.

SECTIO I.

De Ieiunio imposito, eiusque conditionibus.

2 *Ieiunium istud debet esse supererogationis.* DIco primò. Ieiuninm, quod à Pontifice in præsentia postulatur, debet esse supererogationis, hoc est non debet esse ex ieiunijs ab Ecclesia impositis, ad quæ adimplenda est obligatio, sic in hoc paragrapho statuitur illis verbis (*Qui diebus ieiunio non suppositis voluntarium ieiunium fecerint, &c.*) ita asserit *Trullench lib. 1. §. 5. dub. 2. num. 4.* qui citat *Henriquez* pro opposita sententia dicentem, quod sicuti eodem ieiunio potest quis duobus præceptis satisfacere, ita etiã poterit satisfacere præcepto ieiunij, & oneri hic imposito, ad lucrandam indulgẽtiam; sed immeritò *Henriquez* citatur, vt contrarius, *ab Aegidio Trullench*, non enim dicit, quod illi imponitur; nam in illis duobus locis adductis ab ipso *Trullench*, videlicet *lib. 7. c. 10. n. 5. & cap. 17. n. 5.* non inuenitur paritas illa superiùs relata, neque doctrina, quæ nostræ conclusioni aduersetur; in primo enim loco *Henriquez* loquitur de ieiunio iubilei, de quo est diuersa ratio, quoniam tempus Iubilei non eligitur ab his, qui Iubileum accipiunt, sed vel à Summo Pontifice, vel ab Ordinario loci: quapropter si ieiunia Iubilei cadunt in quadragesimam, vel in dies, in quibus aliquis habet votum ieiunandi, vel alio titulo tenetur ieiunare, certum est satisfacere per illud ieiunium, & propriæ obligationi, & Pontificis intẽtioni in ordine ad Iubileum: & si fingamus votum ieiunandi solùm esse pro diebus primæ hebdommadæ Iubilei, atque adeo volentem Iubileum lucrari, posse differre opera iniuncta in secundam hebdomadã, in qua dies ieiunij sunt liberi, tamen ad hoc, quod per accidens euenit, minimè est obligandus, neque in diplomate iubilei apponitur clausula, vt ieiunia iniuncta non fint in diebus, in quibus extat obligatio ieiunandi ex alio titulo; at in hac Bulla expresiè id cauetur, proinde non erit eadem ratio de ieiunijs iubilei, de quibus tractat *Henriquez*, & de ieiunio iniuncto pro acquirenda hac indulgẽtia, & sic malè *Henriquez* citatur à *Trullench in secundo autem loco* sermo est solùm de oratione, aut alio opere iniuncto pro varijs indulgentijs lucrandis, & docet *Henriquez* vnica oratione satisfieri posse pro omnibus illis indulgentijs lucrandis, sed quicquid sit, an hæc doctrina sit vera, nec nè? nihil ad nos, qui solùm volumus ostendere falsò *Henriquez* pro cõtraria sententia fuisse adductum, cum ipse non loquatur de concessionibus habẽtibus clausulam, vt oratio, aut aliud opus iniunctum sit ex non debitis, vt habetur in hoc Cruciatæ priuilegio.

Dico secundò. Ieiunium istud debet esse ita voluntarium, vt quamcumque aliam excludat obligationem, si id fieri poterit. Probatur ex *verbis Bullæ*, quæ nõ solùm requirit, vt ieiunium sit adimplendum diebus ieiunio nõ suppositis, sed absolutè addit debere esse voluntarium, & per hoc excludit ieiunium, quod fit vel ex pœnitentia Sacramentali, vel ex voto. &c. dixi si id fieri poterit, nam si ponamus aliquem, qui omnibus diebus tenetur ieiunare, tunc ex præsumpta Pontificis voluntate censere debemus, hunc satisfacere ieiunantem eo die, quo ex voto tenetur, vel ex alio titulo, quia iste talis, cum numquam possit se disponere ad indulgẽtiam lucrãdam per ieiunium omninò voluntarium, stante obligatione quotidie ieiunandi, non videtur excludendus ab hoc indulto, proindè ieiunans vtrique satisfacit obligationi. 3 *Debet ieiunium istud excludere quãcumque aliam obligationem.* *Limitatur.*

Dices. Iste talis poterit existimari, vt legi-

legitimè impeditus, ad proindè poterit arbitrio Confessarij commutari ieiunium in aliud opus pium; vt *ipsa Bulla* disponit de legitimè impeditis, & nos infra dicemus.

4 *Qui quotidie tenetur ieiunare, nō obligatur ad petendam commutationem huius ieiunij iniuncti.* Respondeo non videri obligandum ad hanc commutationem, quia & si Bulla circa impeditos ad ieiunandum disponat vt dictum est; tamen iste talis non dicitur verè impeditus ad ieiunium, cum de facto ieiunet, & licèt aliquo modo dici valeat legitimè impeditus, quo ad ieiunium voluntarium; nihilominus Bulla loquitur de impeditis, quo ad substantiam ieiunij, & non quoad circumstantiam, qualis est negatio obligationis ad ieiunandum ex alio titulo; & suadetur ita esse existimandum, quia in imponendis oneribus attendenda sunt ea, quæ ordinariè eueniunt, & non quę moraliter nequeunt contingere, qualis est obligatio ieiunandi quotidie, quæ neque in arctissimis Religionibus inuenitur.

5 *Henriquez putat in ieiunijs quadragesimę lucrifieri posse hāc indulgentiam.* Notanda hic est opinio, quam ponit *Henriquez lib. 7. c. 17. n. 1. in comm. lit. I.* videlicet, in quadragesima posse ab habente Bullam acquiri hanc indulgentiam ieiunādo duplici titulo, cuius rei rationem non assignat: mihi autem videtur esse, quia ieiunium quadragesimale, cum sit diuturnum, non videtur conueniens priuare priuilegiatum consequutione huius indulgentiæ per longum tempus; nec est cogendus ieiunare in Dominicis quadragesimæ, quia non est conforme consuetudini Ecclesiæ. Eamdem doctrinam ponit *Rodriquez in §. 7. nu. 2.* si indulgentia concessa fuisset à Pontifice cum onere ieiunandi tali die hebdomadæ; nempè die Sabbati, si priuilegiatus haberet votum ieiunandi in Sabbato; tunc enim non posset alio modo adimplere ieiunium iniūctum, nisi eo die, in quo tenetur ex voto, & hanc sententiam postea sequutus est *Ludouicus dubio infra citando nu. 3.*

6 *Legitimè impeditus potest siue à Confessario, siue à Parocho commutationem petere.* Dico tertiò. Qui detinetur impedimēto legitimo ad ieiunādum, si vult hoc indulto gaudere, potest petere commutationem, vel à Confessario, vel à Parocho, qui iuxta prudens arbitrium commutabūt ieiunium in aliud opus pium. Sic habetur in Bulla, & ideò non potest neque ipse priuilegiatus propria auctoritate, neque alius diuersus à supradictis commutationem hanc facere.

SECTIO II.

De Oratione iniuncta.

Aliud opus iniunctum est oratio, de qua est controuersia, an sufficiat mentalis; an verò necessariò debeat esse vocalis, & vocalem esse debere censuit *Rodriquez in addit. ad §. 7. nu. 1.* & id probat, quia dum Pontifex præcipit opera satisfactoria, intendit externa, & visibilia: pro hac eadē opinione miror quo pacto *Aegidius Trullench* citet *Nauar. notab. 22. nu. 33. de Indulg.* cum ipse *Nauarrus notabili, non vigesimo secundo* in quo nihil de re hac, *sed trigesimo secundo. num. 48.* oppositum doceat. Dico primò sufficere orationem siue mentalem, siue vocalem; & hanc opinionem, quæ mihi longè probabilior videtur, admittit ipse *Aegidius Trullenc. dub. 2. cit. num. 5. & Ludouicus à Cruce in exposit. Bulla disp. 1. cap. 8. dub. 11. nu. 4. in fine, & alij.* Probatur hæc sententia, quia nomine orationis, nisi aliud exprimatur in diplomate, venit, tū vocalis, tū mētalis, vt diximus in tract. de Iubileo; si verò Pontifex præscriberet orationē, quæ communiter vocaliter fieri solet, tunc sola mentalis non sufficeret, vt si iniungeret V. G. coronam, aut Rosarium B. V. septem Psalmos pœnitentiales, aut quid simile. Ad fundamentum autem, cui innititur *Rodriquez* defendens contrariā opinionem, respondeo, gratis asseri iniūcta pro consequutione iubilei, aut indulgentiarum semper debere esse externa, cum possint vtroque modo imponi: & licèt opera externa sint magis ad hunc finem proportionata, tamen non sunt simpliciter necessaria; quia potest Pontifex concedere indulgentiam propter opus mere internum, vt est contritio, oratio mentalis. &c. ita *Suarez tom. 4. in 3. p. d. 52. sect. 5. nu. 5. 6.* 7 *Satis est oratio vocalis.*

8 *Pro quibus rebus est orandum.* Dico secundò. Per hanc orationem priuilegiatus debet orare pro rebus iniunctis, nempè pro vnione inter Principes Christianos, pro victoria contra infideles, &c. vt supra diximus, sic eum præcipitur in ipsa Bulla.

Dico tertiò. Oratio, quæ hic iniungitur, debet esse supererogationis, & non est satis ad satisfaciendum huic obligationi, illa, ad quam priuilegiatus ex voto, vel ex alio titulo tenetur. Sic *Rodriquez in §. 7. n. 3. Trullench. loco cit.* nam Pontifex sub eadem forma hic iniungit ieiunium, & orationem, quod significatur per illam copulam. &. igitur sicut ieiunium est voluntarium, sic etiam debet esse oratio. 9

Dico quarto opera ista iniuncta, videlicet 10

Nequeunt operà ista iniuncta per alium fieri.

licèt, ieiunium, & orationem non posse per alium adimplere. Ita *Henriquez lib. 7. cap. 10. num. 7. in fine*, nam Pontifex videtur ea, vt opera personalia imponere.

11 *Infirmus, vt lucretur has gratias indiget commutatione.*

Dico quartò. Si quis ob infirmitatem, vel ob aliam necessitatem omittit opera à Pontifice iniuncta, non lucratur gratias in hoc paragrapho cõtentas, nisi exequatur aliquid aliud loco operis omissi per commutationem factam à Confessario, vel à Parocho, vt supra dictum est; hoc autem opus omissum, & in aliud commutatũ nequit esse, nisi ieiunium, quia cum duo tantùm sint onera in hoc priuilegio præscripta, scilicet ieiunium, & oratio, quæ satisfieri, etiam si breuissima sit, & mẽtalis, nequit ita facilè fingi casus, in quo homo sui corporis nõ valeat eleuare mentem ad Deum, preces breuissimas fundẽdo pro rebus à Pontifice intentis, saltem in confuso; vt in simili diximus tractantes de iubileo, igitur non manet aliud opus commutandum, nisi ieiunium; si autem omittatur, & pariter eius commutatio, vel fiat ieiunium, & omittatur oratio, nulla ex gratijs, de quibus agitur in præsenti paragrapho, obtinebitur. Est communis sententia Doctorum in materia indulgẽtiarum, vt docet *Suarez disp. & sectis. nu. 5.* & ratio est, quia priuilegia ista, per quæ conceduntur indulgentiæ, aut aliæ gratiæ sub aliquo onere, sunt conditionata, nimirum acquiruntur adimpleta conditione; & ideò, si ea, quacumque ex caussa, omittatur, effectus priuilegij non acquiritur.

12 *Instantia*

Dices in *l. cum haeri §. Stichum ff. de statu liber. & in l. fin. C. de condit. infer.* Disponitur, quod si alicui seruo cõcedatur libertas, cum onere aliquid faciendi, si ob aliquod impedimentum facere non valeat opus iniunctum, hoc non obstante, competere illi libertatem, ergo pari ratione, si quis ob infirmitatem, vel aliquod impedimentum legitimum nequeat efficere opera præscripta in hoc priuilegio, lucrari debet gratias.

13 *Diluitur.*

Respondeo negando consequentiam, quia in casu illo voluit legislator in fauorẽ libertatis, ita disponere, in casu autem nostro Pontifex non ita disposuit; proinde verba huius priuilegij accipienda sunt, vt sonant, & si Pontifici placuisset excusatio ista, vtique eam apposuisset, sicuti de facto eam posuit in *Extrauag. Vnigenitus extr. Adijcientes de Pænit. & Remiss.* vbi declarat tempore Iubilei vniuersalis, Romam accedentes pro indulgentia consequẽda; si post iter inceptum, impedimentum legitimum habeant, quo minus ad Vrbem peruenire valeant, si verè pœnitentes sint, & confessi, eamdem lucrentur indulgentiam.

Dico sexto: Si ex operibus iniunctis aliquod omittatur, & alia adimpleantur, non acquiritur, neque pars indulgentiæ, neq; pars gratiarum proportionabiliter respõdens operi iniuncto, quod secundum partem executioni mandatum est. Ita *Suarez sect. cit. n. 3. Ludouicus à Cruce d. 1. c. 8. d. 12. num. 4. & alij apud ipsos.* Probatur conclusio opera in hoc priuilegio præscripta, se habent tanquam indiuisibilis dispositio ad totum effectum, & ad partẽ; ergo qui ponit tantùm partem, nihil acquiret; probatur antecedens si pars effectus parti operis responderet, declararetur à Pontifice; at non declaratur, sed sub vna, eademque forma opera iniunguntur; ergo signum est omnia indiuisibiliter se habere in ordine ad totum, & ad partem effectus, quoad consequutionem. 14 *Si vna ex operibus iniunctis omittatur non lucrifiũt gratiæ istæ, neq; quo ad partem.*

15 *Obiectio.*

Dices si conclusio ista esset vera, sequeretur, omissionem alicuius minimæ partis operis iniuncti, esse sufficientem ad impediendum effectum indulgentiæ, seu priuilegij, quod videtur incredibile, & rationi minimè consentaneum; sequela probatur ex dictis; quia si dispositio indiuisibiliter tota se habet, si minimum deficiat, non poterit reliquum, quod extat, trahere effectum; sicuti in naturalibus si dispositio ad formam substantialem requisita, in gradu determinato consistat, & in indiuisibili, si aliqua, quamuis minima pars integræ dispositionis, deerit, forma non generabitur.

16 *Responsio.*

Respondeo negando sequelam, & paritatem illam desumptam ex dispositionibus naturalibus; & disparitas est, quia in moralibus parum pro nihilo reputatur; at debet esse ita parum, vt simpliciter loquendo opus iniunctum censeatur adimpletum fuisse, sicuti si quis die festiuo missam audiens, omittat partem aliquam minimam, iste talis iuxta communem hominum existimationem dicitur missã audire, & qui tenetur recitare aliquos psalmos, & relinquat vnum, aut alterum versiculum, propter hoc nõ dicitur psalmos non recitasse, aut non satisfecisse suæ obligationi, nam paruitas illa materiæ nõ est satis ad impediendam denominationẽ desumptam ex alijs partibus; at in naturalibus res non ita se habet; quia non dependet ab hominum existimatione; idcirco dispositio nisi sit mathematicè cõpleta, non inducit effectum; & hæc dicta sunt iuxta communiorem sententiam, quæ non est adeò certa, vt non inuoluat apud aliquos dubitationem; nam *Pater Suarez sect. illa 5. nu. 4.* respondens ad hoc argumentum, ait, rem esse dubiam; ideoque vitandam; licèt postea nostram sententiam sequatur; aduertit tamen leuitatem

tem

rem in materia non absolutè, sed respectiuè esse intelligendam, videlicet in ordine ad opus iniunctum; proinde est attendendum, an pars, quæ omittitur iudicetur grauis respectu totius operis iniuncti: v.g. si imponantur *quinque Pater, & Aue* ad lucrandam indulgentiam, & omittatur vnum Pater, & vnum Aue, impediretur effectus indulgentiæ, quia vnum *Pater, & vnum Aue* sit pars notabilis, respectu *quinque Pater*, vt ex in se sunt quid leue. Vide *Suarez loco cit.*

CAPVT IV.

IN XIV. §.

De indulgentijs, quas lucrantur Visitantes Ecclesias, aut Altaria singulis diebus Romanarum Stationum.

1 IN hoc alio paragrapho exponitur concessio aliarum indulgentiarum, quæ à prædictis distinguuntur, & vt hoc meliùs innotescat, placet, verba ipsius diplomatis referre; sic enim dicitur. (*Iis qui dicto anno durante in singulis diebus stationum almæ Vrbis quinque Ecclesias, seu altaria, seu in illorum defectum quinquies vnum altare deuotè visitauerint, precesque ad Deum pro vnione, & victoria prædictis fuderint, omnes, & singulas indulgentias stationum intra, & extra muros prædictæ Vrbis, tàm pro se, quàm per modum suffragij pro defunctis, pro quibus visitauerint, consequantur.*) De natura autē harū indulgētiarum, & de medijs, & modo illas acquirendi, & applicandi in hoc capite pertractabimus.

SECTIO I.

Quænam sint stationum Indulgentiæ.

2 CVM *Pontifex in hoc paragrapho* concedat visitantibus quinque Ecclesias, aut quinque altaria omnes illas indulgentias, quæ Romæ in diebus stationum habentur, oportet, vt ante alia præmittamus declarationem quamdam de his stationibus.

3 Dico igitur primo, Statio, si vim nominis spectemus, nihil aliud importat, nisi actum illius, qui stat, vnde milites stantes in custodiam, stationarij vocabātur. *L. limenarchæ ff. de seruis fugit. Glossa, & Baldus ibi*; locus verò, in quo præsidebant milites custodientes, Statio, seu præsidium, aut propugnaculum appellabatur, vt notat *Lonorius de indulg. par. prima cap. 17. num. 44.* Per quamdam autem similitudinem, nomen istud translatum fuit ad significandas, stationes spirituales, ideoque importat actum illum, quo fideles stantes in Ecclesia, preces ad Deū fundunt, & pariter ratione termini, vocatur statio, processio illa, quæ fit ab vna ad aliam Ecclesiam, vt declarat Panuinius in libello de stationibus Vrbis Romæ.

Quid sit Statio.

4 Dico secundo, Stationes istæ spirituales, quamuis fuerint tempore Apostolorum, vt notat *Lauorius num. 93.* tamen erant paucissimæ; fuerunt postea à S. Gregorio ampliatæ, & ideo authores merito dicunt fuisse ab ipso institutas. Sic *S. Thomas in addit. ad 3. part. quæst. 25. art. 2. in corpore. Tamburinus cap. mensuram depœnit. dist. prima. Cajet. de Indulg. ad Lucium Cardinalem tract. 15. cap. primo Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 49. sect. 2. Chummca. Rodrig. in exposit. Bullæ §. octauo initio. Hieron. à Sorbo in Compend. priuileg. Verb. Indul. Stationum §. Circa Stationes, Panuinius, & alij suprà ubi*; qui aduertunt à B. Gregorio septem tantùm annos indulgentiæ in qualibet die stationum concessos fuisse; occasio autem institutionis fuit exitiabile malum pestis, quæ Italiam deuastabat; idcirco S. Pontifex ad iustam Dei iram mitigandam, quasdam elegit Ecclesias, in quibus fideles statutis diebus orarent; & vt faciliùs ad easdem Ecclesias confluerent, concessit ad Ecclesiam designatam accedentibus septem annos indulgentiæ in quolibet die stationis, vt refert author Compendij priuilegiorum Mendicantium. Verb. Indul. Stationum quoad fratres §. circa stationes.

Stationes tempore Apostolorum, à S. Greg. ampliatæ.

5 Dico tertio Ecclesiæ, ad quas Romæ sunt stationes, sunt quamplures, & designantur in calce Summarij huius Bullæ, inter quas comprehenduntur septem illæ principaliores Ecclesiæ, quæ Romæ sunt magnæ venerationis, patet legenti *Summarium*, & licèt in præcedentibus Bullis non fuerint assignatæ stationes pro singulis diebus totius anni, nihilominus nunc in Bullis præsentibus quotidie acquiri possunt indulgentiæ stationum, vt admonetur *in fine Bullæ Italicæ*, nam assignatis quibusdam diebus sic dicitur. (*Tutti gl'altri giorni dell'anno si guadegnano l'indulgenze, che sta Roma per essersi in quella statione ogni dia*)

Ecclesiæ, ad quas sunt stationes.

6 *Quotidie in Bulla lucrari possunt indulgentiæ.*

SEC-

SECTIO II.

An Indulgentia plena, plenior, & plenissima quoad effectum remissionis inuicem distinguantur.

6 IN Ecclesijs stationum almæ vrbis quamplurimæ sunt indulgentiæ partiales, & totales, seu plenariæ: dubitatio autem extat apud Doctores, an priuilegium lucrandi indulgentias stationum extendatur etiam ad plenarias; an verò solùm ad partiales: Antequam hanc dubitationem elucidemus, placet abundantioris doctrinæ caussa, declarare, quid sit Indulgentia plenaria, plenior, & plenissima, & an inuicem distinguantur, dum sub his nominibus apud Sacros Canones, & Apostolicas Bullas inueniuntur concessæ.

Aliqui ponunt diuersitatem inter formulas prædictas

7 Aliqui affirmant, vt *Paludanus in 4. dist. 20. quæst. 4. Nauarr. de Iubil. notab. 9. nu. 5.* licèt diuerso modo explicent distinctionem hanc, nam *Paludanus* vult per plenariam relaxari omnem pœnam, quæ pro mortalibus commissis debetur: Per pleniorem verò remitti etiam pœnam pro venialibus: At per plenissimam relaxari vltra pœnam culpas veniales. *Nauarrus* autem vult Indulgentiam plenariam esse de pœnitentijs iniunctis à Confessario pro culpis tantùm confessis: pleniorem verò se extendere ad pœnitentias iniunctas, & iniungendas solùm pro peccatis confessis, sed plenissimam esse de pœnitentijs debitis, tum pro confessis, tum pro oblitis, & inculpabiliter ignoratis. Cæterum communis opinio asserit inter Indulgentias sub his diuersis vocibus concessas, hodie nullum esse discrimen in ordine ad effectum remissionis, quicquid sit de vsu antiquo. Sic docet *Sotus in 4. dist. 21. quæst. 2. a. 3. Rodriq. in quæst. reg. tom. 2. a. 3. Toletus in Sum. lib. 6. cap. 24. num. 2. Suarez tom. 4. in 3. par. disp. 50. sec. 6. num. 5. Valent. Bellarminus, Gratianus, & alij*, quos laudat, & sequitur *Barthol. à S. Fausto lib. 2. de Indulg. quæst. 5.* & huic opinioni est omninò adhærendum, quam probo ex Sacris Canonibus, nam *in extrauag. Vnigenitus ver. Quem quidem thesaurum. de Pœnit. & Remiss.* Indulgentia diuiditur in totalem, & partialem; dum enim dicitur à Sede Apostolica Thesaurum Ecclesiæ nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis applicari, necesse est per totalem, plenariam, pleniorem, & plenissimam intelligi, aliter diuisio, & inductio fuisset deficiens, quia applicatur etiam Thesaurus per plenariam &c. *Rur. Franc. Bard. in Bull. Cruc.* *sus in extrauag. Quemadmodum. ver. verùm quia: eod. tit. Sixtus IV.* publicans Iubileu, & reuocans omnes alias Indulgentias Iubileo æquiualentes, ait se reuocare omnes alias Indulgentias plenarias; signum igitur est, per Indulgentiam plenariam, intelligi totalem, nimirum illam, per quam fit remissio totius pœnæ temporalis, proindè non superest perfectior remissio quoad pœnam; atque adeo Indulgentia plenior, & plenissima non poterunt habere maiorem vim in ordine ad pœnam debitam pro peccatis commissis, quàm habet plenaria, & sic quantùm ad hunc effectum idem important Indulgentiæ, sub his vocibus, concessæ.

Communis opinio nullā in re agnoscit distinctionē inter has indulgentias.

Admittitur ista opinio.

Remissio culpæ etiam venialis non est ab Indulgentia.

Quòd verò spectat ad remissionem culpæ venialis, ratione cuius plenissima Indulgētia videtur distingui posse à reliquis, vt vult *Paludanus, & alij*, probatur talem effectum conuenire non posse Indulgentiæ, quia culpa habitualis, quæ remanet transacto peccato actuali, non remittitur, nisi per actum à nobis elicitum, secundùm quem voluntas censetur mutari, & recedere ab affectu deordinato, quo peccauit: per Indulgentiam verò non datur talis actus, ergo per ipsam non remittuntur venialia quoad culpam.

Instantia.

Dices, quamuis ad remissionem culpæ venialis requiratur actus hominis, vt ostensum est, tamen aliquis actus, qui secūdùm se non esset sufficiens, poterit esse sufficiēs simul cum Indulgentia. Sed neq; modus iste possibilis erit secundùm legem ordinariam, quia remitti culpam absque sufficienti dispositione peccatoris, necessariò prouenit ab aliqua caussa, quæ vim habet delendi culpam ex opere operato, vt declarauimus in tractatu de Sacramentis in communi; talis autem caussa, non est nisi Sacramentum. At vlterius vrgebis: Sacramentalia non sunt Sacramenta, & tamen delent venialia ex opere operato, ergo præter Sacramenta aliquid aliud poterit habere talem vim, quæ etiam poterit congruere indulgentiæ. 8

Reijcitur.

Alia instantia.

Impugnatur.

Contra est, quia Sacramentalia, vt ostēdimus in eo tractatu, non habēt vim aliā, nisi excitandi hominem ad aliquem actum bonum, quo mediāte delētur venialia, vt ibi ostendimus; potestas enim conferendi alicui rei efficaciam remittendi peccatum, aut infundendi gratiam ex opere operato, cum sit potestas excellentiæ, non fuit Ecclesiæ collata, sed soli Christo conuenit, vt communiter dicunt Theologi, Sacramentalia verò fuerunt ab Ecclesia instituta; & ideo non potuerunt ab Ecclesia instituente ta- 9

Ee lem

lem vim habere, sed solùm vim excitandi hominem ad aliquem actum, ad quem eliciendum Deus conferri solet auxilium speciale ob reuerentiam ipsorum Sacramentalium, & Ecclesiæ instituentis; at indulgentia non est quid Sacramentale, neque vt talis vim habet impetrandi auxilium ad actum bonum; hoc enim gratis, & absque fundamento assereretur; igitur non habet remittere culpam, sed solam pœnam temporalem, ergo à primo ad vltimum, cum indulgentia quamtũuis perfectissima nequeat alium habere effectum, nisi in ordine ad pœnam temporalem, & tota ista pœna relaxetur per indulgentiam plenariam; quæ ratione huius plenæ relaxationis in Sacris Canonibus vocatur totalis, sequitur inter plenam; pleniorem, & plenissimam, quo ad effectum remissionis nullum esse discrimen. vide *Suarez, disp. illa 50. sec. 4.*

10 *Proponuntur quattuor difficultates in contrarium.* Sed contra nostram sententiam occurrunt aliquæ difficultates. Et primò *Ex extrauag. Antiquorum, De Pœnit. & Remiss. vbi Summus Pontifex* concedit omnibus fidelibus accedentibus ad Basilicas Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli anno Iubilei centesimo non solùm plenam, & largiorem, immò plenissimam peccatorum veniam; & sic videtur distinguere tres istas formulas; quas nos diximus idem importare. Secundò consueuerunt Pontifices in quibusdam Bullis vltra Indulgentiam plenariam, concedere tot dies, vel tot quadragenas; signum igitur est, per indulgentiam plenariam non remitti totam pœnam; aliter superfluum foret illud dierum, & quadragenarum additum. Tertiò interdùm aliquæ indulgentiæ dicuntur absoluere à culpa, & pœna, aliæ verò non ita, licèt sint plenariæ, ergo illa erit plenissima, atque adeo erit diuersa ab ea, quæ est plena. Quartò indulgentia per modum Iubilei differt ab illis tribus in ordine ad remissionem, & ratione illius additi oportet, vt perfectiorem causset remissionem, ergo impossibile est, vt per illas tres totus effectus remissionis exhauriatur. Hæ difficultates fieri possunt contra explicationem, quam tradidimus de illis tribus indulgentiarum formulis. Cæterum non erit difficile his difficultatibus satisfacere. Et ad primam, & secundam possemus respondere, iuxta vsum antiquum per tres illas voces aliquem effectum diuersum importari, non autem secundum Ius nouum; sed quidquid sit de antiqua consuetudine, do aliam responsionem.

Ad primam difficultatem respondeo, non defuisse, qui voluerunt tres illos modos à Pontifice in eo capite fuisse distinctos per respectum ad diuersa, videlicet, indulgentiam plenam, siue plenariam fuisse acceptam per ordinem ad remissionem totius pœnitentiæ iniunctæ; pleniorem, seu largiorem ad remissionem pœnitentiæ secundum Canones iniungendæ, plenissimam ad relaxationem totius pœnitentiæ, quæ à Diuino iudicio exigi posset, *Sic Lauorius* explicat verba Pontificis *par. 2. de indulg. cap. 19. num. 66. & 67.* Sed magis placet communis expositio, quæ ait, verba illa idem importare, quoad effectum, licèt secundùm vocem sint diuersa, & apposita fuisse ad maiorem declarationem, & ad tollendos scrupulos, & varia dubia, pro opinionum diuersitate; addi etiam potest cum *Patre Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 50. sec. 4. num 7.* diuersitatem illarum vocum sumi posse per habitudinem ad caussam, pro qua indulgentia conceditur, & sic ea, cuius caussa est maior, appellatur plenior, & si caussa erit maxima, indulgentia nuncupabitur plenissima; nam maioritas caussæ reddit certiorem effectum ipsius indulgentiæ, & ideo licèt plena, plenior, & plenissima secundùm se habeant æqualitatem, poterunt tamen ratione caussæ esse inæquales; sicuti priuatio totalis, vt mors, cœcitas, &c. non recipit in se magis, aut minùs, at poterit ratione caussæ habere incrementum, & decrementum. 11 *Responsio ad primam difficultatem.*

Ad secundam dicunt aliqui ita esse stylum curiæ introductum occasione opinionum, & postea vsu retentum, quia antiquitùs in vsu erat concedere indulgentiam plenam, vel pleniorem, vel plenissimam in ordine ad remittendas varias pœnas, vel fieri additionem illam dierum, aut quadragenarum, vt si forte caussa non fuerit sufficiens ad plenariam; valeret saltem ad dies vel quadragenas obtinendas. Ita respondet *Corduba lib. 5. de Indulg. quæst. xi. in fine,* sed vtraque ratio impugnatur *à Suarez, sec. cit. num. 9.* nam prima non declarat rationem introductionis, secunda non videtur ita probabilis, quia sine illo addito dierum, &c. si caussa non fuerit proportionata pro toto effectu indulgentiæ plenariæ, erit proportionata pro parte, & sic frustra fieret talis additio. Reiecta vtraq; ratione subdit *Suarez,* se numquam inuenisse formam illam concedendi indulgentiam, nec in aliquo decreto Iuris, neque in aliqua Bulla authentica, & ideo non oportet, nos esse sollicitos in explicando sensu illorum verborum: Cæterum 12 *Soluitur secunda Difficultas.*

ri admissa tali forma, placet alia ratio data *ab ipso Suarez*, qui distinguit ferè hoc pacto, vel illæ sūt distinctæ concessiones relatę ad diuersę tēpora, & actiones, & sic secunda data per dies poterit haberi distinctum effectum, quia concessio ista potuit esse post concessionem indulgentiæ plenariæ, & intra tempus illud potuit homo contrahere nouum reatum pœnæ; si verò tota illa indulgentia data fuit per modum vnius, & indiuisibiliter ad idem tempus; & actionem, tunc probabile esse præter indulgentiam plenariam, quam quis sibi lucratur, posse reliquos dies, seu quadragenas superadditas per modum suffragij pro alijs offerre, etiam si in rescripto non declaretur; & hoc ne concessio sit inutilis. Sic *Suarez*. quam opinionem postea sequutus est *Barthol. à S. Fausto de indulg. l. 2. quæst. 4.* respondens ad obiectionem.

13 *Ratio si tertie difficultati.* Ad tertiam aio, variās esse illorum verborum explicationes, quas refert *Lauorius cap. cit. à n. 70.* & deinceps, inter quas, vt probabiliorem admitto illam, per quam dicitur, verba illa vel intelligenda esse præsuppositiuè, seu excitatiuè, quatenus occasione indulgentiæ acquirendæ, homo præmittit dolorem sufficientem ad delendam culpam, vel confitetur Sacramentaliter, vel intelligenda esse, in quantùm per indulgentiam datur facultas eligendi Confessarium pro absolutione etiam à reseruatis, & sic remissio culpæ tribuitur indulgentiæ, inquantùm cōtinet facultatem prædictæ electionis; remissio autem pœnæ tribuitur ipsi indulgentiæ formaliter, vt indulgentia est.

14 *Soluitur quarta difficultas.* Ad quartam, aio, diuersas esse differentias inter indulgentiam, & iubileum, quas recenset *Lauorius à num. 77.* per iubileum enim plura alia conceduntur, videlicet electio Confessarij, commutatio Votorum, & remissio pœnæ, &c, per Indulgentiam verò hoc vltimum dumtaxat; Indulgentia autem per modum Iubilei significat esse totalem; sicuti dari solet in Iubileis maximis.

Et hæc breuiter, & per transennam circa has indulgentiarum formas dicta sint.

(✝)

SECTIO III.

An Indulgentiæ Stationum per hanc Bullam concessæ, sint totales, seu plenariæ, an verò partiales.

15 *Nonnulli putant esse partiales.* Prima opinio vult, esse partiales, & non plenarias. Ita docet *Corduba lib. 5. de Indulg. quæst. 41. post tertiam propositionem. ver. Verum seculares, &c. Henriquez lib. 7. cap. 10. num. 2. Sorbus de Indulg. stationum, Ver. Aduertendum est, Nauarrus de Iubileo. Notab. 9. illatione 13. Ludouicus à Cruce in exposit. Bullæ disp. p. cap. 8. dub. 2. num. 3. Lauorius de indulg. par. 2. c. 10. n. 45. Granado in 3. par. de Sacram. cōtr. 12. trac. 6. disp. 2. n. 4. 7.* & in ea videtur esse *Suarez to. 4. in 3. p. disp. 52. sec. 8. n. 11. 12.*

16 *Probant ex Stylo curiæ.* Probant autē primò suam sententiam ex stylo curiæ Romanæ, & ex quadam regula Cancellariæ, quibus instruimur, non intelligi concessam indulgentiam plenariam, nisi explicetur; at *in hoc paragrapho*, non dicitur concedi plenarias indulgentias, sed solùm indulgentias; igitur priuilegium quoad hoc interpretatur esse de indulgentijs partialibus. Et si dicas, in Summario Cruciatæ haberi Catalogum omnium stationum, etiam plenarum indulgentiarum; respondetur Summarium esse corrigendum cum Originali, in quo non habetur concessio talium indulgentiarum: immò *Sorbus*, & *alij* inquiunt indulgentias plenarias appositas fuisse in Summarijs à Quæstoribus, & Commissarijs vel lucri caussa, vel ex ignorantia, nam ab ipsis pro libito componūtur Summaria ista. Secundò quia *in paragrapho immediatè sequente*, vt videbimus, Pontifex se declarat concedere per hanc Bullam indulgentiam plenariam semel in vita, & semel in articulo mortis; inanis autem esset hæc limitatio, si per hāc eamdem Bullam tot plenariæ indulgentiæ singulis diebus concederentur. Tertiò si per visitationem Ecclesiæ plenariæ indulgentiæ stationum darentur, cum hæ possint animabus purgatorij applicari, vt dicitur in ipsa Bulla, per acquisitionem huius indulgentiæ liberarentur animæ à pœnis purgatorij; hoc autem non est admittendum, quia potestas liberandi animam à purgatorio, nisi expressè detur, non intelligitur concessa, vt habetur ex stylo curiæ. *Probatur ex tenore ipsius Bullæ.*

17 *Alia opinio vult esse plenarias.* Secūda opinio oppositū sustinet, videlicet indulgētias stationū, quæ per hanc Bullā cōceduntur, esse plenarias eo modo, quo sūt in ipsa Vrbe. *Sic Rodoriq. in §. 8. n. 5. Villalob. tract. 27. claus. 8. Aegidius Trullench in Bullam lib. p. §. 6. dub. p. n. 5.* & *alij recentiores.*

18 *Probabilior hæc secunda sententia, & suadetur ex Bulla Italica.* Dico igitur primò, probabiliorem mihi videri hanc secundam sententiam, eamque suadeo, quia *in ipsa Bulla Italica* expresè habetur, visitantibus Ecclesias, aut Altaria, &c. concedi omnes indulgentias, & remissiones, quas consequuturi essent, si personaliter visitarent Ecclesias intra, & extra Romam; at plures indulgentiæ ex istis sunt plenariæ, vt patet ex *Catalogo posito in calce ipsius Bullæ*; ergo visitantibus ecclesias &c. conceduntur plures indulgentiæ plenariæ stationum.

19 Neque est credendum falsum contineri in hac Bulla iussu Commissarij translata, nam hoc esset decipere in re notabili omnes illos, qui erogantes eleemosynam Bullam sumunt, neque præsumi debet ignorantia, cum per tot annos in Summarijs Catalogus iste fuerit insertus, videntibus, & approbantibus Prælatis in locis, vbi Bulla promulgatur; immò vt credere debemus, sciente summo Pontifice, & multo minus præsumitur id factum fuisse lucri cupiditate, nam à personis talis conditionis, quales esse solent Commissarij Cruciatæ, hoc existimari nullo modo potest. Maneat igitur indulgentias stationum per hanc Bullam concessas esse easdem, quæ Romæ lucrifiunt, & quamplures esse plenarias.

20 *Solutio primi argumẽti cõtrarij.* Ad primum autem argumentum pro contraria sententia respondeo; satis esse ipsas plenarias indulgentias explicitè apponi in Summario, & implicitè in Originali, dum dicitur concedi indulgentias stationum, quæ sunt intra, & extra Romam; conceduntur enim eo modo, quo sunt Romæ, sed ibi sunt plenariæ, vt exprimitur *in Catalogo summarij*, ergo vt plenariæ à visitantibus Ecclesias acquirũtur, quemadmodum si poneremus has indulgentias esse decem annorum, & in diplomate absque temporis designatione darentur tales indulgentiæ, certum esset, intelligi concessas ad decem annos. Sic cum plures indulgentiæ stationum Romæ sint plenariæ, etiam si *in Originali* nõ dicantur dari indulgẽtiæ plenariæ, vt tales concessæ intelliguntur, dum dicitur concedi omnes, & singulas indulgentias, quę sunt intra, & extra Romam.

21 *Responsio ad secundum.* Ad secundum dico, quòd quamuis à Sectatoribus nostræ sententiæ ad hoc argumentum non respondeatur, cum debuerint ad illud respondere, quia videtur reliquis præcipuum, nihilominus ad illud soluendum aio, diuerso modo concedi indulgentiam plenariam semel in vita, & semel in morte per Bullam ab eo modo, quo conceduntur indulgentię stationum, licèt, & illa, & istæ sint plenariæ, nam istæ dãtur cum onere visitãdi quinque Altaria, vt infra videbimus; illa verò sine vllo onere est applicanda à Confessario; intentio igitur Pontificis ad concedendam indulgentiam plenariam semel in vita, est de illa, quæ sine vllo priuilegiati onere datur; non autem de illis, quæ sunt cum onere. Ad illud verò, quod additur de Summario corrigendo cum Originali, dico non esse corrigendũ, quia non disconueniunt, nam id, quod Originale dicit implicitè, explicitè ponit Summarium, vt vidimus.

22 *Diluitur tertiũ argumẽt.* Ad tertium respondeo, applicationem indulgentiæ stationum esse posse proficuam defunctis; proinde si omnia requisita à Pontifice ponantur, nullum erit inconueniens asserere, per hanc applicationem liberari animas è purgatorio; & si vrgeas hanc potestatem non intelligi cõcessam, nisi sit expressa, dico sufficienter exprimi, dum Pontifex concedit, posse has indulgentias pro defunctis applicari, & has indulgentias esse plenarias.

23 *Instantia.* Dices cum *Ludouico à Cruce hic num.* 5. mirabile esse, quod tam difficulter Romæ obtineri possit vna indulgentia plenaria pro aliqua Ecclesia, vel Cappella; ita vt sæpe opus sit ingentẽ pecuniarum summam erogare in eleemosynam, & tamen in Bulla eroganti duos argenteos concedatur tanta multitudo indulgentiarum plenariarum.

24 *Soluitur.* Respondeo, & falsum esse id, ex quo sumitur paritas, & nullam esse paritatem, nam indulgentia etiam plenaria pro aliqua Ecclesia, aut Altari non obtinetur cum illa difficultate, quam putat *Ludouicus*, vt ipsa praxis nobis ostendit, & falsum itidem asserit, necessarium interdum esse ingentem pecuniarum summam; immò oppositum practicatur, nam gratis Breuia ista pro indulgentijs Romæ conceduntur, & solùm aliquid soluitur ijs, qui litterarum expeditionem curant: Rursus addo, non esse in hac re attendendos duos illos argenteos qui erogantur pro receptione Bullæ, sed caussam, ob quam Bulla ipsa conceditur, nempe subsidium Regis Hispaniarum contra hostes Christiani nominis.

25 *Per hãc Bullam nõ conceduntur omnes plenariæ indulgẽtiæ, quas fideles Romæ commorantes lucrantur.* Dico secundò, per hanc Bullam non cõcedi omnes indulgẽtias plenarias, quæ per totum annum Romę acquiruntur, visitantibus quasdam ecclesias, sed solùm indulgentias illas, quas fideles Romæ commorantes lucrantur in diebus stationum. sic *Rodriquez l. c. Trullench. n. 6. & alij*. Probatur clarè ex verbis ipsius bullæ, nam explicitè admonetur, concessionem esse de indulgentijs stationum Almæ vrbis, pariter eodem modo *Commis-*

missarius in fine summarij solùm designat indulgentias illas, quæ ob stationes concessæ sunt.

26 *Possunt hæ indulgentiæ applicari pro mortuis.*

Dico tertiò. Hæ indulgentiæ, quas lucrantur præstantes opera iniuncta, possunt applicari pro defunctis, sic expressè conceditur in ipso diplomate; sed tunc debet visitatio Ecclesiarum, seu Altarium fieri hac intentione, vt animabus purgatorij prosit: ita innuitur in ipsa Bulla, dum dicitur (*tam pro se, quàm per modum suffragij pro defunctis, pro quibus visitauerint, consequantur*)

27 *In eo qui visitat Ecclesiam pro mortuis non est necessaria status gratia.*

Dico quartò. In eo, qui visitat, & applicat indulgentias pro animabus purgatorij non est necessaria gratia sanctificans. *Ita Henriquez lib. 7. cap. 9. nu. vlt. Suarez tom. 4. cit. disp. 53. sec. 4. nu. 6. Riccius in addit. ad §. 8. nu. 17. & alij, apud ipsos contra nonnullos* oppositum sentientes. Sed de hac materia fusiùs erit agendum in quarta parte huius Operis, dum erit sermo de Bulla defunctorum; nunc satis est rationem cõclusionis breuiter tangere, quæ consistit in eo, quod licèt applicans indulgentiam, careat gratia, & obicem habeat ad lucrandam indulgentiam, tamen verè ponit conditionem à Pontifice requisitam ad hoc, vt alius, cui applicatur indulgentia possit illam lucrari, si nullum habeat impedimentum, at de facto animæ fidelium baptizatorum, quæ sunt in Purgatorio, nullum habent impedim entũ ad fructũ indulgentiæ; ergo quamuis applicans careat gratia, valida erit applicatio: loquor autem de animabus fidelium baptizatorum, nam vtrum animæ fidelium non baptizatorum, vt sunt animæ Catechumenorum, sint capaces fructus huius applicationis, infra parte quarta determinabimus.

28 *Applicans fructum indulgentiæ pro mortuis sibi non acquirit.*

Dico quintò. Si quis applicet fructum indulgentiæ stationum animabus purgatorij, illud sibi non acquirit; est contra *Rodriquez §. 8. in fine*, qui vult eadem statione posse aliquam sibi lucrari indulgentiam, & liberare animam è purgatorio, pro qua opinione ab eodem *Rodriquez citatur Ioannes Garnica in expositione huius Bullæ*; sed hæc opinio non est admittenda, quia duplex iste fructus eiusdem stationis absque fundamento ponitur, & nullus est textus, in quo appareat talis concessio; idcircò si nulla est concessio, non poterit vi eiusdem indulgentiæ aliquis, & sibi, & alteri simul, vtiliter applicare fructum stationis.

Impugnatur opinio contraria.

※※※

SECTIO IV.

De Ecclesiarum, seu Altarium visitatione.

OPus iniunctum ad prædictas indulgentias lucrandas est visitatio Ecclesiarum, seu Altarium cum oratione pro vnione Principum Christianorum, & victoria contra Infideles &c. vt retulimus ex ipso diplomate initio capitis: circa hanc autem visitationẽ, & orationem multa diximus, tractantes de iubileo; sed quia materia est similis, erit à nobis per varia quæsita cõmodiùs discutienda. 29

Quæres primò. Quid nomine Ecclesiæ veniat, & quid nomine Altaris, dum præscribitur visitatio. 30 *Quid sit Ecclesia.*

Respondeo, de hac re nos egisse superiùs examinantes priuilegium Bullæ tempore Interdicti circa Eucharistiam, & Diuina officia *tr. 4. cap. p. sec. 4. §. p.* asseruimus igitur ibi nomine Ecclesię venire tẽplum Deo dicatũ, & auctoritate Episcopi erectum, in quo Missa, aliaque Diuina officia celebrari possunt &c. Nomine autem Altaris intelligi mensam illã firmam, & stabilem, in qua Missa celebratur, siue sit lignea, siue lapidea. *Quid sit Altare.*

Quæres secundò. An Oratorium priuatum, & domesticum in hac Bulla contineatur sub nomine Ecclesiæ. 31 *An sub nomine Ecclesiæ veniat Oratorium.*

Respondet *Trullenchi l. p. §. 6. d. 2. nu. 2.* contineri sub nomine Ecclesię sequens opinionem *Henriquez lib. 7. c. 10. nu. p. in com. l. B. sed Rodriquez in addit. ad §. 8. nu. p.* docet, illud comprehendi sub nomine altaris, & idem docet *Ludouicus à Cruce in Bullam disp. p. cap. 8. dub. 13. nu. 2.* Verùm quicquid sit, an oratorium priuatum, & domesticum designatum ad missas celebrandas hic veniat sub nomine Ecclesiæ, in presentia sufficit venire sub nomine Altaris, nã eo ipso quod sit destinatum ad sacrificia in eo facienda, nihil illi deest ad rationem Altaris propriè dicti. 32

Quæres tertiò. Vtrum si in Ecclesia sit aliquod impedimentum Canonicum, ob quod nequeat in ea celebrari, hoc non obstante, possit in ordine ad hunc effectum validè visitari. 33 *An posito impedimento in Ecclesia possit validè visitari.*

Respondeo affirmatiuè, & sic docet *Riccius in addit. ad §. 8. nu. 23.* & ratio est, quia locus ille verè est Ecclesia, in qua celebratum fuit, vel quamprimum celebrabitur, & oppositum huius responsionis non colligitur ex verbis Bullæ, quia solùm requiritur locus sacer auctoritate Episcopi, & deputatus ad Diuinum cultum, & ad missas celebrandas, & per accidens erit, hic & nunc in eo celebrari non posse. 34

Quæ-

35 Quæres quartò, an sit in libera voluntate ipsius priuilegiati visitare siue Ecclesias, siue Altaria, quamuis quinque Ecclesiæ reperiantur?

36 Respondeo, Aliquos censuisse, vbi sunt quinque Ecclesiæ, non sufficere visitare quinque Altaria. sed pars affirmatiua est omnino sustinenda cum *Rodriq. in Bullam §. 8. nu. 8. & in addit. ad eumdem paragraphum. nu. p. Trullench lib. p. §. 6. nu. 3. dub. 2. Ludouico à Cruce disp. p. cap. 8. dub. 13. num. p. & alijs.* Patet autem opinio ista ex eo, quod in Bulla impositio Ecclesiarum, & Altarium, est alternatiua; dicitur enim, qui visitauerint quinque Ecclesias, seu quinque Altaria &c. dictio enim, *seu*, est alternatiua, vt ex multis iuribus, & authoribus ostendit *Barbosa de Dict. vsu freq. dict. 363. num. 1.* & praxis hoc ipsum ostendit, experimur enim, quod etiam si inueniātur quinque, immò & plures Ecclesiæ in eadem Vrbe, hoc non obstante, homines docti, & timoratæ conscientiæ putant se huic obligationi satisfacere, visitantes solùm quinque altaria.

Satis est visitare quinque Altaria.

37 Quæres quintò, An eligens visitationem Altarium, possit ad sui libitum visitare aliqua Altaria vnius Ecclesiæ v. g. tria, & alia duo alterius Ecclesiæ, quamuis in vna, eademque Ecclesia inueniantur quinque Altaria.

38 Respondeo, posse eligere ad visitandum aliqua Altaria in vna, & alia in altera Ecclesia, quia non præscribitur in hac Bulla, vt visitatio omniū Altariū sit in ea Ecclesia, in qua sunt quinque Altaria, sed absolutè imponitur visitatio quinque Ecclesiarum, aut Altarium.

Visitatio Altarium potest fieri in diuersis Ecclesijs.

Quæres sextò, de quo Altari fit sermo?

39 Respondeo de illo, quod est mensa, supra quam conficitur, & consummatur Sanctum Sacrificium, & hoc Altare ait *Rodriquez §. 8. numer. 8.* esse illud quod est in Ecclesia, & addo, esse posse Oratorium dicatum auctoritate Episcopi ad Diuinum cultum, & Sacrificium peragendum; & ex his colligo, non sufficere ad lucrandam indulgentiam visitare Altaria, quæ in publicis vijs, & plateis apparari solent tempore, quo fiunt solemnes processiones, quia hæc impropriè, & per quamdam similitudinem dicuntur Altaria; propriè autem dicitur illud, in quo fit Sacrificium.

De quo Altari loquatur.

40 Quæres septimo. An existētibus quinque Altaribus sufficiat quinquies visitare vnum, aut alterum?

41 Respondeo non sufficere, nam in Bulla conceditur visitatio quinaria eiusdem Altaris in defectu quinque Ecclesiarum, aut quinque Altarium; quicquid dicat *Riccius in addit. ad §. 8. n. 15.* volens vtramque opinionem esse probabilem, quamuis addat nostram, vt securiorem esse consulendam.

Non est satis visitare vnū Altare, quinque existentibus.

Quæres octauò. An defectus quinque Altarium debeat esse in toto Oppido, an verò sufficiat esse in ea Ecclesia, quæ vt visitanda eligitur? 42

Defectus Altarium debet esse in toto Oppido.

Respondeo, debere esse in toto Oppido. ita videtur sentire *Henriquez. lib. 7. cap. 10. nu. 1.* dum inquit satis esse, visitare vnum Altare, si in eo Oppido non extet nisi vnum Altare, & hoc videntur nobis significare ipsamet verba Bullæ, nam defectus, quem supplet quinaria vnius Altaris visitatio, est attendēdus per ordinē ad eum locum, in quo si quinque Ecclesiæ existerent, non censeretur esse talis defectus, & patet quia in Bulla dicitur (*seu in illorum defectu*) nēpe Ecclesiarū, & Altariū, de quibus immediatè antea fuit sermo; locus autem Ecclesiarum est totum Oppidum; igitur defectus supplēdus debet esse in ordine ad totū Oppidū.

Quæres nonò, An existentibus in Oppido quinque Ecclesijs, seu quinque Altaribus, & priuilegiatus detineatur aliquo impedimento ad visitandas Ecclēsias illas, aut Altaria, & non valens, nisi vnum visitare, lucretur indulgentiam. 43

Respondeo, casum in praxi facilè euenire posse respectu Monialium, quæ in Monasterio sunt reclusæ, si in earum Ecclesia non reperiantur quinque Altaria, sed vnum, aut alterum, & in tali casu aio, satisfieri huic obligationi visitando quinquies idem Altare, Ducor ad hoc, quia pro Monialibus non habentibus in sua Ecclesia, nisi vnum Altare, perinde est, ac si in tota vrbe non extarent quinque Altaria, & sic omninò est præsumendum de mente Pontificis; ne Moniales, quæ in Dei obsequium eligunt talem viuendi modum, priuentur bono spirituali harum indulgentiarum; extendo etiam hanc opinionem ad quoscumque alios, siue Religiosos, siue non Religiosos, qui nequeunt egredi è domo ob nimiam senectutem, ægritudinem, vel aliud morale impedimentum; nā si quis sit carceribus detentus, vel timeat inimicū, si è domo egrediatur, aut aliquod aliud notabile damnum, si per Vrbem deambulet ad visitandas Ecclēsias, aut Altaria, tunc si commoretur in Ecclesia habente vnum Altare, vel in aliqua domo, in qua sit fenestricula in pariete eiusdem Ecclesiæ, respondens prædicto Altari, vel habeat Oratoriū domesticū, in quo celebretur Missa, satisfaciet, quinquies visitando illud Altare, aut Oratoriū, &c. 44

Aliquando sufficit visitare vnum Altare.

Quæ-

45 *Quo pacto facienda sit visitatio existentibus tantum tribus Altaribus.*

Quæres decimò, Si tria tantū v.g. reperiantur Altaria in toto Oppido, & aliquis visitet quinquies vnum ex tribus, an satisfaciat intentioni Pontificis, an verò debeat visitare omnia Altaria, quæ in eo Oppido inueniuntur; & defectum Altarium non extantium supplere visitando aliquod Altare ex illis tot vicibus, quot desunt ad complēdum numerum quinque visitationum?

46 *Visitare vnū Altare nō sufficit pluribus existentibus.*

Respondet *Trullench dub. cit. num.* 3. non satis esse in casu prædicto quinquies visitare vnum Altare, sed visitanda esse omnia, quæ reperiuntur, & loco Altariū, quæ deficiunt alia, vel aliud Altare illis vicibus, quæ desunt vsque ad quinque visitationes, & hoc probat, quia modus iste visitandi magis accedit ad Pontificis mentem. Sed oppositum puto esse amplectēdum cum alijs, videlicèt quocumque ex illis duobus modis fiat visitatio sufficere ad obtinendam indulgentiam. Sic asserit *Nunus in Bullam* §. 10. immò addit esse magis secundùm litteram, visitare quinquies vnum Altare, idem etiam docet *Ludouicus à Cruce l. c. n.* 3. & *Pater Diana in Bullam tract.* 11. *Resol.* 102. *in fine*, & ratio est, quia in Bulla habetur, quod deficientibus quinque Ecclesijs, & quinque Altaribus, satis est vnū quinquies visitare; cum igitur ponantur tria tantùm, v.g. inueniri Altaria, iam ponitur defectus quinque Altarium; proinde quinquies vnum visitando, seruatur modus à Pontifice præscriptus: si verò Pontifex voluisset in casu posito esse visitanda Altaria, quæ reperiuntur, & repetere visitationē in vno ex illis, id sanè declarasset; cum autem nihil dixerit, sufficiet vnum quinquies visitare.

47 Quæres vndecimò. Dum Altare quinquies visitatur, an ad lucrandam Indulgentiam sit necessaria aliqua mutatio loci, seu situs, vel aliqua externa corporis motio, vt sufficienter distingui valeant quinque visitationes?

48 Respondeo, quæsitum bifariam proponi posse; primò si quinque sint Altaria visitanda in vna, eademque Ecclesia: secundò si tantùm vnum reperiatur Altare visitandum, quo posito, Respondet *Aegidius Trullench. num.* 4. tutiùs, & securius esse, dum funduntur preces versus quinque altaria, faciendum esse aliqualē corporis motum, si commodè fieri possit, ne videatur vnica, sed quincuplex visitatio; at quando quinquies idem Altare visitatur existimat non teneri visitātem loco moueri, sed manendo in eodē loco, posse illud vnicum Altare visitare, dummodò qualibet visitatione finita, saltem corpus, & caput inclinet in signum

Aliqui censent inter vnam, & alteram visitationē debere esse aliquod signū corporis distinctiuum.

distinctæ visitationis: idem ferè docet *Henriquez lib. 7. cap. 10. num. p. At alij, vt Ludouicus à Cruce dub. cit. num.* 4. censent non esse necessariam mutationem loci, aut corporis, sed sufficere corde moueri. Sic etiam docet *Villalobos in sum. tom.* 2. *tract.* 27. *claus.* 8. *num.* 6. *Rodriquez in addit. ad* §. 8. *num. p. Vega in sum. tom.* 2. *cap.* 7 *cas.* 16. *Diana resol. cit. & in add. it. resol.* 25. *Bonacina De Sacram. disp.* 6. *quæst. p. p.* 5. *nu.* 25. & *alij apud ipsum*. *Alij negāt.*

49 *Vtrūque probabile, licèt primum tutius.*

Vtraque sententia est probabilis: attamen prima est securior, & videtur magis intenta à Pontifice, qui cum prærequirat quinariam visitationem Ecclesiarum, seu Altarium, eamque sensibilem, & externam, & non sit contentus de visitatione solùm mentali; videtur consequenter postulare sensibilem distinctionē harum visitationum, nam sicuti sola visitatio mentalis sine accessu sensibili, & corporali ad locum visitandum non sufficit; sic etiam distinctiuum vnius visitationis ab alia debet esse in eodem genere, nempe sensibile, & externum; proindè, qui visitat debet aliquo signo extrinseco secernere vnam visitationē ab alia, v.g. erectione, & genuflexione, aut aliquali situs mutatione, vertendo corpus, nunc versus vnum, nunc versus aliud altare.

50 *An sufficiat visitatio Altariū à foribus Ecclesiæ.*

Quæres duodecimò. Si quis nequeat ingredi Ecclesiam, quæ ob multitudinē, est hominibus plena, an satisfaciat suæ obligationi pro harum Indulgentiarum consequutione, si à foribus Ecclesiæ altaria in eadem Ecclesia existentia, visitet.

51 *Aliqui negāt*

Respondeo pro negatiua sententia referri solet *Glossa in clem. de Reliq. & vener. sanct.* sed reuera *Gloss. ibi in fine lit. B. ver. In Ecclesia* loquitur de Indulgētia centū dierum concessa à *Clem. V.* interessentibus in die corporis Domini horis Canonicis, & ait non sufficere, si extra Ecclesiam intersint: hoc autem est longè diuersum à casu nostro, nam visitatio in rigore non postulat, vt visitans Ecclesiam ipsam ingrediatur, quia manens in valuis ipsius Ecclesiæ, censetur moraliter esse in Ecclesia, in ordine ad hūc effectū; sicuti moraliter existimatur præsens Sacro quod intra Ecclesiam in Altari celebratur, sed interessentia, dum recitantur horæ Canonicæ, strictiùs sumitur, & ideo si quis sit extra Ecclesiam, non dicitur moraliter interesse, saltem ea interessentia, quæ in illa Clementina postulatur; citat etiam pro eadem sententia *Pater Diana Zanardum in directorio Theologico par. p. tract. de Sacram: panit. cap.* 20. *quæst.* 40.

At alij cū limitatione quadam sequuntur 52

Alij dicunt sufficere pro visitatione vnius, non autem plurium Altarium.

tur oppositam sententiam affirmatiuam; aiunt enim, talem visitationem esse sufficientem pro visitatione vnius tantùm Altaris, non autem pro quinque altaribus; nam moraliter loquendo dici non potest, quod ille visitet quinque Altaria in ea Ecclesia; sicuti dicitur verè visitare Ecclesiam, & ideo tenetur visitare alias Ecclesias, seu alia Altaria: at si in aliquo Iubileo præscribatur tantùm vnica oratio in aliqua Ecclesia, tunc satis erit illam modo prædicto visitare; ita discurrit *Nudus §. 10. quem sequitur Diana tract. 11. de Bulla Resol. 103.*

53 Citari solent *Rodriquez in §. 8. num. 12. & alij plures* pro sententia affirmatiua, qui reuera non loquuntur in casu nostro, cum id doceant de visitantibus Ecclesiam, & inquiunt satisfacere operi iniuncto, si ob frequentiam, & multitudinem populi, non valentes ingredi Ecclesiam, visitent illam existentes in ostio: nos autem loquimur non de visitationibus Ecclesiæ, sed Altarium in Ecclesia extantium; idcirco puto, necessariam esse aliã distinctionem; aio igitur, aut Altaria visitanda in tali situ reperiuntur, vt videri possint ab eo, qui stat in foribus Ecclesiæ, aut videri nequeunt; si primum asseratur, tunc dicam, per talem visitationem adimpleri opus iniunctum, quam opinionem refert *Trullench* ibidem, eaque admittere videtur, seruari tamen debet modus, quem superiùs approbauimus circa distinctionem visitationum; quo posito, sic probo assertum. Ad hoc, vt quis censeatur posse à tali, vel tali loco visitare Altaria, sufficit moralis eius præsentia ad quinque illa Altaria, sed qui visitat manens ante ostium modo explicato, retinet moralem præsentiam ad Altaria, ergo è tali loco poterit illa sufficienter visitare. Maior est certa, quia in his rebus non requiritur nisi præsentia moralis, vt patet in alijs similibus, vt in auditione Sacri, celebratione aliorum Diuinorum officiorum iuxta communẽ Authorum consensum: minor autem in particulari expressè ponitur *à quamplurimis, videlicet à Rosella de indul. num. 22. Suarez tom. 4. de pœnit. disp. 52. sect. 1. nu. 7. Bonacina de Incar. disp. 6. quæst. p. p. 5. num. 26. Filiuccio tract. 8. cap. 6. quæst. 3. num. 133. Fernandez in exam. theol. par. 3. cap. 9. §. 7. num. 5.* & sic suaderi poterit communi hominum existimatione iudicantium, sufficienter aliquem assistere Sacro, aut celebrationi Diuinorum, si maneat in foribus Ecclesiæ tempore, quo sacræ functiones in illa exercentur, & præsertim si ob gentium multitudinem ingredi non valeat; & idem erit affirmandum de visitatione ista, de qua in hoc argumento dicebatur requiri moralem præsentiam visitantis ad quinque altaria. Si verò secundum membrum eligatur, videlicèt altaria saltem omnia non reperiri in tali situ, vt videri possint ab eo, qui manet in foribus, vel propè fores Ecclesiæ; tunc est dicendum, per huiusmodi visitationem non adimpleri opus iniunctum, quia reuera iste talis non censetur, neque moraliter esse præsens omnibus quinque Altaribus; & addo hoc nõ solùm esse verùm si quis in ianua Ecclesiæ maneat, sed etiam si existat intra Ecclesiam: & inter ipsum, & Altare visitandum inueniatur talis distãtia, vt persistere nequeat humana, & moralis præsentia, quemadmodum discurrunt Doctores de præsentia, quæ requiritur ad Sacrum audiendum.

Si Altaria sint in tali situ, vt è foribus videri possint visitatio erit sufficiens, secus si nequeant videri.

Quæres decimo tertio. An visitatio ista in indiuiduo debeat esse moraliter bona ad hoc, vt acquiratur Indulgentia. 54

55 Respondeo, certum omnino esse, opus iniunctum, vt medium, seu vt conditionem ad lucrandam Indulgentiam, debere esse in se moraliter honestum secundũ genus; alioqui Pontifex, aut alius concedens Indulgentiam postularet opus pietati repugnans, quod est contra potestatẽ Pontifici, alijsque Prælatis collatã ad ædificationem, & non ad destructionem; difficultas autem est de opere secũdum indiuiduationem spectato, hoc est secundum circumstantias, siue intrinsecas, siue extrinsecas; de qua re varias inter Authores reperio sententias; nam aliqui, *vt Adrianus de Indulg. quæst. 4. Nauar. de Indulg. notab. 19. Syluius in 3. p. S. Thomæ quæst. 27. a. p. quæst. p. concl. 2.* requirunt necessariò opus in indiuiduo honestum; aliter asserunt non lucrifieri Indulgentias. Aliqui verò aliam extremam tuentur sententiam, & dicunt sufficere, si opus secundum genus sit bonum moraliter, quamuis secundùm aliquas circumstantias sit malum *sic Corduba lib. 5. de indulg. quæst. 25. prop. 2. & 3. Henriquez in sum. lib. 7. cap. 9. num. 5. Suarez tom. 4. de pœnit. disp. 52. sec. 6. num. 3. Granado in 3. p. de Sacram. contrau. 12. tract. 5. disp. 4. num. 10. Ludouicus à Cruce in Bullam d. p. c. 8. dub. 3. num. 5. & alij.* Reperio alias duas sententias medias inter extremas prædictas, quarum prima distinguens, ait, si opus iniungitur ad Deum placandum, eique satisfaciendum, debet esse in indiuiduo moraliter bonum; aliter Deus non placaretur, neque satisfieret, cum actus sit malus: si autem actus præscribatur ad aliũ finem, nempe ad subueniendum pauperibus, ad aliquam Ecclesiam construendam

Visitatio secundum genus debet esse moraliter bona.

Secundũ indiuiduationem debere esse bonã aliqui censent;

Alij putant hoc non esse necessarium.

Alij limitãt.

dam

dam, &c. tunc etiam si opus in individuo sit malum, obtineretur Indulgentia, ita sentit *Bellarminus lib. primo de Indulgent. cap. 13. quaest. 2. Paulus Layman lib. 5. tract. 7. cap. 6. num. 4. Nuñus tom. 2. in 3. par. quaest. 27. a 3. dub. 5.* vbi duas ponit conclusiones; in prima enim ait, quod si caussa, ob quam conceditur Indulgentia, est illi proportionata, etiam si opus in individuo non sit bonũ, valida erit Indulgentia. In secunda inquit, quod si ad proportionem inter caussam, & Indulgentiam requiratur opus iniunctum; tunc si opus non erit in individuo moraliter honestum secundũ omnes circumstantias, non acquiretur Indulgentia, quia actus malus nequit hãc proportionem facere. Alia denique est sententia, quam sequitur *Faber de poenit. disp. 38. cap. 7. num. 214.* qui pariter distinguendo, ait, quod si opus fiat cum peccato mortali, non obtinebitur Indulgentia, secus si cum peccato veniali, & id probat diversis rationibus.

56 *Attendenda est forma concessionis, quae duplex esse poterit.* His sententijs positis, puto cum distinctione esse controversiam definiendam, attendendo formam concessionis; nam si in Rescripto Põtificio solùm praescribatur opus ex suo genere bonum v.g. visitatio Ecclesiae, eleemosyna &c. & non apponantur verba, quibus indicetur, voluntatem concedentis esse, vt opus in individuo bonum ponatur; tunc censeo probabiliorem esse secundam sententiã, quia non est verisimile, plus requiri à summo Pontifice, dum iniungit hæc opera, quàm requiratur ad implendã praecepta Ecclesiae, quorum adimpletio non exigit actionem in individuo moraliter bonam; aliter si quis audiat Missam die festiuo, ieiunet in Quadragesima, & auditio illa sicuti, & ieiunium admissam, habeant aliquam culpam, non satisfaceret praecepto iniuncto, quod est falsum, vt suppono ex materia de legib. vide *Suarez* de hac re, multa discurrentem. Si vero forma concessionis cõtineat verba, quae significent exigi opus in individuo intrinsecè bonum, tunc omnino iudico, esse amplectandam primam sententiam, & ratio est in promptu, quia consecutio Indulgentiae, cum adaequatè dependeat à voluntate concedentis, si ipse concedens sub onere talis operis mouetur ad Indulgentiam largiendam, nisi opus illud ponatur, Indulgentia non acquiretur; Applicando autem hanc generalem doctrinam rei nostrae, dico, in forma concessionis contineri verba, quae indicent, voluntatem Pontificis esse, vt ponatur opus non solùm secundùm genus, verùm etiam secundùm intrinsecam individuationem moraliter bonum; dicitur enim sic (*Qui durante anno quinque Ecclesias, seu Altaria deuotè, visitauerint, &c.*) postulat enim Pontifex, vt patet ex praedictis verbis, non quamcumque, sed deuotam Ecclesiarum, seu Altarium visitationem; at illa visitatio, quae in individuo est mala, & peccaminosa, non potest dici deuota, neque eam ponens, dici potest deuotè visitare, vt Pontifex exigit, ergo talis visitatio non sufficit ad hanc lucrandam Indulgentiã. *In re nostra exponendum est opus in individuo benefactũ secundum intrinseca.*

57 Dixi opus requisitum per hanc Bullam debere esse secundum intrinsecam individuationem moraliter bonum; quoniam si solùm extrinsece erit malum, non prohibet, quin visitans Indulgentiam assequatur. Vt autem hi termini declarentur: suppono, in quolibet opere veluti duplicem spectari posse individuationem, intrinsecam vnam, & extrinsecam alteram; voco autem intrinsecam, differentiam illam individualem, quae primò, & per se constituit, & distinguit hoc numero opus ab alio opere sub eadem specie: extrinsecam verò appello eam, quae habetur ex circumstantijs adiunctis; inter has individuationes est discrimen, quia primò posita differentia illa, primo ponitur hoc numero opus quoad intrinseca: & primò illa ablata, primò aufertur hoc ipsum numero opus; sed non ita erit dicendum de individuatione illa extrinseca, quae siuè ponatur, siuè tollatur semper manebit substantia huius numero operis, & solùm diuersificabitur quoad aliquas extrinsecas denominationes. ponamus exempla. visitatio, A, facta ab hoc homine, tali tempore, loco, intentione, &c. differt numero à visitatione, B, quae fit ab alio homine, etiam ex eadem intentione, &c. vel ab eodem homine in diuerso tẽpore, loco, &c. ista autẽ differẽtia est individualis, & intrinseca faciẽs primò distinguere vnam visitationem ab alia; Sed visitatio, A, potest cõcomitari coniugi cum aliqua circũstantia omninò extrinseca, v.g. cum peccato cõmisso tempore visitationis, quod merè per accidens se habeat respectu visitationis, vt si quis visitet immodestè, vel eo tẽpore, quo tenetur aliã actionẽ exercere, vel culpabiliter distractè, aut quid simile; tũc visitatio quoad intrinseca nõ distingueretur à se ipsa, si fieret modestè, tẽpore nõ indebito, cũ attentione &c. & solùm extrinsecè variaretur, quia peccatũ illud afficeret tãtùm circumstantiã actus visitandi, non eius substantiam, & extrinsecè illum denominaret. *Si opus sit malum respectu alicuius extrinseci non erit inutile.*

58 Sed quid dicendum, si visitatio fiat ob duplicem finem, videlicet, ob motiuum Indulgentiæ, & ob motiuum vanæ gloriæ; aliqui dicunt per hanc visitationem adimpleri onus præscriptum, quia finis iste prauus non destruit aliud motiuum honestum, ad quod visitatio retinet ordinem, & sic docet *Suarez disp. illa 52. sec. 6. num. 3. Filliuccius tract. 8. cap. 8. nu. 119. Conin: de Indulg. disp. 12, nu. 41. Bonac. de Sacram. disp. 6. quæst. p. p. 5. num. 15.* Sed alij contrarium tuentur. At *Barthol. à S. Fausto lib. 3. de Indulg: quæst.* 38. distinguens ait, si per vnum eumdemque actum voluntatis aliquis mouetur ad visitandum, tunc non satisfacere; secus si per duplicem actum, & hæc distinctio mihi non displicet, quia si vterque finis influit, opus simpliciter denominabitur malũ, etiam quoad intrinseca; atque adeò nõ poterit esse deuota visitatio; at si finis honestus adæquatè specificet actum; tunc finis ille prauus concomitanter, & extrinsecè se habebit in ordine ad actum bonum, & vt sic pertinebit ad extrinsecam indiuiduationem, & actus ille honestus poterit esse deuota visitatio.

Si actio erit ob duplicẽ finem, & vnus erit malus, probabilius est nõ satisfieri oneri iniuncto.

59 Ex hac doctrina hactenus tradita soluimus difficultatem illam, quam tangit *Suarez sec. cit. num.* 4. cum enim prius dixerat satisfieri intentioni Pontificis requirentis opus bonum ad Indulgentiam lucrandam, etiam si opus admixtã habeat circumstantiam moraliter malam; statim *num. 4. sequenti* confirmans hanc sententiam ex incommodo, quod sequeretur ex opposita opinione, inquit, quando opus successiuè perficitur per magnam moram, vt est v. g. concio difficile esse in decursu temporis, non misceri aliquas circumstantias, quæ maculent bonitatem actus, & ideo non est credibile à Pontifice exigi tam exactam rectitudinem in opere, vt indulgentiam lucremur; hæc autem difficultas facilè à nobis soluitur, quia non est valdè difficile exercere actum moraliter honestum absque variatione intrinseca moraliter mala, quamuis varietur extrinsecè per circumstantias aliquas malas, sed extraneas, manente eadem indiuiduatione intrinseca ipsius actus.

60 Quæres Decimoquartò, an requiratur intentio visitandi ob finem à Pontifice præfixum?

61 Respondeo, requiri saltem intentionem virtualem, quia visitando, debemus orare pro rebus ab eodem Pontifice præscriptis, scilicèt pro concordia inter Principes Christianos, & pro eorũdem victoria contra infideles sic *Rodriguez §. 8. num 9. Trull. dub. 2. cit. num. 5.*

Requiritur intentio visitãdi ob finem à Pontifice intentum.

Quæres Decimoquintò, An sufficiat Oratio mentalis? 62

Sufficit oratio menta-

Respondeo, sufficere, vt supra ostendimus, agentes de Oratione requisita ad acquirendam Indulgentiam quindecim annorum, &c.

Quæres decimosextò, An visitatio ista fieri possit per alium? 63

Respõdeo minimè, quia est actio personalis, vt rectè docet *Bonacina de Sacramnt. disp. 6. quæst. p. p. 5. n. 24.* 64

Visitatio nequit fieri per alium.

Quæres decimoseptimò, An hæc Indulgentia pluries eodem die acquiri valeat repetendo visitationem? 65

Respondeo, partem affirmatiuam sustineri ab *Aegidio Trullench §. 6. cit. dub. 3. nu. 2.* & laudat pro se *Angelum ver. Indulgentia*, & etiam sustineri à *Rodriq. §. illo 8. num. 15. Villalob: tract. 27. claus. 8. num. 8. Henriquez lib. 7. cap. 10. num. 2. Nauar: de Indulg. notab. 32. num. 46. 47. Diana in Bullam tract. xi. Resol. 104.* Ratio autem pro hac sententia esse poterit, quia cum in hoc diplomate, acquisitio harum Indulgentiarum non sit restricta ad vnam tantùm vicem, sed absolutè, & indefinitè concedatur, potest toties quoties repetendo visitationes, lucrifieri Indulgẽtiam. Secundò probatur, quia concessio ista est priuilegium non redundans in præiudicium alterius; ergo amplè est explicandum, & ideo non est limitãdum ad primam tantùm vicem. 66

Posse eadem die hanc indulgẽtiã pluries acquiri quidam aliquos.

Alij verò negant, vi eiusdẽ Bullæ posse pluries eadem die lucrari Indulgentias stationum, & in hac sententia sunt *S. Thomas in addit. 3. p. qu. 25. a 2. ad 4. S. Anton. par p. tit. x. de Indulg. cap. 3. §. 3. Paludanus in 4. dist. 20. quæst. 4. a. 3. concl. 3.* qui licèt non loquantur explicitè de Indulgentijs Stationum; nihilominus tradunt vniuersalem doctrinam ponentes diuersitatem inter Indulgentiam perpetuam, & temporalem, & de illa dicunt posse toties, quoties acquiri, de ista verò negãt posse, nisi semel obtineri; Indulgentia autem Stationum in tali Ecclesia determinata, est ad tempus, nempè pro tali die determinato, & postea transacto eo die, cessat pro eo anno; igitur iuxta doctrinam prædictorum, nequit, nisi semel lucrifieri; in eadem opinione est *Ludouicus à Cruce in Bullam disp. p. cap. 8. dub. 13. num. 10. Riccius in addit. ad §. 8. num. 7. & alij.* Et hæc secunda opinio mihi videtur probabilior, atq; adeo admittẽda. Probatur primò ex ipsamet praxi, nã fideles nõ solẽt quãdo est Indulgentia in aliqua Ecclesia, aut Altari pro tali die determinata, pluries eadẽ die Indulgẽtiã sumere, v. g. est Indulgentia visitantibus Ecclesiam alicuius Sancti eo die, quo eius festum celebratur; 67

Negant alij.

Opinio negatiua, vt probabilior accipitur, & probatur ex praxi.

tunc

tunc si quis semel visitavit Ecclesiam illam, non redit eadem die ad visitandum in hunc finem, vt iterum indulgẽtiam lucretur; cum igitur talis inter fideles sit consuetudo, signum est, communi existimatione haberi, Indulgentias istas sub tali forma concessas non posse, nisi semel eadem die obtineri. Secundò fauet huic opinioni extensio huius Bullæ facta à Greg: XIII. per quam concedit, vt vnusquisque secunda vice eodem anno sumens Bullam, bis etiam lucretur omnes Indulgentias, quas priùs lucratus fuerat virtute primæ Bullæ; signum igitur est, per vnam Bullam non posse has indulgentias pluries comparari.

68 *Responsio ad adversarium.* Respondet *Emanuel*, & ex ipso *Trullen.* in illa extensione sermonẽ esse de Indulgẽtia plenaria, quæ semel in vita, & semel in morte conceditur, non autem de his Indulgentijs Stationum.

69 *Impugnatur responsio.* Contra est, quia in illa extensione expressè non de vna, sed de omnibus antedictis Indulgentijs est sermo, vt patet legenti, & efficaciter hoc confirmatur ex eo, quod in litteris huius extensionis conceditur secunda vice cõsequutio illarum Indulgentiarum, quæ ferri possunt tàm in vtilitatem ipsius sumentis, quàm defunctorum; at Indulgentia illa, de qua in paragrapho seqũẽti est loquutio, & semel in vita, & mortè acquiritur, nequit defunctis applicari; igitur dum Pontifex per iteratam huius Bullæ receptionem statuit, vt possint iterum acquiri omnes prædictæ indulgentiæ pro se, & pro defunctis, comprehendit procul dubio indulgentias Stationũ, quæ animabus purgatorij dispositione Pontificia sunt applicabiles, de quibus ante litteras extensionis fuit sermo.

70 *Ad primum argumentum contrarium.* Ad primùm verò argumentum contrariæ sententiæ, respondeo, restrictionem ad semel tantùm acquirendas has Indulgentias vi eiusdem Bullæ, non poni in actu signato in hoc paragrapho, dum fit mentio de indulgentijs non perpetuis; sed poni in actu exercito, dum conceduntur Indulgentiæ Stationum, quæ in quolibet anno pro vna determinata die signantur; atque adeo semel possunt cõparari, vt ostensum est, & ideo nos limitatè loquentes asserimus illud ipsum, quod in Bulla exercitè disponitur.

71 *Respondetur ad secundum.* Ad secundum, etiam dato, hoc priuilegium non esse odiosum, sed inter fauores enumerandum, & ampliandum, tamen nequit ita extendi, vt extensio repugnet rei, de qua est priuilegium; at repugnaret, si dicatur pluries eadem die has Indulgentias lucrifieri, nam priuilegium istud ratione materiæ, quam continet, nempe Indulgentias Stationum pro vna die singulas duraturas, quæ eadem die, vt probauimus, semel tantùm fidelibus prosunt; nequit se extendere ad plures vices modo explicato.

CAPVT V.

De Indulgentia Plenaria, quæ vi huius Diplomatis semel in vita, & semel in morte conceditur.

Hæc est vltima formula, sub qua Summus Pontifex §. 15. accipientibus Bullam plenissimam largitur indulgentiam; modus autem eam consequendi est longè diuersus ab alijs, sub quibus præcedentes indulgentiæ collatæ fuerunt; istæ enim per opera iniuncta, & ab ipsomet priuilegiato exequenda, acquiri debent; ista vero sine vllo onere, & nõ ab ipso priuilegiato, sed ab eius Confessario est applicanda: expeditis autem difficultatibus circa præcedentia indulta, nunc erit sermo de indulgentia ista plenissima, circa quam multa occurrunt expendenda. Verba autem concessionis hæc sunt *Conceditur, vt possint eligere Confessorem approbatum &c. & ab eo quorumcumque peccatorum, & censurarum plenariam indulgentiam, & remissionem semel in vita, & semel in morte obtinere.* 1

Quæres primò. An applicatio facienda à Confessario sit ita necessaria, vt si pœnitens rectè ad illam sit dispositus eàque petat, & Confessarius renuat, hoc non obstante, indulgentia comparabitur. 2

Respondeo negatiuè. sic *Nauarrus de indulg. notab.* 30. *num.* 14.16. *Cordubâ lib.* 5. *de indulg. quæst.* 37. § *exquo: & alibi remissiuè, & Aegidius Trullench. in expos: Bullæ lib.* p. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 19. *nu.* 3. qui hoc probat ex verbis relatis; Pontifex enim concedit hanc indulgentiam media applicatione facienda à Confessario; proinde non posita applicatione, quæ est conditio prærequisita, nequit Pœnitẽs indulgentiam obtinere. At partem affirmatiuam defendit *Rodriquez* §. 9. *num.* 43. & apud ipsũ *Curiel de Iubileo. p.* 33. Sed prima opinio est admittenda, quia cũ Pontifex munus applicandi indulgentiam alteri delegauerit, si Delegatus nõ exerceat munus commissum, effectus sequi non poterit, sicuti dum delegatur ab ipso Põtifice potestas dispensandi, commutandi &c. si Delegatus nolit dispensare, commutare &c. non rectè inferretur obtentã esse dispensationem &c. Aliam *Rodriquez* assignat rationem, quæ reuera nõ est efficax, eamque bene impugnat Aegidius. 3 *Non lucrifit Indulgentia ista, nisi Confessarius eam applicet.* *Oppositum aliqui.*

4 Quæres secundò, An aliquis non Sacerdos possit hanc Indulgentiam applicare?

5 Respondeo, debere esse Sacerdotem; immò,& Cõfessariũ electũ ab ipso pœnitente. Sic docet *Henriquez lib. 7. cap. 9. in fine, & Trullench dub. cit. num.* 6. Probatur ex ipsamet Bulla, per quam eidem Confessario approbato, cui committitur facultas absoluendi à casibus, & censuris reseruatis, delegatur potestas applicandi hanc Indulgentiam, suadetur ex dictione illa,(&)quæ regulariter est coniunctiua, ac vim habet copulandi præcedentia cum subsequentibus, vt notat *Gratianus. in disceptat. forens. cap.* 147. *nu.* 16. *Parisius de Resign. lib.* 11. *quæst.* 11. *nu.* 25. vbi ex *Bartolo, & alijs* id confirmat per Ius ciuile.

Debet esse Sacerdos, & Confessarius electus ab ipso priuilegiato.

6 Quæres tertiò, quid dicendum, si Sacerdos iste non sit ab Ordinario approbatus? nam Bulla præter Sacerdotium, requirit approbationem, vt vidimus.

7 Respondeo, quod quamuis præsens dubium à nemine viderim exagitatum; tamen dico, quod si applicatio ista expostulet fieri in confessione Sacramentali, vt multi autumant, & inferiùs determinabitur, tunc responsio erit manifesta, videlicet fieri non posse, nisi à Sacerdote approbato, quia nisi sit approbatus, non potest ponere conditionem illam, nempè confessionem Sacramentalem; at si dicamus non esse necessariam confessionem Sacramentalem, vt fiat applicatio ista, tunc probabiliter censeo, duas illas qualitates, videlicet Sacerdotium, & approbationem requiri ad duos illos effectus, nempè ad absolutionem à culpis, & ad applicationem Indulgentiæ simul copulatiuè sumptos; non autem ad effectum applicationis disiunctiuè sumptum. Ducor ad hoc, quia cum illarum duarum qualitatũ coniunctio dirigatur ad vtrumque effectum copulatiuè, vt ostendimus, & non exprimatur, an etiam vtraque qualitas exigatur ad vnum tantùm effectum; ideo recurrendum est ad naturam ipsarum rerum, & cum nulla appareat connexio inter applicationem, & approbationem, non erit à nobis, vt necessaria admittenda ipsa approbatio, ad hoc, vt applicatio suum sortiatur effectum; idcirco dicimus posse à Sacerdote non approbato ad confessiones, applicari hanc Indulgentiam, ex suppositione quod non postuletur, vt conditio, actualis confessio.

Si applicatio ista poterit fieri extra Sacramẽtũ pœnitentiæ probabile est posse fieri à Sacerdote non approbato ad confessiones.

8 Sed dices facultas absoluendi à censuris, vt infra videbimus, non committitur vi huius Bullæ, nisi Confessario approbato, etiam si non requiratur actualis confessio, & hoc ex eo, quod Pontifex in hoc eodem paragrapho delegat hanc potestatem Confessario approbato; igitur cum facultas applicandi Indulgentiam in hac eadem clausula eidem committatur, debemus consequenter sustinere, non posse hanc applicationem fieri, nisi ab eodem Confessario approbato.

Instantia.

9 Respondeo, quamuis sub eodem verborum tenore committatur vtraque facultas, tamen, vt dixi, Sacerdos approbatus requiritur in ordine ad omnes effectus, qui in hoc paragrapho signantur, nimirum ad absolutionem à culpis, & à censuris, & ad Indulgentiam applicãdam; respectu autem horum omnium copulatiuè, determinat Pontifex, vt ille, cui delegatur integra potestas ad omnes prædictos effectus, sit Sacerdos approbatus, aliter non posset tale munus integrè exercere; Cæterum si consideremus vnum determinatum effectum seorsim ab alio, nulla apparet sufficiens ratio, cur in Delegato vtramque postulemus qualitatem; debemus igitur in hoc spectare naturam ipsius effectus, seu congruentiam fundatam in ipsa rei natura; quapropter dico, non esse eamdem rationem de absolutione à censuris, & de applicatione huius Indulgentiæ, quia longè maior peritia requiritur ad liberandum à censuris, quàm ad hanc applicationem, & ideo meritò requiritur Confessor, cuius doctrina iuridicè sit approbata; talis autem necessitas non videtur in applicanda Indulgentia; & sic dispar est ratio.

Solutio.

Discrimen inter absolutionem à censuris, & applicationem huius Indulgentiæ.

10 Quæres quartò. An requiratur actualis Confessio ad hanc applicationem?

11 Respondeo existimari ab aliquibus applicationem hanc faciendam esse intra Sacramentum pœnitentiæ, quando confessio fieri poterit, Sic docuit *Trullench num.* 4. quando verò pœnitens est impotens ad confessionem v. g. cum euasit phreneticus, vel incidit in alium morbum, qui impediat vsum rationis; tunc ait, posse à Confessario absolui à censuris, eidemque applicari hanc Indulgentiam. Fundat hanc suam opinionem quatenus postulat actualem confessionem; in verbis ipsius Bullæ, per quæ dicitur, possa à priuilegiato eligi confessarium, vt ab eo absoluatur, & plenariam peccatorum Indulgentiam obtineat,

Aliqui censent applicationem Indulgentiæ faciẽdã esse in actu confessionis.

12 At oppositum sustinent alij in fortioribus terminis, nempè etiam si in forma concessionis dicatur, dari Indulgentiam contritis,& confessis, hoc non obstante, dicunt, non requiri actualem confessionem,

Alijs oppositum placet.

nem, ſed ſufficere eam habere in voto, debere tamen pœnitentem elicere actū contritionis; ſi habeat peccata mortalia. Ita docent *quamplures, quos laudat, & ſequitur Diana tract. 11. de Bulla reſol.* 105. & inter alios citat *Paludanum, Tapienam, Suarez, Filliuccium &c.* hoc ipſum docent *multi contra Acoſtam in Bullam queſt. 14. dub.* 2. quando pœnitens non habet, niſi peccata venialia, de quibus non ſolet Eccleſia imponere onus confeſſionis, *vt idem Diana ex pluribus aſſerit reſol. 7. & Henriquez lib. 7. cap. 10. in comm. lit. R. in fine*; Dico igitur ad quæſitum, probabile mihi videri, poſſe à Confeſſario applicari Indulgentiam, etiam ſi pœnitens non confiteatur, ſed ſit contritus; licèt oppoſita ſententia ſit tutior, & probabilior, quando ipſe pœnitens habet conſcientiam peccati mortalis non deleti per Sacramentum pœnitentiæ.

Probabile eſt applicari poſſe extra cōfeſſionem, licèt cōtraria opinio ſit tutior.

13 Ad fundamentum autem, cui adhæret *Trullench* facilis eſt reſponſio ex ſupradictis, ſcilicèt requiri à Pontifice Confeſſarium in ordine ad vtrumque effectum, vt probauimus.

14 Quæres quintò. An Indulgētia iſta poſſit à Cōfeſſario applicari alicui, qui eſt abſēs?

15 Reſpondeo ſi neceſſaria eſt confesſio actualis, certum eſt applicari non poſſe abſenti, & ideo in hoc cohærenter loquutus eſt *Trullench num. 7.* requirens præſentiam, cum ipſe putauerit, extra articulum mortis applicationem hanc faciendam eſſe intra Sacramentum pœnitentiæ; at poſita alia ſententia, de qua nos ſupra, dicendum eſt fieri poſſe abſenti, quia nulla apparet ratio efficax pro oppoſito, ex hypotheſi, quod dicamus, non requiri confesſionem actualem.

Poſſe applicari abſenti ſi fiat extra Sacramentum.

16 Quæres ſextò. Vtrum in articulo mortis applicari poſſet Indulgentia hæc à non Sacerdote?

17 Reſpondeo, In abſentia Sacerdotis applicari poſſe à Tonſurato, & eo deficiente, à Laico, cenſuit *Nauarr. notab. 30. cit. num. 9. Henriquez lib. 7. cap. 6. num. 4. Ioannes Valerus ſupra citatus. Trullench. dub. cit. num. 6. & Diana par. 5. tract. 12. Reſol. 46.* At negat *Ludouicus à Cruce in Bullam diſp. p. cap. 8. dub. 14. num. 2.* Vtrumque eſt probabile: pro parte negatiua faciunt verba Bullæ ſignantis Confeſſarium ad hoc munus exercendum; pro affirmatiua eſt ratio, quia cum relaxatio pœnæ non ſit actus ordinis, ſed iuriſdictionis, nō requirit ſacerdotium, ſicuti ob eamdem cauſſam, neque abſolutio à cenſuris; idcirco deficiente Sacerdote videtur poſſe à non Sacerdote, & etiam à Laico applicari hanc Indulgentiam.

Probabile eſt applicari poſſe à nō Sacerdote.

18 Quæres ſeptimo. An Indulgentia conceſſa pro articulo mortis locum habeat ſolùm in vero articulo mortis, an etiam extendatur ad præſumptum.

19 Reſpondeo extendi ad præſumptum. ſic *Corduba lib 5 de indul. quæſt. 39. dicto 2. Rodriq. in § 9. num. 38. dub. 3. concl. 2 Nauarr. in illo notab. 30 nu. 3. 4. Trullench. lib. p. §. 7. cap. 2. dub. 19. num. 8. & alij.* vt enim infra loquendo de facultate abſoluendi à reſeruatis Pontifici ſemel in vita, & in articulo mortis, dicemus *in Iure Canonico*, articulum mortis, ſi aliud non exprimatur, ſumi poſſe pro vero, & præſumpto, idque ſufficienter oſtendemus, ideo eiſdem argumenti faciunt ad oſtendendum hoc ipſum de facultate applicandi hanc indulgentiam, ibique videri poſſunt.

Indulgentia iſta locū habet etiam in articulo mortis præſumpto.

20 Et ſi vrgeas contra, in Bulla Hiſpana additur, hanc facultatem dari pro vero mortis articulo; verus autem articulus excludit præſumptum, vt notant *Corduba, & Rodriquez locis citatis*; reſpondeo *in Bulla Latina, & Italica* tale additum non haberi; proinde adhærentes his exemplaribus, ſequitutò poſſumus hanc opinionem; in Hiſpanica autem, ſi additum illud poſitum ſit, & in Hiſpanijs conſuetudo ſeruetur iuxta exemplare Hiſpanicum, tunc diceremus non poſſe vtiliter applicari indulgentiam in articulo tantùm præſumpto; ſequentes autem noſtram opinionem ea probamus à pari; nam Sacramentum Extremæ Vnctionis, quod in articulo tantùm mortis conferendum eſt; applicatur etiam in articulo præſumpto, quia præceptum non limitatur ad verum articulum, ergo idem dicendum erit in caſu noſtro, cum ſit par ratio.

21 Quæres octauo. Vtrum idem ſit aſſerendum, quando infirmus eſt in periculo, & non in articulo mortis?

22 Reſpondeo, quo pacto periculum, & articulus mortis in ſe differant, fusè declarabimus infra tractantes de abſolutione à reſeruatis danda virtute huius Bullæ, & ad ea me remitto: pro deciſione tamen huius quæſiti, breuiter dico, quod illi, qui ſuſtinent omnia priuilegia Cruciatæ eſſe ſtrictè interpretanda, debent partem negatiuam defendere, videlicet non poſſe applicari hanc Indulgentiam, niſi in articulo, non autem in periculo mortis, & quia nos putamus, priuilegium iſtud eſſe amplè explicandum; idcircò conſequenter dicimus, articulum mortis extendi ad periculum; atque adeo in eo poſſe Indulgentiam infirmo applicari.

Priuilegium iſtud vigorem habet etiam in periculo mortis.

23 Quæres nono. An applicatio iſta ſemel

mel facta, ſi infirmus conualuerit, & poſtea eodem anno deuenerit in articulum mortis, poſſit vi eiuſdem Bullæ iterum applicari indulgentiam.

24 Reſpondeo, nequaquam fieri poſſe, quia per applicationem, Bulla quoad hoc priuilegium ſortita eſt integrè ſuum effectum, & expreſſè conceditur, vt ſemel in articulo mortis detur plenaria iſta Indulgentia, vt communiter notant Doctores, & docet *Corduba loco citato; Nauarrus, Trullench*, & alij; deberet autem aliam ſumere Bullam, vt fiat ſecunda applicatio, tertia verò fieri nequit eodem anno, vt infra dicemus.

25 Quæres decimò. Vtrum applicatio iſta vtiliter fiat ſub conditione, his aut ſimilibus verbis vtendo: applico tibi Indulgentiam vi Bullæ, ſi verè morieris, alioqui ſeruet tibi Deus hanc Indulgentiam tempore mortis.

26 *Applicatio [illegible] fieri cō-ditionalè.* Reſpōdeo, ſub tali cōditione dari poſſe, tuetur *Fernandez in illa dubit. 3. in fine, Villalobos claus. 21. in Bullam, nu. 3. & Pater Diana in Bullam tract. 11. reſol. 106.* Probāt autem prædicti hanc ſentētiam nixi auctoritati Commiſſarij. Oppoſitū autem tuētur alij, vt *Trullench. nu. 8. cit.* & videtur ſentire *Corduba quæſt. 39. de indulg. dicto 2.* licèt pro prima ſententia citetur à *Fernandez*, ſed non rectè. Ratio autem pro noſtra concluſione eſt, quia cum Pontifex id non concedat, non eſt recedendum à forma conceſſionis.

27 Illud autem quod dicitur de Commiſſario Cruciatæ non inuenio, neque in Bulla magna latina, neque in Summario italico, ideoque neſcio, vnde colligatur.

28 Quæres vndecimò, quid dicendum ſi quis repentina morte ex hac vita decedat, & non habeat opportunitatem ſacramentaliter confitendi, vel ob Sacerdotum abſentiam, vel ob aliud legitimum impedimentum?

29 Reſpondeo caſum hūc præuiſum fuiſſe à *Pontifice*, & de eo diſpoſitum fuiſſe, *in paragrapho 16.* cuius declarationē præuenimus, ne cogamur tractatum hunc de indulgentijs diuidere; in eo paragrapho enim ſic habetur (*Itē ſi dicto anno durāte cōtingit per repentinā mortem, vel Confeſſariorum abſentiam ſine confeſſione decedere modo contriti deceſſerint, & priùs ſtatuta tempore confeſſi fuerint, neque huius conceſſionis fiducia negligentiores fuerint plenariam, vt ſupra, remiſſionem conſequantur.*) *Poterit hac Indulgentia prodeſſe defunctis, tribus poſitis conditionibus in Bulla expreſſis.* Concedit igitur *Pontifex in hoc paragrapho* plenariam illam indulgentiam, quæ ſi homo repentè non obijſſet, fuiſſet à Confeſſario illi applicanda; ſed ſub tribus conditionibus fit conceſſio iſta. Primò, vt ille, qui ſic repente moritur, habuerit contritionem, quod intelligo ex ſuppoſitione, quod habuerit peccata mortalia nō deleta, nam ſi nullum haberet graue peccatum, puto non requiri à Pontifice cōtritionem de venialibus, aut de mortalibus præteritis iam remiſſis, proindè contritio in hoc loco non poſtulatur, vt forma, & abſolutè, ſed ſolùm, vt homo per contritionem diſponatur ad iuſtificationem, & ad deletionem mortalium. *Prima conditio.*

30 *Secunda.* Secundò petitur, confeſſionem ſtatuto tempore factam fuiſſe; per tempus autem ſtatutum intelligo tēpus ab Eccleſia præſcriptum, & ideo ſi ponamus, hominem hunc tempore debito culpabiliter omiſiſſe confeſſionem, cenſeo etiam ſi contritus moriatur, non recepturum Indulgentiam hanc, & per conſequens confeſſionem illam exigi, vt formam. Probatur, quia ſi ſolùm poſtuletur, vt homo mediante Sacramento, gratiam iuſtificationis recipiat, cum ad hunc effectum ſufficeret contritio, non erat neceſſariò poſtulanda confeſſio; cum autem Pontifex præter contritionem, requirat confeſſionem ſuo tempore factam, ſignum eſt, confeſſionem hanc per ſe poſtulari.

31 *Tertia.* Tertiò, vt ille, qui moritur, non fuerit negligens ob huius cōceſſionis fiduciam, ſed in quo conſiſtere poſſit talis negligētia, non declaratur in Bulla; quia ſi ponatur in omiſſione confeſſionis, tempore debito, tunc tertia iſta cōditio coincideret cum prima, quæ præſcribit confeſſionem faciendam, neque poni poteſt in omiſſione contritionis, quia ſic conditio iſta eadem eſſet cum ſecunda, neque appareret in quo alio ſit collocanda; at mihi videtur dicendum, negligentiam, de qua in hoc loco loquitur Bulla, ſitam eſſe in omiſſione pœnitentiæ agendæ pro peccatis commiſſis. Decernit igitur *Pontifex* quod ſi quis ob fiduciam huius plenariæ Indulgentiæ obtinendæ fuerit ſegnior, nequeat in fine vitæ repentina morte decedens, eam lucrari: omiſſio autem iſta debet directè ſequi ex illa fiducia, nam ſi ex alia cauſſa ſuboriatur, non impedit, quin homo contritus moriens fructum huius Indulgentiæ obtineat.

TRACTATVS V.

IN §. XV.

DE PRIVILEGIO ELIGENDI CONFESSARIVM.

PRæter indulgentiam ſemel in vita, & ſemel in morte, de qua tractatu præcedente egimus, tres in hoc eodem paragrapho continentur gratiæ: prima eſt facultas eligendi Confeſſarium: ſecunda, poteſtas abſoluendi à cenſuris, & peccatis: tertia denique, poteſtas vota commutandi. Verum quia hæ tres facultates plurimarum, ac diuerſarum rerum diſcuſſionem expostulant, idcirco omnia diſtinctis tractatibus comprehendere duximus exordium ſumentes à poteſtate eligendi Confeſſarium; qui cum debeat eſſe iuxta præſcriptum ipſius Bullæ ab Ordinario approbatus, de ipſa approbatione ſermonem inſtituimus.

CAPVT I.

De approbatione requiſita, eiuſque qualitate, & de Ordinario, à quo legitimè datur.

1 QVAE circa naturam, & qualitates huius approbationis à Doctoribus controuertuntur, ſunt à nobis proponenda, ſicuti etiam eſt determinandus Ordinarius, à quo ipſa approbatio, veluti à cauſſa effectiua iuridicè, & legitimè procedere debet, quæ in ſequentibus ſunt decidenda.

SECTIO I.

Quid ſit approbatio, & quomodo à iuriſdictione diſtinguatur.

2 *Qualitates requiſitæ in Confeſſario eligendo.* SVpponimus in præſentia tamquam certum, præter ea, quæ in Miniſtro Sacramenti pœnitentiæ de Iure Diuino, & naturali requiruntur, vt ſacerdotium, vſus rationis, potentia loquendi ad proferendam formam, &c. præter iſta etiam iuriſdictionem, & approbationem deſiderari; hæc autem duo ſunt omnino inter ſe diuerſa, imò & ſeparabilia.

3 *Quid ſit Iuriſdictio.* Iuriſdictio, quæ eſt ius exercēdi actum in alium tamquam in ſubditum, diuiditur in ordinariam, & delegatam. ordinaria reſidet in Prælatis reſpectu propriorum ſubditorum, vt in Epiſcopis, Parochis, Superioribus Regularibus prælaturam habentibus, & hi omnes veniunt re- *Quotuplex ſit.* ſpectiuè ſub nomine Ordinarij, hoc eſt vnuſquiſque ex his dicitur Ordinarius per habitudinem ad ſuos ſubditos. delegata ea eſt, quæ ab habente ordinariam conceditur alteri Confeſſario, qui non eſt proprius Prælatus.

Approbatio autem eſt quoddam iudicium, quo mediante, aliquis determinatè iudicat, talem Sacerdotem eſſe idoneum ad confeſſiones excipiendas tum quoad ſcientiam, tum quoad mores, & prudentiam. 4 *Quid ſit Approbatio.*

Ex his habemus differentiam inter iuriſdictionem, & approbationem; nam approbatio eſt actus intellectus, collatio verò iuriſdictionis eſt actus voluntatis; illa eſt actus iuſtitiæ; & ideo non pendet à beneplacito illius, cui ex officio incumbit approbare, vel reprobare: proindè ſi Epiſcopus agnoſcat Sacerdotem aliquē, qui examini ſe expoſuit, eſſe idoneum, nequit illum reprobare, imò tenetur ex rigore iuſtitiæ eum approbare: at collatio iuriſdictionis eſt actus gratioſus, quatenus qui habet ordinariam iuriſdictionem, eam alteri committit non ex debito iuſtitiæ, ſed ſolùm ex pura, & gratuita voluntate in ordine ad ipſum delegatum determinatè ſumptum. 5 *Diſcrimen inter iuriſdictionem, & approbationem.*

Demum iſta duo ſunt de facto ſeparabilia: nam Epiſcopus, aut alius Prælatus, quamuis iudicet, talem Sacerdotem eſſe aptum, & habere conditiones requiſitas ad confeſſionem excipiendam: nihilominus poterit, per ſe loquendo, illi iuriſdictionem non conferre in ordine ad ſuas oues, dixi per ſe loquendo, quia in aliquo caſu per accidens ad id teneb ur 6 *Sunt ſeparabilia.*

V.G.

V.G.ſi in aliquo paruo Oppido nõ ſit,niſi vnus, aut alter Sacerdos, tenebitur Epiſcopus ex iuſtitia, vel alios idoneos aſſignare, vel ſi id fieri nequeat, omninò debet Sacerdoti cõmorãti in eo paruo Oppido iuriſdictionẽ dare,ſi illum, ſciat, eſſe idoneum ad hoc munus, ne ciues illius Oppidi ſint deſtituti Confeſſarijs, à quibus abſolui poſſint à peccatis.

7 *Quid in hoc priuilegio circa Confeſſarij electionem conceditur.*

His omnibus præmiſſis, Pontifex per hanc Bullam Cruciatæ immediatè confert omnibus Sacerdotibus iuriſdictionẽ ad confeſſiones excipiendas; ſolùm enim prærequirit ab Epiſcopo approbationẽ, qua poſita, ſtatim intelligitur Sacerdos ille approbatus habere à Papa iuriſdictionem delegatam vi huius Bullæ, & nõ tenetur eã ab Epiſcopo, vel ab alio Prælato emendicare; atque adeo ſi ab aliquo pœnitente, qui Cruciatam habet, eligatur, nihil aliud deſiderabitur ex parte, Miniſtri ad valorem huius Sacramenti.

8 Ceterum,quia eſt celebris difficultas in determinando, quiſnam ſit ille Ordinarius,cuius approbationem Summus Pontifex in hoc Diplomate prærequirit, ad hoc vt aliquis Sacerdos per hanc Bullam legitimè eligatur; & res ſit valde implicata ob ſententiarum varietatem, idcircò pro illa dilucidanda ſequentem inſtituimus Sectionem.

SECTIO II.

Cuius Ordinarij approbatio à Bulla requiratur.

9 *Inquiritur Ordinarius, à quo approbandus ſit Confeſſarius.*

Vidimus ſectione præcedente, neceſſariam eſſe in Sacerdote, qui auditurus eſt confeſſiones, approbationem datam ab Ordinario, & qui veniant ſub Ordinarij nomine. nunc inquirendum eſt, cuius nam Ordinarij approbatio ſit neceſſaria?

10 *Vnde Orta ſit opinionũ varietas in hac re.*

Circa hoc quæſitum diuerſitas rationum, ſeu congruentiarum, & varietas declarationum, & reſponſionum Sacræ Congregationis, quæ hinc inde afferuntur, fuit cauſſa pluralitatis opinionum inter Authores de hac re tractantes; & vt meliùs tota ipſa controuerſia innoteſcat, ſingulas ſententias referam; quarum quatuor ſunt principales, aliæ verò tres ſunt veluti mediæ participantes de extremis.

11 *Quorũdam opinio vult, ſatis eſſe approbationẽ cuiuſcũque Ordinarij, vt approbatus vi Bullæ vbique eligatur.*

Prima autem ſententia aſſerit,ſatis eſſe approbationem cuiuſcũque Ordinarij,quãuis non ſit Ordinarius Confeſſarij, neque pœnitentis. ita *Henriquez lib.3. De pœnitentia cap.6. nu.7. & lib. 7. De indulg. cap.12.num.4.Portel.in dub.regul.ver.Confeſſor regular. num.4. Petrus Ledeſma in Summa. tom. primo De pœnitentia cap. 13. dub.7. Viualdus in Candelabro cap. De Confeſ.num.21. Nuñus in addit. ad 3.p. S.Thomæ tom.2. quæſt.8. ar 5.dub.9. Gomez in Bullam ad clauſ.10.num.8.*

Probari ſolet hæc opinio primo, quia in Bulla cum ſimpliciter poſtuletur approbatio Ordinarij, & non determinetur potius vnus,quàm alius, nõ debemus verba ipſius Bullæ reſtringere ad vnum tantum Ordinarium: ſecundo ſi per Ordinariũ in Bulla intelligeretur proprius, nullum per ipſam Bullam concederetur priuilegium circa Confeſſarij electionẽ; quia præſcindendo à Bulla, vel alio ſimili priuilegio, nequit eligi niſi Confeſſarius Ordinarius, vel approbatus à proprio Ordinario: at non videtur aſſerendum, per Bullam nullum dari priuilegium circa Confeſſarij electionem. hæc, & fere ſimilia argumenta afferri ſolent ad hanc ſententiam ſuadendam. 12 *Afferuntur fundamenta huius ſententiæ.*

Secunda opinio non eſt ita ampla,eãq; inuenio excogitatam *à Ioanne Valero in differentijs vtriuſque fori verb. abſolutio differentia prima num. 7.* & licèt Author iſte à quibuſdam citari conſueuit pro ſententia præcedente; tamen non rectè; nã ipſe loquitur magis ſtrictè, vult enim, approbationem hanc eſſe faciẽdã à proprio Ordinario ipſius Confeſſarij, & declarans quis ſit proprius,inquit,eſſe triplicem, videlicet Ordinarium Domicilij, Originis, & Beneficij: & ideo aſſerit, à quolibet iſtorum trium habeatur approbatio, Sacerdotem ita approbatum eſſe eligibilem per Bullam. hanc ſententiam Author iſte fuſe probat reſpondens ad obiecta in contrarium. probatur autem hæc opinio tali pacto. in iure ſub nomine proprij Ordinarij venit ille triplex receſſus, vt expreſsè habetur *in capit. cum nullus De temp. ordinar. in 6.* ibi enim dum agitur de Epiſcopo, à quo aliquis promoueri poteſt ad ordines ſacros, vel ab eodem dimiſſorias recipere, vt ab alio Epiſcopo ordinetur, declaratur, quis ſit proprius Ordinarius, & dicitur eſſe Epiſcopus Domicilij,Originis,& Beneficij; ſi igitur quilibet ex prædictis tribus eſt proprius Ordinarius, poterit approbare Sacerdotem ad confeſſiones audiendas, quia ſic approbatus verè diceretur approbatus à ſuo Ordinario iuxta formam Tridentini, & Bullæ Cruciatæ. 13 *Alia opinio minus ampla aſſignat triplicem Ordinarium.*

Tertia ſententia diſtincta à præcedẽtibus magis reſtringit, aitq; approbationem neceſſariam eſſe ab Epiſcopo proprio ipſius Confeſſarij, ſeu ab Epiſcopo, in cuius Diœceſi Sacerdos approbandus habet domicilium, hãc opinionem poſt lõgum examen reliquarũ amplexus eſt *Suarez diſp.* 14 *Alia ſententia valde, Ordinarium, à quo facienda eſt approbatio eſſe Epiſcopum Confeſſarij.*

disp. 28. sect. 6. num. 6. Bonacina de Sacramẽto Pœnitẽtia disp. 5. quaest. 2. pũcto 6. n 15. Aegidius Conin. disp. 8. dub. 1. nu. 50. Fagũdez in 2. precept: Eccles lib 7. cap. 2. nu. 22. Ioannes Prapositus, in 3. p. S. Thomae, dum tractat de approbatione Ministri huius Sacramẽti quaest. 8. dub. 3. Trullench lib. citato §. 7. cap. 1. & alij recentiores, qui nituntur, in quibusdam declarationibus, seu respõsionibus Sacrae Congregationis, prima enim sic inquit *(S. D. N. declarauit, tempore Iubilei, posse omnes Regulares confiteri peccata sua Sacerdotibus approbatis ab Ordinario, ad audiendas confessiones; in Bulla enim non fit mentio, nisi de Ordinario eorũ, qui audituri sunt confessiones, non autem de Ordinario pœnitentium)* quamuis autem declaratio ista loquatur de Regularibus, nihilominus eadem est ratio de Saecularibus; quia Bulla sicuti, & Concilium indifferenter loquuntur de vtrisque. *Declarationem istam* testatur *Suarez seruari in Collegio Conimbricensi, & in codice ipsius Conimbricensis Episcopi Anno 1159.*

Suadetur diuersis declarationibus S. C.

15 Alia responsio adducitur, quae sic ait *(S. D. N. audita relatione Congregationis declarauit, Episcopum vigore priuilegij, de quo in cap fin. de Pœnitentia, & Remis. non posse sibi eligere Sacerdotem sibi non subditum, qui à proprio Ordinario non fuerit adhuc ad formam huius Decreti admissus, seu approbatus ad audiendas confessiones)* loquitur enim haec declaratio *de Decreto Concilij Tridentini*, & supponit *ex eodem Decreto* esse necessariam approbationem illius, qui est Ordinarius Confessarij; & cum per Bullam *huic Decreto* minime derogetur: fit, vt approbatio, quam in praesentia inquirimus, sit Ordinarij proprij ipsius Confessarij: si enim talis approbatio nõ esset necessaria, nulla haberetur ratio, cur Episcopus non posset pro se approbare Sacerdotem non approbatum à suo Ordinario; sicuti eundem Sacerdotẽ approbare potest pro suis ouibus.

16 Secundò suadetur ratione. Approbatio est actus iurisditionis; proinde spectare debet ad illum Episcopum, qui habet iurisdictionem in Confessarium approbandum. Aliae etiam congruentiae apponuntur à *Suarez*, quibus ipse hanc opinionem confirmat.

Probatur ratione.

17 Quarta opinio procedit strictè, sicuti praecedens, sed discrepat ab illa inquantum vult approbationem requisitam esse dandam ab Ordinario ipsius pœnitentis. Ita quamplures, & inter alios *Rodriquez in Bulla §. 9. dub. 2.* vbi pro eodem sumit Ordinarium pœnitentis, & loci, in quo fit confessio, sequuntur etiam hanc opinionem *Gutier. lib. p. quaest. can. cap. 27. num. 6. Lopez instruc. 20. c. 8 Villal. tom. p. tract. Franc. Bard. in Bull. Cruc.* 9. *dub. 56. Gaspar Hurtado de Sacramento pœnitentia disp. 10. diff. 18. Syluius in 3 p. qu. 8. de pœnitentia a. 5. conclusione prima:* & ex parte amplectitur eamdem sententiã *Ludouicus à Cruce in Bullam. disp. prima cap. 2. dub. 25. n. p.* dum disiunctiuè loquitur, dicens, approbationem hanc esse faciendam ab Ordinario loci, vel saltem pœnitentis, similiter *Candidus de Confessione Sacramentali disquis. 24. ar. 66. dub. 9.* 10. ait, sufficere approbationem Ordinarij pœnitentis.

Alij volũt esse Episcopum pœnitentis.

Suadetur autem haec opinio; primo ex eo, quod ad Episcopum pœnitentis spectat prouidere de idoneis Confessarijs pro proprijs ouibus. Secundò quia in vna Diœcesi interdum est necessaria maior scientia, & prudentia, quàm in alia, spectatis moribus, & consuetudinibus hominum; proinde ad Episcopum, qui est talium fidelium Pastor pertinere debet iudicare de habilitate Confessarij in ordine ad proprios subditos. 18

Ratio pro hac opinione.

Demum citatur quędam responsio Sacrae Congregationis ad instantiam *Don Ioannis à Ribera Archiepiscopi Valentini*, quam *Rodriquez* affirmat, eam se legisse, & *Trullench testatur* inueniri in *Synodo facta anno 1584.* verba autem S. *Congregationis* haec sunt *(Congregatio Concilij respondet approbatum ab alio, quàm à Valentino Episcopo in Diœcesi Valẽtina, nõ esse approbatũ ab Ordinario)* his verbis videtur *S. Cõgregatio* declarasse, requiri approbationẽ Episcopi loci, seu pœnitentis. 19

Confirmatur ex responsione S. C.

Praeter enumeratas sententias, quae inter se sunt omnino diuersae, inueniuntur aliae veluti mediae, partim conuenientes cum vna, partim cum altera ex dictis opinionibus, & has placet referre; & ideo sit in ordine. 20

Sententiae mediae ad praecedentes reuocantur.

Quinta opinio, quae vult esse necessariã approbationẽ Episcopi loci, in quo Sacerdos audit confessionem, aitque interdum Episcopum esse Ordinarium Cõfessarij: interdum verò solius pœnitentis; ita *Paulus Layman lib. 4. tract. 6. cap. 11. num. 9.* & hanc opinionem inquit Author iste, esse de iure communi, eamque non probat nisi ipsam declarando; sed re vera si attentè consideretur coincidit cum praedictis immediate relatis. 21

Nonnulli asseruerunt esse Episcopum loci.

Sexta potest esse ea, quam ponit *Nuñus in addit. ad 3. p. S. Thomae quaest. 8. ar. 5. in. 2. par. dub. 9. §. sed certe.* ait approbationem requisitam à Concilio independenter à quocumque priuilegio, esse faciendam ab Ordinario pœnitentis: & addit esse improbabilem opinionem, quae postulat approbationem fieri ab Ordinario Sacerdotis, qui audit confessiones, de qua supra egerat; sed à quo danda sit approbatio 22

Nuñus discrimen ponit inter Ordinarium, quem exigit Tridentinum, & quem concedit Bulla.

batio iuxta præscriptum huius Bullę non declarat, seu se remittit ad ea, quæ priùs ipse dixerat in dubio principali; sustinuit cuim ibi sententiam, quam nos primo loco retulimus; videlicèt sufficere approbationem cuiuscunque Episcopi, vt Sacerdos ita approbatus vi Bullę sit eligibidis; rursus addit non esse mirum, Ordinarium in Bulla latiùs accipi, quàm in Tridentino; quia in Tridentino sermo est de confessione ordinaria, quæ fit sine priuilegio; in Bulla autem agitur de confessione, quæ fit ex gratia, seu priuilegio. Ex hac diuersitate, quã Auctor iste ponit inter Tridentinum, & Bullã circa nomen Ordinarij manifestè colligitur, existimasse per Bullam derogari decreto Concilij Primam huius distinctionis partem, quæ loquitur de approbbatione vi Concilij probat *Nuñez ex praxi*; & ait, quod quando fit confessio via ordinaria, & non vi Bullę, in Diœcesi Vallioletana illi tantùm, audiunt Confessiones, qui sunt expositi ab Episcopo Valleoletano, siue Confessores sint subditi illius, siue non, secundam autem partem in dubio principali iam probauerat, & nos supra referendo primam sententiam nonnulla in eius fauorem attulimus argumenta.

23 *Refertur opinio Cardinalis Delugo.*

Septima denique sententia media videtur esse illa, quam tuetur Cardinalis Delugo *tract. de pœnitentia disp. 21. sect. 2. à num. 35.* tria enim principaliter docet suam declarans mentem. Primo requiri approbationem Ordinarij ipsius Confessarij, & sic videtur conuenire cum Auctoribus tertiæ sententiæ; sed re vera non est ita, quia in sectione illa semper recurrit ad Ordinarium pœnitentis; & vt sic quartæ adhæreret sententiæ; & licèt interdum dicat esse necessariam approbationem Ordinarij ipsius Confessarij, tamen ideo hoc dicit, quia vult Ordinarium pœnitentis, cui subijcitur in hoc ministerio Sacerdos extraneus, fieri Ordinarium ipsius Confessarij; vt videbimus in tertio dicto. Secundò asserit approbationem habitam à proprio Ordinario ipsius Confessarij durare quamdiù ipse Confessarius manet sub illo Ordinario, proindè si mutat domicilium, imò etiam, si vt hospes in aliam Diœcesim se conferat, indigere noua approbatione Ordinarij illius Diœcesis; ad hoc vt possit per Bullam, vel subdeum eligi. Tertio vult per Ordinarium Confessarij intelligi non solùm Ordinarium Domicilij, seu Originis; sed etiam illum, cui in ordine ad hoc ministerium subijcitur Confessarius respectu talium personarum, & sic consequenter docet esse necessariam approbationem Ordinarij ipsius pœnitentis, seu loci, in quo fit confessio. Ordinarium autem Confessarij esse appellandum eum, cui subijcitur Sacerdos, qui vult confessiones audire; licèt non sit Ordinarius domicilij ipsius Confessarij, probat ipse Cardinalis Delugo, quia dum peregrini, & hospites versantur in territorio alieno subdi debẽt illius territorij legibus, quarũ trãsgressio caderet in damnũ illius loci, & ideo cũ multũ intersit, vt oues huius Episcopi idoneos habeant Confessarios, ad Episcopum debet pertinere de hac re iudicium ferre, nẽpè de sufficiẽtia Confessarij pro suo grege destinandi; idcirco licèt Sacerdos externus, sit ab Ordinario sui domicilij approbatus, nisi sit approbatus ab Ordinario huius loci, in quo versatur, non dicitur approbatus à suo Ordinario, quoniã eius Ordinarius in ordine ad audiendas confessiones loci, in quo reperitur, est solus ille, cui subijcitur in ordine ad hoc munus, & à quo poterit puniri si in hac materia delinquet tamquam à proprio Iudice; & ideo addit, rectè responsum fuisse à *S. Congregatione*, non posse audire confessiones in Episcopatu Valentino eum, qui non fuerit approbatus ab Episcopo Valentino; quia non est approbatus à suo Ordinario, nimirum ab illo, qui in ordine ad tale ministerium est eius Ordinarius Iudex. Hæc ex *Cardinali Delugo*, qui ex sua sententia tali pacto declarata nonnullas infert conclusiones, in quibus videtur satisfieri difficultatibus in hac materia occurentibus.

Hæ sunt sententiæ, quas circa hanc 24
materiam apud auctores inuenire potui. Cæterum in tanta opinionum diuersitate, non ita facilè ferre possumus certum, & firmum iudicium, cum nulla ex relatis sententijs pro se habeat argumentum adeo efficax, vt intellectum conuincat, reliquasque sentẽtias ab earum probabilitate remoueat: quapropter opinionẽ, quæ præ cæteris mihi videbitur iuribus, rationique conformior, in medium afferam, nonnulla priùs præmittendo pro totius controuersiæ dilucidatione.

Pro qua re aduertẽdum est, quod ap- 25
probatio ista, cum sit actus iurisdictionis, vt supra diximus, debet procedere ab Episcopo, vt iurisdictionem aliquam habente in Sacerdotem approbãdum; nam omnis actus iuridicus nequit ferri, nisi in personam aliquo modo subditam ipsi proferẽti, vt de se est manifestum: rursus nullus actus iurisdictionalis excedere potest limites illius potestatis, à qua veluti effectiuè procedit, ex his autem principijs certis, & vniuersalibus deducimus, quod quando Episcopus est superior Sacerdotis approbandi, quatenus ipse Sa-

Præmittuntur quædã pro decisione huius controuersiæ.

cerdos

cerdos habet domicilium in Diœcesi ipsius Episcopi; tunc approbatio immediatè procedit ab eo, qui directam iurisdictionem habet in talem Sacerdotem, & per consequēs Episcopus, vt legitimus Iudex poterit ferre sententiā de illius Sacerdotis idoneitate, atque adeo eum de iudicare, vt simpliciter idoneum ad audiendas confessiones, abstrahendo à loco, tempore, & personis; & huiusmodi approbatio à Doctoribus appellari cōsueuit approbatio simpliciter; videlicet sine vlla limitatione, aut restrictione: at quando Sacerdos non est subditus Episcopo, quia non habet domicilium in eius Diœcesi, & consequenter non habet Episcopus iurisdictionem in talem Sacerdotem, nequit illum directè approbare, sed solùm veluti indirectè, & mediatè; inquantum vi iurisdictionis, quam ipse Episcopus habet in suas oues, potest illas subijcere alieno Sacerdoti, vt ab eodem sacramentaliter absoluantur: & sic submittendo eidem Sacerdoti proprios subditos, videtur quasi indirectè illum approbare in ordine ad tales determinatas personas: ista autem approbatio dici solet secundùm quid, quatenùs est coarctata ad locum, & personas, nempè ad talem Diœcesim, & respectu personarum in eadem Diœcesi commorantium. & hoc manifestè colligitur ex duobus principijs positis: nam actus approbationis est actus iurisdictionis, & ab ea tamquam effectus à sua causa effectiua procedit; præterea nequit trascendere sphæram suæ causæ; & ideo cum approbatio alieni Sacerdotis oriatur non ex alia iurisdictione, nisi ex illa, quam Episcopus approbans habet in suas oues, & non ex aliqua directa iurisdictione, quam habeat in Sacerdotem; consequens est, vt dicamus, approbationem hanc restrictam esse ad illum locum, & personas, ad quas fertur iurisdictio ipsius Episcopi approbantis, His omnibus præmissis, quod mihi probabiliùs videtur amplectendum in hac difficultate, per subsequentes conclusiones aperiam.

26 Dico igitur primò. Si loquamur de approbatione simpliciter dicta, Ordinarius, de quo in Bulla fit mentio, est Ordinarius ipsius Confessarij, nempe Ordinarius illius Diœcesis, in qua Sacerdos approbandus domicilium habet, vt vult tertia sententia; cuius argumenta rectè hanc conclusionem suadent; sic igitur probo conclusionem: ille, qui respectu Confessarij se habet, vt directus, & legitimus iudex est Ordinarius, de quo in Bulla respectu approbationis simpliciter dictæ fit sermo; sed solus Ordinarius Confessarij est huiusmodi: ergo solus Ordinarius Confessarij est ille, de quo in Bulla respectu approbationis simpliciter dictæ fit sermo. Maior huius syllogismi mihi certa videtur; quia cum in conclusione non agamus de quacumque approbatione, sed de iuridica, directa, & simpliciter dicta; oportet, vt Episcopus tali pacto approbans se habeat, vt directus, & legitimus Iudex illius Sacerdotis, circa cuius idoneitatem immediatè versatur sententia, seu ipsa approbatio: nulla enim iuridica sententia, vt diximus, procedere potest circa aliquam personam, nisi ab illo, qui est directus, & immediatus Iudex talis personæ. Minor autem ostenditur, quia nullus alius Ordinarius se habere potest tamquam legitimus Iudex ad proferendam sententiam circa talem personam, nempe circa talem Confessarium, nisi ille, in cuius Diœcesi Sacerdos commoratur.

Approbatio simpliciter data absq; restrictione est facienda ab Episcopo Confessarij.

27 Dices. Aliud est loqui de Iudice veluti necessario, aliud de voluntario; & ideo si de primo sit sermo, vera erit minor, eiusque probatio, videlicet solùm illum Ordinarium, in cuius Diœcesi Confessarius retinet domicilium, esse Iudicem veluti necessarium circa huius Sacramenti administrationem: at si sermo sit de secundo, falsa erit minor &c. nam Sacerdos alienus, dum voluntariè se subijcit examini faciendo ab Episcopo alienæ Diœcesis, fit illi subditus, & media tali subiectione Episcopus fit legitimus Iudex talis Sacerdotis.

Obiectio contra conclusionem.

28 Contra est, quia licet obiectio in aliquo sensu veritatem habeat, vt infra videbimus; tamen quia voluntaria ista subiectio est per ordinem ad iurisdictionem, quæ reperitur in Episcopo; talis erit ipsamet subiectio, & actus ab illa procedens, qualis est iurisdictio, cuius latitudinem excedere nequeunt, vt supra demonstrauimus; inde est, vt actus procedens à tali subiectione, & iurisdictione, nempè approbatio sit restricta ad illas tantùm personas, circa quas versari potest ipsa iurisdictio, & tales non sunt alienæ, nisi oues Episcopi approbantis: quando vero approbatio procedit à iurisdictione directa in Sacerdotem, & in eius idoneitatem, vt est illa, quæ fit à proprio Episcopo; tunc poterit esse absoluta, & non respectiua ad tales determinatas personas. & ratio huius rei est manifesta: nam Ius dat potestatem proprio Episcopo iudicandi de habilitate Sacerdotis subditi: ita vt tota materia Iudicis esse possit habilitas ipsa; sicuti dum in aliqua Vniuersitate promotores dant iudicium de habilitate,

Impugnatur.

seu doctrina illius, qui est promouendus ad gradum Doctoratus, tunc tales promotores cum sint à Iure constituti Iudices directi ad iudicandum de habilitate, & sufficientia promouendorum, possunt de illis ferre iudicium absolutum, sine respectu ad locum, & tempus; ita, & in casu nostro est dicendū de Episcopo proprio ipsius Confessarij; at Ius non dat talem potestatem Episcopo alieno, nisi in quantum potest suas oues submittere in ordine ad confessionem alieno Sacerdoti, & sic eius sententia de habilitate ipsius Sacerdotis nequit esse iuridica, nisi tantùm restrictiuè nempe ad proprios subditos.

29 *Probabile est approbationē alieni Episcopi pro eius subditis esse eā, quam requirit Tridentinum.* Dico secundò, esse valde probabile, approbationem Episcopi in propria Diœcesi, & pro suis quibus eo modo, quo supra explicauimus, esse iuxta formam Concilij Tridentini, & huius Bullæ, dixi eo modo, quo supra explicauimus, nempe de approbatione, non simpliciter, sed secundùm quid, pro tali loco, & personis: Conclusio probatur auctoritate eorum, qui illā defendunt, & quos nos supra retulimus: præterea suadetur rationibus; ibi adductis, quæ hanc conclusionem sufficienter probant; quapropter aio, quod quando in hac Bulla datur facultas eligendi Confessarium approbatum ab Ordinario, si sermo erit de approbatione simpliciter per illam dispositionem comprehendi tantùm Episcopum Confessarij; nam solus ipse, vt ostendimus, potest simpliciter approbare: si verò sermo erit de approbatione secundùm quid modo explicato, extendi posse dispositionem Concilij, & huius Bullæ ad Episcopum pœnitentis, & in propria Diœcesi. Hoc autem pacto rectè conciliantur hæ duæ celebres sententiæ, quæ sine dubio reliquis sunt longè probabiliores, & in praxi tutæ.

30 Ex his quæ dicta sunt, & præsertim ex principijs iactis ante primam conclusionem, refelli possunt aliæ sententiæ, quatenus nostræ contradicunt, quod distinctiùs, & fusiùs probabimus Sectione sequente.

SECTIO IIII.

Refelluntur contrariæ sententiæ, earumque fundamentis satisfit.

Opinio, quam primò loco retulimus est reijcienda, quatenus vult cuiuscumque Episcopi approbationem sufficere, non enim videtur rationi consentaneum, vt pœnitentes possint sibi eligere Confessarium non approbatum ab aliquo Episcopo, qui iurisdictionem habeat, vel in Confessarium, vel saltem in ipsos pœnitentes, & vt Episcopus exerceat actum iurisdictionis, qualis est approbatio in non subditum; vt sic enim Episcopus, cuius Diœcesis est in Indijs, per litteras posset approbare ad confessiones omnium fidelium per totum orbem Sacerdotem Panormi commorantem; hoc autem est contra bonum regimen Ecclesiasticæ Hierarchiæ; talis enim approbatio cum non fundetur in aliqua iurisdictione, quam habeat Episcopus in personas exercentes hoc Sacramentum, non erit iuridica, sed solùm quoddam priuatum testimonium idoneitatis Confessarij. 31 *Refellitur opinio asserens sufficere approbationem cuiuscumque Ordinarij.*

Sed dices, cum approbatio ista pertineat ad actus iurisdictionis voluntariæ, poterit Sacerdos voluntariè se subijcere Episcopo alieno, & per hanc subiectionem sequitur ab Episcopo approbari eum, qui est subditus. 32 *Instantia contraria.*

Contra, quia non est in libera facultate alicuius, semper, & in omnibus fieri alterius subditum, sed id fieri debet secundùm formam à iure dispositam; videlicèt vel per domicilium, aut quasi domicilium, aut ratione delicti, & licèt secundùm aliqua, quæ pertinent ad bonum spirituale animæ, possit aliquis non subditus, fieri subditus, tamen non in omnibus rebus, & ita quamuis sit dispositum, vt peregrini vbicumque reperiatur possint recipere ab Episcopo, & Sacerdotibus approbatis ab eodem Episcopo, Sacramentū Pœnitentiæ, & Sacræ Eucharistiæ, nihilominùs id exercetur ex præsumpta voluntate proprij Episcopi ipsorum peregrinorum ob necessitatem talium Sacramentorum; at nequeunt peregrini secundùm probabiliorem sententiam recipere ab alienis Sacerdotibus alia Sacramenta, neque ab Episcopis exteris dispensari in votis, & iuramentis, vt notat *Sanchez in Summa lib. primo cap. 12. num. 38. Castropalaus in Theol. moral. tom. primo tract. 3. disp. 6. puncto 7. §. 2. num. 4. Garcia de benef. par. 11. cap. 10. num. 139.* qui refert quasdam declarationes Cardinalium de hac re, igitur cum facultas appro- 33 *Impugnatur*

probandi alienum Sacerdotem nō fit ex illis rebus, quæ fieri possūt ab alieno Episcopo; hinc fit, vt nequeat ad sui libitum Sacerdos se ita submittere tali Episcopo, vt fiat verè illius subditus, & Episcopus verè acquirat iurisdictionem in illum; proinde approbatio ista non fundata in iurisdictione supra approbandum non erit legitima, & iuridica.

34 *Satisfit fundamentis huius sententiæ.* Ad primam autem rationem huius sententiæ, quam nos in eius relatione superiùs adduximus, respondeo, quòd in Bulla simpliciter requiritur approbatio Ordinarij, sub nomine Ordinarij necessariò venire illum, qui habet iurisdictionē aliquā in Cōfessariū, aut immediatè, aut mediatè ratione pœnitentis, vt exposuimus: & ideo rationabiliter restringimus verba Bullæ ad proprium Ordinarium, quemadmodum si lex disponat, vt prouisio circa aliquam materiam nō habeat vim, nisi approbetur à Iudice, dispositio ista respectiuè est intelligenda, nempe vt vnusquisque obtineat approbationem illius prouisionis à suo proprio, & legitimo Iudice.

35 Ad secundam rationem, aio, circa approbationem Confessarij nullum per Bullam concedi priuilegium, quia Pontifex noluit derogare iuri communi Concilij Tridentini, sed supposita approbatione legitima, per Bullam magna priuilegia concedi, quatenus datur iurisdictio Cōfessario approbato, & facultas absoluēdi à casibus, commutandi vota &c. vt videbimus.

36 *Opinio assignans triplicem Ordinarium pro hac approbatione non placet.* Refellitur etiam secunda opinio *Ioannis Valeri*: nam Ordinarius non est semper respectu omnium effectuum; concedo autem, respectu promotionis ad ordines sacros proprium Ordinarium esse triplicem illum, quem ponit *Valerus*, & declaratur in *cap. cum nullus supra citato*, nempe Episcopum Originis, Domicilij, & Beneficij: at respectu approbationis ad confessiones audiendas magis strictè sumi debet proprius Ordinarius, vt enim rectè notauit *Paulus Layman in sua morali Theologia lib. 4. tract. 9. cap. 9. num. 12.* respectu aliorum effectuum distinctorum à promotione ad ordines, vt est actualis subiectio alicui iurisdictioni, non habetur ratio Originis, sed potius Domicilij: & hoc ab Authore citato probatur *ex Nauar. consil. 4. De constit. in 2. edit. & ex Pan. in capit. proposuisti num. 20. De foro compet.* proinde aio, ad hanc approbationem iuridicè obtinendam requiri superioritatem in Episcopo approbante, & subiectionem in Sacerdote approbando, quia, vt supra ostendimus, approbatio est actus iurisdictionis, quæ quidem iurisdictio actu debet reperiri in Episcopo respectu Confessarij modo explicato; idcirco Episcopus Originis, aut Beneficij non censetur legitimus Iudex ad approbandum Sacerdotem, qui alibi habet domicilium.

Et confirmatur ex praxi quotidiana, secundum quam videmus, approbationem istam numquam fieri ab Episcopo Originis, aut Beneficij, nisi idem sit Episcopus loci, in quo Sacerdos habitat siue perpetuò, siue saltem ad tempus, neque est vllus textus, qui præscribat, proprium Ordinarium in ordine ad hanc approbationem esse Episcopum Originis, aut Beneficij. 37

Et sic patet respōsio ad rationem fundamentalem, cui innititur *Ioannes Valerus*; & ad auctoritatem prædicti cap. quod ipse pro se affert, dicimus, Canonem loqui de Episcopo respectu promotionis ad ordines, & ait, esse triplicē, nēpe Originis, Domicilij, & Beneficij: ratio autē, quare proprius Episcopus magis strictè sumatur respectu approbationis, quàm respectu promotionis, cum dependeat ex solo iure positiuo, & volontate Pontificis, non est inuestiganda. 38 *Soluitur ratio fundamentalis Io. Valeri.*

Tertia autem opinio, quatenus loquitur de approbatione simpliciter dicta, quæ oritur ex immediata iurisdictione in Confessarium, iam à nobis est admissa, licèt non admitteretur, si vellet excludere approbationem secundùm quid, quæ est ab Ordinario solius pœnitentis, nam rationes pro hac tertia sentētia illud primum efficaciter probant, non autem hoc posterius, vt patet consideranti. 39

Quarta autem opinio, quæ vult, Confessarium esse approbandum ab Episcopo pœnitentis, quatenus excludit sententiam, quæ asserit approbationem esse dādam ab Episcopo Confessarij, non est admittenda, & quia ad hanc exclusiuam confirmandam affert nonnullas rationes, ideo, inquantum faciunt contra nos, sunt soluendæ. 40 *Opinio asserens, requiri approbationem datā ab Ordinario pœnitentis, impugnatur ex parte.*

Ad primam autem, quatenus ait, ad Episcopum pœnitentis approbationem hanc spectare, quia ad ipsum spectat prouidere de idoneis Cōfessarijs pro ouibus suis; dico, quod dum eius subditi recedūt à propria Diœcesi, & ad aliam veniunt, si ibi intendūt domiciliū figere, iam acquirunt nouum Pastorem, & non pertinent amplius ad priorem Episcopum; si verò accedant ad aliam Diœcesim reuersuri ad priorem, debent pro tempore, quo ibi commorantur circa hoc Sacramentum se gerere, vt incolæ ipsius Diœcesis, & se subijcere regimini Episcopi eiusdem Diœceus. difficultas maior fieri poterit, si ad 41 *Soluūtur rationes contrariæ.*

ad alienam Diœcesim accedat Confessarius approbatus in sua Diœcesi à proprio Ordinario, an tunc sit eligibilis vi Bullæ sine noua approbatione Episcopi huius Diœcesis; argumentum autem vim habet in hoc casu, nam tunc videtur Cōfessarius iste non esse eligibilis, nisi approbetur ab isto alio Ordinario, cui incumbit salus propriarum ouium, sed decisio huius difficultatis infra habebitur.

42 Ad secundam rationem patebit solutio ex alia quæstione, scilicèt an semel à suo Ordinario approbatus sit vi Bullæ vbicumque eligibilis sine noua approbatione; quam quæstionem Sectione sequēte exagitabimus.

43 Ad tertiam desumptam ex declaratione Sacræ Congregationis transmissa ad Episcopum Valentinum *Pater Suarez, & Conin.* varias dant interpretationes; dicunt enim non constare talem declarationem, sed quia multi illam referunt, meliùs mihi videtur dicendum, sermonem esse de Confessario, qui erat subditus Episcopo Valētino; & de isto dici potest, quod à quocumque alio approbetur, non censetur approbatus ab Ordinario, nempe à legitimo, & proprio. cæterum quia valde molestum, & implicitum nobis esset semper recurrere ad has, aut similes explicationes, & præsertim cum aliquæ inueniantur, aut facilè inueniri queant declarationes Congregationis inter se, aut absolutè, aut aliquo modo pugnantes, idcirco expeditiùs censeo recurrere ad *Decretum ex iussu Sāctissimi Vrbani Octaui editum die 2. Augusti.* 1631. per quod statuit, declarationes istas tam impressas, quàm imprimēdas nullam facere fidem siuè in iudicio, siue extra, nisi sint munitæ subscriptione Cardinalis Præfecti, ac Secretarij ipsius Congregationis pro tempore existentium, & signatæ sigillo solito. Decretum hoc de verbo ad verbum refert *Barbosa De Iure Eccles. lib. primo.* loquens de dignitate, & priuil. Cardinal. *cap.* 4. *nu.* 83.

44 *Declaratur opinio Pauli Layman, & ex parte reijcitur.* De quinta opinione, quam sequitur *Layman*, facilè est iudicium ferre; namq; dū asserit, requiri approbationem Episcopi illius loci, in quo Confessarius audit cōfessiones, si sermo sit de loco veluti materialiter accepto, opinio est improbabilis, & cōmuniter reiecta; nam communiter volūt Authores, quod si pœnitens, & Cōfessarius sint eiusdem Diœcesis; & subditi eidem Episcopo, dum peregrinantur, vel in aliquo loco commorātur breuiter reuersuri ad proprium domicilių, quod talis, inquā, Confessarius validè, & licitè possit sacramētaliter audire confessionē huius pœnitentis sinè alia licentia: & si Confessarius habet ordinariā potestatē, vt est Parochus, neminem vidi ab hac opinione recedentem: si verò habet delegatam potestatem in illū pœnitentem, licèt nonnulli partem negatiuam amplectantur; nihilominus non sunt audiendi, quia longè probabilior est opposita sententia affirmatiua, quam tuetur *Suarez tom.* 4. *in* 3. *p. disp.* 25. *sect.* 1. *nu.* 17. *Sanchez lib.* 3. *De matrim. disp.* 34. *nu.* 2. *Bonacina De pœnitentia disp.* 5. *q.* 1. *punc.* 2. *nu.* 10. *& alij.* si verò opinio ista procedit de loco veluti formaliter accepto, & intelligit de Ordinario habente iurisdictionem vel in Confessarium, vel saltem in solum pœnitentem, est regulanda cum nostra sententia, quam explicauimus in prima, & secunda conclusione præcedētis sectionis, & quatenus continet aliquid contrarium prædictis conclusionibus, est impugnanda nostris rationibus fundamentalibus superiùs expressis.

Sententia autem *Didaci Nuñi*, quæ est sexta in ordine, quatenus ponit diuersitatem circa Ordinarium, cuius approbationem legitimam inquirimus iuxta dispositionem Concilij, & dispositionem huius Bullæ, vt falsa est reijcienda: 45 *Confutatur sententia Nuñi.* tantùm enim abest, vt Pontifex per Bullam voluerit derogare Decreto Concilij, vt potius omnino voluerit se illi conformare, & in hunc finem statuit, esse eligēdum Confessarium ab Ordinario approbatum: immò, vt ait *Suarez disp* 28. *sect.* 6. *num.* 6. *Gregorius XIII.* cuius dicitur fuisse declaratio illa, quam *ipsemet refert num.* 1. dixit, in re dubia tutiùs esse adhærere Cōcilio: loquebatur enim de approbatione Confessarij in ordine ad hoc Sacramentum. sed quatenus opinio ista independenter à Bulla, aut alio simili priuilegio vult, cuiuslibet Episcopi approbationem esse sufficientem, supra fuit à nobis impugnata, & eius rationes solutæ fuere.

Demum septima sententia, quam sequitur *Cardinalis de Lugo*, & asserit, necessariam esse approbationē Ordinarij ipsius Confessarij, vt ibi dixi, voce, & non re conuenit nobiscum: quia Ordinarius iste, cuius approbationem hic Author expostulat, est Episcopus pœnitentis, quem vocat Ordinarium Confessarij, inquantum cēset, vt ibi diximus, ratione subiectionis, per quam Confessarius se examini submittit, fieri Ordinarium ipsius Confessarij; quod sufficienter impugnauimus in probatione nostræ primæ conclusionis sectione secunda. 46 *Opinio Cardinalis de Lugo differt in re a sententia Authoris.*

Neque in eo, quod Episcopus loci, in quo versatur Confessarius, potestatem ha- 47

habeat puniendi Sacerdotem si delinquat in administratione huius Sacramenti, inferri poterit talem Episcopum esse superiorem huius Sacerdotis, & Sacerdotem eius subditum illa subiectione, quæ requiritur ad hanc approbationem; nam ideo Episcopus iste potest punire Sacerdotem illum delinquentem, non quia ibi commoratur, sed quia ratione delicti ius habet illum puniendi: & hanc potestatem communiter habent omnes Iudices siuè Ecclesiastici, siuè Sæculares ratione cuiuscũque delicti ex iure communi.

48 *Impugnatur sius ratio.* Illud autem quod affert Delugo de obligatione, quam habent peregrini, & hospites ad seruandas leges loci, in quo versantur, saltem aliquas, non confirmat suam sententiam, quia obligatio ista nequit inferre paritatem; nam posita veritate oppositæ sententiæ eius sectatores ostenderent disparitatem, dicerentque non inueniri legem eximentem peregrinos à legibus loci: at in casu nostro extat lex, seu decretum Concilij, & dispositio Pontificis statuentis approbationem iuridicam, & requisitam, esse dandam ab Ordinario illius loci, in quo Confessarius habet domicilium; proindè non requiri approbationem illius Ordinarij, in cuius Diœcesi Confessarius transeunter commoratur; idcirco esset prius, & immediatè ostendendum nomine Ordinarij, cuius approbationem postulat Concilium, & Pontifex per hanc Bullam, venire Ordinarium pœnitentis, seu Ordinarium illum, cui Confessarius subest in ordine ad hoc Sacramentum respectu harum, vel illarum personarum, & non venire Ordinariũ Domicilij, quando Sacerdos in alio loco reperitur etiam vt hospes, quod tamen *Delugo* non probat alio argumento, nisi cõgruentia illa, nempè Episcopo incũbere, vt eius oues idoneos habeant Confessarios, quam rationem supra tetigimus, & argumentum ex illa deductum remisimus soluendum in sequente sectione.

49 *Nonnullæ illationes, quas facit Delugo eius opinioni non fauent.* Denique illationes, quas facit *Cardinalis Delugo incipiens à nu. 26*, & per quas intendit ostendere, quomodo ex principijs à se iactis, omnia, quæ circa hanc materiam difficultatem ingerere videbantur, benè cohæreant, & concilientur, non confirmant eius sententiam, cum procedant ex hoc principio scilicèt, quod nomine Ordinarij, cuius approbationem postulat Concilium sit tantùm ille, cui Confessarius subest in ordine ad hoc ministerium audiendi confessiones, & non ille, cui ratione domicilij Sacerdos subijcitur, hoc autem principium puto esse falsum, vt supra ostendimus; proinde illationes ex eodem principio deductæ non sunt firmæ.

SECTIO IV.

An Approbatus à suo Ordinario, sit virtute Bullæ, absque noua approbatione, vbique Eligibilis.

DVO, quæ sunt inuicem connexa, seu affinia in hac sectione exagitabimus: maioris autem claritatis gratia, declarabimus priùs controuersiæ statum. 50

51 *Declaratur quæsitum.* Ponamus verbi causa aliquem Sacerdotem habere suum domicilium Panormi, & ab Archiepiscopo Panormitano esse simpliciter approbatum. ille autem Sacerdos vocatur simpliciter approbatus, qui iuridicè à suo proprio Ordinario, tamquam à Iudice competenti declaratur idoneus ad audiendas omnium fidelium confessiones virorum, & mulierum, sine particula limitante, aut particula exclusiua aliquarum personarum, aut locorum. Approbatus autem secundùm quid, & non simpliciter dicitur, quando in approbatione apponitur aliqua restrictio, vel quoad personas, vel quoad locum &c. vt infra videbimus: si igitur Sacerdos, simpliciter à suo Ordinario approbatus, recedat à Diœcesi Panormitana, & Messanam adeat, tunc insurgit difficultas, & dubitatio, an Sacerdos iste Messanæ commorans, possit vi Bullæ eligi in Confessarium absque approbatione Archiepiscopi Messanensis, & quia commorari potest Messanæ ad tempus, non figendo ibi domicilium, neque amittens domicilium, quod Panormi habebat, & potest etiam Messanam adire, animo figendi ibi nouum domicilium, derelinquendo pristinum, quod Panormi habebat; idcirco in vtroque casu est examinandum quæsitum.

52 *Qui dicunt requiri, vt approbatio fiat ab Ordinario pœnitẽtis, asserunt esse necessariam nouam approbationem.* Circa primũ casum diuersæ sunt auctorum sententiæ; nam illi, qui censent nomine Ordinarij, cuius approbationem exigit *Concilium Tridentinum, & Bulla Cruciatæ*, intelligi Ordinarium pœnitentis, seu loci, consequenter dicunt, in casu posito requiri nouam approbationem, etiam si quis ad breue tempus moretur in aliena Diœcesi, auctores autem huius opinionis sunt illi, quos citauimus *sectione secunda pro quarta sententia*, & quorum fundamenta *ibi* retulimus.

53 *Alij negant requiri nouã approbationẽ.* Secunda opinio negat, requiri nouam approbationem; ita sentiunt *quamplures; quos citat Ludouicus à Cruce in expositione Bullæ disp. prima cap. 2. dub. 15. num. primo*, qui vniuersaliter dicunt, approbatum

tum ab vno tantùm Episcopo esse vbique eligibilem virtute Cruciatæ.

54 *Aliqui asserunt Confessarium simpliciter approbatum à suo Ordinario esse vbique vi Bullæ eligibilem.*

At alij non loquuntur ita amplè, sed restringunt opinionem ad Confessarium approbatum à suo Ordinario, & simpliciter sine limitatione loci, aut personarum, & hoc pacto explicatam opinionem tenent *Suarez disp. 28. sect. p. num. 4. 5. 15 16. Trullench lib. primo §. 7. cap. primo dub. 5. num. 3. & Ioannes Valerus in diff. vtriusque fori diff. prima num.* 1. licèt auctor iste, vt supra vidimus, triplicem agnoscat Ordinarium propriũ; eamdem *Suarij* sententiam videtur sequi *Fagundez praecept. 2. Eccles. lib. 7. cap. 2. num.* 87. licèt *ibi* neget, Religiosum approbatum, etiam si domicilium non mutet, in aliena Diœcesi posse confessiones audire, nisi eligatur *per Bullam, aut simile priuilegium concessum post Concilium Tridentinum, cum derogatione ipsius Concilij.*

55 *Approbatus à suo Ordinario dũ domicilium non mutat vbique est vi Bullæ eligibilis, vt vult probabilior opinio.*

Dicendum est si quis à suo proprio Ordinario sit approbatus simpliciter, probabiliùs est eligi vbique posse virtute *huius Bullæ*, nisi domicilium mutet, aut approbatio reuocetur, vt infra dicetur. dixi si approbatus sit simpliciter, nam si cum aliqua limitatione processerit approbatio, tunc foret alia consideratio, & esset iudicandum iuxta formam approbationis, at loquendo de approbatione simpliciter dicta, probatur conclusio. talis Sacerdos habet omnia quæ requiruntur ex parte approbationis iuxta formã *Tridentini*, & dispositionem *huius Bullæ*, ergo est eligibilis in Confessarium vi *eiusdem Bullæ*: consequentia est certa; nam, positis omnibus requisitis respectu approbationis: talis Sacerdos erit proximè capax iurisdictionis, quæ ipsi confertur, dum *vi Bullæ* eligitur in Confessarium, antecedens autem, in quo est difficultas probatur, quia *Bulla* (& idem dico de *Tridentino*) nihil aliud expostulat, nisi vt Sacerdos sit approbatus à suo proprio Ordinario; igitur dũ fuit simpliciter approbatus: & approbatio non fuit reuocata, & idem Sacerdos non mutat domicilium, semper censetur moraliter remanere illa approbatio, quia manet eius fundamentum, nempe subiectio respectu proprij Ordinarij, ad minus habitualiter.

56 *Praxis est contraria.*

Scio praxim saltem publicè esse contrariam in quibusdam Diœcesibus; nam, Ordinarij locorum ægrè ferentes, ab alijs Ordinarijs approbatos Cõfessarios excipere Sæcularium cõfessiones in sua Diœcesi, non permittunt, vt absque noua approbatione, seu licentia, ab ipsismet concessa, confessiones audiant: & ideo Confessarij, si nouam ab eisdem exposcant approbationem, non obstante, quod non sint ipsis Episcopis subditi ratione domicilij, sed in alia Diœcesi illud adhuc retineant, tutiùs, & cum maiori humilitate, & ædificatione se gererent.

Sed contra principalem conclusionem obijci potest declaratio illa Sacræ Cõgregationis ad instantiã Archiepiscopi Valentini, per quam Cardinales respondерunt dicẽtes. Approbatum ab alio, quàm à Valentino Episcopo in Diœcesi Valẽtina, non censeri approbatum ab Ordinario. 57 *Obiectio ex Sacra Cõgregatione.*

Respondeo, ad argumentum ex prædicta declaratione, sufficienter satisfactũ esse supra Sect. 5. reijciẽdo quartam sententiam, quatenus faciebat contra nos in responsione ad tertium, ad quem locum me remitto. 58 *Soluitur.*

Secundo obijcitur Decretum Sanctissimi Vrbani Octaui, quod citat *Cardinalis Delugo disp. illa 21. sect. 2. num.* 29. ad impugnandam eorum sententiam, qui volebant cuiuscumque Episcopi approbationem esse sufficientem, *per hoc autem Decretum*, quod transcribitur à *Barbosa de Iure Ecclesiast. lib. primo cap. 43. à. nu.* 209. & incipit *cum sicut nuper. Datum die* 13. *Octobris* 1627. facultas conceditur *Cardinali de Sandoual Episcopo Gienen.* compellendi per censuras, & pœnas ecclesiasticas Religiosos, ne cõfessiones audiant, neque verbum Dei prædicare audeant, absque expressa licẽtia ipsius Episcopi, & derogat omnibus constitutionibus, consuetudinibus, & priuilegijs etiam in vim Cruciatæ, *ex isto decreto* videtur, fieri posse argumentum contra nostram sentẽtiam, probando Sacerdotem etiam approbatum à suo Ordinario in aliena Diœcesi, indigere noua approbatione ad confessiones audiendas. 59 *Secũda obiectio.*

Respondeo in prædicto decreto sermonem esse de Regularibus commorantibus in Diœcesi Gienensi, ibique domicilium habentibus. Voluit autem *Pontifex*, Regulares non posse in virtute suorũ, aut quorumcumque aliorum priuilegiorum, constitutionum, aut consuetudinum, se eximere à iurisdictione Episcopi, circa approbationem ad confessiones audiendas: at non esse sermonem de Regularibus iam approbatis à proprio Ordinario, dum ad breue tempus inueniuntur in aliena Diœcesi, esse autem hanc, *huius decreti*, intelligentiam ducor ex eo, quia si *Pontifex* voluisset Religiosos habentes, & retinentes approbationem proprij Ordinarij, & non mutantes domicilium, non posse eligi in Cõfessarios virtute Bullæ, decreuisset vniuersaliter; comprehendendo *in decreto illo* omnes Sacerdotes Regulares, & Sæculares, & præsertim, 60 *Responsio.*

tim, cum nullum aliud extet decretum Pontificium, per quod *Pontifex* prohibeat, ne Sacerdotes approbationem propriorum Ordinariorum habentes, & sub eisdem Ordinarijs manentes confessiones fidelium audiant sine noua approbatione illius Episcopi, in cuius Diœcesi ad breue tempus commorantur, neque conueniens videbatur prohibitionem illam facere contra solos Regulares, & nõ Sæculares Sacerdotes, quod signum est, *Pontificem Sanctissimum* ductum fuisse ad prædictũ decretũ faciendũ, quia Regulares in illa Diœcesi Gien. prætẽdebant, nõ indigere vi suorũ priuilegiorũ approbatione Ordinarij eiusdem Diœcesis, quod Sæculares prætẽdere nequibãt; addo etiã *decretũ illud* nõ esse vniuersale, sed solũ respicere Diœcesim illam particularem.

61 *Obijcitur tertio.* Tertio obijcitur, *priuilegiũ*, quod habẽt Patres nostræ Societatis, vt semel à proprio Ordinario approbati, dũ sũt itinerãtes possẽt audire cõfessiones in locis illis, in quibus non adest Episcopus, Parocho nõ cõtradicente; ergo ad audiẽdas taliũ cõfessiones fuit op⁹ priuilegio, nõ obstãte approbatione, & signũ est sine priuilegio, nõ posse aliquẽ approbatũ à proprio Ordinario, dũ manet in aliena Diœcesi, eligi per Bullam ad confessiones audiẽdas sine approbatione Episcopi illius loci, in quo Sacerdos confessiones vult audire.

62 *Soluitur.* Respõdeo, multa priuilegia cõcedi pro maiori cõsciẽtię securitate, vt rectẽ animaduertit *Sãch. lib. 2. de Matrim. disp. 37. n. 15.* adducẽs nõnulla exẽpla, & *Conin. de ministro hui⁹ Sacramẽti disp. 8. dub. 7. n. 55.* & maximè quãdo dubium est, an opinio contraria sit vera, vt accidit in casu nostro. Et hæc de prima difficultate.

63 *Examinatur secunda pars conclusionis.* Circa secundam, est maior dubitatio; attamen auctores, quos *sect. 2.* citauimus pro prima sententia, vt cohærenter suis principijs loquantur, defendere debent partem affirmatiuam; videlicet semel simpliciter approbatum à suo Ordinario, etiam si domicilium mutet, posse vi Bullæ eligi in Confessarium; quod autem Auctores prædicti hoc consequenter asserere debeant, immo à fortiori, patet, quia si ipsi, vt ibi vidimus, existimant, sufficere approbationem cuiuscumque Ordinarij, quamuis non sit Ordinarius, neque Confessarij, neque pœnitentis, multo magis hoc ipsum affirmare debẽt, quãdo approbatio est ab Ordinario habẽte iurisdictionẽ, siue in Confessariũ, siue in pœnitẽtẽ, & in eadẽ sentẽtia videtur esse *Conin. disp. 8. de Sacramẽtis dub. 1. n. 53.*

64 Sed alij partem negatiuam tuentur, & ex recentioribus sunt *Suarez disp. 28. sect. 5. nu. 8. Fillliucius tom. primo tract. 7. cap. 9. nu. 263.* & omnes alij, qui censent approbationem requisitam debere esse ab Ordinario pœnitentis, seu loci, quos auctores *sectione illa* retulimus. Et hæc de primo modo, quo intelligi potest quæsit um circa secundum modum.

65 *Si Sacerdos mutat domicilium, probabilius est non posse eligi vi Bullæ, nisi de nouo approbetur.* Dicendum est probabilius esse, quando Sacerdos mutat domicilium nõ posse eligi in Confessarium virtute Bullæ ex vi approbationis, quam habuit in priori domicilio; proinde ad confessiones audiendas, noua indigere approbatione. probatur conclusio à quibusdam, inter quos est *Vasquez, & Layman*, ex quadam coniectura, nam *Conciliũ Tridentinum*, dũ prærequirit approbationem Confessarij notanter dicit, *nullũ posse audire confessiones, nisi aut habentem parochiale beneficium, aut per examen ab Episcopis idoneus iudicetur &c.* non enim dixit ab vno Episcopo, sed in plurali, quasi ab vno quoque Episcopo in sua Diœcesi approbari debeat. Cæterum coniectura ista est valde infirma, quia aduersarij multipliciter possent hoc argumẽtum eludere, & primò, quod quamuis *Concilium* pluraliter loquatur, tamen *hæc Bulla* loquitur singulariter, dum concedit facultatem eligendi quemcunque Cõfessarium ab Ordinario approbatum; & ideo esto detur *vi Concilij*, verba illa pluraliter prolata, esse sumenda in eo sensu, quem intendũt prædicti auctores; nihilominus *ex priuilegio Bullæ*, posset quis dicere, satis esse approbationem vnius Ordinarij, cum Bulla singulariter loquatur; sicuti enim pluralitas, quam ponit Concilium in sententia ipsorum auctorum, est sufficiens, vt vnius Episcopi approbatio non reddat Sacerdotem proximè capacem ad recipiendã iurisdictionẽ *iuxta præscriptũ Concilij*; ita negatio pluralitatis Episcoporũ approbatiũ, quã ponit *Bulla* videtur satis, vt vni⁹ tãtũ Episcopi approbatio reddat Cõfessariũ vbiq; idoneũ, *vt per Bullã* eligatur.

66 *Per Bullam nõ derogatur Tridẽtino circa idoneitatẽ Confessarij.* Sed ne videamur asserere, per Bullam Cruciatæ derogari Decreto Cõcilij circa idoneitatẽ Cõfessarij cõtra ea, quæ diximus *Sect. præced.* impugnãtes sentẽtiam *Didaci Nuñes*, aliam interpretationẽ asfere possum⁹; & ideo respõdeo secũdo cũ Aegidio de Conin. *loco citato nu. 53.* qui soluẽs hãc instantiã inquit (*Nec obest, quod Concilium dicat Sacerdotes esse ab Episcopis approbandos, quia non est ita intelligendum, quasi singuli Sacerdotes debeãt à pluribus approbari, sed quia diuersi, oportet, vt à diuersis Episcopis approbentur, vnusquisq; scilicet à suo*, quapropter perinde se habet pluralitas apposita à Concilio, ac singularitas, quæ ponitur à Bulla.)

Tertio nõ est contẽnenda respõsio, quã 67

deduco ex doctrina *Ioannis valeri loco citato*, qui docet sufficere approbationem factam, vel ab Episcopo Domicilij, vel Originis, vel Beneficij; vel dicere possunt aduersarij sufficere approbationem, vel Episcopi Confessarij, vel pœnitentis, vel loci; & ideo Concilium pluraliter loquitur, quia secundùm hanc opinionem quilibet Sacerdos habet plures Episcopos, à quibus diuisiuè sufficienter approbari potest.

68 *Alia ratione probatur conclusio.* Omissa autē hac ratione videtur probari posse conclusio, congruo argumento, ex eo quod Sacerdos mutans domicilium destruit fundamentum, cui innitebatur approbatio sui Ordinarij, nempe destruit subiectionem, secundùm quam priùs manebat sub tali Ordinario: ex mutatione enim domicilij mutatur subiectio in ordine ad diuersos Episcopos; & quia, vt supra ostēdimus, approbatio requisita fundari debet in subiectione; idcirco deperdita priore subiectione deperditur approbatio, seu manebit suspēsa; proinde Sacerdos acquirens nouam subiectionem respectu illius Episcopi, in cuius Diœcesi figit domicilium, indiget noua huius Episcopi approbatione. Et confirmatur hæc sententia *à Patre Suarez*, quia sicuti habens Beneficium parochiale, si illud renūtiet, aut illud amittat, non censetur manere approbatus, nisi ab Episcopo de nouo approbetur, vt infra secundùm longe probabiliorem, & communiorem sententiam dicemus, & non sufficit habuisse beneficium, & approbatum fuisse: ita si quis fuerit simpliciter approbatus ab Episcopo proprio ratione subiectionis, si deperdatur ista subiectio, corruit approbatio, & non sufficit illam habuisse. *Concilium enim Tridentinum in illo decreto*, quoad hunc effectum approbationis, æquiparat beneficiū parochiale approbationi factæ ab Episcopis.

69 *Instantia.* Sed dices, subiectionem illam esse requiratur ad approbationem simpliciter, esse tamen necessariam in ipso fieri approbationis, non autem in conseruari, aut saltem hoc non posse probari sufficienti ratione.

70 *Responsio.* Respondeo non posse à nobis efficaciter ostendi esse necessariam subiectionem actualem adhoc, vt actu approbatio simpliciter duret; attamen posse probabiliùs suaderi, quàm suadetur oppositum; quia cum longe certiùs sit idoneitatem Confessarij, quæ oritur ex beneficio curato durare, dum ipsum beneficium retinetur, vt infra videbimus, & *Concilium Tridentinum* vniformiter loquatur de idoneitate proueniente ex beneficio, & ex approbatione Episcopi, & nulla sit sufficiens ratio, quæ nos cogat interpretari verba Concilij cum diuersitate in ordine ad beneficium curatū, & approbationem factam ab Episcopo; indè fit, vt sicuti idoneitas illa conseruatur solùm dum manet suum fundamentum, videlicet dum Confessarius habet beneficium: ita idoneitas ex approbatione conseruabitur solùm manēte subiectione ad Episcopum, qui simpliciter approbauit, quæ quidem subiectio est veluti fundamentum ipsius approbationis; per Episcopum autem, cui subditur Confessarius, & cuius subiectione existente, manet approbatio, non intelligimus illum dumtaxat numero Episcopum, à quo Sacerdos fuit simpliciter approbatus, verùm etiam successores in Episcopatu.

Attamen posset vlterius quis vrgere, dupliciter impugnando hanc nostram rationē, & primò. Si quis simpliciter approbatus mutans domicilium, & postea iterum redeat ad eum locum, vbi fuit simpliciter approbatus, vt praxis ostēdit, non indiget noua approbatione, sed sufficit ostendere litteras patentes, quod præcipuè contigit in Religiosis. Secundo quia si destructo fundamento destruitur approbatio, iterum reædificato eodē fundamento, nō debet censeri approbatus, sed indiget noua approbatione, nō enim tale fundamentū illius est naturæ, vt eo posito emanet approbatio, sicuti cōtingit posito fundamēto, & termino relationis; sed ita requiritur, vt vlteriùs exigatur actio Superioris approbantis. 71 *Instantia contra rationem Authoris.*

Respondeo, si quis iterum redeat ad domicilium, vbi fuit simpliciter approbatus, non idigere noua approbatione, vt instantia in contrarium ex praxi deducta optimè suadet; sed iterum redeunte eadē numero subiectione, quam Confessarius habet ad Episcopum talis Diœcesis, prior approbatio, quæ ex defectu subiectionis erat veluti suspensa, & impedita, incipit de nouo suam habere efficaciam, eisdem manentibus circumstantijs, videlicet ne sit sufficiēter approbatio ex causa legitima reuocata vel in specie, vel in genere; & addo valere paritatem illam desumptā ex fundamento, & termino relationis, licet nō in omnibus eadem sit paritas; quia approbatio non se habet, vt relatio, etiam moralis, sed vt forma absoluta, cuius proximum, & immediatum subiectum est Sacerdos habens subiectionem prædictam; cessante autem actuali subiectione, licet approbatio nequeat trāsfundere suum formalem effectum in Sacerdotem, nihilominus in sua manet causa, à qua emanauit, nimirum in Episcopo, qui approbationem ipsam dedit; nam illud 72 *Responsio.*

iu-

iudicium, quod elicuit Episcopus de idoneitate Cõfessarij, quantùm est ex se, dum eædem persistunt circumstantiæ, est firmum, & perpetuum, & non exit in actum secũdum ex defectu subiectionis, quemadmodũ in rebus naturalibus lumen afficiens aliquod corpus, non facit illud transparẽs, nisi posita diaphaneitate, qua ablata lumen impeditur, & veluti suspenditur, ne permeet, & reddat subiectum transparẽs, sic proportionaliter est ratiocinandum in casu nostro.

73 *Afferuntur argumenta Valeri.* Obijci possunt nonnulla argumenta, quæ adducit *Valerus* ad suã sententiam confirmandam, quæ videntur facere cõtra nos: obijcies igitur primò in hũc modum arguendo à paritate. In omni scientia, & arte, dum aliquis est semel legitimè approbatus à quacunque Vniuersitate, Collegio, &c. vbiq; hanc approbationem retinet, etiam si domicilium mutet, V.G. si quis canonicè fit examinatus, & approbatus ad Doctoratum, Notariatum, &c. quamuis recedat ab illo territorio, in quo ad prædicta munera fuit promotus, vbiq; & apud omnes retinet dignitatem Doctoris, officium Tabellionis, &c. & non tenetur iterum examinari, & approbari, per se loquendo, nisi forsitan per accidẽs, ex aliquo priuilegio, aut cõsuetudine alicuius Regionis, &c. ergo similiter, si aliquis Sacerdos in aliqua Diœcesi fuit iuridicè examinatus à suo Ordinario, & legitimè approbatus, non est cogendus iterum ad examen in alia Diœcesi, sed semper saltem dum non reuocabitur ob iustam causam approbatio, illam retinebit, & per consequens erit eligibilis per Bullam in Confessarium; licèt præscindẽdo à Bulla, aut simili priuilegio, nequeat extra territorium illius Episcopi, in quo fuit approbatus, cõfessiones subditorum alterius Diœcesis audire, non ex defectu approbationis, sed iurisdictionis.

74 *Responsio ad prædicta argumenta.* Respondeo in his, quæ pertinẽt ad ius positiuum, & dependent à libera voluntate superioris, non valet argumentari ex vno simili ad aliud, vt aperte videmus in censuris, & pœnis Ecclesiasticis, & etiam in pœnis impositis à Iudicibus tẽporalibus, quæ sæpe inueniuntur affixæ alicui delicto, & non alteri etiam simili, & interdum grauiori: sic in casu nostro, cum approbatio requisita per Bullam dependeat à libera dispositione Pontificis, ipse decreuit, vt approbatio ista, etiam simpliciter data, vigorẽ habeat durante subiectione, quam habet Confessarius approbatus ad Episcopũ illius Diœcesis, in qua fuit ita approbatus, & mutãdo domicilium, nouamque acquirens subiectionem ad alium Episcopum, debeat ab hoc Episcopo approbari, si velit cõfessiones fideliũ huic Episcopo subditorũ, sacramentaliter audire, & hoc valdè congruẽter est dispositũ, nã cõsentaneum rationi est, vt locorũ Ordinarij notitiam habeant de habilitate eorum, quibus cõmittere debent regimen spirituale suarũ ouium, & præsertim in Sacramẽto Pœnitẽtiæ; & ex hoc poterit sufficiens assignari disparitas inter approbationem, quæ requiritur in Ministro huius Sacramenti, & approbationem requisitam in artibus, & scientijs, quæ exeunt in actum externũ; nam habilitas in his est omnibus patens, & nequit manere in occulto, si homines velint se in artibus exercere, & habilitas Confessarij per exercitium dumtaxat huius Sacramenti est occulta, & secreta, & non potest ita facilè innotescere Prælatis; proinde valdè congruum fuit, vt per examen fiat manifesta. Et si quis à nobis quærat vnde nam habeamus hanc, quam supra diximus, esse Pontificis mentem, respondere possumus, illam à nobis colligi probabiliter ex rationibus pro nostra sententia adductis.

Dices, si congruentia superiùs à nobis adducta, ob quam asserimus Confessariũ etiam simpliciter priùs approbatũ, dum domiciliũ mutat indigere noua approbatione, &c. esset firma, idem deberemus sustinere, etiam si domicilium nõ mutet, dum inuenitur in aliena Diœcesi, nõ posset enim ibi, vi Bullæ à commorantibus in aliena Diœcesi eligi in Cõfessariũ, quia militat eadem ratio cõgruentiæ, videlicet non videri decẽs, vt oues alterius Diœcesis cõmittantur alieno Sacerdoti, nisi eius habilitas sit nota Pastori earumdẽ ouiũ. 75 *Instantia.*

Respondeo, oues istas nõ cõmitti alieno Sacerdoti ab Episcopo illius Diœcesis, cuius sũt oues, sed à supremo Pastore, nẽpe à sũmo Pontifice, per priuilegium Bullæ in fauorẽ pœnitentium, dũ illis datur libertas eligẽdi per Bullã Confessariũ, etiam alienum, simpliciter approbatũ, & etiam in fauorem aliquo modo ipsorum Confessariorum, ne nimium grauentur si transeuntes, & ad breue tempus commorantes in aliena Diœcesi, sẽper cogerẽtur onus noui examinis subire, nouãq; postulare approbationem, & ideo contentus est Pontifex approbatione illa, qua Confessarius habuit à proprio Episcopo, & quam retinet, dum sub eius iurisdictione manet. 76 *Soluitur.*

Obijcies secundò ante Cõciliũ Tridẽtinũ vnicuique liberum erat eligere quẽcumque Confessarium, canonicè nõ impeditum, cum licentia proprij Pastoris, etiam si Confessarius ille nõ fuisset approbatus, Cõciliũ autẽ volẽs hãc facultatem restrin- 77 *Obiectio secunda.*

restringere solùm hoc decreuit, vt Confessarius eligendus, sit approbatus; ergo approbatio semel habita, & nō reuocata erit pro quocumque loco semper sufficiens. Et confirmatur; nam intentio *Concilij* fuit solùm occurrere incommodis, quæ oriri poterant, si electio cuiuscunque Confessarij relicta fuisset arbitrio pœnitentium; quia facilè, & sæpe ineptos ad hoc ministerium hi eligere poterant, nō discernentes habilitatem Confessarij; idcirco restringens *Concilium* hanc facultatem decreuit, eligi nō posse, nisi approbatum ab Episcopo, quicumque sit Episcopus.

78 *Responsio.* Respondeo. Quamuis præcipuum *Concilij* motiuum fuerit occurrere incommodis prædictis, eisque remediū præbere: tamen remedium tale erat adhibendum, quod videbatur magis rationi congruum, & decens; hoc autem factum fuit determinando approbationem istam esse dandam à proprio Superiore ipsius Confessarij, eamque vim habere manente superioritate in eumdem Confessarium, & hoc ob rationes, & congruentias superiùs adductas.

79 Alia argumenta, quæ pro sua sententia fusè exagitat *Valerus*, vel non faciunt cōtra nos, cum probent primam, aut secundam nostram conclusionem, quam aperuimus *in hoc Capite Sectione Secunda*, circa Ordinarium, à quo petenda est approbatio, vel facile ex dictis diluuntur.

SECTIO. V.

An Confessarius, cum aliqua limitatione approbatus, sit per Bullam eligibilis ad audiendas confessiones, non seruata limitatione illa.

80 *Exemplificatur quæstium.* SOlent interdum Episcopi cum aliqua restrictione Confessarios approbare, & hoc faciunt, vel ex defectu ætatis, aut scientiæ ipsorum Cōfessariorū, vel ex aliquo alio honesto motiuo. Et praxis ista seruatur non tantùm cum Sacerdotibus sæcularibus; verùm etiam cum regularibus; quamuis nonnulli non admittant cū regularibus hanc limitationem fieri posse; & hos auctores citat *Diana tract. de dub. reg. resol.* 25. sed non sunt audiendi; quia, & ratio, & praxis oppositum suadet. Restrictio autem ista circa tria versari potest; videlicet circa personas ipsas pœnitentes, quatenus Sacerdos approbatur quoad vnum, aut alterum personarū genus, & non quoad omnes personas indifferenter, vt si V. G. approbetur ad audiendas confessiones virorum, & non mulierum, aut tantùm clericorum, puerorum, &c. aut versatur circa locum, & euenit quando Confessarius approbatur pro vna tantū Parochia, aut Oppido, & nō pro omnibus Parochijs ciuitatis, & Oppidis totius Diœcesis: vel denique versatur circa tempus, vt si approbetur V. G. per annum, &c.

His positis insurgit difficultas, & dubitatio, an Sacerdos, aliquo modo ex supradictis limitatè approbatus, possit per Bullam eligi in Confessarium non seruata restrictione illa, cum qua fuit approbatus, V. G. si fuit solùm ad audiēdas cōfessiones virorum, an mulier habens Bullam Cruciatæ eligere valeat talem Confessarium: vel si restrictio fuit circa locū, an alij ex alio Oppido, pro quo Confessarius non erat approbatus, fateri queant apud talem Sacerdotem, aut denique transacto anno approbationis, possit Cōfessarius virtute Bullæ audire fidelium confessiones, iste est status huius difficultatis, & quia auctores diuersimodè loquuntur de hac re, idcirco eorum sententias, quas inuenire potui in medium afferam. 81

Et exordium sumendo à restrictione personarum. Aliqui censent Confessarium limitatè approbatum circa personas eligi posse per Bullam ab alijs personis, e. c. approbatum pro viris eligi à fœminis. Ita *Henriquez lib. 3. de pœnitentia cap. 6. num. 8. Fagundez præcept. 2. Eccles. lib. 7. cap. 2. num.* 45. & apud *Merollam*, *Homobon. Villalob. Ioan. Laceuz, & alij*, quos ipse sequitur *tom. 3. disp. 6. de priuileg. cap. 2. diff. prima num.* 67. & probabilem hanc opinionem existimant *Ledesma in summa de Sacramento pœnitentiæ. cap.* 13. *post primam cōclusionem dub.* 8. *& Sanches lib. 8. de Matrimonio disp. 34 num.* 16. *at Didacus Nuñus in addit. ad. 3. p quæst.* 8. *a* 5. *dub.* 9. sequitur hāc opinionem, sed addit peccare Sacerdotem, si confessiones talium personarum audiat. 82 *Aliqui putāt Confessarium restrictione approbatum, vt Bullæ eligi posse.*

Alij vero in alteram extremam sentētiā declinantes, voluerunt Confessarium cum tali limitatione approbatum, non posse eligi per Bullam, neque à personis, pro quibus erat approbatio; quia non est absolutè approbatus, Bulla autem requirit Confessarium ab Ordinario absolutè approbatum, auctores huius opinionis tacito nomine citat Ledesma. 83 *Alij putant neq; à personis, pro quib⁹ fuit approbatus eligi posse.*

Alij autem asserunt, Confessarium hūc à solis personis, pro quibus fuit approbatus, eligi posse, & non ab alijs, & ita docet *Rodriquez in summa tom. primo cap.* 60. *n.* 4. *Suarez de pœnitentia disp.* 28. *sect.* 1. *num.* 3. *Ludouicus à Cruce in exposit. Bullæ disp. prima. cap. 2. dub. 9. num. 9. Acosta in Bulla disp. 39. Cardinalis Delugo de pœnitentia disp.* 84 *Alij admittūt esse eligibilē per Bullā pro illis tantùm, pro quibus fuit approbatus.*

disp.21.sect. prima num. 16. & Trullench in Bulla lib.primo §.7.cap.primo dub.3.n.1. vbi, quamuis priùs opiniones contrarias, vt probabiles visus fuerit admittere; tamen postea *numero citato*, docet non esse in praxi admittendas, easque impugnat. Loquendo autem de approbatione cum restrictione circa locum, est etiam diuersitas opinionum; nam posse Sacerdotem ita restrictè approbatum eligi virtute Bullæ, sustinet *Henriquez, Fagundez, locis citatis. Acosta similiter loco citato*, & quamuis *Fagundez* dicat à *Sanches* hanc sententiam existimari probabilem, nihilominus non rectè citatur, quia *Pater Sanchez* solùm loquutus est de restrictione versante circa personas, & non circa locum. Hanc opinionem cum distinctione defendunt aliqui, aiunt enim, quod si Sacerdos sit approbatus pro vno tantùm Oppido ex defectu scientiæ, quatenus in alijs Oppidis commorantur plures mercatores, & homines habentes varia commercia; ideoque sæpe occurrere casus, valde implicitos, exigentes ad ipsorum decisionem Confessarios valde peritos in doctrina, tunc talem Confessarium eligi non posse per Bullam in his Oppidis; si vero restrictio fuit ex alia causa, tunc eligi posse; & cum hac distinctione tuentur istam opinionem *Rodriquez loco citato in Bul. & Petrus Faij in addit. ad 3. p.S.Thomæ quæst.8.a.5.disp 3. concl. 4. ad quartum*, quē citat, & sequitur *Pater Diana in tract.de Bulla resol.* 10. & in eadem sententia cum prædicta distinctione, aut simili est *Ludouicus à Cruce dub.9. cit. cōclus.* 3. loquens de restrictione, quoad locum, & *Merolla cap.2.citato difficultate 2. num,*11.

Limitant nonnulli, ponentes discrimen inter restrictionē ex defectu scientiæ, & ex alijs caussis.

85 At absolutè partem negatiuam tuentur *Suarez loco citato, Alphonsus de Leon in tract.de Iubil.p.2.quæst.9.nu.20.Nuñus dub.citato ad nonum argumentum, Filliucius tom.primo tract.1.cap.9. num. 261. & alij.*

Partem negatiuam absolutè alij defendunt.

86 Demum, si restrictio sit quoad tempus, putauit *Acosta*, & apud *Patrem Dianam Petrus de Faij*, posse Confessarium, cum tali limitatione approbatū, etiā transacto tempore approbationis, virtute Bullæ confessiones audire; probat hāc opinionem ex eo, quod Confessarius expositus ad tempus, est ab Ordinario simpliciter approbatus; proinde nisi ex causa reprobetur, erit per Bullam eligibilis, & non requiritur, vt Confessarius eligendus per Bullam actu sit approbatus eo tempore, quo eligitur, sed sufficit, vt semel fuerit approbatus. Oppositam sententiam sustinet *Petrus Ledesma cap.cit. dub.* 10. Hæ sunt opiniones circa hanc difficultatem, Quid autem sit sentiendum nunc aperiam.

Dico igitur primo, sententiā supradictā, quam tenet *Acosta*, censeo esse omnino improbabilem, tum quia est cōtra communem consensum Doctorum, qui loquentes de Confessario ad tempus exposito, dicunt, transacto eo tempore nullo modo posse audire fidelium confessiones, nisi forsitan per accidens in aliquo casu, quando videlicet bona fide confessio incœpta fuit intra tempus, eaque cōpleri non potuit; tunc quam plures valde probabiliter dicunt, posse Confessarium prosequi, audiendo reliqua peccata, & postea pœnitentem absoluere. *vide Sanches in Decalogum lib.2.cap.13.nu.* 15. & licet hi doctores loquantur de iurisdictione delegata ad aliquod tempus, quo transacto expirat; tamen eadem videtur paritas de approbatione. probari autem potest nostra conclusio, quia dnus Episcopus iustè, & rationabiliter reuocat approbationem, tūc Confessarius nequit confessiones audire; ergo etiam trāsacto tempore approbationis, neque eas audire poterit: probatur ista consequentia; quia in approbatione illa ad tempus virtualiter, & implicitè continetur reuocatio pro illo tunc, in quo finitur tempus, ergo in vtroque casu par est ratio. 87

Reijcitur vt improbabilis opinio Acostæ

Dico secundo longè probabilius esse, Sacerdotem eligi non posse per Bullam non seruata restrictione inclusa in ipsa approbatione. probatur, per Bullam nemo potest eligere, nisi Confessarium approbatum ab Ordinario; at Sacerdos approbatus V.G. pro viris tantùm, aut pro vno tantùm Oppido, non censetur approbatus pro mulieribus, aut pro alijs Oppidis; ergo nequit eligi per Bullam in Confessarium ab ipsis mulieribus, aut in alio Oppido diuerso ab illo, pro quo fuit approbatus. 88

Non seruata restrictione, quæ est in approbatione, nequit in Bulla eligi.

Obijcies primò. Dum in Bulla conceditur facultas eligendi Confessarium approbatum, non apponitur talis conditio, nempe approbatum pro omnibus, & nō pro aliquibus, aut pro vno loco, & non pro alio; ergo neque nos debemus has conditiones apponere, quæ ab ipso priuilegio non ponuntur, ad hoc, vt Confessarius limitatè approbatus possit ab omnibus eligi. 89

Prima obiectio contra cōclusionem.

Respondeo. Ex eo, quod Bulla requirat approbationem Ordinarij rectè colligimus, electionem Confessarij esse faciendam intra limites approbationis, aliter non eligeretur approbatus; quia electio facta ab illo, pro quo non fuit approbatio, perinde est, ac si eligeretur Confessarius non approbatus, per accidens omnino 90

Electio Confessarij est facienda intra limites approbationis.

nino

nino se habente approbatione, facta pro alio, nam sententia lata pro vnn tantùm V. G. pro Petro tantùm, non est sententia lata pro Paulo, nisi Paulus succedat in iure Petri; & idem propnrtionaliter asserimus de approbatione restricta pro vno tantùm loco.

91 *Obiectio secunda.* Obijcies secundò, restrictiones istæ, quæ apponūtur dū Sacerdos ab Episcopo exponitur ad confessiones audiendas, intelliguntur ferri in iurisdictionem ab Episcopo concessam, non autem in approbationem; ergo Sacerdos ita approbatus censebitur simpliciter habere approbationem, secundùm quid vero iurisdictionem; & ideo si iurisdictio simpliciter illi conferatur, vt fit per Bullam, poterit eligi in Confessarium.

92 *Restrictiones interdum sūt non solùm circa iurisdictionem, sed etiā circa approbationem.* Respondeo negando antecedens, nam & si aliquando Episcopus iurisdictionem limitatè concedat, & non approbationem; nihilominus falsum est, aliquando etiam restrictionem nnn ferri immediatè in ipsam approbationem, & praxis manifestè docet oppnsitum, dum enim Episcopus examinat Regulares, interdum approbando illos pro solis uiris, vel ob defectum ætatis, vel ob aliam causam, tunc certum est restrictionem versari circa ipsam approbationem, nequit enim esse circa iurisdictionem, quam Regulares habent immediatè à Pontifice: rursus nnn video cur approbatio nequeat limitatè fieri, sicuti, & iurisdictio restrictè conceditur?

93 *Obiectio tertia.* Obijcies tertiò, pro eorum sententia, qui volunt Confessarium limitatè approbatum à nemine eligi posse vi Bullæ; obijcies inquam tali pacto. Bulla postulat Sacerdotem absolutè approbatum, adhoc, vt sit per ipsam Bullam eligibilis in Confessarium, at Sacerdos, cum aliqua limitatione ex supradictis approbatus, nō censetur absolutè approbatus; ergo ita approbatns à nemine erit eligibilis per Bullam in Confessarium.

94 *Absolutè approbatus bifariam sumitur.* Respondeo distinguendo in maiore dictionem illam, *absolute approbatum*, quæ in subiecta materia bifariam sumi potest. Primo, quatenus significat rem ipsam secundùm se, præscindendo à mndo eiusdem rei, nempe à perfecto, & imperfecto. Secundo, in quantum determinat modum rei, seu rem ipsam sub modo. His præhabitis, aio approbationem Confessarij in Bulla esse in prima, & non in secunda acceptione intelligendam; proinde quæcumqne approbatio sufficiens erit adhoc, vt Sacerdos intra limites ipsius approbationis per Bullam in Confessarium eligatur.

95 Sed vrgebis contra. Vnde nam habemus, approbationem à Bulla requisitam esse intelligendam potiùs primo, quam secundo modo? *Instantia contraria.*

Respondeo, colligi quia in Bulla non apponitur, approbationem esse debere omni modo perfectam, sed exigitur approbatio vt sic, absque addito; idcirco non debemus nos coarctare, & explicare priuilegium, vt loquatur de approbatione perfecta, quam vocant simpliciter, & excludere approbationem, quam auctores appellant secundùm quid, vt in similibus exemplificare possumus: v. g. in eadem Bulla conceduntur indulgentiæ, quas fideles Romæ in Stationibus lucrantur, & inter alia præscribitur precū effusio, & tamen non oportet adhas Indulgentias obtinendas, vt nratio, quæ fit sit omnino perfecta, sed sufficit substantiam ipsius orationis ponere, quamuis breuissimam; similiter cum ad Iubileum consequendum præcipitur Eleemosyna, satis est vnum tantùm obolum erogare, licèt, qui ipsam eleemosynam elargitur sit valde diues, vt ostendimus in Tractatu de Iubileo; & horum omnium eadem est ratio; videlicet quoties in similibus Bullis Pontificijs præscribitur exercitium alicuius actionis, aut alicuius rei largitio, & non determinatur modns actionis, satis erit ponere substantiam actionis, nisi ex subiecta materia colligatur, mentem Pontificis esse præscribere actionem cum omnimnda, aut tanta, vel tanta perfectione. 96 *Respondeo.*

Cæterum posset aliquis ad hominem contra nos vrgere, argumentando à pari in hunc modum. Dum Bulla postulat Confessarium adhoc, vt audiat confessiones, esse approbandum ab Ordinario, loquitur de Ordinario absolutè, & tamē, hoc non obstante, nos interpretati sumus, sermonem esse de Ordinario habente iurisdictionem in Confessarium, vt illum simpliciter approbet; ergo dum eadem Bulla postulat Confessarij approbationem, & loquitur absolutè, debemus explicare loquutionem esse de approbatione simpliciter, & perfecta; sicuti enim absolutè, & sine addito loquitnr de Ordinario, sic etiam de approbatione. 97 *Instantia ultra authoribus ad hominem.*

Respondeo negando paritatem ex fundamentis præmissis, diximus enim, tunc actionē, quæ in Bullis absolutè idest sine addito exigitur, non esse intelligendum, requiri, vt stantem sub modo perfecto, & imperfecto, quando aliunde oppositum non colligitur, vel ex parte materiæ subiectæ, de qua agitur, vel ex alijs Capitibus; & ideo cum approbatio sit actus iurisdictionis, vt legitimè fiat, 98 *Satisfit instantiæ.*

pro-

procedere debet ab habente iurisdictionem; idcirco rectè asserimus Ordinarium, cuius approbationem simpliciter requirit Bulla, esse Episcopum Confessarij, quamuis explicitè id non dicat, sufficienter tamẽ declaratur ex subiecta materia, nempe ex approbatione fundata in iurisdictione approbantis; at loquendo de ipsa approbatione, non habemus caput, ex quo colligamus verba Concilij esse restringenda ad approbationem omnino perfectam, cum possit etiam esse imperfecta, idest secundùm quid, & tunc etiam in iurisdictione fundatur, nã esse potest tum ab Ordinario ipsius Confessarij approbante limitatè, & non simpliciter; tum ab Ordinario pœnitentis, cuius approbatio respectu Confessarij non subditi nequit esse simpliciter, seu perfecta, sed secundùm quid, & imperfecta, *vt in hac secunda parte cap. primo sect. 2. ostendimus*.

SECTIO VI.

An Sacerdos approbatus, si reuocetur approbatio, vi Bulla eligi possit in Confessarium.

99 *Approbatio iustè reuocata impedit electionem.* Dicendum est primò, si concurrat causa rationabilis, & Episcopus reuocet approbationem, Sacerdos, cuius approbatio fuit reuocata, non est per Bullam eligibilis, siue Sacerdos ille sit Secularis, siue Regularis; cum hoc tamen discrimine, vt causa reuocationis respectu Regularis sit proportionata, quia causa, quæ erit sufficiens ad abolendam, vel suspendendam approbationem Sæcularium, non censetur semper sufficiens pro reuocanda approbatione Regularium ob priuilegia, quibus gaudent. Conclusionem docent *Suarez disp. 28. sect. 8. Vasquez tom. 4. de pœnitentia quæst. 93. a. 3. dub. 5. Ludouicus à Cruce disp. p. cap. 2. dub. 12. Sebastianus Acosta quæst. 40. Trullench. lib. primo §. 7. cap. primo dub. 7. & alij*, & probari potest manifeste ex duobus principijs: nam posito, quod approbatio sit reuocabilis, quod nunc potius supponimus, quàm probamus; quia eius fundamentum est mutabile, nempe scientia, & mores Confessarij, & posito quod Bulla requirat Sacerdotem approbatum adhoc, vt vi illius possit eligi; manifeste colligitur quod reuocata approbatione Sacerdos ille non manet approbatus; & ideo non est eligibilis per Bullam.

100 *Reuocatio absq; causa rationabili* Dicendum est secundò, quod si Episcopus absq; rationabili causa auferat approbationẽ, non solùm illicitè, sed probabile est etiã inualide id fieri, & Sacerdotẽ illum esse per Bullam eligibilem in Confessarium. *probabile est, vt nõ reddat confessionẽ inualidam.* Hanc sententiam tuetur *Acosta loco citato*, & absolutè, vel probabiliter eam defendere tenentur, qui vel absolutè, vel probabiliter censent, reuocationem sine causa factam, esse irritam, *vt Fagundez præcepto. 20. lib. 7. cap. 2. nu. 63. Delugo d 21. de pœnitentia sec. 3. §. 2. n. 64. Suarez sect. cit. Filliucius tract. 7. c. 9. nu. 267.* prima autem pars conclusionis, scilicet probabiliter reuocationem esse irritam, solet probari *ex cap. Accipimus de at. & qualitate. ord.* vbi de promotis ad ordines Sacros dicitur, quod habita diligentia, vt idonei promoueantur, post promotionem non posse contra eos excipi, nisi fortè indignos se reddiderint, ex hoc Decreto Pontificio, auctores, qui defendunt conclusionem, colligunt à pari, quod si quis, vt idoneus fuerit approbatus ad confessiones audiendas, nisi se reddat indignum, non potest reprobari; & ideo manebit approbatus: ex quo clarè sequitur secunda pars conclusionis; nam manente approbatione, manet fundamentum electionis in Confessario virtute Bullæ. Confirmari etiam potest conclusio ratione; quia Sacerdos dum se examini exposuit, & legitimè fuit approbatus, nisi fiat mutatio in fundamento approbationis, videlicet, aut in scientia, aut moribus &c. videtur retinere illud ius, quod habuit ad sui approbationem; proinde si auferatur approbatio, erit iniusta ablatio, & irrita, dixi hoc esse probabile, nam opposita sententia, saltem quoad Sacerdotes sæculares, est etiã probabilis, eamque tuentur *Ludouicus à Cruce cap. cit. dub. 13. Ioan. de lacruz in direct. consc. p. 2. tract. de pœnitentia quæst. 5. d. 8. concl. 4. Nuñus in addit. ad 3. p. quæst. 8. a. 5. d. 9. ver. docet tamen*, & ratio pro hac sententia esse potest, quia verisimile est, intentionem Episcopi approbantis Sacerdotem suum subditum, esse approbare illum ad sui beneplacitum, vt aduertit *Suarez num. 8.* & ideo non facit iniuriam Sacerdoti, cuius approbationem aufert, aut suspendit, quamuis hoc absque sufficienti causa facere non debeat, & si faciat, illicitè id faciet; at propter hoc non erit irrita, sed ad summum illicita reuocatio, at respectu Regularium hoc non est dicendum; quia cum habeantur priuilegia, à Pontificibus concessa, & præsertim illud *Pij V.* qui *in quodam motu proprio Anno 1157. quæ est 133. constitutio in tom. 2. Bullarij* & incipit. *Romani Pontificis prouidentia*, statuit Religiosos præuio examine approbatos ab eodem Episcopo, iterum non esse examinandos, de

de qua re sunt nonnullæ declarationes Cardinaliũ apud *Zerolam in praxi Episc. p.p.v.Confessores.num.2.*& nouissimè extat *Bulla Vrbani Octaui apud Barbosam de Iure Ecclesiastico lib primo cap.47.nu.210.* de hac eadem re, *& citat motum illum Pij Quinti*, proinde approbatio Regulariũ facta ab Episcopo censetur confirmata à Pontifice, vt docet *Henriquez lib. 3. de pœnitentia c.3.num. 6.* & ideo est quodam modo perpetua, & dum nulla extat causa sufficiens, nequit ab Episcopo reuocari.

101 *Approbatio ad beneplacitum collata validè reuocatur etiam nulla existẽte mutatione in Cõfessario.* Dicendum est tertiò. Approbatio, quæ explicite fit ad beneplacitum Episcopi, poterit valide reuocari, etiam nulla existente causa reuocationis, ita *Fagũdez, de Lugo, Suarez ll. c.* nam vt sic dependet à mera, & simplici voluntate Episcopi; & ideo, etiam si ex parte Sacerdotis nulla sit mutatio in fundamento ipsius approbationis, sufficit mutatio volũtatis in Episcopo, & addit *Fagundez*, non solùm validè, sed etiam licitè id fieri posse, & ideo facta reuocatione, Sacerdos non manet amplius approbatus, & per consequens ineligibilis per Bullam.

102 *Obiectio.* Obijcies primo. Bulla solùm requirit, vt Sacerdos approbatus fuerit, & quia nõ obstante reuocatione semper verum erit dicere, fuisse approbatum; idcirco erit etiam per Bullam eligibilis.

103 *Bulla exigit approbationẽ actu esse.* Respondeo Bulla exigens approbationem non loquitur de approbatione, quæ fuit, & nunc est præterita, sed de permanente, & actuali, tempore electionis, & ideo terminus ille. *Approbatum*. &c. sumitur nominaliter, non verbaliter, hoc est, non sumitur quatenus significatum, verbi præteriti, sed quatenus nomen, seu forma afficiens Sacerdotem eligendum.

104 *Aliquando Episcopi indiscriminatim reuocant approbationes.* Obijcies secundò, multoties Episcopi reuocant omnes approbationes factas, & nemo est ex Confessarijs, qui audeat non obedire; ergo possunt reuocare absque causa; nam semper erunt plures Sacerdotes idonei, quorum approbationes in particulari non debent reuocari. Hoc argumentum facit *Nuñus* contra id quod diximus in secunda conclusione; nempe probabile esse, reuocationem sine causa irritam fore, & Confessarium per Bullam eligi posse, non obstante tali reuocatione.

105 *Reuocationes aliquãdo sũt circa iurisdictionem, & nõ approbationẽ, quãdo eũt de approbatione expedit esse generale.* Respõdeo reuocationem illam, quam interdum faciunt Episcopi, aliquando esse quoad iurisdictionem, & non quoad approbationem, quãdo verò, quoad solam iurisdictionem, aio, non esse illam, de qua loquimur, quia collatio iurisdictionis est actus gratiosus, dependens à voluntate Episcopi, qui, per se loquendo potest illam ad sui beneplacitum reuocare. Quãdo verò reuocatio est, quoad approbationem, de qua reuocatione in præsentia est sermo, præsumendum est, id ab Episcopo licitè fieri, & cum causa, vel quia approbauit ad tempus, vel ad beneplacitum, saltẽ implicitè, vt supra diximus; & si supponamus, approbasse simpliciter, sine limitatione ad beneplacitum, tunc illa reuocatio intelligenda erit cũ distributione accommoda, vt sæpe hoc modo interpretari solent leges, & edicta, quæ publicantur, quamuis vniuersaliter absq; exceptione loquantur; nempe respectu eorum, de quibus Episcopus reuocans iustam habet causam reuocãdi, aut quia indigent nouo examine, vel quia multi sunt, quoad mores corrigendi; & ideo ad vitandam plurium infamiam, conueniẽter Episcopi reuocant in communi approbationes, tacendo personas particulares, & præsertim quando plures sunt, quorum approbationes debent suspendi, aut reuocari; & tunc intentio Episcoporum non fertur in eos, respectu quorum nulla est causa sufficiens huius reuocationis: in dubio autem pro Episcopis est præsumendum; & ex his patet responsio ad argumentũ allatum *à Didaco Nuñez*.

SECTIO. VII.

An Sacerdos petens ab Ordinario approbationem, si iniustè illi denegatur, sit per Bullam eligibilis.

106 *Propenitur motiuum dubitandi.* Ratio dubitandi est, quando manifestè, & euidenter iniuste ab Episcopo negatur approbatio, si enim hoc non est euidens, certum est Sacerdotem, cui approbatio negatur, non esse per Bullam eligibilem. Difficultas igitur consistit, quando iniustitia est aperta, & tunc *aliqui apud Fagundez lib.7.cit.cap. 2. nu.59.* censuerunt, talem Sacerdotem per Bullam eligi posse, & horum ratio est, quia cum quilibet Sacerdos in sua ordinatione recipiat potestatem audiendi peccata, & ab eis omnes fideles absoluẽdi, iure suo potest petere ab Episcopo, vt illum approbet, adhoc, vt valeat per Bullam, Iubilæum, aut simile priuilegiũ acquirere proximam, & actualem iurisdictionem exercendi hoc Sacramentum; proindè si per examen inueniatur idoneus, & Episcopus ex odio, vel ex alio motiuo iniusto deneget approbationẽ, facit illi iniuriam, actio verò iniuriosa nemini nociua esse debet; talis autem esset, si Sacerdos iste per Bullam non foret eligibilis: & confirmatur, quia in iure dum requi-

requiritur consensus alicuius, qui illum praestare debet, si iniustè nolit consensum exhibere, habetur pro exhibito, vt colligitur *ex cap. licèt de Regular.* vbi in simili dicitur, quod si Religiosus petat à suo Superiore licentiã trãseũdi ad perfectiorem Religionẽ; etiã nõ obtẽta licẽtia potest ad illũ ordinẽ transire, si licẽtia ipsi negetur.

107 *Sacerdos saecularis iniustè nõ approbatus, non est eligibilis per Bullam.* Dicendũ tamen est Sacerdotem saecularem (nam de Regularibus inferiùs loquemur) quamuis iniustè ab Episcopo non approbetur, nõ cẽseri idoneũ, vt per Bullã hanc eligatur ad confessiones audiendas, ita *Fagundez loco cit. Suarez disp. 28. sec. 5. n. 6. De Lugo disp. 21. sec. 3. n. 50. Aegidius Trullen. in expositione Bullae lib. 5. §. 7. cap. 9. dub. 8. n. 9.* Conclusio probari solet *ex Concilio Trid*, quod sermonem habens de Sacerdotibus non curatis, determinauit nullum censendũ esse idoneũ, nisi ab Episcopis sit approbatus; ergo ad idoneitatẽ Sacerdotis requiritur, vt actu, & positiuè ipse Sacerdos sit approbatus, cõditionalis enim illa explicata per particulã, *nisi*, hoc importat, nempe, vt actu ponatur ipsa approbatio. ex similibus confirmari poterit; est enim valdè proportionatum adhanc veritatem suadendam exemplũ, quod affert *Suarez* V.G. Haereticus secundùm iura, nisi à Iudice actu talis declaretur, non poterit proprijs bonis spoliari; sicuti in multis alijs poenalibus habemus, in quibus poena nõ est soluẽda ante Iudicis sententiam; & quamuis illicitè, & iniustè Iudex nõ declaret aliquem in haeresim incurrisse, aut tale aliud delictũ, cui est poena imposita, perpetrasse, hoc tamen non obstante, Reus cogi non poterit ad poenam soluendam, sic in casu nostro, Pontifex ad bonũ regimen disposuit per Concilium, vt ille Sacerdos sit idoneus ad audiendas fidelium cõfessiones, qui vel habet beneficium curatũ, vel per sententiam Episcopi censetur idoneus: quapropter his conditionibus deficientibus, etiã ex maleuolentia, & iniustitia Episcopi nolentis approbare, Sacerdos non erit proximè capax recipiendi iurisdictionẽ adhoc Sacramentũ requisitam: Et confirmatur, nam si quis nominatus, seu electus ad beneficium parochiale iniustè reprobetur ab Episcopo, ad quem spectat talem electũ instituere, non censebitur Sacerdos iste idoneus, vt eligatur per Bullam titulo beneficij; ita similiter, si quis ab Episcopo per examen approbãdus reprobetur iniustè, non esset iudicandus idoneus, eo modo quo requirit Bulla.

108 *Respondetur ad rationem* Ad rationem autẽ in contrariũ respõdeo, nihil aliud per illã probari, nisi iniuriam, quae ab Episcopo fit petenti approbationẽ; & dum dicitur actio iniuriosa *dubitandi in contrarium.* nemini esse nociua, respondeo, hoc vniuersaliter r dictum, esse omnino falsum, vt apertè constat, quando Iudex iniustè renuit damnare reum ad poenam soluendam, quae esset Fisco, aut alteri applicanda; tunc enim illa iniuriosa omissio, seu sententia, per quam Iudex Reum liberat, est alteri nociua, & sic in multis alijs.

Ad cõfirmationẽ respõdeo, nõ esse vniuersaliter verũ, quod cõsensus iniustè negatus habetur pro exhibito, vt patet, cũ quis iniustè negat poenitenti absolutionẽ, auditis eius peccatis, negatio enim consensus ad absoluendũ nõ operatur eũdem effectum, quẽ erat operaturus consensus, si actu exhibitus fuisset; solum igitur illud principium verificatur in illis casibus particularibus, qui in iure sunt expressi, *vt in cap: licèt de Regul. cit. in praedicta cõfirmatione, & in c. de suppl. neglig. Praelat.* 109 *Solutio ad confirmationem.*

Dices, per iniustã negationẽ approbationis nullũ ius aufertur ab illo Sacerdote, qui iniustè reprobatur, ergo nõ obstãte tali iniusta reprobatione; Sacerdos ille erit per Bullam eligibilis ad confessiones sacramẽtaliter audiẽdas, ac si esset approbatus: antecedens sic suadetur. Sententia iniusta licèt tollat aliquid in foro externo, nihilominus in foro cõscientiae nequit tollere illud ius, quod habet ille, contra quem lata fuit ipsa sententia iniusta. 110 *Instantia.*

Respõdeo cõcedẽdo antecedẽs, & negãdo cõsequentiã; nos enim nolumus per illã iniuriosã negationem auferri aliquod ius in foro cõscientiae, quod Sacerdos habebat; sed asserim[9] fieri illi iniuriã, quatenus ipsi negatur aliquod ius de iustitia cõcedendum; videlicet approbatio ad confessiones audiendas. 111 *Responsio.*

SECTIO VIII.

An Episcopus, approbans Sacerdotem, quem interiùs inhabilem iudicat, eumdem per Bullam eligibilem reddat.

Videtur negandũ, quia *Tridentinum* duo requirit ad idoneitatem Confessarij. primò; vt ab Episcopo iudicetur idoneus. secundo vt approbetur: & sicuti solum iudicium non sufficit, vt Confessarius sit capax iurisdictionis; ita neq; sola approbatio externa, absq; iudicio interni; & ideo *Bonac. d. 5. q. 7. p. 4. §. 3. n. 29.* putat talem Sacerdotẽ inualidè absoluere, quam opinionẽ *Suarez lo. cit.* non reijcit. 112

Sed his non obstantibus aio, approbationem illã esse validam, quamuis illicitè cõcessam, Sacerdotẽ proinde ex vi illius esse eligibilẽ virtute Bullae; & hanc sententiam sustinet *Suarez disp. 28. sect. 5. i. u. 7.* licèt addat, non improbare priorem sen- 113 *Opinio Authoris.*

tentiam; absolutè hanc secundam sententiam defendit *De Lugo disp. 21. Sect. prima nu. 25.* probari autem potest conclusio, quia iudicium, quod à *Concilio* requiritur eliciendum ab Episcopo, nō est aliud nisi illud, quod in ipsamet externa approbationis sententia imbibitur, expressiuum talis determinatæ approbationis in specie; nam certum est, non sufficere ad hunc effectum quamcumque approbationē, sed exigi approbationem iuridicam, & hoc solùm voluit exprimere *Concilium*. Ad hoc autem asserendum ducor, quia si loqueretur de illo iudicio interno, quod proponitur in ratione dubitandi quamplurimi inijcerentur scrupuli, quia pœnitentes semper possent dubitare, an approbatio talis Confessarij processerit ex illo iudicio nec ne?

Et si ad hanc instantiam soluendam
114 dicas, licèt in aliquo casu Episcopus approbet Sacerdotem, ductus humano fauore, vel alio motiuo illicito, non obstante, quod apertè agnoscat inhabilitatem illius Sacerdotis; nihilominus in hoc casu per Ecclesiam suppleri defectum, & ex vi talis approbationis Sacerdotem validè absoluere.

Si inquam ita dicatur, iam habemus intētum, nam hoc est, quod volumus,
115 *Approbatio externa contraria iudicio interno Episcopi recipitur ab Ecclesia.* videlicet approbationem istam, etiam cōtrariam iudicio interno Episcopi approbantis, ab Ecclesia, & ab ipsomet Pontifice recipi, vt validam, & iuridicam, igitur si supremus legislator, à quo est lex illa, contentus est tali approbatione, dicendum consequenter erit, approbationem illam iuridicam validam esse; nam in hac materia, quæ à beneplacito legislatoris, videlicet Pontificis, omnino depēdet, omnia regulanda sunt iuxta eius beneplacitum; ac proinde approbatio legitima ea est censenda, quæ ab ipso Pontifice admittitur, vt valida. Et confirmatur conclusio alio efficaci argumēto, deducto ex sententijs, quæ versantur circa alias materias, si enim Iudex ferat sētentiam in fauorem vni ex partibus litigantibus, etiam si interiùs habeat cōtrarium iudicium, & oppositum existimet, nemo est, qui dicat talem sententiam esse inualidam, quamuis sit illicita, ita Episcopus veluti legitimus Iudex, dum approbat Sacerdotē in ordine ad confessiones excipiēdas, dat sentētiā, & licèt sētentia sit illicita, & contra conscientiā ipsius Episcopi approbantis; tamen erit valida.

Ex his patet solutio ad fundamētum
116 *Soluitur oppositum fundamentum.* oppositæ opinionis, dum enim dicitur, à *Concilio* duo requiri, &c. nempe iudiciū, & actualem approbationē re ipsa exhibitam, si sermo sit de iudicio purè interno, quod fertur circa personam ipsam approbandam, vt cognoscitiuum, & iudicatiuum habilitatis, aut inhabilitatis eiusdem personæ, nego esse vnum ex duobus à *Concilio* requisitis, tamquam ad essentiam approbationibus spectantibus; quamuis omnino exigatur ad honestatem ipsius actus approbationis; si verò sermo sit de iudicio, quod directè subditur foro Ecclesiæ, & est inclusum in ipsa externa approbatione, concedo esse vnū ex duobus à *Concilio* essentialiter requisitis, & vt sic fateor duo postulari à *Concilio*, licèt non vt contradistincta, sed solùm vt distincta tanquā includens ab incluso; nam approbatio ista externa, quāuis sit contraria iudicio purè interno; tamen loquendo de ipsa, inquantum pertinet ad reddendum Sacerdotem proximè capacem iurisdictionis satis est, vt exterius apposita nihil exprimat de iudicio contrario interno; tunc enim videtur secundùm forum Ecclesiæ continere iudicium sufficiens approbatiuum sensibile, quicquid sit de illo iudicio contrario in interno; & ideo rectè notauit *Suarez loco citato* illa duo non esse ita diuersa, vt iudicium referatur ad internam mentis existimationem, approbatio vero ad externam declarationem; sed iudicium etiam debet referri ad hāc declarationem legitimè datam, & sic illa duo, nempe iudicium, & approbationem, eo modo, quo in hac materia vsurpantur à *Concilio*, esse æquipollentia, & ad maiorem expressionem apposita.

SECTIO. IX.

An sola ratihabitio approbationis sufficiat, vt Confessarius per Bullam eligatur.

TAmquam certum in præsētia supponimus, ratihabitionem, quam 117
vocant de futuro circa Sacramenti pœnitentiæ administrationem, esse omnino insufficientem, & Sacramentum cum tali ratihabitione confectum, esse irritum. V. G. si aliquis Sacerdos carens approbatione, aut iurisdictione, & ductus spe, aut ratihabitione, quòd Superior postea sciēs factū, illud ratū sit habiturus, confessiones excipiat, inualidè absoluet; ita cōmuniter docēt ferè omnes, paucis quibusdā exceptis apud *Suarez disp. 26. sect. p. n. 13.* requirētes hoc, in ordine ad iurisdictionē delegādā, sed cū eadē in hoc militet ratio de approbatione, idcirco, quæ ab ipsis auctoribus dicuntur de ratihabitione iurisdictionis dicemus, & nos de ratihabitione approbationis. Non esse autem sufficientē ratihabitionē de futuro ad validitatem prædicti Sacramenti proba-

ba-

bant Doctores, præcipuè ex eo, quod Sacramenti valor nequit manere suspē-sus, & dependere à futuro consensu alterius supponentes, igitur in subiecta materia insufficientiam ratihabitionis de futuro, sermo nobis est de ratihabitione, quam appellant de præsenti, & quæ maiori verborum proprietate vocari potest tacitus consensus; loquendo igitur de tali cōsensu, inquirimus an sit satis adhoc, vt Sacerdos censeatur approbatus, ita vt per Bullam Cruciatæ electus, validè absoluat.

118 *Opinio negatiua refertur.* Partem negatiuam amplectuntur aliqui ex antiquioribus, quos idem *Suarez* laudat *loco citato* quos *ipse sequitur nu. 14.* vult enim nullam dari ratihabitionem, de actu præsenti, quia, vt ipse inquit, omnis ratihabitio est de actu præterito, & si fortasse ratihabitio de præsenti vocetur voluntas aliqua præsens, manifestata exterius non signo expresso, sed implicito, non erit dicenda propriè ratihabitio, sed iurisdictionis collatio, seu licentia per cōsensum de præsenti; attamen non obstante huius nominis declaratione, docet, difficile esse explicare, qualis sit ista implicita, & inuoluta concessio; & ideo in partem negatiuam inclinare videtur, cui sententiæ nouissimè subscribitur *Ludouicus à Cruce in expositione Bullæ disp. prima cap. 2. dub. 10. nu. 24. Hieronymus Pharaonius in promptuario animæ de Sacramento Pœnitentiæ tract. primo sess. 17. casu 11.*

119 *Sententia affirmatiua.* Partem vero affirmatiuam tuentur graues Doctores antiqui, & recentiores *Syluest. V. Confessor. 1. quæst. 6. Ledesma 2. par. 4. quæst. 22. a. 1. p. Sotus in 4. dist. 18. quæst. 4. a. 3. Nauar. in manuali cap. 9. num. 6. & alibi. Nunus in addit. ad 3. p. S. Tho. quæst. 8. a. 5. dubio 9. ante responsionem ad argumēta. Henriquez lib. 6. de pœnitentia cap. 12. num. 13. Vasquez tom. 4. in 3. p. disp. 93. a. 2. dub. 2. Comin. disp. 8. de Ministro pœnitentiæ dub. 5. num. 33. & 36. Sanchez lib. 3. de matrimonio disp. 35. nu. 20. Fagundez in præcepto 2. Eccles. lib. 7. cap. 2. num. 71. Toletus in summa lib. 3. cap. 13. num. 3. Sancius in Selectis disp. 44. n. 3. & alij apud ipsos.*

120 *Decisio.* Dicendum est primo, hanc secundam sententiam esse probabiliorem, si rectè explicetur, & nonnullæ adhibeantur cōditiones, tum ex parte Superioris, cuius approbatio requiritur, tum ex parte ipsius Confessarij, qui confessionem audit; & ideo ex parte Superioris supponere debemus, quod dum actu videt Confessarium illum audientem confessionem, non sileat ex metu, timens aliquod damnum sibi, vel alijs futurum, si confessionem illam impediat, neque sileat ex pusillanimitate, aut ex errore aliquo, putās, Sacerdotem illum esse iam approbatum, & aliunde habere iurisdictionē, &c. quia tunc coactum esset, ratihabitionem illam, sub qua Sacerdos mouetur ad confessiōnes audiendas, sufficientem non fore ad valorem Sacramenti; quia in casibus prædictis, cōsensus, seu taciturnitas Superioris esset inuoluntaria; sed supponendum est silere, ex eo, quod gratum sibi sit à Sacerdote illo administrari Sacramentum Pœnitentiæ; & ideo illum non impedire ab illo exercitio, etiā si facilè posset. *Augurum silentium Superioris sufficiat ad approbationem.* Difficultas tamen, & nō leuis, ex his insurgit, an etiam positis prædictis conditionibus, quas requirimus, satis sit purum silentium cum scientia ex parte Superioris, adhoc vt cēseatur esse signum cōsensus interni, quo ipse Superior approbet illud factum. Negat *Pater Suarez lib. primo de legib. cap. 13. nu. 18. 22. Menochius lib. 2. præsump. 20. num. 32. 33. Sayrus de censuris lib. 7. cap. 14. nu. 16. & alij,* quos citat *Merolla disp. 4. de legib. & cap. 6. dub. 6. nu. 167.* sed affirmant *alij, vt Basilius Pontius de matrimonio lib. 8. cap. 15. n. 5. & 7. Sanchez lib. 8. de matrimonio d. 4. Castropalaus tom. 1. tract. 3. disp. 6. p. 12. & n. 3. 5. & ipsemet Merolla.* Attamen has duas opiniones puto cum aliqua modificatione, & declaratione, esse veras. *Vtraq; opinio cum aliqua modificatione est vera.* Quapropter aio, quod si, attentis omnibus circumstantijs, Superior aduertat à Sacerdote illo excipi confessiones, & possit illum facilè impedire; tunc per tale silentium videtur approbare factum, quia non præsumitur, quod Superior peccet nō impediendo; peccaret autem si posset, & deberet impedire, & nō impediret; & ideo Cōfessarius hoc agnoscens validè absoluet: si vero, hic, & nunc taciturnitas non sit talis, vt ex illa possit certo moraliter colligi internus consensus Superioris, neque dissensus; tunc non erit satis ad valorem Sacramenti: absolutè tamen cēseo, præter taciturnitatem Superioris, requiri aliquod signum externum, per quod agnoscatur consensus internus Superioris; nam per se loquendo silentium illud potiùs est aptum ad indicandam voluntatem Superioris permissiuam, quam positiuè approbatiuam.

Ex parte vero Confessarij exigitur, 121
vt notitiam habeat huius taciti consensus, qui in Superiore actu inuenitur; aliter cum ipse sciat; non esse approbatum, neque in Bullæ habere iurisdictionem, cum Bulla supponat approbationē iam habitam, neq; eam habere ab alio Superiore, & sciat, absq; iurisdictione absolutionem esse inualidam, non video, quo pacto possit habere intentionem validè absoluendi.

His omnibus præmissis probo principa- 122
lem

Probatur principalis conclusio. lem conclusionē, nempe ratihabitionem de præsenti, seu tacitum, & interpretatiuum consensum sufficere adhoc, vt Confessarius validè absoluat. probo autem conclusionem *ex regula illa Iuristarum, quod scientia, & patientia*, modo explicato, *in ijs, quæ sunt modici præiudicij, operantur consensum*, vt docet *Bartol. L. quæ dotis. nu. 24. ff. de soluto matrimonio, Mascardus de probat. concl. 1255. num. 21. 35* at nullum, aut modicum præiudicium affertur Superiori, vt Sacerdos amicus, & quem ipse Superior amore prosequitur; se exponat ad audiendas confessiones sine expressa licentia. probatur secūdò ratione. dum ad aliquam actionem requiritur licentia in actu, sufficit tacita, & præsumpta per ratihabitionē de præsenti, & varijs argumentis id ostendit *Ioannes Lupus in Rubr. de donatione §. 68. nu. 27. & Corsetus in suis singularibus lit. L. verbo licentia*, & nulla apparet ratio ad id negandum; nam cum apud omnes sit certum, & indubitatum in exercitio multarum actionum requirentium Superioris licentiam, satis esse tacitam licentiam, nulla videtur ratio, cur id negetur in administratione huius Sacramenti, & præsertim, cum neque ex natura rei, neque ex lege positiua oppositum habeamus. Ratio autem fundamentalis omnium horum est, quia dum ad licitum vsum alicuius actionis requiritur alterius voluntas, & consensus exterius manifestatus, per accidens est consensum illum hoc, aut illo modo innotescere exercenti actionem illam, dummodo legitimè, & iuridicè innotescat, & ob hoc principiū Doctores aiunt, validè contrahi matrimonium coram Parocho alieno, si iste tacitam licentiam habeat à proprio Parocho; vt docet *Sanches, & plures apud ipsum lib. 3. de matr. disp. 36. num.* 20. qui ad hoc suadendum affert paritatem desumptam ex Confessario excipiente confessiones cum tacita licentia proprij Sacerdotis.

123 *Dubitatio in contrarium.* Obijcies, cum manifestatio interni cōsensus non habeat vnum definitum signū, per quod determinatè significetur, sed iuxta diuersitatem temporis, & loci, signa possint esse diuersa, proinde semper erit dubitatio an per illud signum Superior ratam habeat confessionem illam; at nequimus vti iurisdictione tantùm probabili, nisi sit necessitas; & non sit opportunitas alterius Confessarij habentis certam iurisdictionem; ergo, &c.

124 *Soluitur.* Respondeo, manifestationem interni consensus debere esse per tale signum, quod hic, & nunc; videlicet tali tempore, & loco nequeat prudenter significare, nisi voluntatem Superioris approbantis, & ratam habentis confessionem illam; neq; hoc censendum est esse adeo difficile, vt non possit pro temporis opportunitate fieri.

Dicendum est secundo. Approbatio ista, quæ fit modo explicato per ratihabitionem de præsenti nō est simpliciter, sed secundum quid, nimirum pro illo tantùm vice, pro qua Superior videt Confessarium audientem confessiones, & non impedit cum possit, sed ratum habet. Ita *Fagundez loco citato*, & colligitur expressè *ex Sanchez disp. cit. num. 22. & Henriquez loco cit.* & ratio videtur manifesta; quia ex nullo capite inferri potest approbatio simpliciter; nam approbatio illa tacita est pro tali loco, tempore, & pro talibus personis, quod est approbare secundum quid. 125 *Secunda conclusio.*

Dicendum est tertio, si Confessarius incipiat audire confessionem, antequam superueniat Superior, cuius approbatio prærequiritur, tunc omnia illa peccata, quæ prius fuere à pœnitente confessa, sūt repetenda postquam Confessarius tacitè approbatus fuit, quia confessio talium peccatorū non fuit facta legitimo Confessario, vt potè neq; approbatonē, neq; iurisdictionem habenti (loquor de peccatis mortalibus numquam ritè confessis; nam de venialibus, vel mortalibus, alias cōfessis, & absolutis quilibet Sacerdos canonicè non impeditus, iurisdictionem habet, vt supponimus ex tractatu de confessione) poterit autem pœnitens breuiter repetere peccata illa mortalia non legitime confessa; scilicet paucis verbis, post tacitam approbationem, dicens: Fateor iterum omnia peccata, quæ ante approbationem fassus sum. Ita *Aegidius de Conin. loco cit. nu.* 36. 126 *Tertia conclusio.*

Dicendum est quarto, Confessarium, qui inscio pœnitente cum tacita approbatione eius peccata sacramētaliter audit, teneri id aperire ipsi pœnitēti, ātequā pœnitēs incipiat cōfessionē, aliter grauiter peccabit, irrogās illi iniuriā; quia cū de hac re sint contariæ sententiæ, & probabiles posset contingere, vt pœnitens nollet tali Sacerdoti, de cuius approbatione non est moralis certitudo, sed tantùm probabilitas, sua peccata manifestare. 127 *Cōclusio quarta.*

Dicendum est quinto, licet opinio ista, quam tuemur, sit probabilis, nihilominùs in praxi absque necessitate nō est sequēda; an autem pœnitens grauiter peccet eligendo sine necessitate Confessarium approbatum tacita approbatione, relinquens Sacerdotem approbatum modo ordinario; nimirum cum approbatione, 128 *Quinta conclusio.*

&

& licentia expressa habita à legitimo Superiore, dependet ab illa quæstione, an in vsu Sacramentorum sequi possimus opinionem probabilem, relicta probabiliori, aut certa, de qua re infra nonnulla erũt dicenda, & ideo decisionem huius dubij in eum locum remittimus.

SECTIO X.

An habens Iurisdictionem si in eius titulo erret, validè absoluat.

129 *Declaratur quæsitũ formando varios casus.* PRæsentem casum varijs modis formare possumus; vt autem clarius intelligatur, ponamus V. G. Sacerdotem, qui inuincibiliter putet habuisse licentiã à Superiore legitimo audiendi confessiones, vel si est Regularis censeat esse in sua Religione priuilegium dans cuilibet ex eadem familia religiosa potestatem absoluendi, attamen hoc non ita se habeat, aut quia licentia, seu priuilegium expirauit, aut quia fuit reuocatum, aut denique, quia se non extendit ad tales personas, ad talia peccata, &c. Sed re vera in ipso Cõfessario sit iurisdictio vi Bullæ, quatenus excipit confessionem alicuius qui eiusdem Bullæ priuilegio fruatur, hoc vero ignoretur à Cõfessario. Formato autem casu in hunc modum, inquirimus an talis Confessarius validè absoluat.

130 *Dubiũ an iurisdictio acquiratur nesciẽti* Huius quæsiti decisio, aut tota, aut magna ex parte dependet ab illa alia quæstione, qua auctores controuertũt, an Iurisdictio acquiratur sine notitia, & acceptatione illius, cui delegatur, seu an Iurisdictio prosit ignoranti; & circa hoc punctum variæ sunt Doctorum opiniones.

131 *Aliqui negant.* Prima autem negat. Ita *Bartol L. Barbar. num. 18. ff. de Off. Prat. ibidem Bald. in 2. lect. num. 28. Felin. in cap. Eccles. nu. 14. de Constitut. Sanches. lib 3. de Matr. disp. 36. num. 2. 8. Ludouicus à Cruce in Bullam disp. 1. cap. 2. dub. 21. à num. primo*, & in hac sententia debent esse omnes illi, qui absolutè, & absque distinctione asserunt, priuilegium non sortiri effectum tempore concessionis, sed tempore notitiæ, quã priuilegiatus habet de priuilegij concessione, & illud acceptat, quam controuersiam fusè examinat *Suarez lib. 8. de legib. cap. 25. per totum*; concessio enim iurisdictionis se habet veluti priuilegium quoddam, seu vt quædam donatio, quæ ad sui firmitatem, & vigorem postulat acceptationem; & eãdem doctrinam tradunt alij de dispensatione, de qua agit *Sanches lib. 8. de matr. disp. 11. Suarez lib. 6. de legib. cap. 11.*

Secunda opinio aliquas præmittit distinctiones, ait enim, vel iurisdictio, aut priuilegium fuit directè cõcessum communitati, cuius pars est Confessarius; vt concedi solent priuilegia communitatibus religiosis, vel concessio directè facta est personæ priuatæ, & particulari V. G. ipsi Confessario; & tunc rursus à nonnullis apud *Suarez cap. illo 25. num. 10.* distinguitur, vel ex motu proprio concedentis, aut ad instantiam alterius tertiæ personæ, vel ad petitionem ipsius, cui cõceditur gratia, siue petat immediatè per se ipsum, siue per nuntium, siue per epistolã. His distinctionibus positis, inquit opinio ista, quod quando concessio gratiæ directè, & immediatè facta est communitati, tunc Confessarius validè absoluit, etiam si careat illius concessionis notitia: si vero facta fuit directe ipsimet Confessario, tunc ad valide absoluendum, oportet habere notitiam illius cõcessionis. Hanc opinionem sic explicatam, loquendo in hac materia de Confessario, sustinent *de Lugo disp. 19. de pœnitentia sect. 2. num. 20.* explicando conclusionem suam, quam posuerat *num. 18. & Franciscus Merolla in disputationibus moralibus tom. 3. disp. 6. cap. 6. dub. 4. à num. 93. vsque ad 99. inclusiuè, & disp. 7. cap. 1. dub. 10. nu. 22. Castropalaus de priuileg. tract. 3. disp. 4. p. 3. §. 2. num. 9. Azor in institut. moral. tom. 1. lib. 5. cap. 3. quæsito 5. & c. 22. quæsito 12.* quam opinionem probabilẽ putat *Suarez lib. 8. de legib. cap. 25. num. 17.* Præterea eodem modo discurrunt de alia distinctione, nam quando gratia ex motu proprio est alicui directè concessa, siuè ad instantiam alterius, est necesse, vt innotescat concessio ipsimet, cui fit, at quando fit ad instantiam ipsius nõ oportet, vt de illa notitiam habeat adhoc, vt id quod agit sit validũ, & sufficit, vt hãc notitiã habeat solus nũtius, seu procurator pœnitentis; quamuis hoc neget *Basilius lib. 5. de matr. cap. 19. num. 8.* loquens de licentia assistendi matrimonio loco Parochi, & loquens de confessione negat *Ludouicus à Cruce in expositione Bullæ disp. prima cap. 2. dub. 21. nu. 1.* & hoc ipsũ negat *Vasquez in p. 2. disp. 156. nu. 3. Suarez cap. 25. cit. nu. 25.* quando priuilegium continet dispensationem legis: at alij absolutè dicunt adhoc, vt gratia habeat effectum satis est, vt innotescat ipsi nuntio, seu procuratori ipsius, cui conceditur. ita *Sanches lib. 3. de matr. disp. 36. nu. 6.* & hoc etiam affirmat *Merolla dis. 7. cit. num. illo 222.* quando ille, cui fit fauor, per epistolam petijt; tunc enim statim ac conceditur à Principe, intelligitur concessio acceptata. 132 *Alia opinio nonnullas adhibet distinctiones.*

Di-

133 *Erranti in titulo acquiritur iurisdictio.*

Dicendum est primò, Sacerdos verè à parte rei iurisdictionem absoluendi habet, quamuis putet eam habere ex diuerso titulo, vi cuius illam non habet, valida erit absolutio ita docent *Cardinalis Delugo, Merolla, & alij.* Probatur conclusio; nam in casu isto Sacerdos intentionem habet absoluendi pœnitentem quantùm potest sine restrictione, & cum ex hypothesi in ipsomet Cõfessario sit facultas ad absoluendum, nihil ex parte ipsius videtur deesse ad valorem Sacramenti; & per accidens erit error ille in titulo, quia erit error particularis non destruens generalem illam voluntatem absoluendi ex vi iurisdictionis, quam habet, & hoc confirmare possumus varijs similibus. Si quis animo liberali donet alicui catenam auream, quam ipse donans censet possidere vno titulo, cum verè alio titulo sibi non cognito possideat, nemo est, qui dicat inualidam talem donationem fuisse, & si quis putet baptizare Franciscum, & baptizet Ioannem, validus erit baptismus, & sic in multis alijs: ratio autem fundamentalis est, quia licet agens, & exercens actionem erret in titulo suæ potestatis, tamen non progreditur ad actionem illam cum intentione exclusiua veri tituli, hoc est non habet hanc intentionem, volo exercere hanc actionem ex potestate, quam habeo ex tali titulo, & nolo exercere illam ex potestate cuiuscunque alterius tituli; vt sic enim inualidè operabitur; quia cum ex titulo præsumpto non habeat iurisdictionem, & intendat excludere iurisdictionem fundatam in quocumque alio titulo, perinde esset, ac si ageret carens omni iurisdictione; cum igitur intentio ipsius operantis non solùm non sit exclusiua, sed verè inuoluat voluntatem aliquam generalem operandi eo modo, quo potest, cui voluntati non repugnet error ille particularis, consequens est, vt dicamus validè agere, quatenus actio procedit ex præterita cognitione versante saltẽ implicitè circa titulum verum iurisdictionis, & error ille solùm concomitanter se habet, & non antecedenter, vt principium ipsius actionis, & sic in re actio procedit ex iurisdictione vera, & non ex præsumpta.

134 *Vt licitè, & validè vtatur iurisdictione, debet Confessarius de concessione notitiam aliquam habere.*

Dicendum est secundò, adhoc, vt Confessarius non solùm licitè; verùm etiam valido vti possit iurisdictione, oportet aliquam legitimam de concessione eiusdem iurisdictionis habere notitiam, iuxta illud *Iuristarum principium, ignoranti non aquiritur, seu non prodest iurisdictio,* vt ait *Bartolus. l. Barbar. num. 18. de offic. præt. & alij* apud *Sanches lib. 3. de matr. disp. 36. num. 8.* & probari potest *ex iure ciuili, & Canonico,* nam id colligitur *ex l. Hac autem §. Non deserpsisse Quibus ex causis in possess. eatur,* & *ex cap. si tibi absenti de præbend. in 6.* vbi dicitur, ius in beneficio, non acquiri ab absente, nisi illud acceptet, & ratum habeat *ex cap. si eam contr. de præbend.* similiter *in 6. ver. ex parte,* vbi est sermo de priuilegio. Si autem priuilegium debet acceptari adhoc, vt sit efficax, sequitur non habere vim, antequam priuilegiato innotescat, nam acceptatio est actus voluntatis essentialiter supponens cognitionem rei, quæ acceptatur, & licet aliqui putent, priuilegium à die concessionis habere suum vigorem, aliqui verò distinguant, & id affirment de quibusdam, & non de omnibus priuilegijs, vt videre est apud *Suarez lib. 8. de legib. cap. 25.* qui fusè hanc rem exagitat; nihilominus de iurisdictione est omnino asserendum ob rationem ponendam; probant autem nonnulli regulam superiùs allatam, nempe *Iurisdictionẽ non aquiri ignoranti* à paritate priuilegij, quod volunt, vt vidimus ex iuribus citatis, non prodesse ignoranti; & ideo formant argumentum recurrendo ad verisimilem intentionem concedentis, & inquiunt, cum ante scientiam priuilegij, vsus illius non sit licitus, quando per priuilegium dispensatur in lege præcipiente, non est verisimile, mentem principis esse, concedere priuilegium, aut dispensationem pro eo tempore, quo eius vsus est inseparabilis ab inordinatione; dum enim quis ante notitiam priuilegij, seu dispensationis operatur actum per legem prohibitum, temerè procedit, cum ignoret dispensationem: sic dici potest de iurisdictione, quæ & si fuerit concessa, tamen antequam de illa notitia habeatur, nemo poterit illa licitè vti; proinde verisimile est, non fuisse concessam quoad exercitum nisi à die notitiæ, & cum relatione ad acceptationem: hanc rationem assignant multi, inter quos est *Suarez cap. 25. cit. n. 25. 26. Vasquez p. 2. d. 156. nu. 30. & 31. Ludouicus à Cruce dub. cit. num. 2.* loquentes de priuilegijs continentibus dispensationem; sed ista ratio non videtur procedere cohærenter eorum prinpripijs; nam si esset vera, haberet etiam locum, quando concessio facta est communitati, in quo casu volunt prædicti auctores, quod quamuis persona particularis, quæ est pars illius communitatis ignoret concessionẽ, adhuc tamen validè operari ex vi gratiæ concessæ; contra hoc fieri posset idem argumentũ, vsus. n. gratiæ prædictæ, stante illa ignorantia, est inseparabilis ab inordinatione, quia persona priuata, ignorans

Probant aliqui conclusionem à paritate priuilegij.

Ratio ista non cohæret principijs horum Authorum.

rans suam potestatem temerè operatur, cum se exponat periculo inualidè operandi; proinde non est verisimile, intentionem Principis, concedentis illam gratiam, seu priuilegium, fuisse eiusdem priuilegij exercitium concedere, nisi pro tempore notitiæ; quod erat illud ipsum argumētum, quo prædicti auctores probabant priuilegium non prodesse ignoranti; si igitur militat in eo casu ab ipsis posito; nempe quando concessio fuit directè, & immediatè facta ipsi personæ particulari, militabit etiam quando est facta communitati, & idem argumentum ad hominem fieri posset contra eos, qui assignant supradictam rationem, ad probandum priuilegium concessum alicui ex motu Principis non valere, antequam priuilegiatus de illo notitiam habeat; at valere, si fuit concessum ad instantiam priuilegiati, etiam ante notitiam, si eius nuntius, aut procurator acceptauerit priuilegium; idem inquam argumentum fieri potest; nam inordinatio ab vsu priuilegij eodem modo est inseparabilis ante notitiam, tum in primo, tum in secundo casu, cum in vtroque sit temeritas in agendo, & periculum inualidè operandi; igitur ratio ista non videtur firma; & ideo quidam doctissimus recentior, cui ipse difficultatem hanc communicaui, respondit, eamdem in vtroque casu esse paritatem; proinde si Sacerdos habeat voluntatem absoluendi eo meliori modo, quo potest, & ex vi cuiuscumque iurisdictionis, à quocunque illam habeat, si reuera eo tempore Superior concedat illi iurisdictionem, validum efficiet Sacramentum, non obstante, quod ignoret suam facultatem. Huius recentioris sententiam libenter amplecterer, nisi mihi vim inferrent auctores, & iura, quæ statuunt, *iurisdictionem non prodesse ignoranti*, seu quod in idem recidit; dum aliquis ignorat concessionem iurisdictionis sibi factam, validè ex vi talis iurisdictionis operari non posse. Quapropter alia via incedere debemus, aio igitur, ratio, cur requiratur notitia de iurisdictione concessa, est quia collatio iurisdictionis se habet ad instar cuiusdam gratiosæ, & liberalis donationis, quæ de sui ratione adhoc, vt sit firma requirit acceptationem factam à donatario, siue immediatè, & personaliter per se ipsum, siue per aliam personam legitimam, cum autem iura propter bonum regimen, ita disponāt, consequens est, vt dicamus, quod dū Princeps suam communicat iurisdictionem, communicatio ista imbibitam retineat hanc conditionem, vt non habeat vigorem, nisi

Collatio iurisdictionis est veluti donatio, & ideo requirit notitiam in eo, cui datur.

post notitiam, & acceptationem, & ex hoc ipso principio *Sanches lib. 3. de matr. disp. 36. num. 8.* probat licentiam assistendi matrimonio ante notitiam, & acceptationem, non habere vigorem, quia est quædam donatio, & addit, quamuis non sit iurisdictio, esse quasi iurisdictionem, & quasi iurisdictionis exercitium, quod ignoranti conferri non potest; & ideo concludit, quamdiu quis ignorat iurisdictionem se habere, irritum esse omne illud, quod operatur.

135 *Disparitas inter priuilegium concessum communitati, & concessum particularibus*

Ex hac autem ratione manifesta erit disparitas inter vnum, & alterum casum, superius positum; nam quando priuilegium iurisdictionis conceditur communitati, tunc communitas illud acceptat nomine omnium, qui sunt de ipsa communitate; proinde licèt persona particularis, quæ est eiusdem communitatis pars, ignoret facultatem. V.G. quam habet absoluendi, vt pars communitatis, hoc est per accidens, & non tollit, quin valida sit absolutio, si Cōfessarius habeat generalem illam intentionem absoluendi quantùm potest; nam fictione iuris censetur mediante suo toto, nempe communitate religiosa, scire priuilegiū, illudque acceptare; at quando priuilegium iurisdictionis directè est ipsi Confessario, vt priuatæ personæ concessum, tunc si ipse illud ignoret, nullus poterit assignari, qui conscius, & acceptator fuerit. Similiter quando Pontifex motu proprio concedit iurisdictionem, & non ad instantiā ipsius priuilegiati, antequam cōcessio innotescat ipsi priuilegiato, nullus legitimè acceptat; sed an satis sit vt nuntius, seu procurator acceptet, ad hoc vt priuilegiatus sine notitia concessionis factæ validè operetur, est aliqua dubitatio; & partem negatiuam tuetur *Basilius Pontius lib. 5. de matr. cap. 29. num. 8. Ludouicus à Cruce loco cit. sed alij* partem affirmatiuam defendunt. *Sanches loco cit. Suarez cap. illo 25. num. 23. Merolla disp. 6. cit. num. 102. & quamplures apud ipsum.* Hæc opinio à nobis est amplectenda; quia cum dispositio ista, secundū quam dicimus, iurisdictionem non aquiri ignoranti, dependeat à iure positiuo, & voluntate Principis supremi, fundata in motiuo valdè rationabili, debemus de illa discurrere, attendentes mentem ipsius legislatoris; & ideo quamuis præscindendo à dispositione iuris eadem videatur ratio, quo ad temeritatem, & periculum irritandi factum, quando motu proprio fit concessio, & quando fit ad instātiam priuilegiati acceptantis priuilegiū, seu iurisdictionem per suum nuntium, aut procuratorem; si antequām ipsi inno-

Satis est, vt nuntius, seu procurator nomine alterius acceptet priuilegium, licèt principali nō innotescat.

notescat operatur: nihilominus cum acceptatio facta à nuntio ad nomen priuilegiati videatur perficere concessionē illam, rationabiliter, & congruenter potuerunt iura diuerso modo disponere de vno, quàm de altero casu. Idem etiam assero, quando Iurisdictio ab ipsomet priuilegiato petitur per epistolam; tunc enim eo ipso quod Princeps illam concedit, censetur sufficienter acceptata; quia epistola illa transmissa à priuilegiato in hoc æquiualet nuntio, & procuratori, & animus illius, qui epistolam transmittit, fuit statim acceptare iurisdictionem, eo momento, quo Principes ad ipsius instantiam sit illam concessurus; & ideo auctores huius sententiæ vniformiter loquuntur de nuntio, ac de epistola.

Epistola trāsmissa à priuilegiato æquiualet nuntio.

136 Petes, an sufficiat ad validè operandū, si tertius, qui non est nuntius, aut procurator priuilegiati, sciat concessam fuisse iurisdictionem, & moneat illum, cui fuit concessa?

137 Respondeo, non sufficere. *ita Sanches. disp. 36. cit. num. 7. Merolla dicto cap. 6. num. 103.* quia concessio iurisdictionis, seu priuilegij est ad instar cuiusdam donationis, hæc autem; vt vim habeat, & firmetur, debet innotescere priuilegiato, seu donatario per nuntium, qui sit in hunc finem destinatus, vel ab ipso priuilegiato, vel à Principe concedente, & intimante per suum nuntium concessionem à se factam; & ideo ex industria, in hac secunda conclusione dixi, esse necessariam legitimam notitiam &c. ad significandum concessionem debere innotescere, vel ipsi cui fit, vel eius nuntio, aut procuratori, & non alteri; quod adeo verum est, vt ipse *Merolla* loquens de donatione dicat, neque sufficere, si donatarius casu audiat donationem sibi factam eo tempore, quo donans illam facit, eamque acceptet, nisi donans id intimet ipsi donatario, vel per se ipsum, vel per nuntium &c.

Non est satis si tertia persona nomine alterius acceptet.

138 Petes secundo. An quæ dicta sunt de iurisdictionis cōcessione, habeant etiam locum in approbatione, præscindendo à collatione iurisditionis; videlicet an si Episcopus legitimus approbet aliquem Sacerdotem, & approbatio ignoretur ab ipsomet Sacerdote, qui postea audiat confessiones aliquorum habentium Bullam Cruciatæ, siue id fiat ex malitia, siue ex ignorantia, inaduertentia &c. validæ sint tales confessiones; suppono enim pœnitentem bona fide procedere, putando, in tali Confessario esse omnia requisita.

139 Respondeo, casum hunc apud neminem inuenire potui exagitatum; idcirco dicam quid in hac re probabilius censeam, paratus sententiam mutare, quando aliqua ratio efficax in contrarīū occurret, puto igitur non esse in hac re eamdem rationem de iurisdictione, sicuti est de approbatione; discrimen autem, quod inter vtramque inuenio, est quia approbatio nihil aliud est, vt supradiximus, nisi quoddam testimonium Episcopi, aut alterius Superioris de idoneitate Confessarij, in nullo autem Iure inuenio de ratione testificationis esse, vt illius notitia habeatur ab eo, de quo sit ipsa testificatio, siue sit in damnum ipsius, siue in vtilitatem; & ideo si quis testetur. v.g. Petrum esse latronem, homicidam &c. adhoc, vt talis testificatio sit in iure valida, non requiritur, vt Petrus de illa notitiam habeat, & multo minus, vt illam acceptet; quamuis, vt Iudex vi illius procedat contra Petrum reum, oporteat, vt Petro innotescat; adhoc, vt possit se defendere, & excipere contra testificationem illam: similiter si quis testetur Petrum esse virum probum aptum ad gubernandum &c. testificatio erit valida, præscindendo à notitia Petri. cum igitur testificatio in vniuersum non expostulet talem notitiam, & in iure canonico non habeamus, vt hæc specialis testificatio, quam Superior dat de idoneitate Confessarij, hanc conditionem ad sui valorem requirat; consequens est, vt dicamus approbationem esse validam, absque notitia approbati: contra vero iurisdictionis communicatio magis dependet à voluntate illius, cui confertur quàm approbatio, quia cum sit ad instar cuiusdam donationis, vt diximus, ad sui firmitatem exigit consensum, & vnionem duarum voluntatum; nempe, & concedentis, & illius, cui conceditur; proinde, quæ dicta sunt in hac sectione de concessione iurisdictionis non habent locum in approbatione.

Non est eadem ratio de concessione iurisdictionis, & concessione approbationis.

SECTIO XI.

An Approbatio, seu Iurisdictio concessa ab Episcopo habente Canonicum impedimentum, nempe excommunicationem, suspensionem, &c. sit valida?

POnamus gratia exempli Episcopum, à quo petenda est approbatio, aut iurisdictio ad audiēdas confessiones, esse maiori excommunicatione innodatum, aut suspensum ab officio &c. & hoc non obstante, approbet aliquem Sacerdotem ad confessiones audiendas; vel illi communi- 140

municet iurisdictionem, an talis approbatio, vel iurisdictionis communicatio, sit valida? supponimus autem quæsitum procedere solùm de excommunicato nō tolerato (& idē semper intelligo de suspēso;) nam de tolerato nō est difficultas post Cōcilium Constantiēse, per quod decretum fuit, vt teneamus solùm euitare excommunicatos iam denunciatos, aut publicos clerici percussores. Hoc posito.

141 *Opinio, quæ asserit dari posse approbationē ab Episcopo excommunicato nō tolerato; non autem iurisdictionem, refertur.*

Prima sententia est *Stephani Fagundez de præcept. Eccles. lib. 7. c. 2. n.* 49. qui affirmat, ab Episcopo excommunicato non tolerato dari posse approbationem; negat autem delegari posse iurisdictionem ad confessiones audiendas, & ratio, qua ducitur est; quia approbatio, vt ipse inquit, non est actus iurisdictionis sicuti est actus iurisdictionis absoluere à peccatis, &c. & cum per excommunicationē Episcopus careat omni iurisdictione; idcirco nequit eam alteri delegare, & pro hac sentētia *auctor iste* laudat aliquos.

142 *Alia sententia, negat.*

At secunda opinio negat id fieri posse; proindeq; putat inualidam esse approbationē, & collationē Iurisdictionis datam ab Episcopo excōmunicato nō tolerato, & hanc opinionem defendit *Suarez tom. 5. in 3. p. de cens. disp. 14. sect. 1. n. 1. Conin. de Excom. disp. 14. dub. 10. n. 99. & alij.*

143 *Excommunicatus nequit iurisdictionē conferre.*

Dico primo. Si sermo sit de collatione iurisdictionis ad audiendas confessiones res est indubitata, & neminē vidi oppositū sentientem; quia excōmunicatus non toleratus cū omni iurisdictione careat, nequit illā alteri delegare; nam delegatio ista est proprijssim⁹ iurisdictionis act⁹, qui nō potest esse ab eo, qui iurisdictionē nō habet, vt statuitur *c. p. de Offic. Vicar. in* 6.

144 *Inualidè confert approbationē, & ideo nō potest per Bullam eligi Confessarius à tali Episcopo approbatus.*

Dico secundo. Multo probabilius est, approbationē datam à tali Episcopo, esse etiā inualidā; atq; adeo Sacerdotē, ita approbatū inutiliter per Bullā eligi in Confessarium; quia in illo deest fundamētum iurisdictionis delegandæ per ipsam Bullam. probatur autē conclusio, hoc pacto. Approbare est actus iurisdictionis; ergo nequit dari ab Episcopo excōmunicato nō tolerato; patet consequētia ex cōmuni Doctorū cōsensu, & ex probatione primæ conclusionis; antecedens autem sic ostenditur; approbare ea approbatione, de qua loquimur, est actus legitimus alicuius potestatis, vt de se patet, quoniā nō cuiuscumq; approbatio est legitima, & sufficiens: vel igitur est ab Episcopo, vt habente potestatē ordinis, vel vt habēte potestatem iurisdictionis, nō primū, quia approbare ad cōfessiones audiendas poterit esse à Superiore carente ordinibus

Approbare non est actus Ordinis.

Sacris, & sic quamuis Parochus non sit Sacerdos poterit licentiam dare alieno Sacerdoti ad audiendas cōfessiones suarum ouium, vt bene probat *Sāchez lib. 3. de matr. disp. 20. nu. 3. ver. tandem quia, & apud ipsum Paludanus, & Sotus, & nouissimè Merolla in disp. Moral. tom. 3. disp. 7. c. 6. dub.* 14. *n.* 133. loquentes de Episcopi Vicario, qui licèt non sit Sacerdos, potest alijs Sacerdotibus hāc licentiā cōcedere; ergo erit ab Episcopo, vt habēte iurisdictionem; & vt sic erit actus iurisdictionis.

Dices cum *Fagundez loco cit.* Approbationem hanc non esse aliud, nisi testimonium approbatiuum sufficientiæ Sacerdotis, ad hoc munus præstandum. 145

Respondeo, quamuis sit testimonium approbatiuum idoneitatis Confessarij; tamen non est quodcumq; testimonium, sed qualificatum, vt potè procedens ab habente iurisdictionem; proinde formaliter est actus iurisdictionis. 146 *Approbatio est testimoniū qualificatum*

Sed vrgebis *cum eodem n.* 51. Approbare aliquem ad cōfessiones audiendas nō esse actū Episcopi, in quantū est Episcopus, sed in quantū à iure est persona habilitans Sacerdotē ad confessiones, nam *Conciliū Trid.* voluit adnectere Episcopis hanc auctoritatē habilitādi Sacerdotes pro idoneis ministris huius Sacramēti; nō quia hoc sit act⁹ proprij officij Episcopi formaliter, aut personæ habētis formaliter iurisdictinnē; sed quia decebat, vt Episcopis tamquam Ecclesiæ pastoribus hoc munus adderetur. *Hæc ex Fagūdez.* 147

Contra est; quia licèt approbatio sit quoddā testimoniū de sufficiētia Confessarij, ex hoc tamē nō sequitur, nō esse actū iurisdictionis; datur enim ab Episcopo, vt Iudice, & per modū sentētiæ; proinde nihil illi deest ad rationē actus iurisdictionalis. Illud verò, quod dicit *Fagūdez*, videlicet, approbare nō esse actū Episcopi, in quantū est Episcopus, bifariā intelligi potest. Primò, vt reduplicetur aliquod subiectū, cui absolutè, & necessariò sit cōiunctus actus approbationis; & hoc pacto cōcedimus; nā ante Tridentinū non erat necessaria Episcopi approbatio; secūdo, vt reduplicetur subiectū, cui valde cōuenieter sit annexus actus approbandi, & vt sic negamus; valdè enim rationabile fuit, vt hoc mun⁹ soli Episcopo cōmitteretur, quia ad ipsū, vt Pastorē, pertinet iudicare de sufficiētia Cōfessoris; & ideo cōgruēter Episcopus fuit à Tridētino cōstitutus legitimus Iudex ad ferēdam sententiam de habilitate cōfessarij; proinde actus ille, qui priùs nō cōtinebatur necessariò sub iurisdictione Episcoporū, *ex decreto Concilij*, fuit sub eorū iurisdictione cōprehensus; queādmodū multa, quæ ante Concilium non erant addicta iurisdictioni Episcopi, & postea ab ipso Concilio, Episcopo con- 148 *Approbatio est actus iurisdictionis.* *Potestas approbandi cōuenienter à Tridentino annexa fuit Episcopo.*

cessa fuerunt; non sequitur, nõ pertinere ad iurisdictionem ipsius Episcopi; vt sunt nonnulla concernentia ad Regulares, quæ ad iurisdictionem Episcopi hodie pertinent *ex decreto Tridentini Sess. 25. cap. 12. & 13. de Regular.* ergo ex eo, quod idem *Concilium* annectere voluit Episcopis facultatem approbandi Confessarios, non rectè infertur, ipsum actum approbandi non esse actum iurisdictionis.

SECTIO. XII.

An Sacerdos, qui communiter existimatur approbatus, cum re vera non sit, validè per Bullam absoluat?

149 HVius quæsiti decisio dependet ex illa vniuersalissima quæstione, an sint valida gesta à Iudice tantùm putatiuo, habente iuris impedimentum.

150 Cæterum, quamuis huius generalis controuersiæ examen directè non pertineat ad hunc tractatum; tamen nonnulla breuiter tangam, quantùm faciunt ad rem nostram.

151 *Iudex habens impedimentũ ex iure diuino, aut naturali, neque habere iurisdictionem ex communi errore.*

Aduertendum igitur est, controuersiam illam de gestis à Iudice putatiuo, nõ habere locum, quando Iudex iurisdictione caret ob aliquod impedimẽtum iuris diuini, aut naturalis, ad quod tollendum non se extendit humana potestas; sed habere locum, quando agitur de impedimentis iuris humani, quæ ab hominis voluntate dependent. Hoc autem præsupposito; casus in vniuersum multipliciter accidere potest. primò, si Iudex ille putatiuus dicatur aliquando habuisse verum titulum, quo tamen postea occultè fuit priuatus, & priuatio ignoratur communiter. secundò, si etiam ab initio titulus non fuit validus, sed coloratus, & præsumptus; quatenus collata fuit iurisdictio à Superiore, & ob aliquod impedimentum illius, cui communicatur, fuit inualida tertiò denique, si numquam à legitimo Superiore, neque verum, neque coloratum titulum habuit, sed se ipsum intrusit; existimatur tamen verus Iudex. applicando autem casum vniuersaliter propositum nostræ materiæ in particulari, inueniemus totidem etiam modis euenire posse casum, quem in quæsito proposuimus; nam Titius. V. G. Sacerdos potuit approbari ab Ordinario; sed postea, ob aliquod delictũ patratũ, ponamus in pœnã reuocatã fuisse approbationẽ, & reuocationem esse occultã; & hoc non obstãte Titius excipiat cõfessiones; & pœnitẽtes bona fide putẽt, in Titio esse legitimã potestatẽ absoluẽdi: vel si fingamus ab initio approbationẽ, seu licẽtiã audiendi confessiones fuisse irritã ob aliquod impedimentũ occultũ; vel deniq; si ponamus, Titiũ nũquã approbatũ fuisse, nec iurisdictionẽ à legitimo Superiore habuisse; sed fuisse intrusũ, cõmuniter verò existimari idoneũ Cõfessariũ. His omnibus præmissis per subsequẽtes cõclusiones directè respondeo ad quæsitũ propositum.

Dico igitur primò. Si cũ cõmuni illo errore cõcurrat titulus putatiuus, & coloratus à Superiore proueniẽs, vt in primo, & secundo modo explicuimus, Sacerdos ille validè absoluet, ita *Sãchez lib. 3. de matr. disp. 22. n. 13. Hẽriquez lib. 3. de pœnitẽtia c. 6. n. 2. lit. E. Sayrus lib. 2. de excõmun. c. 2. Lessius lib. 2. c. 29. dub. 8. Trull. in exposit. Bullæ lib. p. §. 7. c. p. dub. 4. num. 5. & alij apud ipsum*, quam opinionẽ tueri pariter debẽt omnes illi auctores, qui vniuersaliter dicũt gesta à Iudice tãtùm putatiuo esse valida, etiã in foro cõscientiæ, cuius oppositũ sustinẽt aliqui quos laudat, tacito nomine, *Paludanus in 4. distin. 18. q. 6. a. 2. n. 21.* qui pro solo foro externo putant esse valida gesta à Iudice tãtùm putatiuo. sed cõclusio probatur ex celebri textu *in L. Barbar. ff. de Offic. prat. & ex iure Canonico ex c. ad probandũ de sent. & re iud.* à contrario sensu; nam in hoc capite statuitur, gesta à Iudice, qui publicè est excõmunicationis vinculo innodatus, non valere, ergo valent si est occultè ligatus; probatur autem conclusio eo argumẽto, quo vtuntur auctores ad ostẽdendã hãc opinionẽ pro foro externo. probant autẽ illã ex eo, quod aliter sequerẽtur grauissima inconuenientia, & scãdala, si detecto impedimẽto, deberẽt rescindi gesta per Iudicẽ putatiuũ, & ideo iura, vt his incõmodis propter bonũ cõmune occurrerẽt, rationabiliter disposuerũt, valida esse gesta per talẽ Iudicẽ: hæc autẽ ratio maximè militat pro foro interno. Nã si essẽt repetẽdæ omnes cõfessiones factæ coram Sacerdote, qui ex cõmuni errore existimabatur legitimus, & habebat titulũ coloratũ à Superiore collatũ, magna sequeretur cõscientiarũ perturbatio, & cõfusio, & ideo sicuti Principes laici statuere cõueniẽter potuerũt validitatẽ actuũ pro bono cõmuni in foro externo; ita Ecclesia rationabiliter hoc ipsum decernere potuit pro bono communi in foro interno, ad sedandas fidelium conscientias. 152 *Sacerdos habens titulum coloratum, si detur cõmunis error, validè absoluit.*

Dico secundo, Error iste cõmunis, qui requiritur ad actuũ valorem nõ debet esse crassus, vel supinus, sed probabilis. Ita *Sãchez disp. cit. nu. 8. & plures apud ipsum canonistæ*; nam. error crassus scientiæ æquiparatur *in iure cap. 2. de constitut.* proinde si quis publicè sit declaratus excommunicatus, & consequenter ratione excommunicationis sit incapax iuris- 153 *Error iste non debet esse crassus, sed probabilis.*

risdictionis pertinentis ad hoc Sacramentum, tunc non erũt validæ confessiones, & absolutiones datæ à tali Sacerdote excommunicato.

154 *Quando error est inuincibilis, ex aequitate Ecclesia supplet defectũ; secus quando est vincibilis.* Neque contra hanc conclusionem retorqueri poterit argumentum, quo vsi sumus ad suadendam præcedentem cõclusionem, fundatum in vtilitate communitatis, & conscientiarum quiete, probando etiam in hoc casu vim habere; nõ inquam, poterit retorqueri argumẽtum: quia in casu prioris conclusionis Ecclesia potuit ex quadam æquitate velle supplere defectum, qui inueniebatur in Sacerdote illo, eique approbationẽ, & iurisdictionẽ dare, intuitu bonæ fidei pœnitẽtium, in quibus nullam agnoscit culpam, cum laborent errore inuincibili, vt supposuimus: at in secundo casu, quãdo error est supinus, aut crassus reperitur culpa in ipsis pœnitentibus, proinde error ille nequit illis fauere; si fingamus tamen, quod non obstante publicitate censuræ, & impedimenti, populus communiter per ignorantiam inuincibilem erret, nesciens tali impedimento annexam esse incapacitatem iurisdictionis; tunc censeo errorem hunc probabilem fauere, & consequenter puto validas fore confessiones illas. Exemplum autem de publico denuntiato, fuit à *Sanchez* adductum, quatenus moraliter visum est ipsi impossibile futurũ, vt agnito tali impedimento, sit communis error probabilis; nam licèt multi de facto ignorarent incapacitatem illam; tamen ignorantia non esset communis.

155 *Non est satis in solo Superiore esse errorem inuincibilem.* Ex his conclusionibus colligitur, non satis esse ad validitatem horum actuũ in solo Superiore esse errorẽ inuincibilem, vt bene aduertunt *Mascardus de probat. concl. 649. num. 64. Bartolus in L. prædicta Barbarius in secunda lectura. num. 12. Iason ibidem num. 65. quos sequitur Sanchez disp. cit. num. 7. contra Antoniũ Gabrielem tom. 3. commun. lib. primo tit. de probat. concl. 8. num. 13.* oppositum sentientem. & ratio huius conclusionis esse potest; quia error solius Superioris non est error communis; atque adeo talis error non dat iurisdictionem.

156 *Sufficit errorem communem esse in ea cõmunitate, in qua fiũt actus.* Dico tertio. Adhoc, vt ex errore isto communi habeatur iurisdictio in Confessario, sufficit errorem ipsum esse in eã cõmunitate, in qua fiũt actus, idest, in quã excipiuntur confessiones ab illo Sacerdote, circa quem versatur error, licèt in alia communitate impedimentum iuris, seu defectus iurisdictionis, & approbationis sit notus, dummodo ista communitas, in qua est notus, sit ita distans ab alia, in qua est occultus, vt credatur non posse in illius notitiam venire. Ita *Sanchez* colligit *ex varijs authoribus n. 9. & 10.* & eamdem sententiã tuetur etiam in eo casu, in quo impedimentum, seu defectus sit publicus, sed longo temporis decursu ab hominũ memoria exciderit. & ratio horum est, quia in vtroque casu verificatur communis error sufficiens ad dandam iurisdictionem.

Dico quarto. Quando nullus præcessit titulus, neque verus, neque coloratus, sed Confessarius se intrusit, vt declarauimus in tertio casu; tunc est longè maior difficultas, & dubitatio, an absolutiones per ipsum datæ sint validæ. Docuit, esse inualidas *Caietanus in Summa ver. Absolutionis impedimento. Ioannes Valerus in differ. vtriusque fori ver. nullitas diff. 7. Lessius lib. 2. de Iustitia cap. 29. dub. 8. num. 65. 66. Conin. de Sacramento Pœnitentia, disp. 8. dub. 8. in fine, Fagundez de 2 præcep. Ecc. l. 7. c. 2. n. 73. & sequen: Sãchez lib. 3. de matr. disp. 22. nu. 49. & quamplures Canonistæ, & Theologi apud ipsum Sãchez, Valerum, & Fagundez:* & nouissimè *Trullench loco cit.* Sed partem affirmatiuam constanter defendunt *Basilius lib. 5. de matr. cap. 20. Ioannes Sancius in selectis disp. 44. num. 3. Morla in Emporio vtriusque iuris par. 1. tit. 21. quæst. 2. num. 3. & citat Bartolum in dicta L. Barbar. num. 5.* quam sententiam *ipsemet Trullench* inquit, non esse improbabilem, & ego illam probabiliorẽ censeo. probat autẽ illam *Basilius*, ex eo quod ad acquirendam iurisdictionem non oportet, semper eam haberi à legitimo Superiore, cum valeat acquiri præscriptione, aut cõsuetudine, vt ex aliquibus iuribus canonicis cõfirmat. Rursus ostendit instrumenta confecta ab eo, qui se finxit Notarium, in multis casibus censeri valida; & tamen Notarius ille simulatus, numquam à legitimo Superiore auctoritatem habuit: & id tandem probat ex multis Iuristis.

157 *Quãdo nullus neq; coloratus præcessit titulus multi putant absolutiones esse inualidas datas à Confessario intruso.*

Contraria opinio admittitur ab Anthore si adest communis error.

158 *Ratio fundamentalis huius sententiæ.* Probatur autẽ conclusio ratione hac fundamentali, quando adest cõmunis error, etiã si nullus præcesserit titulus collatus à Superiore, viget illud ipsum adæquatũ motiuũ, per quod Ius commune disposuit valida esse gesta ab eo, qui caret prædicto titulo, circa quem versatur cõmunis error: ergo Confessarius intrusus, carẽs omni titulo præcedẽte, si ex errore cõmuni putatur legitimus Confessarius, validè absoluit: cõsequẽtia est certa; nam euidẽter deducitur ex illo antecedente: tota autẽ difficultas est in ipso antecedẽte, quod sic probatur. Motiuũ adæquatũ, per quod iura voluerũt, valida esse gesta, quãdo cũ errore cõmuni est titulus à Superiore collatus, quamuis irritus, est bonum

commune, exigens dispositionem illam ad vitanda inconuenientia, quæ sequerentur; sed hoc ipsum prorsus motiuum viget, quando est error communis sine titulo; ergo manet idem motiuum adæquatum in vtroque casu; neque facilè percipere possum, quid operetur titulus iste inualidus collatus à Superiore, dum .n. est inualidus, perinde est ac si nō esset.

159 *Instantia contraria.*
Dices, hoc argumentum ad summū nihil aliud probare, nisi paritatem congruentiæ inter vtrumque casum, ratione cuius congruentiæ rationabiliter poterant Iura vniformiter disponere in vtroque casu; sed non probat de facto ita disposuisse.

160 *Solutio.*
Respondeo, cum ex vna parte in vtroque casu, vt conceditur in instantia prædicta, habeamus congruentiæ paritatem ad vniformem dispositionem, & ex altera parte non habeamus opositum dispositum, debemus interptetari iura prædicta idem statuisse in vtroque casu. sed contra nostras conclusiones fieri possunt quædam argumenta, quæ sunt à nobis soluenda.

161 *Obiectio contra primam conclusionē.*
Obijcies igitur contra primam conclusionem, in qua asseruimus, concurrente titulo colorato, & simul communi errore gesta à Iudice putatiuo esse valida, obijces inquam tali pacto. Ad actuum valorem necessariò prærequiritur iurisdictio in eo, qui actus illos exercet; ergo Sacerdos ille, qui habet titulum solùm coloratum inualidè absoluet: antecedens, vt notum supponitur, consequentia vero probatur, quia nullus assignari poterit, à quo Sacerdos ille iurisdictionem habeat.

162 *Iurisdictio in casu primæ conclusionis cōfertur à iure communi.*
Respōdeo, iurisdictionem in eo casu conferri à iure communi disponente ob commune bonum, ad vitanda scandala, & inconuenientia, & hoc habemus ex iuribus citatis, & ex consensu vniuersali ferè omnium auctorum, quos citant auctores supra laudati.

163 *Secunda Obiectio.*
Obijcies secundò. Iura prædicta solùm loquuntur de gestis pro foro externo, & nihil disponunt pro foro interno; malè igitur colligimus ex iuribus illis, absolutiones datas ab illo Sacerdote esse validas.

164 *Quod in vno casu statuitur à iure, cēsetur dispositum, in simili.*
Respondet *Sanchez disp. citat. num.* 13. id, quod iure statuitur in vno casu, eò ipso statutum reputatur in simili, sed supposita potestate ordinis vtrumq; forum, quoad potestatem iurisdictionis eiusdem est rationis; proinde quod statuitur in foro externo, quoad valorem actus, reputabitur etiam statutum in foro interno. Cæterum expeditiùs, & clariùs mihi videtur dicendum, quod dispositio facta à iure nō se fundante in præsūptione, aut permissione, secūdum Doctores, vim habet in vtroq; foro; quia tūc dispositio veritatem rei respicit, & rationis rectitudinem; proinde oppositum est malum; applicando autem doctrinam hanc dispositioni factæ in *L. Barbarius* aio. Ius illam statuens non se fundare, nisi in eo, quod est valde rectæ rationi conforme; nempe vitare inconuenientia quamplurima, quæ ex opposito orirentur, videlicet ex rescissione omnium actuum, qui fuerunt facti à Iudice putatiuo existimato legitimo ex communi errore, & in casu nostro essent à fidelibus cum magna animi perturbatione, & confusione repetendæ confessiones factæ coram Sacerdote publicè exposito, qui communiter existimabatur legitimus.

Obijcies tertiò contra vltimam conclusionem hoc pacto. Iura prædicta 165 *Tertia obiectio.*
disponunt gesta à Iudice putatiuo valere, quando concurrrit communis error, & titulus collatus à legitimo Superiore; non autem quando nullus est titulus; ergo cum valor actuum prouenientium à Iudice solùm putatiuo dependeat à dispositione iuris; ita vt si ius non disponeret, omnes hi actus forent inualidi, non debemus extendere dispositionem illam ad casum, de quo iura non loquuntur.

Respondeo, iura loqui tantùm in eo 166 *Iura loquūtur quādo cū errore cōmuni reperitur titulus coloratus.*
casu, in quo cum communi errore habetur titulus collatus à Superiore, licèt sit inualidus, quod probat *Sanches nu.* 49. afferendo verba ipsa *prædictæ legis Barbarius*, & pariter verba *legis Canonicæ*; nam *lex illa* sic habet (*cum Populus Romanus etiam seruo decernere potuisset hanc potestatem, &c.*) & *in iure Canonico c. Infamis ver. verum tamen 3. quæst. 7. ibi* (*seruus dum putaretur liber ex delegatione sententiam dedit,*) ex his verbis vtriusq; iuris colligit *Sāchez*, ponderari ab vtroq; iure non solùm in illis casibus adfuisse communem errorem; sed etiam intercessisse Superioris auctoritatem, delegantis potestatem, & Populi Romani potentis conferre Prætoris munus. Hoc est vnicum argumentum, quod *Pater Sanchez* affert ad suam comprobandam sententiam.

Respōdeo igitur interpretando vtrūq; 167
textum, qui à *Sanchez* affertur, & ad primum ex iure ciuili *in L. Barbarius*, aio, quod quamuis ibi sermo sit de Prætore habente titulum inualidum collatum à Superiore, nihilominus hoc non adducitur tamquam ratio motiua necessaria ad valorem actuum, sed adducitur, tamquam circumstantia pertinens ad veritatem illius facti; illa autem verba,

in

in quibus *Sanchez* videtur vim facere, & superius transcripsimus, fuerunt apposita ad significandum, dispositione illius legis, quemadmodum impedimentum seruitutis ad Pratoris officium, dependere à voluntate ipsius Populi Romani; proinde poterat idem Populus Romanus irritare legem illam, vel in ea dispensare, & conferre officium illud seruo.

168 Quod vero spectat ad textum Canonicum eumdem censeo esse tradendam interpretationem: namille, qui dedit sententiam existimabatur liber, cum fuerit seruus; sententiam autem ex delegatione dedit; proinde habebat titulum coloratum collatum à delegante; quamuis ipsi delegatus fuerat interdictum delegare; sed *Basilius* ait, non solum fuisse interdictam potestatem delegandi, verum etiam caruisse tali potestate, vt ex textu colligitur.

169 *Quarta obiectio.* Obijcies quarto. Numquam eueniret, vt gesta à Iudice putatiuo ex communi errore fiant sine titulo, & iurisdictione, nam vt dictum est, posito errore vniuersali, Ius commune ob publicam vtilitatem confere censetur iurisdictionem; proinde Iudex putatiuus exercet iurisdictionem ex titulo concesso à Iure.

170 *Controuersia non est de iurisdictione consequente errorem communem, sed de antecedente.* Respondeo, esse æquiuocationem, nam controuersia non est de titulo, & iurisdictione consequente communem errorem; quia hoc pacto numquam contingeret, vt probat argumentum, actus fieri sine titulo, & iurisdictione, cum Superior, vt dictum est, in eo casu propter bonum commune, ex quadam æquitate, & liberalitate in ijs, quæ à sua voluntate dependent, iurisdictionem conferat; sed controuersia est de titulo, & iurisdictione ante communem errorem, & independenter ab illo; & ideo quæritur an Sacerdos V. G. carens omni titulo, & iurisdictione, habita à legitimo Superiore, si se intrudat, & fidelium confessiones audiat, ita frequenter, vt in ipsis fidelibus gignatur error putantibus Sacerdotem illum esse legitimum, & habere potestatem à suo Superiore, cum re vera non habeat, validæ sint confessiones? vi iurisdictionis ab Ecclesia collatæ.

(†)

SECTIO XIII.

An Confessio respectu scientis defectum tituli, qui est in Confessario, sit valida?

171 *Aliqui putant confessiones esse inualidas.* Mouet hoc dubium *Pater Sanches disp. illa 22.* postquam determinauit valida esse in foro externo gesta ab habente titulum putatiuum, à *nu. 46.* sermonem instituit de confessione facta Sacerdoti excommunicato, & denuntiato; sed in loco vbi communiter eius denuntiatio ignoratur, & est expositus ad confessiones communiter audiendas; refert autem idem auctor opinionem *Medinæ, & Adriani*, qui aiunt, has confessiones esse inualidas, quia pœnitens obicem ponit; nam confitens tali Sacerdoti peccata lethalia ponit obicem absolutioni, & absolutio erit nulla; attamen ipse *Sanches* declarans hanc sententiam docet confessiones illas ex parte iurisdictionis, se credere, esse validas; nam Confessarius ob communem errorem iurisdictionem habet, & rursus ait, se credere obicem non poni, quando Confessarius est Parochus ipsius scientis defectum, & non habetur alius Confessarius, cui fiat cõfessio, & necessarium est vt pœnitens fateatur: extra hos casus inquit, subditos peccare lethaliter fatendo tali Cõfessario; quia tenetur eũdẽ in occulto vitare, & nihil occultius quã forũ Sacramentale, & sic confessio esset nulla ratione obicis, quem apponit pœnitens, nisi ob inuincibilem ignorantiam excusetur.

Oppositum censet Sanchez, si attendatur validitas ex parte iurisdictionis.

172 *Tres conditiones ad Sanches requiruntur ad valorem huius confessionis.* Ex hac doctrina *Patris Sanches* colligo tres conditiones ab ipso requiri, vt confessio illa sit licita, & valida. Primò, vt Sacerdos sit Parochus ipsius pœnitentis. Secundò, vt non habeatur copia alterius Confessarij. Tertiò, vt concurrat necessitas, at per necessitatem, quam *Sanches* expostulat, certum est, non intelligi eã, quæ est in articulo, aut periculo mortis; si enim de hac necessitate loqueretur, nulla esset controuersia, neque requireretur Sacerdotem esse Parochum, non adesse alium Confessarium &c; quia in eo articulo quilibet simplex Sacerdos expeditam, plenamque habet iurisdictionem ad directè absoluendum à quocumque peccato; debet igitur loqui de alia minori necessitate; & quamuis non se explicet, puto tamen ipsum loqui de ea necessitate, quæ requiritur, dum vrget vel præceptum ecclesiasticum confitendi, vel quia pœnitens hic, & nunc indiget, vt melius se præparet ad gratiam, vel superet graues tentationes, expediens esse Sacramentaliter fateri, Eucharistiam sumere,

mere, vel quid simile; & hæc pro sententia Sanches.

173 *Basilius negat vniuersaliter confessionem istam esse validam.*

Sed aliam tuetur opinionem *Basilius de Leon lib. 5. de matr. cap. illo 19. citato*, vniuersaliter negans talem confessionem licitam esse posse; hoc autem probat sequenti discursu. Vel pœnitens, inquit, est in articulo mortis, & tunc quilibet Sacerdos habet potestatem absoluendi, fundatam in titulo vero, & non colorato & præsumpto, vel est extra talem articulum, & tunc ait, nullum esse casum, in quo licitè à pœnitente peti possit hoc Sacramentum, vt exercendum ab habente titulum putatiuum; si enim demus, in eo Oppido, in quo reperitur pœnitens, non esse alium Confessarium, facilè erit aliò proficisci, & confiteri, si demus pœnitentem non posse aliò pergere, & tempus præcepti non vrgeat, nulla erit necessitas confitendi: si verò instet, tunc esset iudicandum pœnitentem carere copia Confessarij; ideoque præceptum non obligare. *Hæc ex Basilio*; quid autem mihi in hac re probabiliùs videatur per subsequentes conclusiones aperiam.

174 *Opinio Authoris admittit confessionem esse validam ex parte iurisdictionis.*

Dico igitur primò. Si Cõfessarius habet titulum coloratum concurrente errore communi, quo existimatur legitimus Cõfessarius, & quis sciat defectum tituli, & tali Confessario fateatur, confessio erit valida ex parte iurisdictionis, & in hoc sequor opinionem *Patris Sanches*, quam docuit *Vgolinus Tab. prima cap. 13. §. 16. nu. 12. Suarez de Cen. disp. 11. Sect. 2. nu. 14. Reginal. tom. primo de instruct. Confess. lib. 1. nu. 117. Bonacina de cen. disp. 2. quæst. 2. p. 2. §. 4. num. 3. & de matr. quæst. 2. p. 8. num. 31.* ratio autem est; quia ob communem illum errorem, vt patet ex ijs, quæ sectione præcedente diximus, ab Ecclesia in vtilitatem fidelium, & ad vitanda inconuenientia, & scandala, in eo casu confertur iurisdictio tali Confessario.

175 *Attendendo ea, quæ se tenent ex parte pœnitentis confessio erit nulla.*

Dico secundo. Si attendamus ea, quæ se tenent ex parte pœnitentis, censeo cõfessionem illam per se loquendo esse inualidam, nec placet in hoc opinio *Sanches* etiam cum illis limitationibus ab ipsomet appositis, & sequor sententiam *Medinæ, Adriani, & Basilij*; ducor autem ad hanc sententiam amplectendam; quia dum Confessarius se exponit ad confessiones audiendas sciens carere iurisdictione fundata in vero titulo, lethaliter peccat; proinde pœnitens dum scienter tali Confessario fatetur, cooperatur peccato illius, & ideo cum obicem ponat absolutioni, inualidum erit Sacramentum.

176 *Instantia.*

Dices, in multis casibus vti possumus alterius malitia petẽdo ab illo, vt aliquid faciat, quod præuidemus non esse faciendum sine peccato, vt euenit quando v. g. petimus mutuum ab vsurario parato, quem præuidemus illud non daturum sine vsuris, & per consequens cum peccato: & dum petimus iuramentum ab eo, quem noscimus peieraturum: & denique dum petimus Sacramenti administrationem ab excommunicato tolerato; ergo à pari in casu nostro, licèt Confessarius carens requisita iurisdictione grauiter peccet; nihilominus in aliquibus casibus saltem cum illis limitationibus à *Sanches* appositis, non peccabimus petentes absolutionem à tali Confessario, quamuis sciamus illum esse peccaturum administrando hoc Sacramentũ sine illa iurisdictione, quæ est de iure requisita, & vt ita dicam, directa; sed iurisdictione quadam indirecta, vt est illa quæ fundatur in titulo colorato, errore communi &c.

177 *Soluitur.*

Respõdeo. Quamuis in multis casibus, quales sunt enarrati, valeamus petere ab aliquo actionem, in qua præuideamus illum peccaturum, nego tamen id fieri posse in casu isto, de quo agimus. & ratio disparitatis est, quia actiones illæ, de quibus fit mentio, possunt ab eo, à quo exerceri petuntur, fieri sine peccato, si ipse velit: & sic dum petimus mutuum, posset mutuator mutuum dare sine vsuris; & dum petimus iuramentum, ille alius si velit, poterit veritatem iurando, & non mendacium dicere: demum dum petimus ab aliquo Sacerdote excommunicato administrationem alicuius Sacramenti, si ille erit toleratus, censeo ipsum non peccaturum, dum præuentus à non excommunicato administrat, vt docent quamplures, *Sotus in 4. distinct. 22. quæst. 1. a. 4. Sanches lib. 7. de matr. disp. 9. num. 8. Bonacina de Cen. p. 2. cit. §. 3. num. 4. & alij apud ipsum*, qui asserunt, etiam sine necessitate à tali excommunicato tolerato peti posse Sacramenta. & licèt alij absque necessitate id fieri non posse sustineant; tamen, necessitate occurrente, omnes conueniunt licitè peti posse, & excommunicatum non peccare si præuentus administret, vt colligitur *ex Concilio Constantiensi*; in quo in fauorem fidelium cõceditur excommunicatos in duobus tantùm casibus esse vitandos; nempe quando sunt denuntiati, aut quando sunt publici Clericorum percussores; in reliquis verò facultas nobis datur cum illis communicandi etiam in Diuinis: igitur Sacerdos excommunicatus, sed toleratus, si præueniatur ab alijs, non peccabit administrando; & per consequens si quis confiteatur tali Sacerdoti

doti

doti non delinquet, quod verum est saltem occurrente necessitate proportionata, per quam petens censetur excusandus; sed in casu nostro nunquam Sacerdos ex vi illius iurisdictionis, quam habet ob communem errorem excusabitur à peccato; quia nunquam euenire poterit talis necessitas, per quam Sacerdos absoluat ex vi iurisdictionis concessę ob communem errorem, vt probat efficaciter discursus ille, quem facit Basilius Pontius; & ideo adhoc, vt vera sit illa doctrina, nempe posse nos interdum absque peccato vti malitia alterius, debet seruari hæc regula, videlicet quod actio illa, quam ab alio exercendam petimus, sit talis, vt ab illo exerceri valeat sine peccato, si ipse velit; & tunc in multis casibus iure nostro vtentes, licitè petimus ab alio exercitium illius actionis, quamuis in hoc cautè sit procedendum; quia ex lege charitatis tenemur aliquando abstinere ab illa actione, & à petitione ejusdem, & vt licitè alterutrum faciamus, concurrere debet proportionata necessitas, vt fusè ostendimus in tractatu de scandalo; sed quando actio illa sine peccato exerceri non potest, tunc nequimus eam petere, vt ab alio efficiatur, & si eam petamus, peccabimus peccato scandali. At vlterius vrgebis probando ex nullo capite colligi Confessarium peccare in casu prædicto ex defectu potestatis. si enim peccabit maximè quia administrat Sacramentum istud absque iurisdictione; hoc autem est falsum; nam diximus in eo casu à iure communi dari illi iurisdictionem.

Alia instantia.

178 Respondeo, Confessarium illum peccare, quia absque vero titulo iurisdictionis se exponit contra præceptum Ecclesiæ ad Confessiones audiendas, & quamuis iurisdictio vi cuius sacramētaliter absoluit sit vera, & realis, & si talis non esset inualida esset confessio, & absolutio; nihilominus intentio Ecclesiæ dū iurisdictionem in ijs casibus concedit, non est ad fauendū ipsi Confessario, sed ad vitāda scādala, & ne fideles bona fide procedentes priuētur beneficio absolutionis cum magno earum animarum dispendio; & ideo Confessarius non excusabitur.

Respondeo.

179 Dices. Sicuti Ecclesia concedens posse nos communicare cum excommunicatis etiam in diuinis, excipiendo solùm duos illos casus superiùs recensitos, non intendit fauere ipsis excommunicatis, sed alijs fidelibus: & tamen, vt diximus, si excommunicati præueniantur à nobis petentibus sacramenta, ex administrando non peccant; ita, & in casu nostro dicere possemus, Confessarium habentem titulum coloratum, concurrente errore communi, non peccare ex hoc capite, quod administret Sacramentum pœnitentiæ, si sponte nō se ingerat, sed sit præuentus; & ideo dum non ponatur obex à pœnitente valida erit confessio.

180 Respondeo, disparitatem inter vnum, & alterum casum esse petendam à dispositione Canonica; nam Ecclesia statuit, vt cum excommunicato tolerato licitè communicemus, etiam in diuinis, ex qua dispositione colligunt quamplures Doctores superius citati, & quibus ibidem adhæsimus, ipsum excommunicatum præuentum non peccare ex hoc capite, si sacramenta administret. habet enim verum, & realem titulum, & iurisdictionem in eodem titulo fundatam, licet vsus iurisdictionis ratione excommunicationis sit impeditus; sed quia est excommunicatus toleratus; idcirco ex priuilegio ab ipsa Ecclesia fidelibus non excommunicatis concesso, dum præuenitur, & non se ingerit, non peccat admistrando; at hoc priuilegium, seu dispositio non habetur respectu illius, qui habet iurisdictionem fundatam tantum in communi errore, & titulo colorato; proindè administrando peccat, & pœnitens si defectum tituli, & iurisdictionis non ignorat dum fatetur confessario habenti hanc solam iurisdictionem, etiam peccabit; proindè nulla erit absolutio.

Discrimen inter excommunicatum toleratum, quo ad communicationem, & Intrusum, quo ad vsū iurisdictionis.

181 Dico tertio. per accidens contingere poterit, vt pœnitens qui agnoscit defectum iurisdictionis validè confiteatur, & non peccet, vt si inuincibiliter putet posse licitè confiteri cum tali Confessario; tunc enim ratione ignorantiæ excusabitur; & ideo cum tali ignorantia possunt concurrere omnia requisita, non solùm ex parte Confessarij; sed etiam ex parte pœnitentis, & hanc sententiam tenet *Sanchez. nu. illo 46. in fine.* ignorantia enim inuincibilis æquiualet in hac re communi errori; quapropter sicuti respectu illorum, qui existimant Confessarium esse legitimum, valida esse potest confessio; ita respectu etiam eorum, qui licet sciant defectum iurisdictionis, qui est in Confessario; tamen quia ignorant confessionem factam tali Sacerdoti esse illicitam, excusantur à peccato; & vt sic non ponentibus ipsis obicem, validum erit Sacramentum.

Si pœnitens inuincibiliter putat posse tali Confessario sua peccata aperire nō peccabit, & valida poterit esse confessio.

Ignorātia inuincibilis poterit æquiualere communi errori.

182 Quæres, vtrum, quæ dicta sunt de confessione facta Sacerdoti habenti titulum coloratum, locum etiam habeāt quādo nullus est titulus; sed solum est communis error, ex suppositione nostræ sententiæ, secundum quam probabilius censuimus gesta ab eo, qui ex errore commu-

mu-

muniter exſtimatur habere iuriſdictionem, eſſe valida.

Idem in noſtra ſententia aſſerendum eſt, quando Confeſſarius nullum habet titulum, ſed ſolum eſt error communis.

183 Reſpondeo, facta hypotheſi huius opinionis, quam contra *Sanchez* ſectione præcedente amplexi ſumus, aio eadem, quæ dicta ſunt de confeſſione facta à Confeſſario habente titulum coloratum, eſſe dicenda quando nullus eſt titulus; ſed tantùm error communis.

SECTIO XIV.

An ſicuti Eccleſia ſupplet iuriſdictionem in Sacerdote, qui habens titulum coloratū, ex communi errore exiſtimatur legitimus Confeſſarius, ita in operante ex probabili Doctorum opinione, ſi illa in re erit falſa.

184 DIximus in præcedentibus, Confeſſarium, qui ex communi errore exiſtimatur legitimus, ſaltem dum habet titulum coloratum, acquirere veram, & realem iuriſdictionem ab Eccleſia ſupplente defectum pro bono ſpirituali ipſorum fidelium; nunc autem inſurgit alia dubitatio præcedenti affinis; ideoque inquirimus, an hoc ipſum ſit dicendum, quando eſt opinio probabilis, illum Confeſſarium eſſe legitimum; & etiam eſt opinio item probabilis, non eſſe legitimum Confeſſarium.

Negatiuam opinionem tuentur aliqui.

185 Opinionem negatiuam tuetur *Garcia de beneficijs par. 5. cap. 4. nu. 305. 306. Salas in p. 2. tom. 2. tract. 8. quæſt. vnica ſect. 27. nu. 286. Nuñus in addit. ad 3. p. quæſt. 8. a. 5. dub. 1. ver. Mihi tamen. Ioannes Sancius in ſelectis diſp. 44. nu. 10. ver. Nec propterea.* probare autem ſolent hi auctores ſuam ſententiam, ex eo quod in his, quæ pertinent ad valorem Sacramentorum, non eſt licitum ſequi opinionem probabilem, imò neque probabiliorem, quando tutiorem, & certam ſequi poſſumus; quia, vt ſic eſſet morale periculum irritandi ipſum Sacramentum; nam poſſet euenire, vt id, quod exiſtimabatur probabile, in re ſit falſum; at proinde inualidum fiat Sacramentum; iuriſdictio autem eſt de his, quæ eſſentialiter requiruntur ad conficiendum ipſum Sacramentum pœnitentiæ; & ideo, quando non eſt opinio certa, ſed ſolùm probabilis, in Confeſſario eſſe iuriſdictionem, tunc ſi à parte rei Confeſſarius illam non habet, abſolutio cum procedat à non habente iuriſdictionem, erit prorſus nulla; neque contrariæ opinioni ſuffragatur *lex Barbarius*, quæ licèt habeat locum in caſu communis erroris, in quo ad vitanda magna incommoda confertur iuriſdictio ex ipſo iure; hoc tamen non eſt dicendum in caſu, quo non eſt communis error; ſed ſolùm probabilis opinio inter Doctores: eſt enim maior ratio, vt iuriſdictio detur habenti titulum coloratum ex communi errore, quàm ex probabili opinione; & ratio diſcriminis eſt; quia error communis vinci non poteſt, atque adeo non videtur conſentaneum, vt pœnitentes, qui bona fide procedunt, fruſtrentur beneficio abſolutionis, & repetere cogantur, cum magna animi perturbatione omnes confeſſiones factas tempore communis erroris, dum error ipſe detegitur; ſed quando iuriſdictio Confeſſarij eſt poſita in opinione probabili, poterit pœnitens alium adire Confeſſarium habentem certam, & indubitatam iuriſdictionem, à quo abſoluatur; & ſi hoc non faciat, ſibi imputari debet; & ideo in tali caſu Eccleſia, aut Ius non debet tali Confeſſario iuriſdictionem conferre.

Diſcrimen inter errorem communem, & opinionem probabilem à iuriſdictione Confeſſarij.

Alij affirmatiuā opinionem tuentur.

186 At ſententiam affirmatiuam amplectuntur grauiſſimi Doctores: *Henriquez in ſumma lib. 5. cap. 14. nu. 4. Sanchez lib. 3. de matr. diſp. 22. num. 65. Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 29. dub. 8 nu. 68. Reginal. in praxi lib. 1. num. 103. Filliucius tract. p. cap. 8. num. 227. Bonacina de Sacramentis diſp. 5. quæſt. 7. p. 5. §. 4. nu. 4.* & probabilem appellat hanc ſententiam *Suarez diſp. 26. ſect. 6. nu. 7. at Aegidius Conin. de Sacramentis diſp. 8. dub. 6. num. 27. Martinus Breſſerius de conſcientia lib. 3. cap. 10 nu. 14.* dicunt id fieri poſſe, quando vrget aliqua neceſſitas recipiendi hoc Sacramentum, & non poteſt pœnitens habere Confeſſarium, qui certam habeat iuriſdictionem; aliter deficiente vna ex his duabus conditionibus, id fieri non poſſe. Auctores autem, qui abſolutè hanc ſententiam defendunt, ducūtur; quia non minùs potens eſſe debet ſapientum opinio, quàm vulgi error ad iuriſdictionem inducendam; vulgi autem error, vt vidimus, eſt ſufficiens ad hoc, vt Eccleſia ſuppleat defectum iuriſdictionis, quando defectus eſt in ijs, quæ ſunt ſub ipſius Eccleſiæ poteſtate; ergo idem eſt dicendum, quando apud Doctos eſt opinionum diuerſitas circa Confeſſarij iuriſdictionem, & opiniones contrariæ ſunt ambæ probabiles.

Aliqui limitant.

Impugnatur ratio, cui Auctores huius opinionis affirmatiuæ innituntur.

187 Ceterum quamuis ob auctoritatem eorum, qui hanc partem affirmatiuam tuētur, mihi valde probabilis reddatur eorū ſententia, nihilominus ratio, cui innituntur, non videtur efficax: dum enim dicunt non minùs eſſe potentem ſapientū opinionem ad inducendam iuriſdictionem, quàm vulgi errorem, non rectè aſſumunt extrema comparationis; nam

lo-

loquentes de communi errore vulgi inducente iurisdictionem, sumūt vulgum, vt distinctum à Doctis, qui sunt pars eiusdem populi; & ideo si hoc pacto loquatur, falsum est errorem solius vulgi esse sufficientem ad iurisdictionem inducendam, nisi sapientes sint adeo pauci in numero, vt verè, & absolutè dici possit populus esse in errore circa iurisdictionem Confessarij; si verò per vulgum intelligant populum, vt verè intelligere debent, tunc sub populo comprehenduntur, & vulgares homines, & etiam sapientes; & vt sic falsum est non minùs potentem esse sapientum opinionem, quàm vulgi errorem; tum quia hoc pacto error communiter afficit, & doctos, & indoctos; at opinio illa solùm inter pauciores totius populi reperitur; tum etiam quia, vt bene probant auctores contrariæ sententiæ, error ille nequit vinci; sed dum est opinio, opinantes possunt sibi prouidere de alio Confessario, ad vitandum nullitatis periculum; sed & tale motiuum excitans ad inquirendum alium Confessarium non habent, dum errore laborant; proinde in ordine ad hunc effectum longè potentior est populi error, quàm sola quorumdam sapientum opinio. Et ideo admittendam puto sententiam negatiuam primo loco adductam.

Prior sententia negatiua est probabilior.

CAPVT II.

De Legitima approbatione Parochorum, & Regularium.

1 POst dissertationem de approbatione Confessarij nullam specialem qualitatem habentis, superest, vt agamus de approbatione Confessarij qualificati, & tales sunt Parochi, & Regulares; nam illis curam animarum habentibus Ius commune fauet: his verò nonnulla priuilegia à Pontificibus concessa, & sic videntur, vt ita dicam, esse cuiusdā altioris rationis à Confessarijs ordinarijs, qui nullum neq; generale, neq; speciale habent priuilegium; proinde de Parochis, & Regularibus peculiarem sermonem instituimus, plura inquirentes, quæ hodie apud auctores controuertuntur; & principaliora seligemus.

†

SECTIO I.

Expenduntur nonnulla dubia circa approbationem, quæ est per Parochiale Beneficium.

PRimus modus, quem *Tridentinum* statuit ad declarandū Confessarium esse idoneum, est per beneficium curatum; circa autem hunc modum nonnulla oriuntur dubia. 2

Quæres primo. Quid veniat nomine Beneficij curati seu Parochialis. 3

Respondeo, non solùm venire Parochum, verùm etiam eos, qui habent superiora beneficia, vt sunt Episcopi, Archiepiscopi, & Abbates aliqui habentes beneficia cum iurisdictione ordinaria in foro externo; est enim horum omnium eadem ratio, vt docet *Suarez disp. 28. sect. 4. num. 21. Fagundez præcept. 2. lib. 7. cap. 2. nu. 41.* nam *Concilium* tantùm declarauit censeri approbatos, qui habent beneficium curatum, quia eo ipso, quod ipsis animarum cura committitur, existimantur approbari; idcirco cum ista ratio militet de omnibus prædictis, comprehenduntur *à Concilio* sub nomine habentis beneficium Parochiale. 4

Sub nomine Beneficij Parochialis veniunt superiora Beneficia.

Quæres secundò. An Prælati regulares etiam comprehendantur? & videtur affirmatiuè respondendum, quia Prælati in proprijs Monasterijs sunt veluti Parochi; & ideo non indigent alia approbatione; & hanc sententiam sustinet *Henriquez lib. 3. de pænitentia cap. 6. in commun. ante litteram f.* & eam defendit *Valerus in diff. v. Nullitas num 3. & apud Ludouicum Caspensem in cursu Theologico tom. 2. trac. 14. de pænitentia d. 5. sect. 7. num. 63.* citantur. *Bañes, Salas, Medina, & alij*, quam sententiam *Diana p. 5. tract. 12. resol. 51.* satis probabilem existimat; quatenùs sub nomine habentis beneficium Parochiale, seu curatum, videntur etiam *à Concilio Tridentino* comprehendi Prælati regulares, quibus animarum cura est commissa. 5

Nonnulli comprehendūt sub hoc nomine Prælatos regulares.

Sed pars negatiua est amplectenda, vt vult communis opinio; & ideo aio, Prælatos regulares in ordine ad audiendas cōfessiones sæcularium indigere approbatione Ordinarij, ita *Suarez, Fagundez, locis citatis, & Ludouicus à Cruce disp. 1. cap. 2. num. 8. Rodriquez in Bul. §. 9. dub. 1. Diana tom. 1 miscel. 2. resol. 46. Cardinalis de Lugo de pænitentia disp. 21. sect. 1. nu. 10.* ratio est, quia Prælati regulares, neque sunt Parochi, neque habent beneficium, &c. Non sunt Parochi, quia nequeunt cogere subditos, vt ipsis confiteantur; sed tenentur iurisdictionem alijs delegare; 6

Pars negatiua recipitur.

neque habent beneficium; nam licèt habeant iurisdictionem ordinariam; tamen cum non habeant ius percipiendi fructus, eosque in suam vtilitatem conuertendi, dicuntur potiùs habere officium ecclesiasticum, quàm beneficium; & ideo vt Prælati non tenentur recitare horas Canonicas, nisi sint in Sacris; quapropter sine approbatione Episcopi non sunt per Bullas eligibiles.

7 Quæres tertiò. An Parochus si approbatus non sit eo approbationis genere, quo ab Episcopo alij Sacerdotes non Beneficiarij solent approbari, sit per Bullam eligibilis?

8 *Parochum nō approbatū modo cōmuni non esse per Bullam eligibilem putant aliqui.* Respondeo, *Didacum Nuñum in addit. ad 3. p. quæst. 8. a. 5. dub. 9. in solutione ad 9. argumentum, & ad instantiam post solutionem ad 12. ver contra ea, &c.* censuisse per Bullam non esse eligibilem, quia in Bulla datur facultas eligendi eos, qui sunt ab Ordinario approbati, & non fit mētio de alio approbationis genere; proinde cum Parochus non sit ita approbatus, non videtur posse eligi per Bullam.

9 *Oppositum defenditur.* Sed omnino oppositum est dicendum cum communi sententia, videlicet Parochum, quamuis ab Episcopo non approbatum, eligi posse per Bullam Cruciatæ absq; alia approbatione. Ita docent auctores æquiparantes beneficium curatum approbationi Ordinarij, *vt Suarez sect. cit. num. 18. Fagundez. num. 35. loco citato. Ioannes Valerus in differ. vtriusque fori verb. Absolutio differ. prima num. 26. & quamplures alij,* quos laudat, & sequitur *Diana tract. de Bulla tom. 1. resol. 8.*

10 *Solutur ratio contraria.* Ad fundamentum verò contrariæ sententiæ respondeo, quod quamuis in Bulla explicita mentio solùm fiat de Confessario approbato per Ordinarium; tamen sub nomine Ordinarij intelligi debet quicunque alius Superior, à quo Confessarius approbari legitimè poterit; & ideo cum Parochus sit approbatus à iure communi, & Pontificio, quod est superius iure Episcopali, seu vt ait *Suarez* est approbatus ab Ecclesia, & vniuersali consuetudine, intelligitur approbatus ab Ordinario, sub cuius nomine veniunt non solùm Episcopi, sed etiam Capitulum Sede vacante, Legatus Summi Pontificis, Nuntius, & tandem ipse Summus Pontifex, vt probat *Cardinalis de Lugo disp. 21. sect. 2. n. 12.*

11 *Instantia opposita.* Dices, *à Concilio Tridentino* illi duo modi approbationis contradistinguntur; nempe per beneficium Parochiale, & per examen, & sententiam Episcopi; ergo sub approbatione facta ab Ordinario, vt requirit Bulla, non includitur approbatio per beneficium curatum.

12 *Responsio.* Respondeo; *à Concilio* explicitè fuisse distinctos duos illos modos approbandi; *à Bulla* verò fuisse comprehēsos sub approbatione facta ab Ordinario, & semper verificabitur legitimè approbatum, esse ab Ordinario approbatum; & ideo si Sacerdos recipit beneficium immediatè à suo Episcopo, dum Episcopus confert beneficium, implicitè approbat beneficiarium; & sic collatio, seu institutio beneficij erit quædam virtualis approbatio; si verò Sacerdos recipit beneficium immediatè à Pontifice, erit approbatus à supremo Ordinario; & idem est dicendum, quando beneficium confertur ab alijs Prælatis, qui canonicè possunt illud conferre, seu in illo instituere.

Quæres quarto. An Parochus censeatur approbatus per totam Ecclesiam, ita vt vi Bullæ vbique eligi queat? 13

Respondet affirmatiuè *Suarez sect. cit. num. 18. Trullench. in Bullam lib. 1. §. 7. cap. 1. dub 4. num. 3.* & in eadem sententia debent esse omnes, qui volunt Sacerdotem simpliciter approbatum à suo Episcopo, esse vbique eligibilem, vt supradiximus; proindè cum hanc sententiam nos ibi amplexi fuerimus, dum Sacerdos approbatus simpliciter non mutat domicilium; idcirco cohærenter asserimus hoc ipsum de Parocho; cum non solùm eadem, sed maior militet ratio: nam *Concilium* circa Parochi approbationem non constituit nouum ius; sed potius antiquum retinere voluit; at secundum ius antiquum Parochus vbique ab omnibus eligi poterat, immo, & quilibet simplex Sacerdos, etiam ab Ordinario non approbatus: quapropter Concilium limitans hanc facultatem quoad reliquos Cōfessarios, eam non restrinxit quoad Parochos. Contrariam opinionem de electione Parochi per totam Ecclesiam sustinuit *Guttier. loco citato.* putat enim non posse vbique eligi. 14 *Parochus est per totā Ecclesiā approbatus.*

Dices, extare quamdam responsionem Sacræ Congregationis, per quam declaratum est, Parochum non censeri vbiq; idoneum, & hanc declarationem refert *Suarez, & Fagundez loc. cit.* 15 *Proponitur in contrarium quædā responsio Sacræ Congregationis.*

Respondeo cum eisdem, talem declarationem nobis nō constare, seu non esse authenticam. Respondeo secundo, in ea declaratione sermonem esse de iurisdictione, non autem de approbatione, vide *Ægidium Trullench cap. cit. dub. 4. in fine.* 16 *Explicatur responsio ibi.*

Quæres quinto. An Parochus amittēs, vel renuntians beneficium censeri debeat remanere approbatus ad confessiones? 17

Respondeo, indigere approbatione Epis- 18

Parochus renuntians aut ammittēs beneficiū indiget approbatione, vt eligatur.

Episcopi, & nón remanere approbatum. ita *Suarez in eadem sect. nu.20. Fagundez. num.38. Trullench dub. cit. num. 4. Ludouicus à Cruce cap. 2. cit. dub. 7. num. 4. de Lugo sect. 1. superiùs citata num. 8. & Diana tract. de Bulla resol. 8. Bonacina de Sacramento Pœnitentiæ d. 5. quæst. 7.* oppositum tuentur *Villal. in summa tom. 1. tract. 27. concl. 9. S. 1. num. 4. & Rodriquez in addit. ad Bul. S. 9. num. 4.* quam opinionem probabilem putat *Ioānes Lacruz de pœnitentia par 2. quæst. 9. dub. 8. concl. 4. & Ludouicus à Cruce in Bulla cap. cit. dub. 7. num. 4.* licèt ipse præcedentem sententiam *num.* 10. eligat, ratio autem pro nostra opinione est, quia concilium absolutè ait non esse idoneum, nisi qui Parochiale Beneficium habet; non enim dixit, habuit, vel habebat; proinde verbis ipsius decreti adhærendum est.

Alij oppositū sustinent.

19 *Obiectio.* Dices, ex eo quod à Parocho auferatur beneficium, malè infertur auferri approbationem; nam ista non videtur dependere in suo conseruari ab illo, licèt in fieri iuxta iuris dispositionem depēdeat; & confirmatur; nam aprobatio fundatur in illa idoneitate, quam habet Confessarius, quæ cum non tollatur ablato beneficio, consequens est, vt ipsa remaneat post testimonium tacitum datum à Superiore, conferente beneficium de sufficientia ipsius Confessarij.

20 *Responsio.* Respondeo. In ijs, quæ dependent à iure positiuo non est recedendum à verbis eiusdem iuris, nisi aliqua occurrat ratio, quæ nos cogat explicare ipsum ius, quæ quidem ratio in hoc casu non apparet: addo rationabiliter fuisse ita dispositum; vt approbatio ista, tantùm maneat, dum manet vsus beneficij; nam sæpe contingit, vt Beneficiarius, quoad mores mutetur in peius, & committendo aliqua delicta iustè priuetur, & beneficio, & aprobatione; interdum etiam occurrit, vt in ipsomet habente beneficium agnoscatur insufficientia, quæ prius fuerit ignota; & ideo suspenditur ab officio; proinde iure optimo potuit disponi; vt relicto beneficio, vel Parocho impedito ab administratione Sacramentorum per suspensionem, deperdatur approbatio, data intuitu eiusdem beneficij.

(†)

SECTIO II.

Proponuntur, & soluuntur nonnulla dubia circa Regularium approbationem.

Quæres primò. An Regularis cum licentia sui Prælati possit confiteri cuilibet simplici Sacerdoti etiam sæculari, qui non sit ab Episcopo approbatus, neq; Parochiale beneficiū habeat? 21

Respondeo affirmatiue, & est communis opinio, ita vt neminem videre potuerim, qui oppositum sentiat, solùm apud *P. Dianam in addictionibus secundarijs resol.* 4. citatum inuenio *Ioannem Mariam Nouarium Iurisconsultum in tract. de electione fori cap. 69. num. 21.* qui contrarium docet, vt refert *idem Diana*; sed clarè decipitur, quia *Concilium in illa Ses. 23. cap. 15. de Reformat.* præscribēs duos illos modos approbationis, sermonem tantùm habuit de sęcularibus etiam Sacerdotibus, & nihil innouauit de Confessarijs in ordine ad Regulares pœnitentes, vt patet ex ipso textu, & docet *Suarez tom. 4. de pœnitentia disp. 28. sect. 4. n. 4. & alij*, quos longa serie affert *Ioanes Sancius in Selectis disp. 49. num.* 2. igitur cum respectu Regularium pœnitentium maneat ius antiquum, secundum quod poterat vnusquisque cum licentia proprij Pastoris eligere quemlibet Sacerdotem, etiam ab Episcopo nō approbatum; hoc ipsum manet hodie immutatum; & ideo Superior regularis poterit ad sui libitum committere de iure communi suos subditos religiosos, in quos habet iurisdictionem ordinariam, cuicumque Sacerdoti, siuè regulari, siuè sæculari sine vlla Episcopi approbatione, vt eidem confiteantur, & de hac re nulla apud Doctores est controuersia. 22 *Regulares cū licentia Superioris possunt confiteri cuilibet Sacerdoti etiam nō approbato*

Quæres secundo. An hoc, quod dictum est de Regularibus pœnitentibus comprehendat Equites S. Ioannis Hierosolymitani; ita vt cum licentia sui Superioris, nempe Prioris eligere valeant quemlibet Sacerdotem non approbatum ab Episcopo, cui confiteantur. 23

Respondet affirmatiuè *Ioannes Sāchez disp. cit. n. 11.* cui videtur adhærere *P. Diana in suis resolut. Moral. tom. 1. miscel. 2. resol. 46.* quamuis *to. 2. de dub. regul. resol. 36.* postquā *Sācij* opinionē trāscripsit, loquēs de Equitibus Alcantaræ, Calatrauæ, S. Iacobi, &c. hāc quæstionē determinare voluit, immo addidit consuetudinem esse in contrarium; fundamentum autē huius opinionis est, quia Equites S. Ioannis, cū sint verè, & strictè Religiosi non cōprehēdūtur sub *decreto Trident.* proinde circa 24 *Idem est dicendum de Equitibus Hierosolymitanis.*

Ll 2 elec-

electionem confessarij in ordine ad ipsos manet ius antiquum illæsum, & hæc opinio mihi placet, nisi aliquid aliud in illorum constitutionibus habeatur; & non esse aliquid contrarium accepi à personis fide dignis.

25 Quæres tertio an idem dicendum de equitibus S. Iacobi, Alcantaræ, Calatraux, & similibus.

26 Respondeo, quod quamuis *Thomas Sanchez loco citato* eamdem sententiam probabiliter teneat de omnibus his; tamen de his Equitibus mihi videtur esse difficultas, quia nō est certum hos Equites esse religiosos propriè dictos; & ideo posset aliquis dicere respectu horum standum esse pro decreto, & lege *Concilij Tridentini*, dum non cōstat hos Equites habere qualitatem illam, per quam eximuntur à lege; qualitas autem est vera, & stricta professio religiosa; idcirco dum de hoc non cōstat, videntur includi in illo decreto.

Non videtur eadem ratio de alijs Equitibus militaribus.

27 Quæres quarto. An Religiosi si à proprio Superiore præsententur Episcopo, vt ab illo approbentur ad confessiones sæcularium audiendas, & ab eodem iniustè reprobentur, aut repellantur, eo ipso censeantur approbati ex iure communi, & per Bullam eligibiles?

28 Respondeo de hac re, duas celebres esse sententias, & partem affirmatiuam tuetur *Nauarrus in summa num. 264. & quamplures alij, tum ex antiquis, tum ex recentioribus*, & ex nostris eam sequuntur *Henriquez lib. 3. de pœnitentia cap. 6. nu. 6. Fagundez in secundo precept. Eccl. lib. 7. cap. 2. num. 15. Layman de Sacramento pœnit. tract. 6. cap. 11. nu. 4. & nouissimè Stephanus Bauny de Sacramento pœnit. quæst. 41.* fundantur omnes hi auctores in priuilegijs, quæ habent Mendicantes, & alij per communicationem, vt est priuilegiū, quod refertur *in Clement. Dudum de sepult. & in Extrauagan. Super cathedrā.* quod eodem modo loquitur cum illo priuilegio *in cap. Dudum*, per quod Pontifex reuocans nonnulla alia priuilegia ab alijs Pontificibus super eamdem materiam concessa, reduxit omnia ad priuilegium *Bonifacij Octaui in Extrauag. Super cathedram.* Hæc autem priuilegia putant hi auctores non esse abrogata *per decretum Tridentini*, quia cum sint recepta à duobus œcumenicis Concilijs, & sint in corpore Iuris inserta, habent vim legis conciliaris; proinde nulla de illis facta mentione, manent in suo robore; neque videntur abrogari per illā verba, quæ ponuntur in fine illius *decreti Tridentini*; dū dicitur (*Priuilegijs, & consuetudine quacumque etiam immemorabili, non obstantibus*) nam clausula ista derogatoria est generalis, & non sufficit ad annullanda priuilegia specialia, & maximè in corpore Iuris inclusa, quæ ad sui reuocationem aliquid specialius inquirunt, vt docent *Suarez lib. 8. de legib. c. 38. num. 1. Merolla in disp. Moral. tom. 3. disp. 6. cap. 7. dub. 8. num. 202. & alij iuris ciuilis Doctores, & Canonistæ.*

Aliqui affirmant.

29 At oppositam sententiam negatiuam defendunt graues Doctores. *Suarez de pœnitentia disp. 28. sect. 5. num. 13. Vasquez in 3. p. S. Thomæ tom. 4. quæst. 93. a. 3. dub. 3. num. 2. Ioannes Sanchez disp. 49. num. 16. & seq. & quamplures alij apud Dianam in dub. regul. resol. 24.* & hæc sententia est omnino admittēda, quæ efficaciter probari potest ex opposito fundamento, videlicet ostēdendo priuilegia illa antiqua fuisse abrogata *per decretum Tridentini*; atque adeo circa approbationem Confessarij esse standum generali dispositioni *eiusdem Concilij*. Probatur autē tali pacto. Concilium Tridentinum loquens de hac materia *in eo capite* aliquid disponit circa Regulares, & non aliud nisi hoc, nēpe, vt non censeantur idonei ad confessiones sæcularium audiendas, nisi alterutro ex illis duobus modis, videlicet vel per Parochiale beneficiū, vel per approbationem obtentam ab Episcopo; & in hoc ipsos Regulares æquiparat Sacerdotibus sæcularibus, ergo per hāc generalem Tridentini dispositionē reuocata fuērut priuilegia illa antiqua in corpore iuris contenta. Antecedens est manifestum ex lectura ipsius textus; consequētia verò probatur. nam per priuilegia illa non cogebantur Regulares ad audiendas sæcularium confessiones, obtinere actualem approbationem ab Episcopo; sed illis satis erat coram illo se præsentare, & exponi à suis superioribus, quasdam adhibēdo conditiones *in eo capite Dudum* recēsitas; & si ab Episcopo repulsi fuissent, statim absque illius approbatione intelligebantur à Pontifice approbati: ergo dum Tridentinum postulat tamquam conditionem necessariam actualem Episcopi approbationem, sine qua generaliter neminem excludendo, statuit nullum siuè sæcularem, siuè regularem censendum esse idoneum ad cōfessiones sæcularium excipiēdas, censuerit per hanc generalē dispositionem derogasse priuilegijs illis antiquis.

Negatiua partem et amplectitur.

Hæc sententia est admittenda.

Ad fundamentum autem contrariæ sentētiæ, in quo nōnulla tanguntur spectantia ad reuocationem priuilegiorum, breuiter satisfaciam ad singula; & ad illud, quod dicitur priuilegia illa *in Clem. & in Extrauag.* quatenus sunt recepta in 30

Respondetur ad fundamentum contrarium.

duo-

duobus generalibus Concilijs habere rationem Legis conciliaris; respondeo, etiam *decretum Concilij Tridentini* esse tale; ad illud aliud, quod additur, videlicet ex eo, quod tint inserta in corpore iuris ad sui reuocationem postulare, vt de illis fiat expressa mentio, respondeo negando id esse necessarium: & licèt tractatio de modo, quo reuocentur priuilegia sit à nostro instituto extranea; nihilominùs paucissimis perstringam ea, quæ adduci debent ad soluendam instantiam contra nos factam.

31 *Priuilegia gratis concessa possunt reuocari.* Pro qua re supponendum est priuilegia gratis concessa, qualia sunt ista, de quibus est sermo, cum dependeant non solùm in fieri, sed etiam in conseruari à voluntate Principis illa concedentis, vel ab eius successore in officio, aut dignitate, possunt irritari ab eodem secundùm eius beneplacitũ; idcirco quotiescumq; exteriùs sufficienter innotescit priuilegiato volũtas Superioris reuocantis priuilegium, statim priuilegium illud cessat. *Priuilegia inserta in corpore iuris sic firmiora, & se habent per modum legis.* Rursus priuilegia sunt in duplici differẽtia. nam aliqua sunt inserta in corpore iuris, alia verò minime. ex hoc autem sequitur, quod illa, cum vi illius inclusionis in iure se habeant potius per modum cuiusdam legis vniuersalis, quàm priuilegij; idcirco non præsumuntur ignorari à Principe, vt asseritur *in cap. 1. de Constit. in 6.* & notant *Doctores infra citandi*; ac proinde per legem vniuersalem emanantem à Principe, & contrariam eiusdem priuilegijs censentur reuocari; quia cũ talis lex vt inuoluens repugnantiã ad priora priuilegia emanet à Principe habente notitiam iuris communis, sufficiẽter ducit nos ad agnoscendam intentionem illam, quam habet Superior volens reuocare illa priuilegia: & sic præsumitur, nisi aliqua in eadem lege fiat exceptio, seu restrictio, per quam Princeps se declaret nolle per talem legem derogare illis priuilegijs. Cæterum priuilegia, quæ sunt extra ius commune, cum sint quoddam ius priuatum, & speciale, nõ semper ueniunt in Principis notitiam, vt dicitur in eodem *capite primo de constitut.* his verbis (*Princeps licèt præsumatur scire ea, quæ sunt iuris communis, tamen ignorare posse iura, facta, & consuetudines priuatas*) & ita aduertunt *Suarez lib. 8. de legib. cap. 39. num. 2. & alibi. Salas disp. 17. sect. 14. num. 74. Castro Palaus de priuileg. tract. 3. disp. 4. p. 21. §. 4. num. 10. Basilius de Leon lib. 8. de matr. cap. 19. nu. 19. Ioannes Sanchez in Selectis disp. 49. num. 9. Bonacina de legib. disp. 1. quæst. 3. p. 8. §. 3. num. 15. Merol. tom. 2. disp. 4. cap. 7. dub. 4. num. 25. & tom. 3. disp. 6. cap. 7. dub. 8. num. 227. & alii quamplures apud eosdem*; applicando autem hanc verissimã doctrinam casui nostro, aio, quod cum priuilegia illa *in Clem. & in Extrauag.* sint contenta in corpore iuris cõmunis, & se habeant potiùs per modum cuiusdam legis vniuersalis, non præsumuntur à Pontifice ignorari; proinde Pontifex instituens legem directè contrariam priuilegijs illis, qualis fuit dispositio, quæ habetur *in Tridentino* circa eamdem materiam; nempe circa idoneitatem, & approbationem Confessarij etiam Regularis, Ius presumit voluisse illa priuilegia antiqua reuocare, etiam si de illis nulla fiat specialis mentio: nam, vt benè aduertit *Felinus cap. 1. de rescript. num. 12.* ad derogandum priuilegijs inclusis in corpore iuris, opus non est de illis mentionem facere, quando editur lex illis omnino contraria; imò quamuis *in decreto Tridentini* nõ apponeretur clausula illa in fine, *Non obstantibus &c.* adhuc ratione contrarietatis, quam habet cum priuilegijs illis, abrogata fuissent ipsa priuilegia; quia, vt docet *Panorm. cap. 1. de Rescript. n. 13.* vna lex non continens clausulam derogantem, poterit priori legi derogare, si agatur de eadem causa. hoc autẽ reperitur in casu nostro; nã *decretũ Tridentini* agit de eadem prorsus re, & de eisdem personis, de quibus agitur *in clem. Dudum, & in Extrauag. Super Cathedram*; nempe de approbatione Confessarij, & de Regularibus approbandis; idcirco etiam si clausula derogatoria *in Tridentino* non haberetur; tamen ratione contrarietatis derogata venirent priuilegia illa. Neque ex hoc inferas clausulam illam, *Non obstantibus*, in decreto appositam, fuisse superfluam; quia hoc est falsum; nam potuit apponi ad maiorem declarationem, vel ad irritanda priuilegia particularia, & consuetudines contrarias; hæc enim cum sint extra Ius non sufficienter intelliguntur annullari, si in decreto, seu lege annullante non apponatur clausula derogatoria proportionata ad hæc, vel illa determinata priuilegia, quæ sunt reuocanda, aut modificãda.

Lex cõtraria priuilegijs insertis in corpore iuris illis derogat, etiã si de illis mētionem non faciat.

32 *In quo sensu intelligi debeat plus requiri ad irritanda priuilegia, quæ sunt in iure, quàm ea, quæ sunt extra corpus Iuris.* Et si quis contra hactenus dicta obijcias illud, quod à Doctoribus communiter asseritur; videlicet plùs requiri ad annullanda priuilegia, quæ sunt inclusa in corpore iuris, quàm ad annullanda ea, quæ sunt extra corpus iuris. Respondet ad hanc instantiam *Ioannes Sanchez disp. cit. num. 10.* id esse intelligendum, quando derogatio intenderetur ferri ex vi clausulæ in priuilegia contenta in iure; tunc enim clausula illa generalis, *Non obstantibus quibuscumque priuilegijs*, non esset sufficiens ad abroganda priuilegia in-

cor-

corpore Iuris inclusa, sed solùm non inclusa, quod intelligo in eo casu, in quo non inclusa non habeant tales clausulas speciales, vt pro eorum derogatione esset necessaria expressior, & specialior derogatio; sed quando derogatio priuilegiorũ inclusorum non intẽditur fieri vi clausulæ, sed vi ipsius constitutionis contrariæ, tunc dicit *Auctor iste* faciliùs reuocari priuilegia inclusa in iure, quàm non inclusa, cum ad non inclusa sit necessaria clausula. *Non obstantibus &c.* ad inclusa vero minime, vt dictum est; ita explicat *Ioan: Sanchez* commune illud dictum, quod potest alio modo exponi, si dicamus plùs requiri ad reuocanda inclusa, quàm non inclusa non ex parte formæ, quæ est necessaria ad irritationem; sed ex parte causæ, seu motiui, quo moueri solet Princeps ad reuocanda priuilegia; nam quæ sunt in iure, cum longè maiori consideratione, & solemnitate sint edita, quàm non inclusa, idcirco Princeps non solet tã facilè moueri ad irritandas leges communes, quàm particulares, seu consuetudines priuatas.

33 *Regulares præsentati à suo superiore, si ab Episcopo etiam iniustè repellãtur, non censentur approbati.*

Ex his omnibus colligimus, Regulares præsentatos à suo Superiore, si ab Episcopo repellantur etiam iniustè; nihilominus non censeri approbatos à iure communi, vt volunt Doctores opinionis affirmatiuæ; proinde cum illud ius commune per nouam dispositionẽ Tridentini sit reuocatũ, vt hactenus ostendimus, idcirco non posse tales Regulares vi Bullæ eligi ad audiendas sæculariũ cõfessiones.

34 Quæres quintò. An Episcopus possit iterum examinare Regulares, quos ipse approbauit?

35 *Regularis approbatus præuio examine nequit iterũ examinari ab eodem Episcopo neq; reprobari.*

Respondeo quæsitum bifariam formari posse; & primo quando Episcopus approbauit Regulares præuio examine: secundo quando nullum præcessit examẽ: si primo modo, dico iuridicè Regularem examinatum, & approbatum non posse ab eodem Episcopo iterum examinari, & nequit ab eodem reuocari approbatio data. ita *Fagundez præcept. secundo Eccl. lib. 7. cap. 2. num. 26. & seq. Henriquez lib. 3. de pœnit. cap. 6. num. 6. Zerola in praxi Episcopali p. 1. ver. Confessores. nu. 2. Ludouicus à Cruce de expositione Bullæ disp. 1. cap. 2. dub. 9. num. 2. Trullench lib. 1. §. 7. cap. 5. dub. 7. à num. 8. & alij.* conclusio probari solet *ex Motu proprio Pij Quinti*: qui habetur *in Bullario tom. 2. & est 533. constitutio*, quæ incipit. *Romani Pontificis prouidentia*, inter alia sic habet (*volumus tamen eos, qui semel ab Episcopo in Ciuitate, & Diœcesibus suis, præuio examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non examinari*) loquitur enim de Regularibus, his autem in verbis notat *Pater Suarius disp. 28 sect. 8. nu. 4.* non sine causa additum esse verbum illud, (*præuio examine*) quasi dicat tunc non posse iterum examinari, quando approbati sunt præcedente examine; igitur si approbatio fuit absque examine, supponere videtur Pontifex posse iterũ eos examinare. Rursus *Zerola* affert quamdam declarationem *Sacra Congregationis* pro Patribus Mendicantibus, quæ hoc ipsum statuit; aduertit tamen auctor iste hoc debere intelligi de examine sufficẽti, idest quoad omnes interrogationes, & non ad aliquas paucas tantùm, nempe superficialiter. Probatur etiam conclusio *ex Constitutione in forma Breui edita à S.D.N. Vrbano VIII. die 30. Ianuarij 1629.* quam constitutionem transcripsit *Barbosa de iure Ecclesiastico lib. 1. cap. 43. num. 210. & sequentibus*, in qua constitutione Pontifex decreuit eos, quos ipsemet Episcopus ad confessiones audiendas semel admisit simpliciter, ac sine vlla temporis præfinitione, nullatenus posse reprobari sine noua causa, eaque confessiones ipsas concernente.

36 *In aliquo casu posse ab eodem Episcopo iterum examinari, colligitur ex constitutione Vrbani VIII.*

Attamen certum est, posse Regularem approbatum etiam præuio examine ab eodem Episcopo interdum de nouo examinari, vt si comperiretur Regularem illum obliuione, aut negligentia defecisse notabiliter ab illa doctrina, quam tempore approbationis habebat, tunc nemo dubitare potest, quin ab Episcopo examinari possit, & si in hoc secũdo examine minùs idoneus inueniatur, reprobari; posset etiam idem Episcopus reuocare approbationem datam si aduertat Regularem, prauis moribus effectum esse scandalosum &c. & hoc insinuatur *in Constitutione supradicta Vrbani VIII.* dum dicitur (*Nullatenus posse reprobari sine noua causa, eaque confessiones ipsas concernente*) quibus verbis significat, si causa spectans ad administrationem huius Sacramenti occurrat, posse reprobari &c.

Quæres sexto. An ab Episcopo successore possit Regularis examinari, quãuis ab Episcopo prædecessore præuio examine fuerit approbatus? 37

38 *Ab Episcopo successore potest examinari.*

Respondeo affirmatiuè. Est contra *Rodriquez in quæst. Regul. tom. 1. quæst. 59. à 4.* & pro hac opinione *Zerola loco citato, & Barbosa in remissionibus Tridentini sess. 23. cap. 15. de reform. nu. 6.* afferunt *quãdam declarationem Sacræ Congregationis*, per quam dicitur, quod Fratres Mendicantes semel examinati, & idonei reperti pro confessionibus audiendis, non debent, nec ab eodem Ordinario, nec à successore examinari. Sed nostram

con

conclusionem defendunt communiter alij, & clarè id docet *Fagundez cap.2. citato nu. 26. Ludouicus à Cruce, Trullench locis citatis, Ioannes Sanchez in selectis disp.48. num.16. Stephanus Bauny in sua Theol. Moral. tract.4. de pœnit. quæst. 10. & alij* . & hæc sententia mihi verior videtur,& probari potest; quia præscindendo à priuilegijs, & declarationibus Cardinalium, nullum est ius, ex quo oppositum habeatur, immò secundùm ius, hæc secunda sententia amplecti debet; quia Episcopus successor non tenetur acquiescere approbationi factæ à suo prædecessore, eamque ratam habere; sed ob quietem suæ conscientiæ poterit examinare omnes Confessarios suæ Diœcesis, adhoc, vt sciat, qui sint idonei, qui verò inhabiles; si autem inspiciamus priuilegia hoc ipsum est dicendum; nam *in Motu illo Pij Quinti* expressè statuitur posse Religiosos examinari ab Episcopo successore pro maiori quiete suæ conscientiæ, quamuis fuerint examinati,& approbati ab Episcopo prædecessore. *Rursus refertur quædam declaratio Sacræ Congregationis à Rodriquez in expositione Bullæ §.9.nu. 32.& in quæstionibus Regularibus a.4. cit.* quam similiter refert *Barbosa de Potest. Episc. alleg. 25.num.28.& alij.* sed contra hanc declarationem extat alia, quam, vt vidimus, referunt *Zerola, & idē Barbosa in remissionibus Concilij loco superiùs citato*; proinde cum pro vtraq; opinione afferantur cōtrariæ declarationes, nequimus ex vi harum declarationum aliquod firmum habere; *Ad Motum autem Pij Quinti* respondet *Rodriquez.ar. illo 4. constitutionem illam* reuocatam fuisse *à Gregorio XIII.* per aliam Bullam, quæ incipit. *In tanta rerum,& negotiorum mole, & extat in tom.2.Bullarij,& est 9. in ordine.per hanc Constitutionem Gregorius reduxit* ea, quæ continebantur *in Motu Pij* ad dispositionem Iuris communis, *& Cōcilij Tridentini. At ius commune Clementina Dudum, non est reuocatum per Concilium Tridentinum*; & ideo Fratres Prædicatores, & Minores semel approbati sunt idonei Confessarij, & non debent iterum examinari, & approbari, aut reprobari à successoribus Episcopis; Rursus idem *Rodriquez* tradit quādam doctrinam dicens alios Mendicantes comprehendi *sub Bulla Pij* reuocantis omnia priuilegia contraria *Concilio Tridentino*, non autem comprehendi Fratres Prædicatores, & Minores; & huius rei rationē explicitam, licèt *Rodriquez* non assignauerit in articulo illo quarto, assignauit tamen eam in articulo sexto sequente, asserens ex eo, quod *Clementina Dudum* fuerit extensa ad Fratres Eremitas S.Augustini *per Clementem V. & per Ioannem XXII.* prorogata ad Carmelitas, & postea per alios Pontifices ad alios religiosos; nihilominus respectu horum *illa Clementina* est purum priuilegium: at respectu Fratrum Prædicatorum, & Minorum non est priuilegium, sed ius commune: & ita respectu illorum, cum sit priuilegiū, est reuocatum per *Concilium*, non autem respectu Prædicatorum, & Minorum, respectu quorum est ius commune, & non priuilegium. *Hæc ex Rodriquez.*

Probatur varijs Decretis.

Sed quia supra ostendimus *Clementinam Dudum,& alia iura similia* esse reuocata per *Concilium* modo ibi explicato; idcirco non addmittimus discursum *Rodriquez*, & nostram sententiam confirmamus ex *Bulla Vrbani Octaui superiùs relata*, per quam expressè decernitur, & declaratur Regulares examinatos, & approbatos posse ab Episcopo successore iterum examinari, iuxta præscriptum *Constitutionis Pij Quinti* hac de re editæ. 39

Verum grauis fieri potest difficultas ex verbis *Bullæ plumbeæ*; sic enim dicitur (*Conceditur, vt possint eligere Confessorem sæcularem, vel cuiuscunque etiam Ordinū Mendicantium Regularem ex i's, qui ab Ordinario, & quoad Regulares semel tantum, approbati fuerint &c.*) si autem Episcopus successor ius haberet examinandi Regulares approbatos, non diceret Bulla, & quoad Regulares semel &c. sed vniformiter loqueretur de Confessarijs sæcularibus, & Regularibus, igitur cum certum sit, Sacerdotes sæculares posse ab Episcopo successore examinari, ac proinde de illis Bulla non dicat, sufficere esse semel approbatos, signum est satis esse vnicam approbationem pro Regularibus ad hoc, vt eligantur per Bullam, & per consequens non posse iterum examinari ab Episcopis succedentibus in Episcopatu. 40

Grauis difficultas ex Bulla plumbea circa approbationem Regularium, & contra decreta superiùs relata.

Ad hanc difficultatem, quæ reuera nō ita facilem admittit solutionem, inuenio duas responsiones, quarum prima traditur ab *Aegidio Trullench cap.1.citato dub. 7.num. 14.* ait enim verba illa *Bullæ* esse intelligēda iuxta *Constitutionem Pij Quinti superiùs citatam, & Congregationis declarationem*, nempè quoad Regulares, qui semel sunt ab Ordinario approbati, tota vita ipsius Ordinarij durante, durare eorum approbationem, nec Regulares indigere noua approbatione, nec per generale Edictum ipsius Episcopi approbantis, posse approbationem suspendi, nisi ex grauissima causa iuridicè probata, quæ omnia non requiruntur in approbatione sæcularium, vt videtur docere, & sup- 41

Ponitur responsio Trullench.

& ſupponere *idem auctor* ex diſcurſu, quē facit in ea dubitatione; & ideo in hoc ponit diſparitatem inter vtramque approbationem.

42 *Solutio Ioānis Sanciȷ.* Secunda reſponſio eſt *Ioannis Sancii in diſp illa 48. num. 30.* ait enim ſuſcipientes Bullam gaudere ſolùm illis priuilegiis, quæ continentur in Bulla illa, quæ idiomate vulgari traducta, duobus argenteis comparatur, vt aſſeritur in ipſomet diplomate, in quo ſic in noſtra lingua Italica dicitur. (*Durante il detto anno della publicatione godono di tutte le gratie, e facoltà contenute in queſta Bolla,*) & quia *in hac Bulla* non apponitur clauſula illa ſcilicet quoad Regulares ſemel tantùm &c, ſed vniuerſaliter, tum pro ſæcularibus, tum pro regularibus Confeſſarijs abſolutè dicitur Confeſſarium debere eſſe approbatum ab Ordinario; idcirco ceſſat difficultas, licèt enim in latino originali ſit diuerſitas, tamen ſtandum eſt Bullæ traductæ auctoritate Commiſſarij generalis, qui habet facultatem traducendi, & explicandi Bullam originalem, vt dicitur in dicta Bulla latina, & aſſeritur *à Rodriquez in explicatione eiuſdem Bullæ §.6.*

43 *Impugnatur reſponſio Trullench.* Cæterum prima ſolutio, quam dat Aegidius non placet, niſi magis declaretur, & aliquid aliud addatur, vt infra videbimus; quia vel nullum, vel fere nullum diſcrimen eſſet inter Confeſſarium ſæcularem; & regularem circa approbationē requiſitam à Bulla; nam approbatio etiam ſæcularis Sacerdotis ſine vlla cauſa non poteſt ab Epiſcopo tolli, & durat ſēper, & licèt ſit reuocabilis, eſt etiam reuocabilis approbatio Regularium, vt ſupra vidimus, & ſi dicas maiorem requiri cauſam ad tollendam approbationem Regularium, quàm ſæcularium, ſequeretur differentiam eſſe ex parte cauſæ ſecundùm magis, & minus, quod non cohæret verbis Bullæ latinæ, & ideo niſi aliud vellet, non debuiſſet dicere ſatis eſſe vnicam approbationem reſpectu Confeſſarij regularis, quia vrgentior, aut minùs vrgens cauſa non facit, vt vnica tantùm approbatio ſufficiat, ſed ſolùm operatur, vt maior cauſa requiratur ad reuocandā approbationem, ſiue de reliquo ſufficiat, ſiue non ſufficiat vnica approbatio.

44 *Neque admittitur illa Sancij.* Illa autem reſponſio *Ioannis Sancij* non eſt admittenda, quia facultas, quæ conceditur Commiſſario vertendi hoc diploma de latino idiomate in vulgarem linguam iuxta ritum Prouinciarum, non eſt ad mutandam ſubſtantiam huius priuilegij, vt expreſſe cauetur *in ipſa Bulla*; ablatio autem alicuius priuilegij, vel additio, eſt mutare ſubſtantiam ſaltem partialiter; igitur ſi Pontifex in Bulla latina concedit ſuſcipientibus illam poſſe eligere Confeſſarium regularem ſemel approbatum, Commiſſarius auferens illud verbum, ſemel approbatum, mutaret ſubſtantialiter hoc priuilegium, & per conſequens mutaretur ſubſtantia ipſius Bullæ, quæ ſubſtantialiter dicitur integrari tamquam ex præcipuis partibus, ex indultis, ſeu priuilegijs, & quibuſdam oneribus: proinde eſt dicendum, quod clauſula illa, quæ reperitur *in Bulla vulgaris lingua* eſt intelligenda eo modo, quo apponitur *in Bulla plumbea latina*, & ideo dum *in illa Bulla* dicitur, ſuſcipientes eligere poſſe quemcumque Sacerdotem ſæcularem, ſiue regularem ex approbatis per Ordinarium, intelligendum eſt de approbatione conuenienti ipſi Confeſſario, ſiue ſit aliquo modo reuocabilis, ſiue non: quapropter loquendo de Regularibus eorum approbatio ſimpliciter data, non eſt reuocabilis ſine cauſa, & ſi reuocetur reuocatio erit nulla; *ex Motu Pij Quinti, & ex Breui Vrbani Octaui*, vt ſupra, ex quibus habemus approbationem Regularium retinere aliquo modo perpetuitatem quādam; non ita approbatio Sacerdotis ſæcularis, nam hæc non eſt ita firma, quia ſi abſque rationabili cauſa Epiſcopus eam reuocet, valida, quamuis illicita, eſſet reuocatio iuxta probabilem opinionem, vt diximus *ſect. 6. huius capitis*; & licèt nonnulli ſentiant ſine cauſa eſſe irreuocabilem, & per conſequens aut nullum, aut ferè nullum inueniri diſcrimen inter vtramque approbationem; tamen hoc, cum ſit ferè certum de approbatione Regularium, Pontifex voluit illud ſignificare per clauſulam, quæ eſt in Bulla latina, cum inquit (*& quoad regulares, qui ſemel tantùm approbati fuerint,*) & tacere id quod cōcernebat ad approbationem Sacerdotum ſæcularium, illud relinquendo in terminis Iuris communis ſecundùm varietatem opinionum, quæ reperitur inter Doctores.

Ad quæſitum igitur propoſitum patet reſponſio ex dictis, Dico enim Regularem examinari poſſe ab Epiſcopo ſucceſſore, licèt fuerit approbatus præuio examine ab alio Epiſcopo, qui in eodem Epiſcopatu præceſſit. 45

Quæres. An Regularis approbatus ab Epiſcopo ſine licentia ſui Superioris, vel illo diſſentiente, virtute Bullæ validè abſoluat? 46

Reſpondeo validè abſoluerè *ita Nunus in addit. ad 3. p. quæſt. 8. a. 5. dub. 8. Ludouicus à Cruce cap. 2. dub. 17. Trullench lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 6. Ioannes Sanchez in ſelectis diſp. 48. num. 26. Ioannes de la Cruz de ſtatu Religioſo lib. 2. cap. 6. dub. 2. concl. 2. Villalobos* 47 *Regularis inuito Superiore, vi Bullæ validè abſoluit ſpectata Iuris communi*

lobos in summa tract. 9. diff. 50. & alij apud Dianam tract. de Bulla resol. 13. quibus ipse assentit. Est tamen contra *Valerum in differ. vtriusque fori. ver. confessio Sacramentalis. diff. 2. num. 2. & Rodriquez in §. 9. Expositionis Bullæ dub. 7. nu.* 10. qui quamdam facit distinctionem, & ait validas esse confessiones istas, si fiant de peccatis ordinarijs, pro quorum absolutione non requiritur specialis auctoritas; at de peccatis extraordinarijs, quorum cōfessiones fiunt virtute Bullæ, aut alterius priuilegij concedentis casus Episcopales à iure, & ab homine, inquit, rem esse dubiam; in fine autem illius dubitationis videtur concludere, tales confessiones esse nullas. *Rursus in quæstionibus regularibus. to. 1. q.* 60. *a.* 3. docet confessiones istas factas fratribus Ordinis Prædicatorū esse inualidas, & id probat ex *quodam Breui Iulij Tertij recepto à Capitulo generali Salmantino*, per quod Breue annullantur prædictæ confessiones, & subdit, in eodem articulo annullari etiam posse ab alijs Religionibus, quæ communicant cū Fratribus Prædicatoribus in priuilegijs. Sed nostra sententia secundum Ius commune, præscindendo à particularibus cōstitutionibus Religionum, est longè probabilior, & suaderi potest, quia talis Confessor habet omnia, quæ requiruntur ex parte sui ad validè absoluendum; nam, vt supponimus, est approbatus ab Ordinario, & posita approbatione, habet iurisdictionem per Bullam Cruciatæ; ergo nihil illi deesse videtur ad hoc, vt ex parte sui validè absoluat, cum in Bulla non exigatur alia approbatio, nisi ea, quæ habetur ab Episcopo, qui est proprius Ordinarius Confessarij.

48 Quæres octauo. An talis Religiosus audiens confessiones contra voluntatem sui Superioris grauiter delinquat?

49 Respondet *Fagundez lib. 7. in 2. præcept, cap. 2. num.* 32 loquens de Religiosis excipientibus confessiones contra voluntatem Superioris, peccare, quamuis non dicat, an peccet grauiter, vel leuiter, sed quia addit, posse talem Religiosum grauiter à suo Superiore puniri, colligo ipsum existimare tale peccatū esse mortale, si enim esset leue, non diceret grauiter puniri posse; & pro hac sententia *Diana loco citato* laudat *Peregrinum*, & *quosdam alios tacito nomine*, sed meliùs alij dicunt, hanc rem determinandam esse, vel iuxta præscriptum constitutionū religionis, vel si in constitutionibus nihil statuatur, quoad grauitatem culpæ, iuxta modum prohibitionis factæ à Prælato; & ideo si constitutiones, vel prohibitio est in virtute obedientiæ, vel sub pœna excommunicationis, suspensionis &c. transgressio erit peccatum mortale; sin minùs erit veniale. ita *Ioan. Sanchez loco citato, & alij apud ipsum, & Dianam*.

Illicitè absoluit, an grauiter, aut leuiter, attendendum est præceptū, seu constitutio.

Quæres nono. Vtrum, quæ diximus de validitate confessionum factarum virtute Bullæ Cruciatæ, sint etiam asserenda, si confessiones fiant virtute iurisdictionis, quam habent Religiosi ex varijs priuilegijs, quæ sunt à diuersis summis Pontificibus Religioni concessa? 50

Respondeo. Si priuilegia Religioni concessa, quoad hunc effectum inuoluant hanc limitationem, vt subditi nequeant illis vti absque consensu Superioris, vt est in nostra Societate, ita ut iurisdictio descendat ad subditos mediante proprio Prælato, tunc respondendum est negatiuè; nam Regularis nequit frui talibus priuilegijs independenter à voluntate sui Superioris; proinde inualidæ forent confessiones factæ Religiosis, illas excipientibus contra voluntatem proprij Prælati. *ita Henriquez lib. 3. de pœnit. cap. 6. num. 6. Fagundez loco citato, & plures alij apud ipsum*. 51

TRACTATVS VI.

DE FACVLTATE, QVAM HABET Confessarius electus vi Bullæ ad absoluendum à culpis, & censuris reseruatis.

Aliud priuilegium, quo gaudent hanc Bullam suscipientes, est, vt possint absolui à Confessario ab ipsis electo à peccatis, & censuris reseruatis. Verba autem priuilegij, quę connectuntur, cum alijs verbis, quibus conceditur potestas ad eligendum Confessarium, de quo supra egimus, hęc sunt (& ab eo quorumcumque peccatorum, & censurarum) etiam sedi Apostolicæ, & in Bulla cœnæ Domini reseruatorum, & reseruatarum) plenariam Indulgentiam, & remissionem semel in vita, & semel in mortis articulo: Aliorum vero sedi Apostolicæ non reseruatorum, ac reseruatarum toties quoties confitebuntur, absolutionem, & remissionem mediante salutari pœnitentia secundum culparum exigentiam obtinere &c:) *Circa hanc facultatem multa sunt exagitanda, tum quoad absolutionem à peccatis; tum etiam quoad absolutionem à censuris.*

CAPVT I.

Varia expenduntur difficultates circa casus Pontificios.

1 *Varia expenduntur difficultates circa casus Pontificios.*

De casibus autē reseruatis specialem instituimus tractatū, ad quem me remitto. Definitionem casus reseruati, & potestatem reseruandi, quę in Prælatis respectu propriorum subditorum residet, &c. in præsenti supponimus; sicuti etiam supponimus quamplures inueniri casus Pontifici reseruatos, tum in corpore iuris communis; tum extra, quibus est annexa excommunicatio: & rursus reperiri casus, qui Episcopis sunt reseruati per propria statuta, seu consuetudines in particularibus Diœcesibus, & interdum cum censuris: quæ omnia hic non examinamus, cum in tractatu illo speciali de casibus reseruatis fusè à nobis expensa fuerint: at solùm hic intendimus agere de facultate Confessarij circa prædictorum absolutionem.

(†)

SECTIO I.

An dictio illa, semel in vita &c. relata ad casus Pontificios restringat facultatem absoluendi quoad speciem tantùm peccati; an etiam quoad genus.

2 *Declaratur quæstium.*

Vt status quæstionis intelligatur ponamus exemplum. Sit aliquis, qui exigat tributa à personis ecclesiasticis contra sacros canones, & consequenter incidat in casum Summo Pontifici reseruatum, cui est annexa excommunicationis censura; postea pœnitentia ductus absoluatur vi Bullæ cruciatæ; & post aliquod tempus intra eumdem annum publicationis illius Bullæ, cuius virtute fuit absolutus, incidat in alium casum eidem Pontifici reseruatum E. C. in peccatum Simoniæ commissum in adeptione beneficij ecclesiastici; quæritur an iste Simoniacus possit frui priuilegio eiusdem Bullæ ad obtinendam absolutionem ab isto alio casu Papali specie diuerso à primo; quod idem est, ac quærere, an dictio illa, semel, limitans potestatem Confessarij, referatur ad vnicam absolutionem circa casus Papales in toto anno publicationis eiusdem bullæ; ita vt semel circa vnum casum habita absolutione; postea nequeat vi eiusdem Bullæ absolui ab alio casu Papali specie diuerso; an verò referatur solùm ad idem specie peccatum

E. G.

E. G. ad peccatum quod fuit commissum exigendo tributa ab Ecclesiasticis, & vi Bullæ postea remissum, remanente facultate circa alios casus specie differentes.

3 *Censuerunt aliqui Dictionem restrictiuā referri ad idem, & non ad diuersum specie peccatum.*

Aliqui, vt refert *Ludouicus à Cruce in expositione Bullæ disp. 1. cap. 3. dub. 13.* putarunt verba huius clausulæ, quatenus continent dictionem illam restrictiuam, intelligenda esse in secundo sensu; & ideo posse ab vnoquoque peccato Pontifici reseruato semel absolui vi eiusdem Bullæ.

4 *Alij vero Dictionē illam referunt ad absolutionem datam supra casus Pontificios.*

At ipse *Ludouicus à Cruce ibidem, Ioānes Aegidius Trullenchin Bullam lib. 1. S. 7. cap. 2. dub. 3. num. 2. Rodriquez S. 9. dubio vniro nu. 35.* oppositam tuentur sententiam; atque adeo dicunt dictionem illā, semel, referri ad absolutionem vt sic; & per consequens ille, qui secunda vice labitur in casum Papalem, si priùs fuerit absolutus, non posse vti eadem Bulla, per quam fuit antea à primo casu Papali liberatus. Colligit hanc interpretationem *Trullench ex indulto*, quod concessit *Gregorius XIII.* vt in eodem anno possit vnusquisque secundam Bullam sumere, atque iterum frui eisdem priuilegijs, & ideo si secūda vice aliquis committit peccatum reseruatum sedi Apostolicæ, non obstante prima absolutione ab alio casu Papali, poterit iterum ab alio casu absolui. *ex hoc indulto* infert *auctor iste*, quod si dictio, semel, esset referenda ad singulos casus, non esset cur *Gregorius* hoc nouum indultum concederet.

Trullench sequitur sententiam secundo loco relatam ductus ex quadam coniectura.

5 *Reijcitur coniectura ista.*

Sed ista coniectura, cui *Trullench* nititur, est valdè infirma, & inefficax; nam aduersarij responderent, quod nouum illud indultum non esset superuacaneū; quia effectum haberet, si quis incideret in eumdem specie casum, à quo secunda vice non posset vi primæ Bullæ absolui; & ideo indultum de sumenda secunda Bulla videretur maximè fauere fidelibus.

6 *Opinio Auctoris est Dictionem illam referri ad absolutionē, vt sic.*

At hoc non obstante, quia nullum inuenio auctorem, qui oppositam sit sequutus opinionem; & aliqui viri docti, quos de hac re consului intelligunt hanc clausulam in eodem sensu, in quo illa sumpta fuit *à Rodriquez, & ab alijs suprà citatis*; idcirco eisdem assentior, & aio absolutionem à casibus Sedi Apostolicæ reseruatis non posse obtineri, nisi semel in vita: proinde si quis absoluatur ab vno casu, postea incidens in alium casum, etiam specie diuersum, non poterit absolui à tali casu vi eiusdem Bullæ; sed oporteret secundam Bullam accipere. ratio autem, qua ducor ad hoc asserendum est, quia ex vna parte non habeo auctorem, qui illam sententiam defendat; & ex alia parte verba videntur potiùs respicere genus, quàm speciem; nempè casum Pontifici reseruatum, de quo Pontifex videtur loqui, dum limitat semel in vita fore absoluendum; ideo incidens, siue in idem specie, siue in diuersum casum Papalem, indiget noua Bulla, vt secunda vice absoluatur.

Dices, priuilegium istud, per quod Pontifex concedit potestatem circa absolutionem à casibus, est fauorabile, cū in nullius sit præiudicium, & sit simplex fauor Principis; proinde latè exponendū; & ideo si verba Bullę possunt habere sensum illum, videlicet limitationem, de semel absoluendo, ferri supra speciem casus Pontificij, & non supra genus; talis sensus, vt potè fauorabilior est amplectendus; sed hunc sensum verba habere possunt, vt patet illa consideranti, & nullum sequitur inconueniens; & vt sic potestas absoluendi à casibus Papalibus distingueretur à potestate absoluendi ab alijs casibus Pontifici non reseruatis, etiam quoad pluralitatem absolutionum; nam ista etiam si sint eiusdem speciei toties quoties absolui possunt, illa verò semel. 7 *Instantia.*

Respondeo, quamuis potestas absoluendi à casibus sit fauorabilis, & latè exponenda; nihilominùs non debemus illam adeo ampliare, vt ampliatio sit vltra sensum, quem ipsa verba habere possunt: non videtur autem limitatio illa coarctanda ad speciem; quia si Pontifex hoc intellexisset, debuisset alio modo loqui; nam debuisset dicere, & ab eo quorumcumque peccatorum, & censurarum, etiam Sedi Apostolicæ reseruatorum, & reseruatarum indulgentiam, & remissionem obtinere, ita vt ab eodem peccato, & censura semel in vita, & semel in mortis articulo absoluatur &c. cum autē hoc pacto non loquatur, sed absolutè dicat, quorumcunque peccatorum, & censurarum Sedi Apostolicæ reseruatorum, & reseruatarum, remissionem semel in vita obtinere possit; videtur clarè limitare genus peccati reseruati, non autem speciem tantùm; & ideo ad instantiam, quæ in contrarium obijcitur, nego, verba habere posse sensum ab arguente intentum; proindè licèt potestas illa, quæ à Pontifice conceditur sit fauor, & latè declaranda; tamen nequimus illam ampliare ad sensum illum, quem aduersarij intendunt; cum talis sensus pugnet cum ipsismet verbis, quæ in diplomate continentur. 8 *Solutio.*

SECTIO II.

An virtute Bullarum præteritarum possit quis absolui à casibus Papalibus, si Bullis illis in ordine ad hunc effectum non sit vsus.

9 Ponamus hunc casum. Accepit quis hoc anno Bullam Cruciatæ, eaque non est vsus in ordine ad absolutionem obtinendam à casibus, & censuris Summo Pontifici reseruatis; quia in talia reseruata non est lapsus; postea transacto hoc anno, & publicata alia Bulla, illam accepit, quia eodem modo non est vsus; & sic tertio, & quarto anno; in quinto autem anno incidat in peccata Pontifici reseruata, & ab eis absolutionem obtineat beneficio Bullæ publicatæ eodem ipso quinto anno, postea iterum labatur in eadem reseruata, & virtute concessionis Pontificiæ sumendo secundam Bullā absoluatur; si verò de nouo committat similia peccata reseruata, quæritur, an possit frui priuilegio Bullarū præcedētiū annorum, quibus, vt supposuimus, nō est vsus circa absolutionē à casibus Papæ reseruatis, cū nequeat accipere tertiā Bullā.

Declaratur quæsitum.

10 Aliqui, quos nominatim non citat *Aegidius Trullench lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 3.* inter quos est *Nauarrus in consil. lib. 5. de priuil. cons.* 17. partem affirmatiuam sequuti fuerunt, & ducti sunt ad hoc asserendum; quia, vt ipsi aiunt, virtute vltimæ Bullæ; nempè illius, quam pœnitens accepit quinto anno reualidantur Bullæ præteritæ, quæ cum non fuerint sortitæ effectum circa absolutionem ab his reseruatis, poterit ipse pœnitens illarum virtute beneficium absolutionis habere. Quod autem reualidentur probant; quia per Bullam vltimam reualidantur omnia ea, quæ per ipsam Bullam suspenduntur; nam, vt patet ex tenore ipsius Bullæ plūbeæ, Pontifex dat Comissario generali auctoritatē suspendēdi, durante anno publicationis Bullæ, omnes similes, aut dissimiles indulgentias, ac facultates à Sede Apostolica quomodocunque concessas; & rursus dat etiam auctoritatem eidem Commissario reualidandi indulgentias, & gratias prædictas ab ipsomet suspensas in fauorem illorum, qui Bullam sumunt; & quia de facto Commissarius postea ea omnia exequitur, suspendendo omnes prædictas indulgentias, & gratias, easque reualidando in ordine ad eos, qui Bullam accipiunt; inde est, vt hi possint vti Bullis præteritis, vt potè reualidatis in ordine ad effectum absolutionis prædictæ, quem effectum Bullæ illæ in singulis annis, in quibus durabat earum vigor, non habuerunt. Hæc est sententia horum auctorum, & fundamentum, cui ipsi innituntur.

Opinio affirmatiua est aliquorum.

11 Cæterum hæc opinio non est probabilis, & est contra praxim: nemo enim putat, transacto anno posse frui gratijs, & priuilegijs virtute Bullarum præteritarum; & ideo hanc opinionem tuetur ipse *Trullench lib. 1. § 9. dub. 2. à num. 2. Rodriquez in §. 12. num. 2.* ratio autem pro hac sententia negatiua est, quia elapso anno publicationis vigor Bullæ illius anni omnino perit: & hoc expresè cauetur in ipsamet Bulla latina, in cuius initio dicitur, illos frui posse priuilegijs Bullæ, qui intra annū à die publicationis &c. & sæpe hoc ipsum repetitur in ipsamet Bulla, dum declarāntur priuilegia concessa à Pontifice.

Reijcitur vt improbabilis opinio prædicta.

12 Ex his colligi potest solutio ad fundamentum, quo ducti fuerunt auctores oppositæ sententiæ; censebant enim priuilegia Bullarum præcedentium reualidari à Commissario generali pro ijs, qui nouā sumunt Bullam, & suspendi pro alijs Bullam non sumentibus, hoc autem principium est apertè falsum; quia reualidatio nequit cadere nisi in ea, quæ vigorem retinendo suspenduntur, & postea ablata suspensione iterum confirmantur, & reualidantur; non autem cadere potest in ea, quæ omnino extincta fuerunt; quia tunc esset noua concessio, & non reualidatio rei suspensæ; & Bulla cruciatæ cum duret solùm per annum, vt declaratur in ipsamet Bulla; idcirco, transacto anno, totaliter extinguitur; proinde suspensio, quæ fit à Commissario non respicit Bullas præteritas, & reualidatio cum solùm feratur in ea, quæ fuerunt suspensa; inde est vt nequeat respicere Bullas præteritas, quæ cum sint omnino extinctæ, non sunt capaces suspensionis, & per consequens neque reualidationis; & in Bulla hoc significant verba illa, quæ apposita sunt in ea clausula, in qua datur facultas Commissario suspendendi indulgentias, gratias &c. sic dicitur *(si quæ in Regnis, Insulis, Terris, Locis, & Dominijs præfatis recepta, adhuc durent)* hæc autē limitatio manifestè declarat nō reualidari Bullas præteritas; quia cum transacto publicationis anno fuerint omnino extinctæ, non potest de illis verificari, quod durent; proinde super illas non cadit reualidatio, quæ, vt patet ex verbis prædictæ clausulæ, fertur solùm in indulta illa, quæ durant; & ideo nequeunt quicquam prodesse fidelibus Bullæ præteritæ in ordine ad hunc effectum.

Soluitur ratio opposita.

Supra quæ cadit reualidatio facta à Commissario.

13 Sed dices. In auctoritate, quam Pontifex dat Commissario ad suspendendas indul-

Argumentum contrarium.

indulgentias, facultates, &c. signanter dicitur *(vel alterius similis Cruciatæ.)* igitur cum hæc verba referri nequeant, nisi ad Bullas Cruciatę præteritorum annorum; consequens est, vt dicamus Bullas Cruciatę non omnino extingui elapso anno suæ publicationis; sed solùm suspendi respectu illarum gratiarum, quarum effectus intra annum publicationis nequaquam sortitæ sunt.

14 *Responsio aliquorum.* Respondent *Rodriquez, & Trullench loc. cit.* verba illa referri ad Bullas Cruciatæ ante Pium V. quæ per prorogationem ipsius Cruciatæ non amittebant efficaciam; quia concedebantur non ad vnum annum, sed ad plures; & Bullę post Pium ab alijs Summis Pontificibus conceduntur duraturæ per annum; propterea suspenduntur Bullæ illæ ante Pium, si adhuc durent, & postea reualidantur in ijs, quæ non contrariantur Bullæ, quæ de nouo publicatur. Verum ista expositio horum Auctorum non videtur posse satisfacere; quia tum Bullę ante Pium, tum illæ post Pium conceduntur ad plures annos, licèt debeant singulis quoque annis de nouo publicari; proindè eadem videtur paritas, quantùm adhoc de Bullis ante, & de Bullis post Pium concessis.

15 *Legitima, & mera solutio.* Melius igitur mihi videtur dicendum, per illa verba suspendi omnes alias indulgentias, & facultates similes nostræ Bullæ, quæ indulgentiæ, & facultates interdum concedi solent à Summo Pontifice, imò *Henriquez in summa lib. 7. de Indulg. cap. 31. in Comment. lit. C.* affirmat Episcopos Hispaniæ anno 1571. concessisse ad Regis instantiam Bullas quasdam similes ferè huic Bullæ Cruciatæ circa censuras, & peccata, quæ ipsis Episcopis erant reseruata; suspenduntur igitur à Commissario generali per illa verba omnes similes facultates à quocunque sint concessæ. Confirmari etiam potest verba illa non dirigi ad hanc nostram Bullam Cruciatæ; quia nō diceretur *(aut alterius similis Cruciatæ)* sed potiùs fuisset dicendum *(aut alterius Bullæ huius Cruciatæ,)* nam Bulla ista Cruciatæ vna est quoad speciem, & non multiplex, & nouæ Bullæ non sunt diuersæ in ratione Bullæ Cruciatæ, omnes enim sunt, & dici debent Bulla Cruciatæ; quamuis secundùm temporum diuersitatem habuerint aliquā variationem accidentalem.

(:+:) (:+:)

SECTIO III.

An casus Pontificij cessent esse reseruati, si ignoretur censura illis annexa.

16 Determinatio huius quæsiti magna ex parte depēdet ex decisione illius alterius controuersię, videlicet an ignorantia inuincibilis, qua quis ignorat, aliquod delictum esse ab Ecclesia sub censura prohibitum, excuset patrantem tale delictum à contractione censuræ? V.G. excōmunicationis, quamuis sciat actionem esse prohibitam.

17 *Aliqui sententiā affirmatiuā tenentur.* Prima autem sententia absolutè asserit; à committente tale delictum incurri censuram excommunicationis, & hanc opinionem expresse tuetur *Glos. in cap. A nobis. 1. de sent. exc. ver. (Nonsi) Couar. in cap. Alma mater. p. p. §. 10. n. 11. ver. Hinc denique, Medina in p. 2. quæst. 76. a. 3. concl. 3. post. ver. ignorantia circumstantiæ Corduba in quæstionario lib. 2. quæst. 25. Scotus in 4. distinct. 6. quæst. 8. initio,* & in eadem sententia sunt omnes alij, qui vniuersaliter docent, non esse necessariā cognitionem pœnæ impositæ ad hoc, vt delinquens pœnam illam incurrat, quam controuersiam examinat *Suarez tom. 5. in 3. p. disp. 4. sect. 9. Castropalaus to. 1. operis moralis tract. 2. disp. 1. p. 17. num. 4.*

18 *Fundamentum huius sententiæ.* Fundamentum huius sententiæ est, quia adhoc, vt Reus subdatur pœnæ, quā lex imposuit, non oportet, vt sciat pœnam; cum satis sit habere notitiam de prohibitione per legē facta; aliter si quis committat furtum, aut adulterium, ignorans pœnas, quas ius imposuit prædictis delictis, non posset à Iudice puniri pœnis legalibus; quod tamen est absurdum, & cōtra praxim; imò si quis ignoret pœnas inferni, quāuis moreretur in peccato mortali, non esset puniendus pœnis infernalibus, hoc autem asserere, esset error in fide; & si dicas, aliam esse rationem de cēsuris, & præsertim de excommunicatione, aliam verò de alijs pœnis; id gratis, & absque sufficiēti ratione diceretur, cum eadem in omnibus his pœnis militare videatur paritas. Et confirmari potest ex doctrina *S. Thomæ in 4. dist. 18. quæst. 2. a. 5. quæst. 2.* asserētis malum culpæ, & pœnæ differre in hoc, quod principium illius, nimirum culpæ, necessariò debet esse intra nos, quia culpa oportet, vt sit voluntaria; at principium istius videlicet pœnę, nō oportet esse in nobis, sed potest esse extra nos, & huius rei rationē assignat dicens; quia non est de ratione pœnæ, vt sit voluntaria; imò magis debet voluntati repugnare; si igitur pœna non debet esse voluntaria, sed potest esse omnino

nino ab extrinseco, ad illam incurrẽdam non requiritur, vt Reus illam agnoscat, atq; adeo satis erit, vt delictum, cui pœna est annexa, cõmittatur, ad hoc vt delinquẽs subijciatur pœnæ impositæ; ergo dum quis patrat delictum, cui est annexa excommunicatio, etiam si excommunicationem ignoret, in illam incurret.

19 *Opinio aliorũ distinguit.*

Secũda opinio procedit cum distinctione; & ait, quod quãdo excommunicatio est imposita vi alicuius statuti particularis, tunc eius ignorantia excusat delinquẽtem ab ipsa cẽsura; at quando est imposita vi iuris communis non excusat; ita senserunt nonnulli, quos laudat *Sanchez lib. 9. de matr. disp. 32. nu.* 8. Ducuntur autẽ auctores huius secundæ opinionis ad illam amplectẽdam *ex cap. vt animarum de constit.* vbi Pontifex ad obuiandum periculis animarum decreuit, ignorantes non ligari sententijs prolatis per statuta Ordinariorum: & cum solùm moderationem ponat in statutis Ordinariorum, quæ faciunt ius particulare, & illam non ponat in Decretis editis ab ipsomet Pontifice, quæ faciunt ius commune, proinde rectè est procedendum cum distinctione prædicta de excõmunicatione vi iuris communis, & vt aduertit *Suarez sect. cit. n.* 9. excusatio, quam auctores huius sententiæ admittunt, dum est sermo de excommunicatione prouenìente à iure particulari iuxta doctrinam prædictorum Doctorum, non oritur ex natura rei, sed ex solo iure positiuo expresso *in dicto capite, vt animarum*; nam si præscindamus à dispositione illa Pontificia, eadẽ militat ratio de vtriusque excommunicationis genere; quapropter eodem modo etiam ignorantes excommunicationem positam à iure positiuo deberent in illam incurrere, patrando delictum, cui est excommunicatio imposita.

20 *Sententia, quæ vult ignorantiã solius excommunicationis excusare.*

Tertia sentẽtia absolutè affirmat ignorantiam inuincibilem solius excommunicationis excusare committentem peccatum, ne in excommunicationem annexam incurrat, hanc sententiam defendit, *Suarez sect. cit. num.* 19. *Sanchez disp. cit. nu.* 13. *Castropalaus in opere morali to. 1. tract. 2. disp. 1. p. 17. num. 5. & 6. Martinus Bressertus in tractatu de conscientia lib. 6. cap. 12. num. 146. Granado in p. 2. contrau. 7. de legibus tract. 3. p. 5. dub. 12. num. 7. Bonacina de censuris in communi disp. 1. q. 2. p. 1. num. 17. & apud ipsos quam plures alij ex antiquioribus, & recentioribus.* In hac etiam sentẽtia numerandi sunt, qui vniuersaliter loquentes, inquiunt ignorantiã solius pœnæ impositæ, ab ea excusari: quamuis sentẽtia ista adeo vniuersalis, vt sit vera, indigeat aliqua declaratione, & moderatione; sed quia non pertinet ad nostrum institutum examinare sententiam istam in tota eius vniuersalitate, & in ordine ad omnes pœnas; idcirco illius discussionem iure omittimus, cum satis nobis sit eam amplecti, & tueri in ordine ad excommunicationem, quę est pœna annexa casibus Pontificijs. His omnibus præhabitis.

21 *Admittitur hæc vltima opinio.*

Dicendum est primo, verissimam esse hanc vltimam sententiam, eamque omnino amplectendam: eam autem nequimus fundare in iure aliquo positiuo; quia, vt benè ostendit *Suarez in illa sect. nu.* 14. *& sequentibus*, nullam assignare possumus legem, quæ id expressè statuat; nam lex illa, *vt animarum de constit. in* 6. quamuis dicat, & decernat, non ligari ignorantes sentẽtijs prolatis ab Ordinarijs; nihilominùs cum in ea lege non declaretur, an sermo sit de ignorãtia solius pœnæ; an verò de tota ipsa lege; seu de prohibitione facta per ipsam legem; ideo non possumus firmare nostram conclusionem, & multo minùs in quibusdam alijs iuribus allatis ab auctoribus huius opinionis, quę iura expẽduntur ab ipso *Suarez*. probãda igitur est cõclusio ex eo, quod ad incurrẽdam censuram, requiritur cõtumacia, & præsertim, si erit excõmunicatio, quæ est maxima omnium ecclesiasticarum pœnarum, vt expressè colligitur *ex cap. corripiam. 24. quæst.* 3. proinde, vt contrahatur, requirit summam, & maximam cõtumaciam, qualis est illa, quæ oritur ex inobediẽtia, & cõtemptu ipsius cẽsuræ; at si quis ignorat excommunicationem, nõ est cõtumax in ordine ad ipsam excommunicationem, & per consequens neque habet vltimam, & supremam contumaciam; ideoque congruum est non puniri vltima, & suprema omnium pœna. *Ratio fundamentalis.*

22 *Soluitur ratio pro prima sententia.*

Ad fundamẽtum primæ opinionis respondẽt communiter auctores nostræ sẽtentiæ, principium illud habere locum, si sermo erit de pœna, quæ est debita, & proportionata ipsi delicto; non autem de pœna non debita, & extraordinaria, qualis est excommunicatio.

23 *Solutio ista nõ recipitur à Suarez vniuersaliter intellecta.*

Sed hęc ratio vniuersaliter intellecta, de omni pœna, etiam humano iure imposita, nõ admittitur *à Patre Suarez, sect. illa n.* 22. aitque semper fuisse sibi suspectam; nihilominùs veram, eam existimat, quando ignorantia pœnæ moraliter ita mutat qualitatem delicti, illud minuẽdo, vt pœna cẽseatur excedere modum, & proportionem delicti, & talem iudicat esse censuram, si cõparetur ad delictum patratum cũ inuincibili ignorantia ipsius cẽsuræ; quia negari nõ potest, cęteris paribus, grauiùs delinquere, qui peccat sciẽs

ac-

actionem quamdam esse prohibitam ab Ecclesia sub pœna excommunicationis, quam si peccaret solùm sciens esse prohibitam, ignorādę inuincibiliter censuram; nam ex notitia cēsuræ peccans redditur contumacior. *Verum* sicuti ipsi Suario suspecta semper fuit ratio prędicta, si vniuersaliter sumatur, sic mihi suspecta est, etiam restricta ad pœnam consistentem in cēsura: nam posset quis dicere respectu alicuius delicti valde atrocis contra ius Diuinum, & naturale, pœnam cēsurę habere posse non minorem proportionem, quàm habeat cū delicto, quod procedit posita notitia prohibitionis factę ab Ecclesia sub censura; quia grauitas ista, quę agnoscitur in peccato patrato, ex notitia cēsurę, cū sit finita, potest equari, & excedi à grauitate alterius peccati procedētis ex ignorātiā cēsurę, cum malitia vtriusque peccati sit in eodem ordine, & finita; si igitur quis ita ad discursum Patris Suarez respōderet, nō posset facilè impugnari, sistendo in ratione illa ab ipso Suarez data, etiam cum restrictione, quam ipse ponit; quapropter meliùs, & expeditiùs mihi videtur, solui posse argumentum contrariæ sententiæ, si dicamus censuras, & præsertim excommunicationem, de qua nunc loquimur, esse de illo genere pœnarum, quæ imponuntur non in puram vindictam capiendam ex delicto omnino præterito; sed in medicinā, videlicèt, vt delinquēs exeat à peccato, & resipiscat, vt expresse habetur *cap. cum medicinalis de sententia excommunicationis in 6.* proinde debet ipsa excommunicatio adhoc, vt sit medicina innotescere ipsi delinquenti; aliter non posset mederi, sed esset ad puram vindictam; ex hoc autem principio valdè probabiliter colligimus, intentionem Ecclesiæ, in ferēdis censuris, & prę sertim excommunicatione, quæ est cæteris magis medicinalis, esse, vt transgredientes præceptum ipsius Ecclesiæ, non afficiantur pœna ista, si illam ignorent, cum vt dictum est, imponatur vt medicamentum, & quamuis pauci aliqui auctores velint censuras imponi posse in puram vindictam, & pro peccato omnino preterito, idque conentur ostendere ex varijs iuribus; tamen res non ita se habet, vt ea iura optimè interpretantur *à Suarez disp. 4. sect. 5. à nu. 14. & deinceps,* vel enim iura loquuntur de peccato præterito cū habitudine ad futuram resipiscentiam, aut satisfactionem, seu recompensationem, vel non loquuntur de censuris secundùm totum illarum adęquatum effectum, sed solùm secundùm aliquem effectum punitionis iustę, & proportionatæ vindictę pro delicto præterito. Cęterum quia non pertinet ad meum institutum agere ex professo de hac re, sufficit mihi breuiter eam tetigisse, & satis accomodatam solutionem dedisse ad argumentum contrariæ sententiæ. Iura autem in oppositum allata, & explicata videri possunt apud ipsum Suarez.

Censuræ imponuntur, vt medicina, & nō vt vindicta.

Debet excōmunicatio innotescere delinquenti.

24 Ex his omnis patet inconuenientia illa, quæ ab auctoribus contrarijs, & specialiter à Couar. obijciebantur, minimè sequi ex nostra sententia, nos enim non asserimus vniuersaliter, requiri notitiam pœnæ adhoc, vt delinquens fiat reus pœnæ, sed volumus notitiam requiri, quando pœna est medicinalis, & non in vindictam; quicquid de reliquo sit, an etiam requiratur notitia quando pœna imposita, est valdè extraordinaria; na mde hac nolumus in præsentia disputare; & ideo aio iustè puniri delinquentes à Iudice pœnis legalibus ob furtum, adulteriū &c. vt praxis ostendit, & iustissimè à Deo puniri peccatores pœnis æternis si in illis moriantur; nā pœna ipsa ęterna nō est extraordinaria, neq; excedēs cōdignitatē delicti, & cum sit in puram vindictam, nō oportet, vt peccatores de illa notitiam habeant, adhoc vt talē pœnam cōdignè mereantur; sed satis est, vt agnoscant illud delictum esse contra Deum; atq; adeo patet non esse eamdem rationem de censuris, quæ sunt pœnæ medicinales, saltem de excommunicatione, & alijs pœnis, quę infligūtur in puram vindictā; & ideo non gratis, & absq; sufficienti ratione à nobis id asseritur.

Non sequuntur ex nostra sententia incōuenientia, quæ obijciuntur.

25 Ad confirmationem desumptam ex S. Thoma admittimus doctrinam ibi traditam, videlicèt principium culpæ esse intra nos, principiū verò pœnę esse posse extra nos, & admittimus etiam rationem huius differētię ab eodē S. Doctore assignatam; nempe rationem voluntarij, & inuoluntarij; nam culpa debet esse volūtaria, pœna autem minimè, sed ex hoc nihil contra nos, quia non asserimus pœnam, quę est cēsura, debere esse secūdùm se voluntariam, sed ex eo, quod est medicinalis, & non imponatur in puram vindictam, sed vt homo se corrigat, necessariò debet esse cognita; nam si ignoretur nequit esse medicamentū: medetur enim terrēdo animum: terror autem supponit essentialiter, vt ille, qui timet, causam quę timorem incutit, agnoscat.

Principium culpæ est intra nos, principium verò pœnæ esse potest extra nos.

26 Ad fundamentū secūdę sententię respondeo, quod quamuis ad illum textum *ex capite vt animarum periculis. Syluester ver. ignorantia. n. 16. Alphonsus Curiel in p. 2. q. 76. a. 4. dub. 5. concl. 3. Merolla in Theologia morali tom. 1. disp. 1. cap. 2. num. 46.* di-

Dispositio in cap. animarū militat etiā in pœnis à Pōtifice iniūctis.

dicant nomine Ordinarioru etiam intelligi Summum Pōtificem, qui est primus, & vniuersalis Ordinarius; tamen esto demus, quod Pontifex ibi solùm loquatur de pœnis impositis à Prælatis ipsi Summo Pontifici inferioribus; nihilominùs implicitè hoc idem voluit de pœnis ab ipso iniunctis; cum eadē prorsus militet ratio, nempe periculum animarum, neque refert difficiliùs præsumi ignorantiam in iure communi Pontificio, quàm in iure particulari Episcopali; quia coram Deo posita inuincibili ignorantia, par est ratio in ordine ad hunc effectum, de quo loquimur, sicuti difficiliùs præsumitur ignorantia circa ius naturale, quàm circa ius positiuum; at si re vera aliquis ignoraret inuincibiliter præceptum naturale, eodem modo excusaretur à culpa, sicuti excusatur, cum inuincibiliter ignorat præceptum ex iure positiuo impositum, illud transgrediendo. Sed vt redeamus ad nostra.

27 Dicendum est secundo, si quis inuincibiliter ignoret excommunicationem, aut aliam censuram, quæ est annexa casibus Pontificijs, non solùm excusabitur ab incursu cēsuræ, verùm etiam casus nō erit reseruatus reseruatione illa Pōtificia: atque adeo poterit absolui à quocumque Confessario habente iurisdictionem in peccata mortalia huius Rei, qui in tales casus est lapsus. Hãc opinionem sequitur *Hēriquez in Summa lib. 6. c. 13. n. 2. Sãchez lib. 2. in Decalog. c. 8. n. 5. in fine Conin. de censuris disp. 8. dub. 11. Gaspar Hurtado de pœnis disp. 11. difficultate 9. in fine. Trullēch in Bullam lib. 1. §. 7. c. 2. dub. 1. n. 3. Ludouicus à Cruce in expositione Bullæ disp. 1. cap. 3. dub. 1. num. 5.* dum vult ablata censura, peccatum manere non reseruatum; ita vt quilibet Confessarius approbatus possit ab illo absoluere, licèt *Ioannes Præpositus de censuris quæst. 1. dub. 8. num. 59.* ex parte teneat hanc sententiam, nempè quoad censuras impositas ab Ordinarijs inferioribus, non autem quoad cēsuras latas à Pontifice. colligitur etiam hæc nostra sententia expresſè *ex Suarez in 3. p. tom. 4. disp. 29. sect. 2. num. 11.* dum docet in casibus Pontificijs censuram, & culpam habere connexionem in fieri, & conseruari, seu in duratione; ideoque ablata censura tolli reseruationem culpæ, & eodem modo loquitur *Franciscus Merolla in opere morali tom. 1. disp. 1. cap. 2. num. 643.* Esse autem, modo explicato, connexas censuram, & culpam in reseruatione Pontificia nunc supponimus, vt probatum *in tractatu de casibus reseruatis cap. 7.*

Ignorantia censuræ, quæ est annex casibus Pōtificijs impedit reseruationem.

28 Hæc opinio plausibilis, & grata esse debet omnibus Confessarijs; nam eidem inhærentes, sæpe poterunt homines rudes, qui ignorant censuras illas Pontificias absoluere à delictis, quæ Summus Pontifex sibi reseruat; quia inuincibiliter ignorantes in censuram, illam non incurrunt, & per consequens culpa non erit reseruata.

SECTIO IV.

An etiam naturalis obliuio, seu inuincibilis inaduertentia de censura impediat reseruationem culpæ.

Dicendum est. Non solùm ignorantia inuincibilis excusat ab incursu cēsuræ, & per consequens impedit reseruationem culpæ; verùm etiam naturalis obliuio, seu inconsideratio inuincibilis de ipsa cēsura, similiter facit, vt culpa habēs annexā cēsuram nō sit reseruata. Cōclusio ista, quatenus asserit naturalem obliuionem, & inconsiderationem inuincibilem excusare à censura, expresſè defenditur *à Suarez disp. 4. de censuris sect. 8. nu. 11. ab Aegidio Conin disp. 13. de cens. dub. 11. n. 93. Duardo in Bullam cœnæ lib. 1. par. 1. cap. 2. quæst. 5. n. 15. & in simili à Francisco Merolla in Theolog. morali tom. 1. disp. 1. c. 2. n. 60.* & ratio fundamentalis est, quia naturalis obliuio, seu inconsideratio ignorantiæ æquiparatur, hæc enim duo differunt sicuti habitus, & actus; nam ignorantia quemdam veluti habitum importat, inconsideratio autem, & inaduertentia se habent, vt actus. Rursus ignorantia inuincibilis excusat à censura, vt supra ostendimus, inquantùm tollit voluntarium; ita etiam, quia obliuio, & inconsideratio auferunt ipsum voluntarium, quod requiritur ad incurrendam censuram, excusabunt etiam à censura. Aduertendum tamen est istud volūtarium, quod requirimus ad incurrendam censuram, non esse voluntarium directum; quia cum censura sit pœna, non oportet ad illam incurrendam, vt delinquentes illam velint, imò potiùs est hoc pacto inuolūtaria; sed intelligimus voluntarium quodammodo indirectum, seu in causa, quatenus homo vult actionem illam prohibitam, cui est annexa censura, aduertens talem connexionem, aut illam aduertere debens. Si igitur obliuio, & inconsideratio excusant hominem à censura, necessariò sequitur, culpam, cui est annexa censura, non esse reseruatam, & hoc ipsum debent asserere auctores citati, & ratio est manifesta; quia cum reseruatio culpæ dependeat in fieri, & conseruari à cen-

29 *Obliuio inuincibilis impedit reseruationem.*

censura, idcirco ablata omnino censura, culpa illa non erit reseruata.

30 Dices, si doctrina prædicta esset vera, sequeretur, valdè paucos incidere in censuras Pontificias, & indigere priuilegio Bullæ ad obtinendam absolutionem à criminibus Summo Pontifici reseruatis; quia vel ignorant censuras prædictis criminibus annexas, vel naturali obliuione, & inconsideratione illas non aduertunt. hoc autem asserere videtur nimis durũ: eneruarētur. n. omnes reseruationes Pōtificiæ: & ex eo sequeretur, quod multi ablato timore excōmunicationis, & difficultate ad obtinendam absolutionem, faciliùs inducerentur ad talia peccata patranda.

Instantia.

31 Respondeo, hoc non esse censendum nimis durum; sed potiùs valdè consonũ suaui dispositioni, cum qua pia Mater Ecclesia regit fideles, cum nolit illos, dum non sunt contumaces contra ipsam puniri pœna adeo graui, qualis est censura, & præsertim excommunicatio, quæ est pœna inter spirituales, quæ ab Ecclesia imponūtur, omnium maxima; proinde quando fideles ignorant, vel naturali obliuione, & inaduertentia non apprehendunt censuram, excusandi sunt ab eius incursu. & quia reseruatio culpæ omninò dependet ab ipsa censura; idcirco non debet esse mirum, si respectu eorum, qui inuincibiliter censuram non aduertunt, casus, qui in reseruatione dependent ab ipsa censura, remaneāut non reseruati. Ad hæc addo, non esse adeo paucos eos, qui ignorant censuram esse annexam quibusdam, saltem ex atrocioribus criminibus Pontifici reseruatis: & illi, qui has censuras sciunt, non ita facilè sunt excusandi, dum actu committunt culpas, quibus est coniuncta censura: immo puto rarò contingere, vt scientes censuram, dum peccant tali genere culpæ, laborare inuincibili inaduertentia.

Solutio.

SECTIO V.

An metus, quo quis operatur, tollat reseruationem à casibus Pontificijs.

32 SVpponimus, sermonem non esse de illo metu, qui excusat hominem operantem ab omni culpa, tunc enim deficiente peccato, deficit omnino fundamentum reseruationis, & per consequēs locum non habet præsens controuersia; sed sermonem esse de metu, qui non excusat à culpa, quæ est contra ius naturale, aut contra ius Diuinum positiuum. Hoc posito decisio huius quæsiti totalis

Sermo non est de metu, qui omnino excusat à peccato.

Franc. Bardi. in Bull. Cruc.

depēdet ab ea quęstione; nēpe an metus cadens in virum constantem liberet hominem operantem contra id, quod Ecclesia pręcepit sub pœna censuræ ab eius incursu; si enim per metum non liberabitur, rectè, & certò inferretur, peccatũ, cui est imposita censura reseruata, esse etiam reseruatum ratione ipsius cēsuræ; si verò excusabitur à tali incursu, etiam si homo peccet, peccatū nō manebit reseruatum iuxta principia posita superiº sect. tertia.

Prima autem opinio est eorum; qui dicunt, quod quando censura est imposita alicui actioni, quę præscindendo à cēsura est intrinsecè mala, tunc homo excusatur à culpa, ita neq; à censura; & ita docēt *Alterius tom. 2. de cēs. disp. 10. de suspen. c. 6. v. pro solutione, Sanchez lib. 9. de matrimonio disp. 31. nu. 4. Duardus in Bullam cœnæ lib. 1. ca. 2. n. 7. & lib. 2. can 3 quæst. 13. eōcl. 3. Rodriquez in addit. ad Bullam Cruciatæ §. 9. n. 95.* 33

Metum non excusare ab incursione censuræ, quādo actio est intrinsecè mala, putarunt aliqui.

Fundamentum præcipuum huius sētentiæ desumitur *ex Cap. Sacris, de his quæ vi, metusue causa fiunt*, vbi statuitur cōmunicationem cum excommunicato, si fiat per vim, excusari à peccato; non autem si fiat per metum; & ratio disparitatis est, quia ea, quæ fiunt per vim, sũt omnino inuoluntaria: at quæ fiunt per metum, simpliciter sunt voluntaria. 34

Secundo auctores huius sētētiæ probant illam hac ratione; nam si metus non excusat hominem à culpa, multò minùs excusabit illum à pœna. 35

Secunda opinio est cōtraria præcedēti, & ait: si quis committat peccatū, quod est Iuri Diuino, & naturali repugnās, hoc nō obstāte, si metu cadēte in virū cōstantē id cōmittat, non incurrit censuram. Ita *Nauarrus in summa cap. 27. nu. 63. Suarez disp. 4. de cens. sect. 3. n. 14. Auila de cens. par. 2. cap. 6. disp. 8. dub. 5. ver. tertio sequitur, Vgolinus de casibus Pōtifici reseruatis par. 2. cap. 1. Merolla in opere morali to. 1. disp. 1. cap. 3. num. 122. Sanchez sibi contrarius in Summa lib. 2. cap. 10. num. 49.* vbi tacitè retractat quod docuerat *lib. 9. de matrimonio. disp. cit.* vbi exemplificans in lectione librorum prohibitorum, qui ab Hæreticis editi sunt, ait *(Immo, & si peccaret mortaliter legendo, quando in fidei contemptum metu graui compelleretur, non incurreret hanc excommunicationem; quia hic non delinquit in præceptum Ecclesiæ hanc lectionem interdicentis, cuius transgressionis statuta est hæc pœna, sed in præceptum Diuinum tuendæ fidei, & religionis) hæc Sanchez*, qui etiā se remittit ad eamdē doctrinam traditā *lib. 1. cap. 18. n. 4.* attamen nōnulli ex fautoribus huius secundæ sen- 36

Alij censent excusari operantem per metum à censura, etiam si actio sit iure Diuino, & naturali prohibita.

Sanchez in hac opinione est sibi contrarius.

tentiæ non admittunt hanc opinionem, quando in contemptum fidei inducitur metus.

37 *Opinio Authoris.* Dicendum est eum hac secunda sententia, quam probabiliorem existimo, & ducor ad illam amplectendam; quia præcepta Ecclesiæ non obligant cum tanto rigore; & ideo cum est rationabilis timor mortis, vel alterius notabilis nocumenti, cessat eorum obligatio; neq; refert, præceptum ipsius Ecclesiæ respicere eamdem materiam, quam respicit Ius Diuinum, & naturale; nam talis coniunctio per accidens se habet ad præceptum ecclesiasticum, neque facit, vt idem met præceptum formaliter, vt ecclesiasticum ascendat quodam modo ad altiorem ordinem, habeatque maiorem vim, quam haberet, si esset solùm præceptum ecclesiasticum; licèt enim homo magis obligetur, quando concurrunt, & præceptum Ecclesiæ, & præceptum naturale circa eamdem materiam; tamen ista maior obligatio est extensiua, & non est obligatio veluti intensiua proueniens ex ipso præcepto Ecclesiæ; cessante igitur obligatione ecclesiastica, locum non habebit ipsa censura.

38 *Si quis excusatur à censura, non erit casus Papalis pro illa reseruatus.* Dicendum est secundò. Quoties aliquis metu graui committit aliquod peccatum, & excusatur à censura, tunc peccatū illud etiā si fuerit ex reseruatis Summo Pontifici, nihilominùs respectu ita operantis non erit reseruatum, non obstante quod operans grauiter peccet cōtra Ius Diuinum, & etiam naturale. conclusio ista defendere tenentur omnes auctores, qui dicunt reseruationem, quam habent culpæ Pontifici reseruatæ, prouenire ratione censuræ, & ablata censura tolli ab eisdem culpis reseruationem, quos auctores laudauimus supra *sect.* 3. & manifestè sequitur ex principijs positis.

39 *Explicatur caput ex Sacris.* Ad fundamentum autem primæ opinionis desumptum *ex cap. Sacris*, varias interpretationes dari consueuerunt auctores, & illud caput examinat *Suarez sect. 1. cit. num. 10. & seq.* breuiter autem mihi videtur dicendum, Pontificē in eo textu non statuere, metum nunquam excusare, sed solùm loqui de metu, qui non est sufficiens ad excusandum hominem à culpa contra præceptum Ecclesiæ; proinde non debet esse mirum, non excusari à censura imposita eidē culpæ; non autem ibi voluit determinare Pontifex quis nam sit metus excusans, sed hoc reliquit dispositioni iuris communis. Alias expositiones vide apud Suarez, & cæteros Doctores, qui nobiscum sentiunt.

Secundum argumentum fallaciter procedit; & ideo distinctione est opus; nam actio illa, quæ prohibetur bifariam considerari potest. Vel quatenùs habet malitiam independenter à prohibitione Ecclesiæ, vt sunt peccata contra Ius Diuinum, & naturale; vel secundùm malitiam, quæ additur, vel augetur stante Ecclesiæ prohibitione: si autem sermo sit de culpa quatenùs est contra Ius Diuinum, & naturale, præscindendo à prohibitione Ecclesiæ, dico quod metus, licèt non excuset à culpa ratione primæ malitiæ, excusabit tamen à pœna; quia pœna non est per se immediatè coniuncta cum ipso peccato vt habente malitiam cōtra Ius Diuinum, sed vt habente malitiam contra ius ecclesiasticum; idcirco si homo per metum excusabitur à culpa, inquantum est contra prohibitionem Ecclesiæ, excusandus etiam erit à pœna cōsequente culpam, quatenùs habet malitiam contra Ius Ecclesiæ: si verò sermo sit de culpa vt habente vtramque malitiam, seu vt est contra Ius Diuinum, & Ius ecclesiasticum, dico hominem peccantem non excusari à pœna. 40 *Secundum argumentum fallax dicitur.*

SECTIO VI.

An ignorata reseruatione, peccatum maneat non reseruatum.

POsset aliquis asserere, quod si quis labatur in peccatum Summo Pontifici reseruatum, & inuincibiliter ignoret reseruationem, peccatum illud non manere reseruatum; atque adeo posse absolui à quocunque Confessario habente iurisdictionem circa mortalia. Et hanc sententiam *Merolla in sua morali Theologia tom. 1. disp. 1. cap. 2. n. 82.* tribuit Duardo tamquā quid cōsequens doctrinā, quā *ipse Duard⁹ tradit in expositione Bul. cœnæ lib. 1. cap 2. q. 5. num. 20.* vult enim Duardus, quod si quis sciat, esse annexam excommunicationem Pōtificiam existentem in corpore iuris canonici cōtra patrantes aliquod crimen. V. G. contra suscipientes bona naufragorum, contra quos est lata excommunicatio *in cap. excommunicationi de Raptor.* quæ non est reseruata; at inuincibiliter ignoret excōmunicationem latam *in Bulla cœnæ* reseruatam Pontifici, hunc surripientem bona naufragorum cum ignorantia huius excommunicationis, ait Duardus, excusari ab excommunicatione *Bullæ*, & solùm ligari excommunicatione illa *in Rubrica de Rapt.* quia solùm fuit contumax Summo Pontifici vt ferenti hāc, & non illam excommunicationem. Ex 41 *Non manere reseruati secundum Merollā tribuitur Duardo.*

hac

hac autem sententia infert Merolla iuxta sententiam Duardi sequi, hunc furem absolui posse à proprio Sacerdote; quia cum non inciderit in excommunicationem reseruatam, sed in non reseruatam, culpa non erit reseruata.

42 *Ignorantia solius reseruationis nō excusat ab ipsa restrictione.*

Cæterum, quicquid sit de mente huius auctoris, omnino est dicendum, ignorantiā solius reseruationis non sufficere ad impediendum, quin in censura, aut peccato resultet reseruatio. Ita *Merolla loco citato. Card. de Lugo de Sacramento pœnitentiæ disp.27. sect.1. num.9.* & ratio est manifesta; quia reseruatio, cū sit ablatio iurisdictionis in Confessario, non potest ignorantia alterius conferre iurisdictionem ablatam:

43 *Secùs si reseruatio sit per modum pœnæ.*

Poterit tamen talis ignorantia sufficere ad impediendam reseruationem, quando reseruatio absolutionis ab aliquo peccato est in odium eiusdem peccati, quod reseruatur, non autem quando est ad bonum regimen Ecclesiæ, sicuti fuit reseruatio peccati, quod committitur ab ijs, qui malè promouentur ad ordines, cuius peccati absolutionem reseruauit sibi *Sixtus V. in quadam constitutione*, & sicuti etiam fuit reseruatio facta *à Gregorio XIII. in alia constitutione de datis, & promissis pro gratia, vel iustitia obtinēda apud Sedem Apostolicam*, quam constitutionem de verbo ad verbum refert *Molina tom.1. de iust. disp. 92.* per hanc constitutionem Pontifex in odium illius delicti decreuit, vt nemo absolui possit, qui tale delictum patrauerit; nisi priùs restituat acceptum pro illa gratia, aut iustitia: si autem quis inuincibiliter ignoret has constitutiones, & pœnas impositas, poterit absolui ante restitutionem. Ita *Sanchez lib. 9. de matrim. disp.32. num. 18.* vbi ex presse id docet de constitutione illa Sixti, idemq; videtur asserere de cōstitutione Gregorij: & hac occasione rectè distinguit duplicem reseruationē; nā alia est ad bonum Ecclesiæ regimen, vt peccata grauiora Superioribus reseruentur; & ignorantia huius reseruationis illam non tollit. Datur alia reseruatio, quæ est pœna alicuius delicti, & accessoria, & ignorātia huius reseruationem aufert.

SECTIO VII.

Vtrum facultas absoluendi à reseruatis sit intelligenda de peccatis solùm commissis ante Bullæ susceptionem; an etiam de futuris?

Hanc quæstionem perpendimus *in tractatu de casibus reseruatis*, sed in ordine ad potestatē illā; quam recipit Cōfessari⁹ à Superiore, qui absolutionē quorūdā peccatorū sibi reseruauit; & respōdentes ad quæsitum post relatas contrarias opiniones, diximus, vtramque opinionem esse probabilem; videlicèt affirmatiuam, & negatiuam; sed magis determinatè loquentes in ordine ad praxim asseruimus, decisionem ex vsu, & consuetudine esse desumendā; nā cōsuetudo, & præsertim in religionibus, poterit esse diuersa, proinde ipsi cōsuetudini est standū. 44

At in præsentia spectamus eamdem quæstionē in ordine ad potestatē, quā Sūmus Pontifex concedit Confessarijs ad absoluendum vi Cruciatæ à casibus, & cēsuris sibi reseruatis, & ideo quærimus, an facultas ista restringatur solùm ad reseruata præterita commissa ante susceptionem huius Bullæ, siue talis restrictio habeatur, aut colligatur ex verbis ipsi⁹ Bullæ, siue ex consuetudine, & praxi ita explicante priuilegium in Bulla contentum. 45

Dicēdum est. Virtute huius Bullæ potest quis absolui non solùm à peccatis ante sumptionem Bullæ, verum etiam ab alijs post sumptionē patratis, nisi fuerit hoc priuilegio vsus in ordine ad casus Papales; vt enim supra vidimus, virtute præsentis Bullæ nequit dari absolutio à casibus Pontificijs, nisi semel in vita. Cōclusio principalis hoc pacto declarata, communiter ab omnibus, vt certa defenditur, & de ea expresè loquitur *Corduba de indulgen. quæst. 34. Angles in summa quæst. de confess.a.5. difficul. 3. Rodriquez in Bul.§.9.num.95. Villalob: par. 1. tract.27. claus. 9.§.2.num.6. Gomez in explicat. Bul. ad vndecimam claus. num. 6. Castropalaus to.1. tract. 3. disp.4. puncto 11. num. 8. Aegidius Trullench in Bullam lib. 1. §.7. cap.2. dub. 3. num.1. & alij.* ex quibus licèt aliqui id negent, loquēdo de licētia particulari, quæ dari solet à Prelatis Regularibus respectu suorū subditorū, vt vidimus *in tractatu illo de casibus reseruatis*; nihilominùs loquentes de facultate ista generali, quam Bulla omnibus ipsam sumentibus concedit, partem affirmatiuam tuentur, & neminem videre potui, qui oppositum defendat.

46 *Facultas Bullæ extenditur ad reseruata commissa, & ante, & post sumptionem Bullæ.*

Probatur autem cōclusio ex eo, quod 47

Ratio pro conclusione. Bulla, concedens hoc priuilegium; non solùm illud non restringit ad casus præteritos ante sumptionē, sed etiā expresſè videtur illud extendere, & ampliare, dum declarat, Bullæ priuilegia retinere suū vigorē durāte anno publicationis ipsius Bullæ: quapropter in qualibet eiusdē anni parte si quis Bullā sumat, poterit eius priuilegijs frui, nisi limitatio in eadē Bulla habeatur: ergo poteſt quilibet virtute huius Bullæ abſolui ſemel ab omnibus peccatis, & cenſuris Papæ reſeruatis, siuè commiſſis ante, siuè poſt Bullæ sumptionem.

48 *Instantia.* Dices, eadem videtur eſſe ratio, quantùm adhoc de licentia particulari, quæ dari ſolet à Prælatis Confeſſario, ad abſoluendos ſuos ſubditos à reſeruatis, & de licentia, ſeu facultate generali, quæ conceditur à Summo Pontifice per Bullam Cruciatæ ad abſoluendos fideles à reſeruatis ipsi Summo Pontifici; ergo ſicuti iuxta multorum ſententiam, vt diximus *in tractatu illo*, eſt probabiliùs, licentiam illam particularem non ſe extendere ad peccata futura cōmittēda ante abſolutionē, ſed ſolùm ad præterita; ita probabilius eſt dicendū de facultate iſta generali cōceſſa per Bullam, nempè non ſe extendere ad peccata commiſſa poſt ſumptionem ipſius Bullæ.

49 *Responsio.* Reſpondeo negando paritatem, quicquid ſit de illa opinione circa licentias particulares; & ratio diſparitatis eſt in promptu: nam licentiæ illæ particulares non dantur immediatè ad certum tempus, ſed ad peccata ipſa determinata, videlicèt ad præterita: at priuilegium hoc per Bullam immediatiùs fertur in certum tempus, nimirum in annum illum, quo durat publicatio; proindè abſtrahit à peccatis præteritis, & futuris committendis pro illo anno; & idem eſſet dicendum, ſi licentiæ particulares conceſſæ à Prælatis inferioribus eſſent ad certum tempus. V. G. ſi Prælatus concederet alicui Confeſſario facultatem abſoluendi aliquem à reſeruatis, & vellet hanc facultatem duraturam per menſem; tunc durante menſe, poſſet pœnitens, in cuius gratiam conceſſa fuit illa facultas, abſolui vi illius, etiam à peccatis commiſſis poſt licentiam datam, quamuis licentia eſſet exercenda pro vnica tantùm vice.

SECTIO VIII.

An peccans in confidentiam Bullæ, poſſit vi ipſius Bullæ abſolui.

Duplici modo, vt nonnulli recentiores notant, poterit aliquis peccare in ſpem, ſeu in confidentiam Bullæ. Primo, vt confidentia ſe habeat antecedenter ad peccatum, non ratione ſolius durationis, ſed ratione influxus; quatenùs eſt cauſa vera, cur fiat tale peccatum; ita vt ſi ipſa non eſſet, peccatum nō committeretur; vt ſi quis V. G. nunc eliciat voluntatem furandi bona naufragātium, ductus ex facultate, quæ habetur in Bulla, per quam poterit abſolui à tali delicto. Secundo poteſt confidentia merè concomitanter ſe habere ad peccatum, inquantùm ipſa non influit in ſubſtantiam ipſius peccati; ſed ſolùm facilitat. v. g. quatenùs latrones prōptiores redduntur ad peccandum ſub ſpe obtinendæ abſolutionis; peccatum verò quoad ſubſtātiam oriatur ex paſſione, vel ex alia cauſa: vtrumq; autē modum explicant alij per hos terminos, nempe peccare ex confidentia, & cum confidentia; primo modo intelligūt illud ipſū; quod influere, & eſſe cauſam; ſecūdo autem ſumunt pro illa confidentia, quę nō influit, ſed cōcomitāter ſe habet ad peccatum. Quæſitum autem nō procedit de cōfidētia hoc ſecūdo modo; nam omnes Doctores conueniunt in hoc, quod peccans cum tali confidentia poſſit abſolui virtute Bullę; ſed controuerſia eſt de confidentia iuxta pri mum modum. Hoc poſito. Partem negatiuā, ſcilicèt ita peccantē nō poſſe frui Bulla, quoad hoc priuilegiū obtinēdi vi illius beneficiū abſolutionis, ſuſtinēt S. *Antoninus par. 1, tit. 10. c. 3. §. 4. Corduba de Caſibus conſc: q. 22. Felinus. to. 3. in ſermone de indul. n. 3. circa finē. Lopez in instruct. de Bulla c. 8. Gomez ad vndecimā clauſ. in explicat. Bul. n. 5. & alij.* 50 *Duplex pec. in confidentiam ponitur.*

Partem autem affirmatiuam tuentur communiter Doctores, videlicèt, quęcūq; ſit cōfidētia Bullę, ex qua aliquis ducitur ad peccādum, poſſe, hoc nō obſtante, frui Bulla in ordine ad obtinēdam abſolutionem. Ita *Sylueſter ver. indulg. q. 10. dicto. 5. Nauar. de iubil. notab. 35. n. 6. Suarez to. 2. de relig. lib. 6. c. 13. n. 6. Sanchez in ſumma lib. 4. c. 54. n. 18. Rodriquez in expoſit. Bullæ* §. 9. *nu.* 99. *Acoſta in Bulla q. 43. Trullench in Bullam lib. 1. §. 1. dub. 9. n. 5. Ludouicus à Cruce in Bul. diſp. 1. cap. 1. dub. 5.* & idem docent in ſimili de iubil. *Emanuel sà in aphoris. ver. indulgentia circa finem, Filliucius to. 1. tract. 8. cap. 10. num. 262. & alij;* cum quibus eſt omnino ſentiendum, & 51 *Recipitur ſecunda opinio.*

hęc

hęc sententia varijs rationibus suaderi solet.

52 *Ratio fundamentalis pro conclusione.* Et primò, quia dum in priuilegio talis non habetur restrictio, non debemus priuilegium cum limitatione non necessaria interpretari, & præsertim quia si talem restrictionem voluisset Superior cōcedens priuilegium, eam apposuisset; sicuti de facto, quia Pontifex noluit concedere priuilegium compositionis faciēdæ pro debitis incertis, quando quis ex confidentia Bullæ bona aliena furatur; idcirco illud expressit, vt patet ex tenore Bullæ compositionis, & nos suo loco dicemus; sed cum in hoc priuilegio circa facultatem absoluendi à reseruatis, Pontifex hāc restrictionem minimè apposuerit, & exceptio, vt habetur in iure, firmet regulam in oppositum, asserendum est hoc priuilegium esse liberum à tali limitatione; atque adeo vnusquisque, quamuis ex confidentia positiua Bullæ inducatur ad peccandum, poterit vi Bullæ absolutionem habere.

53 *Confirmatio.* Poterit etiam hæc opinio confirmari paritate; nam si aliquis Regularis peccat ex confidentia priuilegiorum, vel ex cōfidentia potestatis, quam habet suus Superior ad absoluendum, & confidat ex experientia, quod facilè Superior sit concessurus licentiam alteri Confessario ad absoluendum; poterit, inquam, ex tali fiducia peccans, & incidens in casus suo Superiori reseruatos, absolui, habita facultate à Superiore, non obstante illa confidentia; ergo idem affirmandum erit de eo, qui ex fiducia Bullæ inducitur ad peccandum, vt vi illius postea absoluatur, non enim videtur sufficienter assignari disparitas.

54 *Impugnatur instantia contraria.* Neque valet si dicas ad fugiendā vim argumenti, eamdem in vtroque casu esse paritatem; quia nequit absolui peccans ex fiducia obtinendi licentiam à suo Prælato, vt ab alio Confessario electo absoluatur; talis enim responsio est omnino, tamquam apertè falsa abijcienda; sequeretur enim ex illa, aliquem à nemine absolui posse, si ex fiducia obtinendæ absolutionis peccaret; imò neque ex vi Sacramenti pœnitentiæ posset habere remissionem, si ex fiducia ipsius Sacramenti, seu ex facilitate recipiendi illud, ductus fuisset ad peccandum; quod tamen asserere esset error.

55 Sed dices pro opposita sententia. Si quis spe, & fiducia immunitatis propè Ecclesiam delinqueret, & delicto patrato, ad Ecclesiam confugiat; iste talis non gauderet immunitate; ergo neque gauderet beneficio huius priuilegij, si ex eius fiducia induceretur ad peccandum.

Respondeo, in rebus positiuis, quæ dependent à voluntate hominum legem imponentium, non potest argumentari à pari; quia potuit legislator ex sua libertate imponere aliquam pœnā alicui delicto, & non alteri delicto simili; imò interdum maiori; & ideo licèt admittamus, quod peccans ex fiducia immunitatis propè Ecclesiam, non gaudeat immunitate; tamen hoc non est inferendum in casu nostro; quia illud potuit excipi à legislatore, hoc autem potuit non excipi; quemadmodum habemus in hac Bulla exceptum casum, quando quis ex fiducia gaudendi compositione furatur, vt supra diximus, & tamen non rectè inferretur paritas ex vno casu excepto ad alium, de quo non apparet exceptio. 56 *Non valet paritas ex fiducia immunitatis deducta.*

Rursus addo falsum esse, non gaudere immunitate Ecclesiæ, si quis ob eius fiduciam propè Ecclesiam delinquat; nam post Bullam Gregorij casus iste non est exceptus.

Solent etiam afferri quædam iura veluti probantia contrarium nostrę sententiæ in fauorem aduersariorum, vt ex *cap. quando. de consecr. dist. 4. & ex cap. illud. de Cleric. excom. minist.* & demum *ex cap. Nulli. de sent. excom.* In his autem locis statuitur, quod delinquens sub spe, & fiducia veniæ, veniam non meretur, & priuilegium cessat. 57 *Delinquens ex fiducia immunitatis gaudet immunitate.*

Respondeo *textus citatos* nihil aduersarijs fauere, nam *in cap. illo de Consecr.* solùm habetur, quod si quis differat baptismum vsque ad extremum vitæ, vt liberiùs peccet, & sub spe obtinendi postea veniam, per illius receptionem fortasse veniā non acquiret; hic autem defectus nō consequendi remissionem delictorū, non prouenit ex eo, quod Sacramentum baptismi ex se non sit efficax ad quæcunque crimina emundanda, sed est ex defectu ipsius hominis, qui sua culpa non disponitur sufficienter ad expiationem peccatorum, ita Deo permittente in pœnam delicti. 58 *Responsio ad Iura, quæ in contrarium adducuntur.*

In secundo autē loco *in c. illud. de Cler. exco.* nihil aliud dicitur nisi, quod qui sub spe veniæ cōmisit delictum, grauiùs peccauit. Demum in tertio loco *in cap. Nulli,* solùm habemus, neminem posse intuitu alicuius priuilegij se tueri, communicando cum excommunicatis vitandis. Ex his igitur omnibus clarè patet, textus allatos non fauere aduersarijs in aliquo, cū nihil dicant pertinens ad hanc cōtrouersiam, quod probet eorum sententiam. 59

Dices secundò. In ipsamet Bulla expressè declarari eum, qui illam suscipit, & eius fiducia negligens erit ad confessionē statuto tempore faciendam, in articulo mor- 60 *Obiectio ex ipsa Bulla.*

mortis, indulgentiam plenariam peccatorum non lucraturum: ergo à pari, si quis non solùm negligens fuerit ad peccata reseruata vitanda, imò malitiosè illa patrauerit sub spe absolutionis obtinendæ virtute huius Bullæ, non gaudebit priuilegio in ipsa Bulla expresso circa absolutionem à reseruatis; videtur enim non solùm eadem, sed etiam maior ratio, de absolutione, quàm sit de indulgentia.

62 *Textus citatus ex Bulla fauet Authori.* Respondeo negando consequentiam, vt enim bene aduertit *Ludouicus à Cruce loco citato num.* 12. potiùs hoc argumentum fauet nostræ opinioni; quia exceptio firmat regulam in contrarium; & ideo cum Bulla excipiat solùm illum casum circa indulgentiam consequendam in articulo mortis, & non excipiat alios casus circa absolutionem à culpis; signum est in eo solo casu nocere fiduciam illam prauam, & non in alijs casibus non exceptis in ordine ad vsum horum priuilegiorum.

SECTIO IX.

An virtute Bullæ posset quis absolui validè, & licitè à censuris reseruatis extra Confessionem.

63 QVamuis quæsitum procedat de omni censura excommunicationis, idē de reliquis censuris intelligendū est; dixi in titulo virtute Bullæ; nā si sermo erit de absolutione dāda vigore iurisdictionis aliundè habitæ, non agemus de illa ex professo; quia hoc pertinet ad tractatum de censuris; nihilominùs in præsentia supponimus vnum, quod spectabit ad nos, videlicèt, ab eo, qui ordinariam habet potestatem, dari posse absolutionē ab excommunicatione extra cōfessionem, vt ex communi sententia notat *Suarez tom. 5. de cens. d. 7. sect. 5. num.* 36. & ratio est; quia absolutio à censuris non habet connexionem aliquam cum absolutione à peccatis; ideo qui censurā imposuit, vel eius Superior, vel successor in officio poterit eā tollere, & idem est asserendum de Delegato, nisi eius potestas limitetur, vt aduertit ipse *Suarez loco citato*; proindè difficultas solùm restringitur ad facultatem concessam in Bulla, aut simili priuilegio: quapropter poterit quæsitum exagitari, tum in ordine ad Bullas ante *Gregorium XIII.* in quibus, dum concedebatur facultas absoluendi à censuris, erant verba ista *(vt auditis eorum confessionibus possint &c.)* tum etiam in ordine ad Bullas concessas post Gregoriū; præterea examinabimus punctum illud, an validè, & an licitè absolutio ista dari possit extra confessionem.

64 *Aliqui negatiuam parte sustinent.* Est prima sententia multorum, qui partem negatiuam tuentur, & dicunt neque validè id fieri posse. *ita Emanuel in Bullam §. 9. num. 14. Couar. in cap. Alma Mater. p. 1. §. 11. num. 16. Nauar. in summa cap. 26. n. 31. Vasquez tract. de excom. dub. 20. num. 9. Suarez de cens. disp. cit. sect. 5. num. 38. Acosta in Bullam disp. 50. in fine, Fillucius tom. 1. tract. 11. num. 29. & alij.* fundamenta huius opinionis infra examinabimus.

65 *Alij vero affirmant.* Secunda autem sententia est affirmatiua, eamque defendunt *Sanchez lib. 8. de matrimonio disp. 34. num. 30. Ludouicus à Cruce disp. 1. cap. 4. dub. 5. nu. 3. Trullench lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 13. Lezana tom. 3. quæst. 9. reg. verb. Bulla. num. 28. Suarez tom. 4. de relig. lib. 9. cap. 2. num. 27.* & eam, vt probabilem, & tutam in praxi sequitur *Conin. disp. 14. de Excom. dub. 16. num. 253. concl. 1. & alij apud ipsos.*

66 *Refertur media sententia.* Cæterum possumus referre mediā sententiam, quæ asserit, quod sistendo in Bullis ante Gregorium, in quibus erant verba illa, *Auditis eorum confessionibus &c* absolutionem hanc dari non posse extra confessionem; at considerando Bullas post Gregorium, in quibus non sunt talia verba, affirmat dari posse independenter à confessione Sacramentali: & sic docet *Rodriquez in add. ad §. 9. nu.* 47.

67 *Spectatis Bullis huius temporis absolutio à censuris dari potest extra confessionem.* Dicendum est primo. Si spectemus Bullas præsentes absque dubio poterit vi illarum dari absolutio ab excommunicatione reseruata extra confessionem; & hoc, quia ex vna parte nulla est connexio inter vtramque absolutionem; ex alia vero parte, in his Bullis non ponitur talis limitatio, vt melius infra confirmabimus soluendo argumenta opposita.

68 *Et validè & licitè id fit.* Dicendum est secundo. Non solùm validè, verùm etiam licitè id fieri posse: nulla enim se offert ratio cur absolutio sic collata reddetur illicita.

69 *Spectando Bullas ante Gregorium erit etiã pars affirmãs probabilis.* Dicendum est tertio Si spectemus Bullas ante Gregorium, res non est ita facilis; quia pro parte negatiua videntur esse verba illa. *Auditis eorum confessionibus* tamen valdè probabile est, non obstante prædicta clausula, posse virtute Bullæ absolutionem à censuris conferri extra Sacramentum, vt volunt auctores secundæ sententiæ; & ratio est, quia cum absolutio à censuris non habeat connexionem cū absolutione à culpis, non videtur asserendum, quod facultas concessa per Bullam circa absolutionem censurarum sit à Pontifice restricta ad cōfessionem Sacramentalem; verba autem illa nempe *(Auditis eorum confessionibus &c.)* sunt referenda

renda ad absolutionem peccatorum nō quomodocumque; quia manifestum erat, à Confessario non esse absoluendum pœnitentem, nisi post peccatorum confessionem; proinde non erat de hoc admonendus Confessarius, vt benè adnotauit *Ludouicus à Cruce dub. cit. num.* 6. at ex hoc non rectè est inferendum verba illa esse referenda ad absolutionem censurarum, quæ secundùm se non petit cōfessionem peccatorum, sed esse referēda ad salutarem, & sacramentalem pœnitentiam iniungēdam post enarrationem peccatorum, iuxta qualitatem earundem culparum; non esse autem referenda ad absolutionem censurarum rectè probat *Sanchez loco citato*, loquens de dispensationibus, quæ committuntur per litteras expeditas in Pœnitentiaria: hic eamdem doctrinam applicat nostræ materiæ, & *disp.16.eiusdem libri. num.* 11. sermonem habens de votorum commutatione per priuilegia Religiosorum, & per Bullam: neque dicas, quod clausula, quæ ponitur in vna parte dispositionis, siue sit initio, siue in medio, siue in fine, intelligi referri ad omnia, quæ in eadem clausula continentur, iuxta illud quod dicitur *cap. secūdo requiris: de appellat*: nā hoc verificabitur, quando omnium contentorum eadem est ratio, vt rectè animaduertit *Menochius de præsumpt. lib.* 4. *præsumpt.* 581. *nu.* 2. *Sanchez loco citato. Trullench dub. cit. num.*7. at non est eadem, sed longè diuersa ratio de vtraque absolutione; nam absolutio à peccatis requirit Sacramentum, non autem absolutio à censuris.

69 *Instantia.* Sed dices, *Pius Quintus in iubileo*, quod concessit *Anno Domini* 1568. declarauit omnia illa indulta; quemadmodum similia, aut dissimilia in futurum concedenda, esse pro foro conscientiæ, & pœnitentiali; forum autem pœnitentiale est in Sacramento pœnitentiæ; ergo facultas ista, de qua est sermo nequit exerceri nisi in confessione.

70 *Solvitur.* Respondeo, quod quamuis multi, & nouissimè *Lezana in summa quæst. regul. tom.3 verb. absol. num.* 6. forum pœnitentiæ pro eodem sumant, ac forum Sacramenti pœnitentiæ: alij vero confundant forum pœnitentiæ cum foro conscientię, absque vlla distinctione; attamē nō rectè, quia forum pœnitentiale, seu pœnitentiæ aliquid addit, quatenùs forum conscientiæ diuersas sortitur denominationes secundùm diuersitatem actionis, quæ in ipso exercetur; & ideo forum conscientiæ latiùs patet, quàm forum pœnitentiæ; quia illud non supponit necessariò culpam; multa enim conceduntur pro foro tantùm conscientiæ, absque suppositione culpæ, & inflictione pœnæ: forum igitur pœnitentiæ supponit culpam, & inuoluit punitionem; idcirco actio aliqua cum fit in foro conscientiæ, & per eam imponitur aliqua pœnitentia, tunc forum conscientiæ appellatur forum pœnitentiæ, seu pœnitentiale, quæ quidem pœnitentia interdum est solemnis iuxta modum præscriptum à Sacris Canonibus *cap. Nobis.2. de sent. excommunicationis*: interdum vero pœnitentia imponitur secretò, & tunc etiam dicitur absolutio fieri in foro pœnitentiæ. His positis respondeo, quod Pontifex in illo iubileo declarauit indulta illa, & alia similia, vel dissimilia in futurum non suffragari nisi in foro conscientiæ, & pœnitentiæ, quando iniungenda est pœna, non autem in foro contentioso; sed non sumit forum pœnitentiale pro foro Sacramenti pœnitentiæ; quia pœnitentia ecclesiastica non restringitur ad pœnitentiam Sacramentalem, cum possit esse, & Sacramentalis, & non Sacramentalis; vt rectè *Suarez*, explicat ponderans rem hanc *lib.* 8. *de legib cap.6.num.*14. Voluit igitur Pontifex ibi excludere forum contentiosum, & restringere indulta illa intra limites fori conscientiæ, & pœnitentialis, siue Sacramentalis, siue non Sacramentalis, quamuis pœnitentialis.

Forum pœnitentiale, & forum conscientiæ distinguuntur.

Dices secundo. Si absolutio ab excommunicatione vi Bullæ Cruciatæ fieri poterit extra Sacramentum pœnitentiæ, 71 non committeretur facultas absoluendi Confessario, sed cuicunque clerico, etiam primæ tonsuræ; quia quilibet ex his absoluere poterit à censuris extra Sacramentum, sic inquit Vasquez loco citato.

Respondeo, committi Sacerdotibus 72 non quibuscumque sed Confessarijs approbatis ab Ordinario, non vt absolutio ab his exercenda sit in actu confessionis sacramentalis; sed quia voluit Pontifex, vt exerceretur à Sacerdotibus habentibus talem qualitatem, nempè idoneitatem ad audiendas confessiones, imò approbationem Ordinarij; debet enim absoluens habere sufficientem doctrinam, ad discernendum, vtrum hic, & nunc pœnitens sit absoluendus à censura, & an debeat satisfacere parti, quæ nam satisfactio sit præstanda, pensatis omnibus &c. ideo Confessarius in hac re non ponitur quasi actu exercens munus Confessarij; sed solùm quatenùs aptitudine proxima potest tale officium exercere; & ideo præsumitur doctus, & idoneus ad hoc munus præstandum; & miror quo pacto Pater Vasquez potuit tali argumēto suaderi ad illam sententiam amplecten-

Ratio cur absolutio à censuris, cum nō sit sacramentalis cōmittatur Cōfessario.

tondam, cum in iure Canonico interdum habeamus committi absolutionem à censuris Sacerdotibus, & extra Sacramentum, vt colligitur *ex cap. Canonica de sententia excommunicationis in fine*: dum dicitur (*Qui Presbyter esse debeat, vt Glossa ibi* declarat *ver. presbyter*, & etiam est manifestum ex nonnullis religiosorum priuilegijs, in quibus Confessario committuntur absolutiones à censuris, dispensationes aliquæ &c. quæ omnia exercentur extra forum Sacramenti pœnitentiæ, & pro hoc citat *Suarez cap. illo 2. de rel.* priuilegium *Leonis X.* per quod concessa fuit Minorib⁹ gradu Sacerdotali insignitis facultas absoluendi à censuris in foro cōscientiæ; quæ facultas non fuit limitata ad actum confessionis sacramentalis.

73 Dices tertio. in Bulla Cruciatæ, & in similibus conceditur potestas absoluendi à censuris veluti dispositio ad absolutionē peccatorum: ergo necessariò absolutio illa est facienda in confessione sacramentali.

74 *Absolutioni à censuris, licèt ordinetur ad absolutionem peccatorum, non oportet esse simul.* Respondeo, quamuis potestas illa concedatur in ordine ad absolutionem peccatorum, non sequitur debere esse simul vtramque absolutionem, sicuti in iubileis facultas, quæ datur Confessarijs ad absoluendum à reseruatis, & reliqua opera iniuncta, tota ordinatur ad lucrandam indulgentiam, & tamen non oportet esse simul: imò sæpè euenit, vt quis vi iubilei absoluatur, & tamen postea non lucretur indulgentiam; quia non ponit cætera opera, quæ requiruntur.

SECTIO X.

An Confessarius vi Cruciatæ possit toties quoties absoluere pœnitentem à casibus Pontifici reseruatis, si sint occulti.

75 *Occultum bifariam sumitur.* PRO maiori huius quæsiti intelligentia duo sunt breuiter præmittenda; primo. Occultum bifariam accipi posse, nempe vel pro eo, quod est ita secretum, vt in foro externo probari nequeat, sicuti euenit, quando factum, neque apud duos est notum; quia tempore, quo actio illa exercebatur, nemo aderat: proinde solus ille, qui eam exercuit notitiam de illa habet. Secundo sumitur Occultū pront opponitur manifesto, seu famoso, licèt de reliquo sit probabile in foro externo; v. g. si actio aliqua mala scitur à duobus, seu tribus, qui possunt eamdem in foro contentioso probare; tamen reliquis est occulta, tunc talis actio non dicitur simpliciter manifesta, seu publica; ac proinde adhuc manet occulta, prout occultum opponitur publico, seu manifesto, aut famoso.

Secundo, præmittere debemus facultatem illam, quam *Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 6. de Refor.* concedit omnibus Episcopis, circa absolutionem à casibus Papæ reseruatis, videlicet potestatem absoluendi ab his casibus, quando sunt occulti, & aio in concessione ista sumi occultum in secunda acceptione, non autem in prima; hoc est quatenùs occultum importat actionem aliquam, quæ non sit publica, neque notorietate, seu publicitate facti, neque iuris; videlicet quatenùs ignoratur à pluribus personis, quæ si eisdem innotesceret cēseretur publica; & ideo est ignota notorietate facti, & cum neque sit deducta ad forum contentiosum, erit etiam ignota notoreitate iuris, quamuis de reliquo possit esse probabilis. 76

Quod autem Concilium Tridentinum sumat occultum in hac significatione docent communiter Doctores, quos citat *Barbosa in remission. supra Concilium Tridentinum ver. ex delicto occulto*, quamuis *Graphius tom. p. decis. lib. 1. cap. 13. nu. 43.* velit occultum à Concilio sumi pro vt opponitur probabili, & ex parte id etiam teneat *Garcia de benef. tom. 2. par. 7. cap. 11. num. 46. & 47.* loquens de irregularitate, vbi ait ex declaratione Sacræ Congregationis non posse delictum perpetratum coram duobus, vel tribus testibus absolui, vel dispensari ab Episcopo; & assignatur ratio, nam Concilium concedit Episcopo facultatem, vtens termino, occulti, quod propriè dicitur de eo, quod probari non potest. 77

Sed non est recedendum à communi opinione Doctorum asserentium, occultū à Concilio sumi, quatenus non est notorium, & publicum, licèt sit probabile, suaderi autem potest hæc sententia primo quia, cum ex vna parte non sit de essentia occulti, vt suapte natura non sit probabile, sicuti notauit *Nauar. in summa cap. 27. num. 255.* & expressè colligitur ex *cap. vestra de cohabit Cleric. & Glos. ibi, & ex cap. manifesta 2. quæst. 1. cap. 15.* nam in primo loco textus ait, occultum esse, quod ab Ecclesia toleratur: certum autē est, quod id, quod scitur à duobus, vel tribus imò à pluribus potest ab Ecclesia tolerari, & tamen hoc est probabile, & dicitur occultum; licèt non sit publicum: in secundo autem loco Glos. asserit illud quod quinque sciunt, esse occultum. Ex alia vero parte reseruatio, cum sit odiosa, & præsertim in casu nostro; nam per talē reseruationem ablata fuit iurisdictio illa, quam Episcopis iure communi, & ordinario 78 *Occultum à Tridentino sumitur prout opponitur publico.*

pario

nario competebat; proinde reseruatio debet, quantùm fieri potest, restringi, & huius reseruationis ablatio, seu relaxatio debet ampliari; igitur dum *Concilium in illo cap.* 6. concedit Episcopis facultatem supra casus papales, quando sunt occulti, occultum in fauorem Episcoporum latè sumi debet, siue opponatur improbabili, siue etiam tantùm publico, ita vt quocunque modo ex his delictum sit occultum, Episcopus supra illud potestatem habeat: secundo suadetur ex verbis eiusdem Concilij, quæ à Suarez ponderata fuere, excipitur tamen casus deductus ad forum contentiosum; si autem Concilium sumpsisset occultum, prout opponitur probabili, licèt non fuerit publicum, nulla fuisset necessitas excludendi casum deductum ad forum externum: quia iam intelligebatur exceptus per dictionem, & limitationem occulti; nam antecedenter ad deductionem ad forum contentiosum oporteret casum esse probabilem, atque adeo non occultum in eo sensu, in quo intelligunt aduersarij; & per consequens exceptio illa esset superflua, & nihil operaretur, quod tamen non est asserendū; si vero occultum à Concilio sumatur in secunda acceptione à nobis intenta, videlicet quatenus opponitur publico, licèt delictum sit probabile, exceptio erat necessariò apponenda, & nulla esset superfluitas; quia cum Concilium voluerit excipere delictum publicum, & notorium, & hoc dupliciter possit contingere, nempe per publicitatem, & notorietatem vel facti, vel iuris, & delictum primo modo publicum fuisset exceptum per priora verba, dum conceditur facultas cum illa restrictione ad delicta occulta, vt postea excluderet etiam delicta publica, & notoria solùm notoreitate facti, apposuit secundā limitationē, dicens exceptis alijs deductis ad forū contentiosum; & sic manet sensus verborum clarus absque vlla superfluitate: Ad declarationes vero Sacræ Congregationis adductas à Garcia, respondendum est primo, declarationes illas loqui de dispensatione irregularitatis prouenientis ab homicidio voluntario, vt colligitur ex ipsismet verbis: secundo exponi posse loqui de homicidio iam deducto ad forum contentiosum: tertio aio, non esse authenticas.

79 Præmissa igitur hac communi sententia, secundum quam volumus Episcopis concessam fuisse potestatem absoluendi à casibus Papæ reseruatis, quando modo explicato sunt occulti, insurgit difficultas: an stante tali Decreto Tridentini, casus isti occulti censeantur Episcopales, & non ampliùs papales, ita vt vi eiusdem Bullæ possint fideles toties quoties ab illis absolui.

Fuit opinio *Sanchez in Decalog. lib.* 4. *cap.* 54. *num.* 27. qui partem affirmatiuam sequutus est, nimirum posse à prædictis casibus pœnitentem virtute eiusdem Bullæ absolui pluries, seu toties quoties, quia sunt Episcopales, quod ipse Sanchez probat, ex eo quod competit eorum absolutio Episcopis non iure delegato, sed ordinario; quia prædicta facultas est perpetuò annexa dignitati Episcopali; & ideo vi eiusdem Decreti est subdelegabilis Vicario ipsius Episcopi specialiter ad id deputato; pro inde hi casus quando non sunt publici, & manent occulti, sunt Episcopales: ille enim dicitur casus Episcopalis, qui competit Episcopo de iure ordinario perpetuò; ergo cum prædicti casus occulti effecti sint Episcopales, poterit sumens Bullam toties quoties ab illis absolui: Et confirmatur; nam & si casus Episcopales non cessent esse tales per concessionem facultatis factam alicui ad absoluendum ab illis; tamen si Episcopus per suam Synodum perpetuò concedat Parochis casus sibi reseruatos, statim desinereut esse Episcopales, & euaderent Parochiales: ita, cum Pontifex perpetuò concedat per Tridentinum Episcopis facultatem absoluendi à casibus sibi reseruatis, dum sunt occulti, statim hi casus occulti fiunt Episcopales. Hanc opinionem postea sequutus est *Aegidius Trullench in Bullam lib.* 1. *S.* 7. *cap.* 2. *dub.* 6. *num.* 5. & in eam inclinat *Pater Diana tract. xi. resolut* 24. *& in addit: ad nonnullas ex resolutionibus prima, secunda, & tertia partis. resolut.* 52. ait, hanc opinionem esse probabilissimam, & tutam in praxi. 80

Partem affirmatiuam tuetur Sanchez.

Sed partem negatiuam tuentur *Banes in* 2.2. *quæst.* 64. *articulo vltimo in fine*, *Rodriquez in Bullam* §. 9. *nu.* 118. loquens *de voto castit: dub.* 1. *Vega in summa tom.* 1. *ver. absolutio, casu* 39. *Henriquez lib.* 6. *summa, cap.* 14. *nu.* 7. *Vincentius Riccius in addit. ad* §. 9. *Bulla num.* 36. *Ludouicus à Cruce in expos. Bulla disp. p. cap.* 3. *dub.* 13. *num.* 3. qui quidem auctor opinionem oppositam affirmatiuam appellat parùm probabilem, & loquens de Sanches, addit esse tanto auctori indignam; suam autem opinionem varijs argumentis cōfirmat; & primo, quia facultas absoluendi ab his casibus occultis cōceditur Episcopis ob industriam personæ; secundo, quia Pontifex in hac Bulla solùm concedit, vt semel in vita virtute eiusdē Bullæ possint Cōfessarij absoluere à casibus Pōtificijs, & non ponit hanc limitationem; 81

Partem negatiuam alij amplect. tur.

Ludouicus à Cruce impugnat Sanchez nonnullis argumentis.

videlicet, quando sunt publici; igitur neq; à nobis ponenda est talis restrictio in reseruatione: tertiò possumus afferre argumentum cuiusdam doctissimi recentioris deductum ex absurdo, quod videtur sequi ex sententia opposita affirmatiua.; ideoque in suis manuscriptis, quæ publicè Panormi dictauit, sic inquit: Quis enim dicat casus in Bulla cœnæ contentos, dum sunt occulti, in illa reseruatione non comprehendi? si enim comprehenduntur censeri debent papales; proinde virtute huius Bullæ non poterit Confessarius toties quoties ab illis absoluere, sed solùm semel in vita, & semel in articulo mortis.

82 Rursus idem recentior aliud objicit absurdum vt sequens ex prima sententia, nempe virtute Cruciatæ posse Confessarium absoluere ab hæresi occulta, quod tamen in Bulla expresè prohibetur; sequela autem probatur: quia in eodem capite Concilium Tridentinum concedit Episcopis facultatem absoluendi suos subditos ab hæresi occulta in foro conscientiæ, hæc autem facultas, iuxta multorum sententiam, non est abrogata per publicationem annuam Bullæ cœnæ; ideoque secundum principia alterius sententiæ, quam tuetur Sanchez, crimen hæresis occultum non esset papale, sed Episcopale, atque adeo toties quoties posset vi eiusdem Bullæ absolui, quod tamen à nemine conceditur: his, & similibus argumentis suaderi solet hæc secunda opinio negatiua. Quid autem sit de vtraque sententia statuendum; breuiter aperiam.

83 *Argumenta Ludouici nō sunt efficacia contra Sanchez.*

Dico igitur primo, opinionem Sanchez non esse adeo parùm probabilem, & indignam, vt putauit Ludouicus à Cruce, & eam non solùm Sanchez defendit, verùm etiam alij viri docti, inter quos est *Aegidius Trullench loco citato*; vbi hanc sententiam Sanchez probabiliorem opposita existimat; potest enim non leui inniti fundamento, & omittendo omnes alias rationes, sufficienter mihi videtur probari ex natura reseruationis, quæ est odiosa, atque adeo restringenda; quapropter dum Pontifex in hac Bulla concedit facultatem absoluendi à casibus sibi reseruatis semel in vita, id commodè exponi potest de casibus soli ipsi Pontifici reseruatis, non autem de illis, qui per legem vniuersalem omnibus Episcopis subduntur, vt sunt casus occulti, de quibus non possumus absolutè, & simpliciter asserere, soli Pontifici esse reseruatos: idcirco vi huius Bullæ poterit Confessarius toties quoties ab illis absoluere.

Ad rationes autem pro contraria opinione facilè responderi potest: & ad primam, negandum est facultatem illam Episcopis in Tridentino concessam fuisse intuitu industriæ personalis; quia si Concilium exegisset personalem Episcopi industriam, non dedisset ipsi Episcopo potestatem delegandi facultatem illam, sed potius id denegaret, sicuti de facto in eodem capite conceditur facultas Episcopo absoluendi ab hæresi; quia Concilium in hoc eligere voluit industriam personę, & prohibuit, ne facultas ista Vicarijs ipsorum Episcoporum delegetur. 84 *Diluuntur argumenta Ludouici.*

Ad secundam dici potest, quod quamuis Pontifex, dum vult semel in vita per Bullam pœnitentem absolui posse à casibus sibi reseruatis, non declarauerit id intelligi de casibus manifestis; nihilominus implicitè id expressit, dum postea concedit, posse toties quoties absolui per Bullam à casibus, & censuris Sedi Apostolicæ non reseruatis; inter quos Sanchez enumerat casus papales occultos. 85

Ad tertiam procedentem ex absurdo, quod objicit recentior ille, respondeo, casus in Bulla cœnæ siue sint manifesti, siue occulti, manere Summo Pontifici reseruatos; quia iuxta probabiliorem sententiam, quam amplexus sum in tractatu de casibus reseruatis *cap. xi. num. 7.* per publicationem Bullæ cœnæ, sublata est Episcopis potestas circa casus contentos in Bulla cœnæ; proinde casus in ea Bulla contenti etiam occulti à solo Pontifice absolui possunt, vel à persona delegata ab eodem, & per consequens negandum est vi Bullæ Cruciatæ, posse aliquem absolui toties quoties à casibus contentis in Bulla cœnæ, & multo minùs ab hæresi, quæ est primum, & præcipuum crimen contentum in ea Bulla. At si vera esset ea sententia, quæ asserit per Bullam cœnæ non derogari Tridentino danti facultatem Episcopis circa casus Pontificios occultos; tunc nullum foret absurdum iuxta hanc opinionem vi Bullæ Cruciatæ posse aliquem toties quoties absolui à casibus occultis reseruatis in Bulla cœnæ. 86

Dico secundo, probabiliorem esse, & in praxi amplectendam oppositam opinionem, quæ negat vi Bullæ posse toties quoties ab his casibus etiam occultis absolui: ducor ad hoc asserendum; quia cum Summus Pontifex absolutè, & simpliciter sine vlla limitatione, aut qualitate superaddita casus illos sibi reseruet; idcirco hi casus ita reseruati aliquid plus habent, quàm illi, qui omnino nō sunt re- 87 *Admittitur opinio negatiua; & probatur efficaciter.*

ser-

seruari ; ergo esse occultum , cum suapte natura non opponatur reseruationi , vt de se patet , neque aliunde nos habeamus declarationem per quam casus ex eo quod sint occulti , cessent à reseruatione , quod tamen aduersarij non probant , cum id deberent sufficienter probare : igitur probabiliùs , & congruentiùs dicimus non posse vi Bullæ casus istos toties quoties remitti, sicuti non reseruatos : hoc autem importat clausula illa , quæ in ipsamet Bulla habetur, dum sic dicitur: (*Aliorum verò Sedi Apostolicæ non reseruatorum , ac reseruatarum , toties quoties confitebuntur , absolutionem mediante salutari pœnitentia secundum culparum exigentiam , obtinere.*) & ideo est dicendum, facultatem illam Episcopis concessam esse tantùm in ordine ad casus , qui omnino , & simpliciter eximuntur à reseruatione papali, & hoc manifestè patet ; quia in illo Decreto Concilij absolutio casuum , & censurarum Summo Pontifici reseruatarum , etiam dum manent in occulto , non relinquitur in omnimoda libertate Episcopi , quia adhuc casus detinentur in reseruatione papali; nequeunt enim Episcopi prædictorum casuum absolutionem ad libitum respectu quarumcunque personarum , & in quocunque loco exercere ; nam Concilium eam limitat ad subditos Episcopi, & in Diœcesi Episcopi absoluentis ; & quamuis hæc verba vario modo ab auctoribus intelligantur, vt videre est apud *Suarez de cens. tom. 5. disp. 41. sect. 2. num. 6. & sequentibus. Sanchez lib. 2. in Decalog. cap. 11. à num. 2.* certum tamen est , & omnes fatentur, Concilium per illa verba: (*quoscunque sibi subditos , & in Diœcesi sua per se ipsos, aut per Vicariū ad id specialiter deputatum*) limitationem aliquam apponere in facultate absoluendi à casibus Pontificijs occultis; proinde hi casus etiam occulti non censentur omnino esse extra papalem reseruationem , & per consequens dum in Bulla conceditur facultas absoluendi toties quoties à casibus Summo Pontifici non reseruatis, id explicari debet de casibus , qui omni papali reseruatione carent . Ad confirmationem, quam pro se afferunt Sanchez , & Trullench de casibus Episcopalibus, qui ab Episcopo Parochis concederentur ; respondeo concessionem bifariam procedere posse : primo si Episcopus per Synodum absque limitatione perpetuò concederet Parochis casus sibi reseruatos; & tunc admitto desinere esse Episcopales, & concedo fieri Parochiales: secundo si concederet illos cum limitatione , nempe, dum sunt occulti , vel cum alia restrictione , & tunc nego desinere esse Episcopales , vt euenit in re , de qua agimus.

SECTIO XI.

An, si quis aliqua confiteatur peccata reseruata, absolutio vi Bullæ collata tollat reseruationem etiam ab oblitis.

Partem negatiuam tuentur nonnulli, vt *Sylu. verb. confessio 1. quæst. 4. Rosella eodem verb. 2. nu. 9. Sayrus in thesauro casuum lib. 7. cap. 14. num. 8.* loquentes enim in simili, nempe in absolutione data virtute iubilei à peccatis reseruatis , asserũt transacto iubilei tempore nisi absolutio illa fuerit generalis , nempe data cum intentione absoluendi pœnitentem ab omni peccato reseruato occulto , & oblito ; esse postea adeundum Superiorem legitimum, in quo residet facultas absoluendi à reseruatis; adhoc , vt pœnitens ab illis absoluatur : Quod autem hi auctores docent de absolutione data vi Iubilei , idem & potiori ratione, vt infra videbimus, dicere debent de absolutione data vi huius Bullæ. 88 *Negant aliqui.*

Sed partem affirmatiuam defendunt communiter auctores, videlicet per absolutionem prædictam vigore Bullæ collatam tolli reseruationem ab oblitis reseruatis ; atque adeo talia peccata absolui posse à quocumque Confessario habente communem iurisdictionem circa mortalia: *ita Suarez tom. 4. de pœnitentia disp. 32. sect. 4. num. 20. Bonacina , de Sacramento pœnitentiæ dis. 5. quæst. 7. p. 5. §. 5. & alij* loquentes in vniuersum, de priuilegio concesso in fauorem pœnitentis, & durante per aliquod tempus , & in terminis nostræ Bullæ id docent *Acosta quæst. 44. Ludouicus à Cruce disp. 1. cap. 3. dub. 9. num. 6. Aegidius Trullench. in Bullam lib. 1. cap. 2. §. 7. dub. 3. num. 4, & quamplures alij antiquiores , & recentiores* , cum quibus est omnino assentiendum : ratio autem pro hac sententia non ita facilè, meo iudicio , inuenitur, licet enim ab auctoribus de hac re loquentibus variæ afferantur rationes ; nihilominus vel non sunt sufficientes, vel obscuræ , maiorique indigentes declaratione , & confirmatione ; nam aliqui probant hanc opinionem , ex eo quod absolutio, quæ datur virtute Bullæ Cruciatæ terminatur non solùm ad peccata, quæ actu in confessione sacramentali aperiuntur; verùm etiam 89 *Communis est opinio affirmans.* *Amplectitur hæc opinio, & suadetur.*

ad illa omnia, quæ confiterentur, si memoriæ occurrerent: ita *Sebastianus Acosta loco citato*, sed quamuis, quod ab hoc auctore asseritur, veritatem habeat; nihilominus affert pro ratione id, quod est in controuersia: proinde videtur principium petere, dum enim dubitamus an per absolutionem supradictam censeatur ablata reseruatio à peccatis oblitis: perinde est, ac dubitare, an absolutio illa extendatur etiam ad oblita in ordine ad effectum auferendi reseruationem.

90 Cæterum *Ludouicus à Cruce in eadem dubitatione num.* 13. tangens huius rei rationem dicit, quod si pœnitens accedat bona fide ad confessionem manifestans Confessario se velle conscientiam suam exonerare à quacunque culpa etiā reseruata; si quam habeat; tunc si ex obliuione aliud peccatum reseruatum ommittat, liber erit à reseruatione: quia facit quantum in se est, se præsentans Confessario habenti facultatem absoluendi, & ab eodem recipiens proportionatam pœnitentiam iuxta cognitionem habitam. Addit etiam idem auctor aliam doctrinam; aitque *ex Paludano in* 4. rem esse certam quoad absolutionem à reseruatis ratione censuræ; quia absolutio à censuris non exigit distinctam, & particularem cognitionem causæ ipsius censuræ; cum sit satis voluntas vniuersalis absoluendi ab omnibus, quam voluntatem præsumitur in casu posito inueniri in Confessario.

91 *Rationes adductæ à Ludouico non satisfaciunt.* Sed hæc, quæ adducuntur, non plenè satisfaciunt, nec continent rationem sufficientem pro nostra sententia; nam tria præcipuè dicuntur: primo, quod pœnitēs manifestet Confessario se velle exonerare, nempe recipere absolutionem ab omni culpa etiā reseruata: secundo, quod pœnitens faciat quantum in se est: tertio quod in ordine ad absolutionem peccatorum reseruatorum ratione censuræ res sit indubitata; quia absolutio à censuris non expostulat distinctam notitiam ipsarum censurarum: verumtamen, vt dixi, hæc non satisfaciunt; quia primum, quod affertur non pertinet ad casum, de quo in præsentia loquimur; omnes enim concedunt, quod dum quis petit à Confessario absolutionem generalem vi Bullæ ab omnibus censuris, & casibus reseruatis, per talem absolutionem tolli omnem reseruationem, etiam ab oblitis: at difficultas est, quando pœnitens non petit talem absolutionem, sed solùm bona fide aperit peccata aliqua reseruata, immemor aliorum reseruatorum, in quæ lapsus est. Difficultas inquam est, an in tali euentu auferatur reseruatio ab omissis, & nos dicimus, tolli, & idem sentiens Ludouicus à Cruce non affert saltem clarè sufficientem rationem pro hac sententia.

Præterea id, quod secundo loco affertur, non satisfacit; quia facere pœnitentem quantum in se est, seu bona fide procedere, non tollit reseruationem, vt de se patet: nisi aliundè colligamus intentionem Superioris reseruantis, aut Confessarij habentis potestatem delegatam, esse talem; vt in eo euentu, in quo ex parte pœnitentis inuenitur bona fides, velit omnem reseruationem auferre, quam intentionem Ludouicus à Cruce non videtur sufficienter ostendere. 92

Denique, quod tertio loco asseritur nihil probat, quia, & si absolutio censurarum non prærequirat distinctam, & particularem cognitionem causæ ipsorum, sed solùm requirat vniuersalem voluntatem absoluendi ab omnibus etiam reseruatis; tamen per hoc non assignatur ratio pro nostra sententia. Addo, hoc non esse peculiare respectu censurarum; nam, licèt ad absoluenda directè peccata quoad culpam postuletur eorum distincta notitia; tamen in ordine ad effectum tollendi reseruationem talis notitia minimè requiritur; vt conceditur ab ipsomet auctore, & à reliquis omnibus; sufficit enim cognitio generalis, & voluntas, seu intentio absoluendi ab omni peccato reseruato, tunc enim absolutio procedens ex vi talis intentionis aufert omnem reseruationem, quam reperit; & sic non erat opus distinguere censuras à peccatis in ordine ad effectum auferendi reseruationem.

Rursus non placet omni ex parte ea ratio, quam adducit *Aegidius Trullench*, quamuis enim ipse rectè doceat *dub. cit. num.* 4. & 6. satis esse interpretatiuam, & virtualem petitionem, seu intentionem, qua pœnitens vult vigore Bullæ absolui ab omni censura, & peccato reseruato, & ex vi talis virtualis intentionis Confessarius dat absolutionem; nihilominus non explicat, in quo consistat ista virtualis intentio, & dum vult eam declarare, confundit intentionem virtualem cum habituali, & tamen certum est apud omnes has duas intentiones præsè, seu specialiter de illis loquēdo, esse diuersas, & virtualē sufficere, non autem habitualem; quod autē Trullench confundat vtramque, patet eius verba consideranti; postquam enim dixit sufficere virtualem, volens eam explicare, sic inquit: *hoc est, quod eam nempe absolutionem expressè peteret; si peccati reseruati* 93 *Neque placent rationes Aegidij.*

re-

recordaretur.) ita loquitur n.4.& n.6. fere idem dicit his verbis (*sufficit autem virtualis, & interpretatiua intentio illa confitendi, quæ bona fide omisit, vt à reseruatis maneat absolutus; nam si recordatus fuisset, illa etiam fassus esset. Hæc ille.* Hãc autem esse proprijssimam habitualẽ intentionem est manifestum; nam ea à Doctoribus appellatur virtualis, quæ vel priùs fuit in actu, & postea remanet in aliquo effectu à se relicto, vel & si non præcesserit formaliter in se, nihilominùs exercetur talis actus, qui necessariò in se continet intentionem formalẽ, licèt implicitè; Trullench autem neutrum ex his facit, sed recurrit ad dispositionem habitualem pœnitẽtis: dum ait, quod si recordaretur peccati obliti reseruati, illius absolutionem postularet.

94 Vt autem hæc communis sententia, quam amplexi sumus efficaciùs probemus: accipio, quæ à prædictis auctoribus dicuntur, ea tamen clariùs expono, & meliùs confirmo.

95 *Suppositiones pro confirmatione communis sententiæ.* Pro qua re supponendum est, peccatum, eiusque reseruationem esse inuicem separabiles, vt vnum possit tolli altero remanẽte; nam qui reseruauit, vel eius successor, aut qui ab illo facultatem delegatam habet, potest tollere reseruationem absque eo, quod à peccatis absoluat; & è conuerso possunt peccata indirectè, per Sacramentum auferri, remanente earum reseruatione, vt euenit, quando sunt oblita, vel ignorata, & ideo non aperiuntur in confessione, vel datur absolutio cum onere, vt ipse pœnitens tempore congruo Superiori legitimo se presentet, à quo tollenda est reseruatio, vt fusè declaratur in tractatu de pœnitentia.

96 Vlteriùs supponendum est discrimen inter reseruationem, & peccatum ipsum reseruatum; nam peccatum potest & directè, & indirectè auferri: at reseruatio nunquam indirectè, sed solùm directè, & ideo vel semper in se remanet, vel omnino tollitur; hęc autem diuersitas oritur ex eo, quod peccatum quatenus est malum morale, & Dei offensa, potest à Deo deleri, & remitti per gratiam sanctificantem, quæ infunditur virtute Sacramenti; & hoc duplici modo, vel quando peccatum actu subijcitur clauibus, & tũc directè dicitur remitti, vel etiam si actu nõ subijciatur, deletur tamẽ formaliter per ipsam gratiam, quæ est incompossibilis cum ipso peccato, & dicitur peccatum indirectè remitti: at reseruatio solùm dicit ordinem ad Tribunal creatum, nempe ad Superiorem, à quo dependet, & nõ desinit vi alicuius formæ positiuæ sibi incompossibilis, sed solũ per suspensionem moralis influxus suæ causæ efficientis, nempe per voluntatem Superioris volentis eam tollere siue per se ipsum immediatè, siue per alium à se delegatum, & sic reseruatio solùm directè tolli potest.

Deueniẽdo autem ad casum nostrum: dico, quod dum Pontifex Bullam hanc concedit in ordine ad reseruata, nihil aliud facit, nisi communicare, seu delegare suam potestatem, eamque in gratiam pœnitentis concedere Confessario, vt ipsemet Confessarius mediante Sacramento liberè valeat ipsum pœnitentem absoluere à reseruatis, quando pœnitens voluerit vti priuilegio Bullæ in ordine ad prædictum effectum; idcirco dum pœnitens confitetur, & petit absolutionem impertiendam virtute Bullæ, vt liberetur à reseruatis, & in hunc finem à Cõfessario recipit beneficium absolutionis, absolutio procedit ex quadam intentione vniuersali afficiente nõ solùm peccata reseruata, quæ actu in confessione aperiuntur, verùm etiam oblita; talis autem intentio est illa, per quam Confessarius vult eximere, & pœnitens intendit vi Bullæ se liberare à reseruatione vt sic; & non oportet, vt Confessarius, & Pœnitens in actu signato eligãt operari ex tali intentione, seu motiuo vniuersali, sed satis est vt in actu exercito ita operentur: Pœnitens postulando absolutionem, & Confessarius eam elargiendo; & dum petitio, & collatio absolutionis positiuè nõ restringitur ad casus illos reseruatos, quorum memoriam pœnitẽs habet; semper præsumitur adesse intentionem illam ex motiuo vniuersali: at si fingamus absolutionem restringi modo explicato, tunc vi absolutionis non auferretur reseruatio ab oblitis: possumus ad hæc confirmanda simile exemplum afferre ductum ex motiuo pœnitentiæ, vi cuius fieri potest confessio sacramentalis; dicunt enim Doctores, quod si quis accedit ad Sacramentum cum dolore ex motiuo quodam vniuersali, V. G. ex motiuo fugiendi æternam damnationem, vel ex motiuo detestandi peccatum, quatenus est Dei offensa, seu quatenus est contra Deum summum bonum, seu summè dilectum, tunc absolutio ex tali motiuo erit sufficiens ad Sacramenti valorem, & ad eius effectum; etiam si pœnitens aliqua peccata mortalia ex obliuione non cõfiteatur: at si motiuum erit particulare, V. G. doleat quatenus peccauit contra virtutem temperantię, & habeat peccata cõtra iustitiam, aut contra religionem, quorum sit oblitus, tunc Sacramentum procedens ex tali motiuo, vel erit nullum,

97 *Pontifex concedens Bullã in ordine ad reseruata, delegat suam potestatem.*

lum, vel ad summum erit informe secũdũm varias sententias: eodem modo est discurrendum in casu nostro; nám actus ille, quo quis vult vti Bulla, vt eximatur à peccatis reseruatis, & voluntas, qua Confessarius vult liberare pœnitentem à peccatis reseruatis vt sic, nulla facta positiua restrictione, est motiuũ quoddam vniuersale incompossibile cum qualibet reseruatione virtute Bullæ auferibili, & dicitur propriè intentio virtualis, seu interpretatiua respectu omnium reseruatorum oblitorum; nam in actu isto implicitè inuoluitur voluntas absoluendi circa omnia reseruata; & ita mihi videtur declarari posse sententiæ prædictorum auctorum, easque sic declaratas omnino puto esse amplectẽdas; quia intentio virtualis absoluendi reseruata oblita operatur eumdem effectum, quem esset operatura intentio formalis, & actualis, si actu adesset, vt euenit in similibus, & præsertim in confectione Sacramentorum, in qua, intentio conficiendi Sacramentum, quæ necessariò requiritur ex parte ministri, etiam si non sit formalis, & actualis, sed solùm virtualis, eumdem habet effectum, quem habet intentio formalis, & vtraque intentio est sufficiens ad Sacramenti valorem, sic in casu nostro: sicuti intentio formalis absoluendi ab omnibus reseruatis quamtumuis oblitis est satis ad tollendam reseruationem ab illis, ita etiam & intentio virtualis.

SECTIO XII.

An reseruatio desinat, dum homo confitetur nullam faciens mentionem reseruatorum.

98 POterit aliquando contigere, vt quis cõfiteatur nulla facta reseruatorum mentione, quia omnia illa sit oblitus, & virtute Bullæ absoluatur? Quæritur an peccata illa maneant non reseruata?

Prima opinio est eorum, qui asserunt

99 per talem absolutionem auferri talem reseruationem, ac proinde pœnitentem posse peccata illa cuicunque Confessario communem habenti iurisdictionem sacramentaliter confiteri: ita *Nuñus in addit. ad 3. p. tom. 2. quæst. 9. a. 2. dub. 4. quod incipit: Vtrum peccatum reseruatum ver. sine dubio*, *Reginaldus in praxi Confess. tom. 1. lib. 8. nu. 99. Ludouicus à Cruce in exposit: Bullæ disp. 1. cap. 3. dub. 12. quæsito 2. concl. 3. Molfesius in summa tom. 1. tractatu. 7. cap. 21. num. 25. Megalius p. 1. suæ summæ lib. 1. cap 14. num. 7.* quam sententiam sequitur *Diana de Bulla Cruciata tract. 11. resol. 19.* & citat quamplures

Refertur opinio asserens tolli reseruationem.

Opinionem affirmatiuã defendũt aliqui.

ex antiquioribus, & vtramque opinionem vt probabilem admittit *Conin: de Sacramento pœnitẽtiæ. disp. 8. dub. 12. n. 98.*

Secunda sententia defenditur à. *Vasquez tom. 4 in 3. p. quæst. 91. a. 3. dub. 5. n. 19. Suarez de pœnitentia disp. 31. sect. 4. nu. 18. Bonacina de Sacramentis disp. 5. quæst. 7. p. 5. §. 5. nu. 3. & sequentibus. Aegidio Trullench in Bullam lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 3. n. 6. & alijs*, qui dicunt quando quis absolutè petit absolutionem absque vlla reseruatorum mentione, peccata oblita manere cum eadẽ reseruatione, quam priùs habebant; & in hac eadem opinione absquo dubio videtur esse *Sanchez lib. 8. de matr: disp. 15. n. 17.* si eius doctrina rectè perpendatur, quam ponit in secunda ratione satisfaciendo difficultati, quam initio illius numeri circa votorum commutationem proposuit; docet enim rationem, ob quam communiter Doctores asserũt, peccata tempore iubilei oblita non manere reseruata trãsacto iubilei tempore, non esse ex eo quod pœnitens sit tempore iubilei indirectè absolutus ab oblitis reseruatis, dum fuit à cæteris absolutus, & addit ex Suarez hoc constare; quia si quis confiteatur coram Superiore, & aperiat peccata non reseruata, nullam faciens mentionem de reseruatis; quia nullum putat habere casum reseruatum; licèt sui conscientiam priùs diligenter examinauerit, & hoc modo bona fide procedens absolutionem sacramentalem recipiat à suo legitimo Superiore, manifestum est, peccatum reseruatum, & oblitum non amittere reseruationem, quamuis ab illo ipse pœnitens sit indirectè absolutus: ita Sanchez, qui postea prosequitur ad declarandam veram rationem, cur transacto iubilei tempore valeat pœnitens à quocunque Confessario facultatem habente super mortalia, absolui ab illo peccato reseruato oblito. 100

Alij negant.

Ex his autem manifestè colligitur eius sententiam esse illã, quam diximus, videlicet per absolutionem collatam absq; mentione vlla reseruatorum peccata oblita non amittere reseruationem, licèt confessio fiat apud Confessarium habentem potestatem super ipsa reseruata. 101

Vtramque opinionem censeo probabilem, & præsertim auctoritate eorum, qui eas defendunt. 102

Vtraque opinio est probabilis.

Dico tamen primo, hanc secundam mihi probabiliorem videri, quam etiam sequutus sum *in tractatu de casibus reseruatis cap. 24. nu. 2.* expendens præsens quæsitum in ordine ad Superiorẽ absoluentem sine vlla cognitione, & mentione casuum reseruatorum. Probari autem 103

Probabilior secunda.

tem potest conclusio; quia absolutio, cum eam efficaciam habeat, quam recipit ab intentione Cõfessarij absoluentis, nequit operari vltra intentionem, à qua procedit; proinde si intentio Sacerdotis neq; explicitè, neq; implicitè se extendat ad peccata reseruata, reseruatio nequaquam desinere potest.

104 *Obiectio contraria.* Sed dices: dum Confessarius absolutionem confert virtute Bullæ, impossibile est, vt saltem implicitè intentionem non habeat absoluendi quantum potest; atq; adeo intentionem tollendi reseruationem; si forte pœnitens innodatus peccatis reseruatis inueniatur.

105 *Diluitur.* Respondeo, id nõ esse impossibile; quia si pœnitens in confessione nullum proponit casum reseruatum, neque petit à Confessario absolutionem generalem à reseruatis ad cautelam, si forte in aliquod peccatum reseruatum sit lapsus, de quo notitiam non habeat; nullus in Confessario, & pœnitente reperiretur actus, in quo saltem implicitè inuoluatur illa virtualis, & interpretatiua intentio, de qua supra egimus, & quæ ad minùs esset necessaria ad tollendam reseruationem ab oblitis, & ignoratis; quia voluntas absoluendi vt sic, non includit voluntatem absoluendi à reseruatis; & patet: quia si nulla, neque particularis, neque generalis, & confusa præcessit cognitio reseruatorum, sed solùm notitia de illis peccatis non reseruatis, quæ hic, & nunc pœnitens in confessione manifestat, voluntas seu intentio absoluendi, quæ sequitur ex tali notitia, & ab illa mensuratur, nequit esse voluntas, & intentio absoluendi à reseruatis; atque adeo absolutio ista perinde se habet, ac illa, quæ impenderetur à Cõfessario non habente iurisdictionem circa peccata reseruata.

106 *Si pœnitens in genere petat à Confessario absolutionem à reseruatis, tollitur reseruatio.* Dico secundo. Si pœnitens ad cautelam petat à Confessario absolutionem generalem etiam à reseruatis, si forte in aliquod peccatum reseruatum sit lapsus, & Confessarius generalem tradat absolutionem; tunc omnis reseruatio tolleretur: proinde si pœnitens postea agnoscat, vel recordetur alicuius reseruati, nõ tenebitur illud cõfiteri Superiori, sed satis erit, vt cuicunque Confessario approbato aperiatur, vt directè remittatur. Ita *Bonacina loco cit. de censuris disp. 1. q. 3. p. 6. nu. 3. vbi ex Suario, & alijs* optimum dat remedium ad tollẽdos scrupulos, qui circa hanc materiã contigere possunt, vt pœnitens curet generaliter absolui à Sacerdote habente iurisdictionem circa reseruata, vt sic enim reseruatio omnino cessabit.

107 Dico tertio, per absolutionem generalem modo superiùs explicato non aufertur reseruatio ab excommunicatione, cuius absolutio prærequirit satisfactionem partis, si pœnitens ex obliuione, vel ex ignorantia etiam inuincibili se tali excommunicatione innodatum esse non aduertit, & per consequens excommunicationem istam Confessario non manifestauerit; sic docet *Auila par. 2. de censuris cap. 7. disp. 3. dub. 9. concl. 2. ver. ex secunda conclusione.* contra aliquos iuniores. & hæc sentẽtia expressè colligitur *ex Conin. de pœnitentia disp. 8. dub. 12. nu. 97. ver. dixi quam hic, & nunc, disp. 14 dub. 16. n. 226. ver. excipe tamẽ. Bonacina loco cit. de cẽsuris n. 4.* quãuis hanc opinionẽ solùm, vt probabiliorem admittant, sed conclusionem puto esse certam; quia non præsumitur Confessarium velle modo illicito absolutionem conferre, sed illicitè faceret absoluendo pœnitentem à cẽsura, quæ exigit ante absolutionem partis satisfactionem. *Non tollitur per absolutionem generalem reseruatio ex communicationis.*

SECTIO XIII.

Vtrum per confessionem, & absolutionem inualidam, aut informem tollatur reseruatio.

Quæsitum secundum vtramque partem, quam inuoluit, est à nobis distinctè examinandum; ideoque primo tractabimus de confessione, & absolutione data vi Bullę, quando ex aliquo defectu est irrita, & nulla, & hoc tum in ordine ad censuras, tum ad peccata, quæ ratione sui, & non ratione cẽsuræ sunt reseruata: secundo agemus de confessione valida, sed informi in ordine ad gratiam, & remissionem culpæ ex suppositione, quod dari possit Sacramentum pœnitentiæ validum, sed informe. 108

Circa primum proponimus primam sententiam, quæ est eorum, qui absolutè negant per confessionem inualidam tolli reseruationem virtute Bullæ Cruciatæ, & hanc opinionem tuetur *Ledesma in summa tom. 1. tract. de pœnitentia c. 13. cõcl. 2. dub. 7. Sebastianus Acosta in Bullam quæst. 45. Villalobos tom. 1. tract. 27. clausi. 9. §. 2. num. 6.* & absque dubio in eadem sententia est Pater Suarez, si attentè legatur eius doctrina *tom. 4. disp. 31. sect. 4. à nu. 20. & sequentibus*, vbi tractat de confessione facta vi priuilegij in fauorem pœnitentis concessi, & *num. 22.* expresse concludit per Sacramentum inualidum non tolli reseruationem etiam à peccatis in tali Sacramento confessis, & quamuis primo aspectu *loco citato* videatur loqui de reseruatione quoad culpas, & nõ quoad censuras; nihilominus si cõsideretur 109 *Per confessionem inualidã cẽsuræ aliqui non tolli reseruationem.*

tur ratio, quam ibi affert, & doctrina, quam ipse ponit *tom. 5. disp. 7. sect. 5. n. 36.* & deinceps examinans eundē casum in ordine ad censuras reseruatas, apertè colligemus, ipsum esse in hac prima sententia; & ideo malè, & falsò eum citat *Ludouicus à Cruce* pro opposita sententia *disp. 1. cap. 3. dub. 12. num. 4.* nam ibi Suarez non loquitur de confessione, quæ fit virtute Bullæ Cruciatæ, neque de illa, quæ fit vi Iubilei; sed de illa, quæ fit coram Superiore, aut alio Confessario habente delegatam potestatem à Superiore, de quibus confessionibus diuersò modo est discurrendum, cum diuersum pariant effectum in ordine ad tollēdam, vel non tollendam reseruationem, vt infra videbimus.

110 Secunda sententia vult per confessionem inualidam factam vi Bullæ, auferri reseruationem à censuris, & casibus reseruatis: ita *Rodriquez in expositione Bulla §. 9. dubit. 4. num. 47.* licèt in eadem dubitatione oppositum sentiat de cōfessione facta vi iubilei; eamdem opinionem amplectitur *Ludouicus à Cruce in Bullam capite citato dub. 12. num. 4. & sequentibus. Trullench lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 3. num. 9. & apud Dianam in addition. resol. 16. Ochagauia de Sacram. tract. 2. de confess. quæst. 22. concl. 2. num. 8.* loquens vniuersaliter de confessione facta coram Sacerdote habente iurisdictionem concessam, vel in sui, vel in pœnitentis gratiam: denique, idem tenetur docere omnes illi, qui sustinent per confessionē inualidam factam vi Iubil. tolli reseruationem; quia nō solùm est eadem, sed potior ratio, vt dicemus, hos autem auctores laudauimus in tractatu *de iubileo cap. 11. nu. 20.*

Alij putant tolli reseruationem, non obstante inualiditate confessionis, si fit vi Bullæ.

111 Possumus aliam tertiam sententiam excogitare, quæ sit veluti media; & licèt ab eius sectatoribus probetur, loquentes de iubileo; nihilominus posset aliquis eā sequi in confessione facta vi Cruciatæ ob quamdam similitudinem, quæ reperitur inter Iubileum, & Cruciatam in ordine ad tollendam, vel non tollendam reseruationem. Aio igitur, hanc sententiam procedere cum distinctione, asserit enim per confessionem irritam auferri reseruationem à censuris, & peccatis, quæ ob connexionem cum censura, & dependenter ab illa sunt reseruata; at non tolli reseruationem à peccatis, quæ ratione sui immediatè, & non ratione censuræ sunt reseruata, quam opinionem tuetur *Bossius de triplici iubileo sect. 1. casu 34. Bartholomeus à S. Fausto lib. 4. de indulg. & iubileis q. 40. Bonacina de Sacramētis disp. 5. q. 7. §. 5. n. 9.* hi auctores, vt dixi, de confessione vi iubilei loquuntur.

Aliqui cēsent tolli reseruationē à peccatis, quæ ratione cēsuræ erāt reseruata, nō autem à peccatis, quæ independenter à cēsura habet reseruationem.

Hæ autem sunt sententiæ, quæ adduci possunt in hac materia. Fundamēta autem, quibus sustineri valēt, in declaratione, & confirmatione nostræ sententiæ, & in solutione obiectionum afferemus. 112

Dico igitur primo, probabilius esse per confessionem irritam, vi Bullæ Cruciatæ auferri reseruationem à censuris, & per consequens à peccatis, quæ dependenter à censura reseruationem habent; 113 hanc conclusionem defendimus supponentes virtute huius Bullæ extra confessionem sacramentalem conferri posse absolutionem censurarum, quod tamen est controuersum apud auctores, & supra examinauimus eligētes partem affirmatiuam; qua posita, conclusio euidenter ostenditur; nam, si censuræ vi Bullæ tolli possunt extra Sacramentum Pœnitētiæ, sequitur, quod sicuti ipsum Sacramētum merè per accidens se habebit ad absolutionem censurarum; ita & eius validitas, aut inualiditas; ideoque non poterit nullitas Sacramenti impedire; quin per facultatē concessam in Bulla definat omnes illæ censuræ, quas Cōfessarius tollere intendit; & huic rationi innititur tertia sententia superiùs relata quoad primam sui partem. Ex hac autem conclusione, rectè inferimus per confessionem vi Bullæ, quamuis irritam, desinere omnem reseruationem in casibus Summo Pontifici reseruatis; quia cū hi casus sint reseruati dependenter ab excommunicatione, & ipsa excommunicatione ablata, pereat reseruatio culpę, vt ostēdimus *in tractatu de casibus reseruatis*; idcirco nullitas confessionis non poterit prohibere, quin per Bullam, desinente censura, pereat reseruatio in ipsis casibus Pōtificijs. Et hæc dicta sint facta hypothesi, quod absolutio à censuris dari queat extra Sacramētum Pœnitentiæ; sed si supponamus partem negatiuam, ratio ista, quam attulimus ad confirmandam conclusionem nihil probabit; cū totaliter fundetur in opinione affirmante; ideoque alia esset excogitanda ratio, quæ procedat etiam supponendo exercitium Sacramenti Pœnitentiæ, vt in sequenti conclusione manifestabimus.

Probabilius est per cōfessionem irritā vi Bullæ auferri reseruationem à cēsuris, & à peccatis, quæ dependenter à censuris sunt reseruata.

Dico secundo. Ex hypothesi opinionis negatiuæ, si admittamus absolutionem à censuris per Bullam Cruciatæ dari non posse nisi in Sacramento Pœnitentiæ, tunc etiam si Sacramentum sit irritum, firma, & valida erit absolutio à censuris: atque adeo tollitur reseruatio à peccatis, quæ dependenter ab eisdem censuris erant reseruata. Conclusionem hanc sub his terminis à nemine legi saltem explicitè pertractatam; sed pro- 114

Idē dicēdum etiam posito, quod vi Bullæ nequeat absolutio à censuris dari extra Sacramentum.

bare

bare eam possumus efficaci ratione in hunc modum. Absolutio à censuris necessariò præcedit siue tempore, siue natura absolutionem à peccatis, vt nunc tanquam certum supponimus ex Sacramento Pœnitentiæ; proinde nequit eius effectus impediri per inualidam absolutionē à culpis, quæ est posterior.

115 *Obiectio.* Sed dices, quamuis absolutio à cēsuris antecedere debeat absolutionem à peccatis; tamen dum per priuilegiū conceditur facultas absoluendi à censuris in Sacramento confessionis, vt in hac conclusione supponimus, hæ duæ absolutiones inseparabiliter se habent; & ideo pœnitens non poterit vi huius Bullæ absolui à cēsuris, quin absoluatur à peccatis; quapropter si irrita erit absolutio à peccatis, irrita etiā erit absolutio à cēsuris; aliter non diceretur facultas absoluendi à censuris cōcessa intra, sed extra Sacramentū Pœnitentiæ, cùm independēter ab eius existentia suum sortiatur effectum.

116 *Occurritur obiectioni.* Respōdeo ex quadam doctrina, quam optimè tradit *Suarez sect. illa quinta in tractatu de censuris,* licèt enim *ipse nu.* 36. cum alijs supponat extra confessionem, vi Bullæ Cruciatæ absolutionem à cēsuris impendi non posse, fundans hanc opinionem in verbis ipsius Bullæ, quæ eo tempore promulgabatur; nihilominus proponēs casū, in quo Sacerdos inchoādo formam absolutionis sacramentalis, post prolatam absolutionem à censuris vlteriùs nō progrediatur, docet dato tali casu, absolutionem à censuris ratam manere; & omnem auferri reseruationem à censuris, & cōsequenter à peccatis, quæ in reseruatione à censuris dependebant. Sic igitur soluendo propositam instantiam, aio, quod quamuis facultas à censuris concessa sit in ordine ad absoluēdum à peccatis, & consequenter dari debeat in Sacramento Pœnitentiæ; tamen non oportet, adhoc vt absolutio à censuris suum sortiatur effectum, Sacramentum esse completum; sed vt verè dicatur absolutio ista dari intra Sacramentum, satis erit Sacramentum esse inchoatum, & velinti in fieri, quod tunc euenit, quando Confessarius post auditam peccatorum enarrationem absolutionem elargitur: imò addo impossibile videri hāc facultatem concessam esse, vt suum effectum habeat post Sacramentum completum; quia, cum Sacramentum istud compleatur per formam absolutionis à peccatis, & effectus prędictæ facultatis sit ablatio cēsurarum, sequeretur pœnitentem esse absoluēdum priùs à peccatis, quàm à cēsuris, quod fieri nequit; dicitur ergo fieri intra Sacramentum Pœnitentiæ, quatenus sit post inchoatam confessionem, & in ordine ad absolutionem sacramentalem, etiam si Sacramētum non sit adhuc integrum; & ideo negandum est consequens illud, nempe si non esset irrita absolutio à censuris, irrita existente absolutione à peccatis, sequi facultatem circa censuras esse concessam, vt exerceatur extra confessionem, & non intra confessionem.

117 *Aduertentia circa prædictā sententiā.* Cæterū aduertēdum est, quod solutio, & doctrina prædicta tunc habet locum, quando pœnitens verè vult aperire sua peccata sacramentaliter, seu vult verè confiteri, etiam si eius confessio sit nulla ex defectu doloris, aut propositi circa emendationem vitæ, aut integritatis circa enarrationē peccatorum; nam si fingeret, & simularet confessionem, tunc omnis absolutio esset inefficax; quia cum facultas ista in tollēdis censuris, vt supponitur in hac secunda conclusione, sit cōcessa in ordine ad verum Sacramentum confessionis, si peccator simularet, & non haberet animum confitendi, tunc neque completè, neque inchoatiuè existeret hoc Sacramentum, & per consequens omnis absolutio data à Cōfessario, vi tute talis concessionis esset inanis.

118 *Non tollitur reseruatio à peccatis per cōfessionē inualidā, si peccata sunt reseruata independenter à censura.* Dico tertio, reseruationem, quæ afficit peccata independenter à censura, non tolli per confessionem, & absolutionem irritam sacramētaliter. Est contra auctores secundæ sententiæ, sed defenditur ab auctoribus primæ sententiæ, & est conformis opinioni, quam tuentur auctores vltimæ sententiæ loquentes de iubileo. Probari autem potest hac ratione, nam certum est per Bullam non dari facultatem tollendi reseruationem à peccatis extra Sacramentum Pœnitētiæ eo modo, quo tolli potest à Superiore; quia in ipsamet Bulla expressè dicitur peccatorum reseruatorū absolutionem esse impertiendā à Cōfessario approbato, dum pœnitentes propria peccata eidem confitebuntur, & quoad reseruata Pōtifici semel, quoad reliqua toties quoties &c. igitur si Sacramentum erit irritum, absolutio erit etiam irrita, & perinde se habebit, ac si prolata minime fuisset, & per consequens nullum poterit operari effectum; & ideo peccata remanebunt sicuti priùs reseruata.

119 Obijci tamen possunt nonnullæ rationes, quæ afferuntur ab aduersarijs, & pręsertim illæ, quæ à Ludouico à Cruce pro sua sententia adducūtur, & primo sic. Eo ipso quod Superior facultatē concessit, vt Cōfessarius inferior per Bullam absoluere possit à reseruatis, iam exclusit à suo tribunali eadem reseruata, eaque remisit in-

inferiori tribunali: ergo dum pœnitens eidem Confessario ipsa reseruata manifestauit, videtur satisfecisse suæ obligationi, atq; adeo ablatam fuisse reseruationē, sicuti auferretur si ipsemet pœnitens eadem reseruata Superiori fateretur.

120 Respondeo, à Superiore Bullam concedente nō fuisse à suo tribunali omnino exclusa peccata reseruata, neq; absolutè remissa tribunali inferiori, sed mediante conditione aliqua, nempe mediante Sacramento Pœnitentiæ, vt patet ex ipsomet diplomate; proinde si tale Sacramētum non ponatur, vel inualidè ponatur, non extabit conditio requisita, & per cōsequens ex defectu conditionis, facultas absoluendi à reseruatis non poterit habere suum effectum.

Superior non abdicat à se potestatem supra reseruata, dum cōcedit, vt subditus confiteatur illa confessori inferiori.

121 Secundo. Eo ipso quod pœnitens manifestauit peccata reseruata Confessario habēti vi Bullæ iurisdictionem circa illa, iam remanēt iudicata quoad reseruationem; proinde non erit ampliùs necessarium eadem peccata eidem tribunali aperire, quāuis inualidè fuerint absoluta.

122 Respondeo, ex eodem principio, nam iurisdictio ista fuit concessa cum ordine ad Sacramentum, & ideo, eo non existēte, nihil efficietur.

Iurisdictio ista delegatur in ordine ad Sacramētum Pœnitentiæ.

123 Tertio argumētatur Ludouicus à Cruceà pari; nam sicuti, quando Prælatus superior audit solùm reseruata, non absoluit secundum veriorem sententiam sacramētaliter, sed tantùm eximit pœnitētem ab obligatione iterum illa confitēdi Superiori; & sic tollitur eorumdem peccatorū reseruatio: sic in casu nostro per absolutionem datam à Confessario vi Bullæ, licèt inualidè; pœnitens remanebit absolutus non à culpis, sed ab obligatione confitendi iterum illa Superiori.

124 Respondeo, hoc argumentum esse prorsus ineficax, & nullius momenti, cum luce clarior sit disparitas; nam Superior habet absolutam potestatem tollendi reseruationem, atque adeo etiam si demus sacramentaliter non absoluere, dum audit sola reseruata, nihilominùs poterit ad sui libitum remittere inferiori Confessario eadem peccata, & ab eisdem reseruationem auferre, at Confessarius per Bullam non habet absolutam potestatem circa reseruata, sed per ordinem ad Sacramentum Pœnitentiæ, vt supra declaratum est; proinde non erit par ratio.

Superior habens ordinariam iurisdictionē tollere potest reseruationem indepēdēter à Sacramento.

125 Nonnulla autem argumenta, quæ proponuntur ab Aegidio Trullech ferè sunt eadem cum suprapositis; & ideo eisdem responsionibus dilui facilè possunt. Demum plures ex auctoribus, qui citari solent pro sententia affirmatiua, nobis contraria, non fauent aduersarijs; quia non loquuntur de confessione facta vi Bullæ, aut alterius similis priuilegij, sed de illa, quæ fit legitimo Superiori, à quo, vt asserimus, independenter à Sacramento tolli potest reseruatio, quod benè animaduertit Acosta loco superiùs citato. Et hæc circa primam partem huius quæsiti, videlicèt circa confessionem inualidè factam. Remanet, vt aliquid dicamus de secunda parte, nimirum de confessione valida, sed informi.

Plures ex auctoribus citatis non loquuntur de cōfessione facta vi Bullæ, sed facta Superiori.

126 Dico quarto. Per Sacramentum Pœnitentiæ, quod est validum, & informe, vi Bullæ tollitur omnis reseruatio. Est communis opinio, & neminem inueni, qui oppositum sentiat, exceptis auctoribus, qui negant dari posse Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe; sed vel esse omnino irritum, vel gratia formatum: at ex suppositione, quod detur informe, certissimam puto conclusionem, eamque expresè docent *Trullench dub. cit. num. 5.* & idem docent alij, & præsertim *Suarez tom. 4. disp. illa 31. sect. 4. n. 22.* loquens vniuersaliter de absolutione, quæ datur in priuilegijs concessis in gratiam pœnitentis. Ratio autem conclusionis est, quia cum informitas Sacramenti non destruat essentiam eiusdem Sacramenti; proinde ponitur cōditio, sub qua Pontifex concessit facultatem absoluendi à reseruatis: neque dicas à Pontifice requiri Sacramentum non tantùm validum, sed etiam formatum; hoc enim gratis asseritur, & verba in ipsamet Bulla hoc non indicant; cum enim exprimāt, & petant confessionem reseruatorum, & absolutionem, & vera ratio confessionis saluetur in Sacramento informi, & valido, non debemus restringere verba ad Sacramentum dumtaxat formatum, & præsertim cum facultas ista sit fauorabilis, & per consequens amplè interpretanda, & extendenda tum ad Sacramētum formatum, tum ad illud, quod est informe, & validum.

Per Sacramētum Pœnitētiæ informe, sed validū, factū vi Bullæ, tollitur reseruatio.

Remaneret inquirēdum, an aliquis accipiens Bullam durante anno publicationis, acquirat ius, vt eo anno transacto, possit absolui à reseruatis oblitis eo tempore, quo vigebat Bulla; sed de hac re supra egimus & in eumdem locum remitto lectorem. 127

SEC-

SECTIO XIV.

An Pontifex per aliquem Motum proprium reseruans sibi casum cum clausula, vt neque vi Cruciatæ remitti valeat, hoc non obstante per Cruciatam auferri possit?

128 Quæsitum potuit de facto habere locum in ordine *ad Motũ proprium à Sixto V. editum* contra causantes, vel consulentes abortum, fulminãdo contra illos excommunicationem, quam sibi soli reseruauit cum clausula, vt neq; vi Bullæ Cruciatæ absolui valeant. Hoc posito.

129 *Aliqui opinionem affirmatiuam secuti sunt.* Fuit opinio quorundam, qui asseruerũt non obstante tali clausulâ pœnitẽtes, qui in casum illum lapsi sunt, absolui posse per Bullam; & ita tenẽt *Henriquez in summa lib. 6. c. 10. in coment. lit. K. Ludouicus à Cruce in expositione Bullæ disp. 1. c. 4. dub. 6. n. 7. & sequentibus, Aegidius Trullench in eamdem Bullam lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 8. n. 5.* hanc autem opinionem probant; nam Motus ille proprius vel fuit ante concessionem Bullæ, & sic manifestum est abrogari per clausulas cõtrarias, quæ in ipsa Bulla continẽtur; & ideo nõ obstante reseruatione, poterit pœnitens absolui per Bullam: vel fuit post cõcessionem Bullæ, & idem etiam erit dicendum; quia Commissarius potestatem habet reuocandi, quæ sunt Bullæ cõtraria eaq; suspendẽdi; quamuis inuoluant clausulam tali suspensioni oppositam, & sic testatos esse viros doctissimos ab ipsomet Commissario cõsultos, refert *Ludouicus à Cruce dub. cit. n. 9.* & loquẽdo de Motu proprio Sixti V. assignat aliam rationem, inquit enim, nõ potuisse à Sixto restringi potestatẽ Summorum Pontificum, qui postea successerunt, & qui absq; exceptione concesserũt amplam facultatem absoluẽdi virtute Cruciatæ ab omni casu, & censura etiam Sedi Apostolicæ reseruata, preter hæresim; imo aliqui existimarunt viuente Sixto potuisse absolutionem conferri per Bullas subsequentes, quæ singulis annis promulgatæ fuere.

130 *Præcedenti opinioni adhæret Rodriquez, quando Motus proprius antecedit: secus si subsequitur.* Alia verò sententia ponitur à *Rodriquez in addit. ad §. 9. num. 57.* ipse enim licèt admittat primam partem præcedẽtis sententiæ; nempe per facultatem Cruciatę remitti posse casum illum, quãdo Motus proprius antecessit, & hoc ob rationem assignatam; nihilominùs oppositum sẽtit, quando Motus proprius subsequitur, habetque clausulam derogantem Cruciatę; ducitur autem ad hoc asserẽdum diuersis argumentis mox explicandis.

Dicendum est primo. Si Pontifex per aliquem Motum proprium sibi reseruet casum, & apponat clausulam, per quam statuat, vt neq; per Bullam Cruciatę casus ille remittatur, hoc nõ obstante mortuo Põtifice per Bullas, quæ à Successoribus cõceduntur cum eadem amplitudine, & derogatorijs, quæ nunc in Bulla continentur, poterit casus ille auferri, & hoc, ratione superiùs tacta; nam Põtifex, qui sibi reseruauit casum, non potuit restringere potestatem Pontificum succedentium; atque adeo cum Pontifices in eadem dignitate succedentes irritẽt omnia Bullæ contraria, vel talẽ potestatem Commissario generali Bullæ concedãt, consequens est, vt dicamus per has Bullas derogari illi Motui proprio. 131 *Sent. nil. auctorit. est affirmatiua post mortem Pontificis a quo Motus ille emanauit.*

Dicendum est secundo. Etiam regnãte eodem Pontifice, qui Motum proprium edidit, per Bullas subsequentes abrogari Motum proprium contrarium. Probatur conclusio, quia ex vna parte Põtifex sciens quid in Motu illo à se edito contineatur, non ignorat clausulam contrariam Bullæ Cruciatæ: ex alia verò parte concedens Cruciatam post promulgationem illius Motus agnoscit clausulas, quas Cruciata inuoluit, esse efficaces ad derogandum omnibus contrarijs, inter quæ cõprehenditur Motus ille proprius, & non obstante tali scientia Bullas concedit; ergo saltem implicitè vult ipsi Motui derogare: nam voluntas, qua concedit, opponitur volũtati, qua vult Motum proprium, ita vt illa exiens in actum, cum sit posterior, irritat priorem voluntatem, à qua Motus proprius dependebat, neq; oportet, vt explicitè hanc derogationem apponat in Bulla; quia lex posterior abrogat priorem contrariam, quamuis de illa mentionem nequaquam fiat, vt colligitur *ex cap. 1. de constitut. in 6. & ex Glos. ibi verb. Reuocare, & verb. noscatur.* 132 *Idē asseritur viuente Pontifice, si concedat post Motum illũ Bullas cum clausulis derogatorijs.*

Hanc sententiam vt probabiliorem admittimus, quia opposita, in quantum asserit non posse viuente eodem Pontifice per Bullas suspendi Motũ proprium, à multis defenditur, & est probabilis, sed censeo esse spectandas clausulas; nam possent in Motu proprio apponi tales clausulæ, vt per illas, quæ in Bulla habentur, non irritetur, imò etiam poterit cõtigere mortuo Põtifice, à quo Motus ille emanauit, vt irritetur, esse in Bulla apponendas clausulas magis specialiter derogantes, quàm sint hæ, quę de facto in Bulla continentur: sed nos in præsentia loquuti sumus de Motu illo Sixti V. vel similí, non autem de alio valde extraordinario, qualem puto esse eum, per quem Pontifex non solùm apponeret clausulã, 133 *Attendendæ sunt clausulæ derogatoriæ.*

in qua animaduerteret, neq; per Cruciatam tolli posse casum illum; sed procederet declarando suam intentionẽ esse in clausulis Bullarum succedentium velle, vt non comprehendatur casus ille reseruatus; tunc enim, nisi in Bullis apponātur clausulæ extraordinariæ derogantes, non suspenderetur Motus proprius, deberet autem apponi clausula, per quam irritaretur quæuis declaratio contraria intentionis.

134 *Motus subsequens poterit continere talē clausulā, vt à Cōmissario Cruciatæ non valeat suspendi.* Dicendum est tertio. Motus proprius subsequens, si contineat clausulam prædictam, nequit suspendi à Commissario virtute Bullæ Cruciatę antecedentis; atq; adeo vt illius Bullæ non poterit tolli casus reseruatus in Motu illo. Est contra Henriquez, & alios supra citatos. Probatur autem ista conclusio eodem fere argumento, quo vsi sumus pro confirmatione præcedentis conclusionis; nam Pontifex sciens facultatem à se cōcessam in Bulla, si faciat Decretum cū clausula derogante ipsi Bullæ in ordine ad reseruationẽ alicuius casus, censetur efficaciter velle limitare Bullā priorē, & cōsequēter potestatem Commissarij in ordine ad eūdem effectum, aliter Decretum inutiliter ederetur, cum statim ac fit, & vt ita dicam, statim ac nascitur, suffocetur à Commissario Bullæ, esset enim ridiculum asserere, quod Pontifex constituat legem, quā scit statim à suo Delegato fore irritandā; argueret enim hoc imprudētiā, & magnam incōstantiam in ipso Pontifice, quod non est præsumendum in Principe, & præsertim in supremo capite Ecclesiæ, vt colligitur *ex Clem. vnica de Renunciatione.*

135 *Respondetur ad rationes contrarias.* Ex his autem deducitur, quo pacto sit respondendū ad rationes aduersariorum superiùs positas; nam quatenus auctores primæ sententiæ asserunt, etiam si Motus proprius subsequatur, suspēdi à Cōmissario: respondemus negando id fieri posse; quia Pōtifex per Motum subsequentem limitat potestatem Commissarij, quātum satis est, ne Motus proprius impediatur; aliter, vt dixi, inanis foret reseruatio, quæ dum primò fit, perit.

136 *Responsio ad Motum proprium Sixti V. contra causfantes abortum.* Deniq; ex his, quæ in hac sect. dicta sūt, patet quid respondere debeamus, si quæsitum consideretur in ordine ad Motum propriū Sixti V. cōtra caussantes, & consulentes abortū, de quo agit *Pater Diana par. 5. tract. 9. resol. 39.* cuius doctrina, quatenùs respicit Motum proprium Sixti in ordine ad Bullas Cruciatæ subsequentes, à nobis approbatur, secus autem in ordine ad Bullam præcedentem.

CAPVT II.

Expenditur facultas prædicta descendendo ad nonnullos casus reseruatos in particulari, qui adnexam habent excommunicationem.

Non intendimus expendere in particulari censuras, & casus omnes, qui per Bullam absolui queūt, hoc enim esset exponere omnes casus à Summo Pontifice, & ab alijs Prælatis inferioribus reseruatos, quod esset egredi limites huius Operis, in quo solùm de Bulla Cruciatæ est noster sermo; prædictorum autem examen alibi tradi solet; attamen de quibusdam tantùm censuris, & casibus, de quibus est aliqua specialis difficultas, cuius enodatio pertinere poterit ad declarationem huius, vel alterius similis Bullę, pertractabimus, & primo loco sermonem faciemus de casibus, qui censuram excommunicationis coniunctam habēt. 1

SECTIO I.

An virtute Bullæ posset quis absolui ab hæresi externa occulta?

Quamuis in præsentibus Bullis apponatur exceptio, per quam prohibetur ne crimen hæresis absoluatur per Bullam, nihilominùs, quia aliquis dubitare posset, an exceptio ista locum habeat solùm, quādo hęresis est publica, & non occulta; idcirco nō videbitur inutile maioris claritatis gratia dubitationẽ explanare, & pręsertim ex hypothesi illius sententiæ, quam sequitur Sāchez, & quidam alij, qui asserunt casus papales eo ipso quod sunt occulti, non esse amplius papales, sed Episcopales stante *Decreto Concilij Tridentini sess. 24. cap. 6. de reformat.* vbi conceditur omnibus Episcopis posse absoluere suos subditos à casibus Pōtificijs, cum sunt occulti, & etiam ab hæresi, de qua re nos *capite præcedente sect. 9.* sermonem habuimus; & quamuis ibi opinionem contra Sanchez amplexi fuerimus, nihilominùs in præsenti quæsito loquimur ex suppositione, quod sententia illa Sanchez admittatur; ideo quærimus, an posita tali opinione, possit Cōfessarius per Bullam absoluere pœnitentem à crimine hæresis externæ, & occultæ, dixi externæ; nam si erit purè interna, certum est ab omni Confessario approbato absolui posse; quia dum manet in sola mente, non subiacet censuræ ecclesiasticę, neq; est reseruata. His præhabitis, 2 *Assignatur caussa quare instituatur præsens quæsitum.*

Pars affirmatiua suaderi potest eisdem argumentis, quibus plures auctores probant 3 *Suadetur pars affirmans.*

bant non esse per Bullam cœnæ reuocatam facultatem illam, quam Episcopi habuerunt *ex vi Concilij Tridentini loco superiùs citato*: hos autem auctores, eorumque fundamenta refert *Sanchez lib. 2. in Decal. cap. xi. num.* 27. at cæteris omissis, placet vnam tantùm rationem ponderare, quæ meo iudicio est reliquis efficacior, habetque fundamentum in iure, q̃ sequenti discursu declaratur.

4 *Ponderatur ratio efficax pro hac sententia.* Ex vna parte Iurium correctio, vtpotè odiosa, quantum fieri potest, vt communiter dicunt Doctores, est omnino fugienda, & hoc est adeo verum, vt ad correctionem illam vitandam interdum licitum sit, aliquo modo recedere à propria verborum significatione, vt ex multis Canonistis,& Iuris peritis probat *Sanchez lib. 1. de matrimonio disp. 17. cap. 7. nu. 6.* & cum aliqua moderatione admittit *Suarez lib. 6. de legibus cap. 27. num. 11. Castro Palaus tom. 1. tract. 4. disp. 4. p. 3. §. 1. nu. 22. Merolla tom. 2. suæ theol. moral. disp. 7. dub. 4. nu. 23.* Ex alia vero parte si legem latam per Bullam cœnæ interpretemur cum aliqua limitatione mox declaranda, nō solùm Iurium correctio vitaretur, sed etiam vtrumque Ius, nempe illud, quod extat in Bulla cœnæ; & procedit derogando legibus contrarijs, & illud, quod reperitur in Tridentino, & fauet Episcopis absque verborum improprietate totaliter conciliaremus: igitur Ius illud Bullæ cœnæ, cum tali limitatione est recipiendum; limitatio autem ista, quæ ambas vnit leges, erit, si Decretum Bullæ cœnæ, per quod tollitur omnibus Summo Pontifice inferioribus facultas absoluendi ab illis casibus in ea Bulla reseruatis, nisi in mortis articulo, non obstante quocunque Priuilegio, Indulto, & Decreto cuiusuis Concilij: si inquam Decretum istud intelligatur loqui de illis casibus, quando sunt publici, non autem quando sunt occulti, cum Decretum Tridentini loquatur, vt certum est loqui, de casibus tantùm occultis, sic vtrumque Decretum conciliabitur. & hæc dici possunt pro hac sententia.

5 *Alij negatiuam tuentur.* Cæterum quamplures auctores non minoris notæ, contrariam sententiam tuentur, videlicet per annuam Bullæ cœnæ promulgationem reuocatam esse facultatem illam, quam ex Tridentino habebant Episcopi in ordine ad casus reseruatos per eamdem Bullam, & hi auctores loco citato referuntur à Sanchez, quos etiam ipse sequitur, & à *Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 36. sect. 2. num. 11. Diana par. 1. tract. 5. resol. 1.* & nouissimè hanc opinionem defendit *Ioannes Baptista de Lezana in summa quæstionum Regularium tom. 3. ver. Bulla cœnæ num. 55.* rationes autem pro hac sententia sunt in duplici differentia; nam aliquæ fundantur in eisdem verbis, quæ habentur in Decreto illo Bullæ: aliquæ verò consistunt in quibusdam declarationibus non solùm Sacræ Congregationis, sed etiam ipsorum Pontificum, quas declarationes referunt sectatores huius sententiæ; ratio verò potissima desumpta ex verbis Bullæ est, quia cum per Decretum illud expresse derogetur Decreto cuiusuis Concilij, & nequeat assignari alia facultas in aliquo Concilio concessa, præter istam, quæ conceditur per Tridentinum, circa quam versari possit reuocatio illa per Bullam cœnæ; idcirco videtur Pontifex mediante Decreto illo, dum reuocat, reuocando non habuisse respectum, nisi ad facultatem istam, quæ extat in Tridentino.

Ex declarationibus verò Pontificijs, referuntur. *Declaratio Pij V. Greg. XIII. & Clemen. VIII.* vt videre est apud laudatos auctores. 6

Sed ad has declarationes auctores cōtrarij, & præsertim *Sousa in Bullam cœnæ cap. 23. disp. 100. concl. 3. Fagundez tract. 2. de præcepto Eccl. lib. 8. cap. 8.* respondent, declarationes illas authenticè non constare, & etiam si constarent, nihil officere, quia solùm potuerunt declarare Pontificum mentem in ordine ad Bullas, quæ fuerūt eo tempore: at Bullæ illæ post mortem prædictorum Pontificum non habuerunt valorem, cum expirauerint. Hæc, & similia dici possunt pro vtraque sententia, quæ probabilis est. Sed consideratis omnibus censeo partem negatiuam non solùm esse tutiorem, verùm etiam probabiliorem; atque adeo amplectendam. Ducor ad hoc potissimè asserendum; quia cum Pontifex expresse deroget omnibus facultatibus, etiam per Decreta cuiuscunq; Concilij siue in genere, siue in specie concessis; limitatio illa de casibus occultis nequit verbis Bullæ accōmodari; quia lex Pōtificia derogans absolutè loquitur; & si Pontifex voluisset excipere casus illos occultos, id declarare debuisset; & præsertim, cum in promptu poterat limitationem apponere, quam in similibus expressit, quando voluit restringere loquutionem aliquam vniuersalem, excipiendo casum particularem; cum autem non fecerit, signum est, voluisse per Bullam cœnæ reuocare omnem facultatem quomodocunque Episcopis concessam, quoad casus in eadem Bulla contentos. 7 *Recipitur pars negatiua.*

Ad fundamentum verò primæ sententiæ facilis erit responsio: & ideo aio Iurium correctionem, quantum potest, esse 8 *Satisfit fundamento contrariæ opinionis.*

esse vitandam: sed quando lex posterior apertis verbis inuoluit clausulas repugnantes priori legi; tunc nequimus fingere limitationes, explicando posteriorem legem in aliquo sensu, qui gratis, & absque rationabili causa excogitetur; hoc autem sequeretur, si Decreto, quod in Bulla cœnæ continetur, adderemus illam limitationem, quæ non solùm non colligitur ex verbis eiusdem Decreti, sed neque commodè possunt cum tali restrictione explicari verba illius Decreti, vt ostendimus.

SECTIO II.

Vtrum omnis actus externus habens malitiam hæresis internæ, à qua procedit, sit reseruatus, ita vt per Bullam absolui nequeat?

9 Supponimus ad solutionem huius quæsiti, hæresim purè mentalem non esse reseruatam; ac proinde à quocumque Confessario communem habente iurisdictionem absolui posse, vt fusè diximus *in tractatu de casibus reseruatis*; & ideo neque excommunicationi, neque alteri ecclesiasticæ pœnæ subiacere: Rursus supponimus hæresim, quæ simpliciter per actum exernum significatur, esse reseruatam *in prima Canone Bullæ cœnæ*, & adnexam habere excommunicationem, & quamtumuis occultam per Bullam Cruciatæ absolui non posse, vt supra diximus.

Hæresis solùm interna non est reseruata.

10 Id autem, quod inquirimus, est, an si quis hæretico animo prodeat in aliquem actum sensibilem, & externum habentem malitiam illius hæresis, quæ est in mente, actus ille sit reseruatus; an verò careat reseruatione, & valeat per Bullam auferri.

11 Aliqui, quos tacito nomine refert *Azor tom. 1. institutionum moralium lib. 8. cap. 9. quæst. vltimo, & Vasquez tract. de excom. dub. 19. num. 1. & 2.* aiunt, qui prodit in actum externum, existimari hæreticum; atque adeo incurrere in excommunicationem, à qua per hanc Bullam absolui nequaquam potest; & sic omnis actus ex se indifferens, si procedat ab affectu hæresis, subditur excommunicationi, & est soli Pontifici reseruatus. Possunt ad hoc declarandum quamplurima adduci exépla, de quibus *Peña in direct. par. 2. quæst. 44. com. 69. Farinacius de hæresi quæst. 175. §. 6. nu. 138. Sanchez tom. 1. in Decalog. lib. 2. cap. 8. num. 7, & sequentibus*, apud quę, videri possunt; placet tamen vnum, aut alterum proponere: v. g. si quis interiùs non credat Deum esse trinum in personis, & exteriùs dicat, non sunt, aut non est trinus: vel putans Verbum non esse incarnatum, & non esse hominem, dicat exteriùs, non est homo. Hæc, aut similia cum procedant ab interna hæresi, & sint actus sensibiles, & externi, subiacent excommunicationi latæ contra Hæreticos; ac proinde sunt reseruati. Probatur hæc sententia, ex eo quod duo videtur requiri, & sufficere ad rationem hæresis externæ reseruatæ: primo, vt verè in intellectu sit error contra fidem: secundo, vt ex tali errore, tanquam à principio influente procedat actus ille sensibilis, & externus; qui actus cum participet formalem malitiam hæresis internæ, à qua gignitur, verè appellatur hæresis externa; & ideo subijcitur pœnis ecclesiasticis, & est reseruatus; probari autem potest assumptum, quia certum est, actum, seu actionem illam exteriùs prodeuntem, esse malam, vtpotè imperatam ab actu malo interno, cum quo facit vnum peccatum completum; atque adeo rectè dicitur hæresis externa: at hæresis trahit secum excõmunicationem, & reseruationem: ergo nequit per Bullam auferri; in qua omnis externa hæresis excipitur, dum conceditur facultas absoluendi à casibus, & censuris reseruatis.

Nonnulli putant quemcũque actum externũ procedẽtẽ ab hæresi, externa, esse reseruatum, & subiacere censuræ.

Proponuntur exempla.

Et si huic rationi respondeas, illam hæresim externam subijci censuræ, & reseruationi, quæ Ecclesiæ iurisdictioni subdi potest; at actus illi externi vt procedentes ab interna hæresi non sunt cognoscibiles vt tales ab homine; & ideo nequeunt eadere sub humanam potestatem, & iurisdictionem, sunt enim ex se indifferentes; ita vt ex illis nequeat colligi hæresis interna. 12

Instantia contraria.

Si inquam ita respondeatur, vrgere possumus cum Vasquez loco citato, qui contra hanc responsionem argumentatur dicens, non esse necessarium, vt actus iudicio Ecclesiæ subdatur secũdum omnem circumstantiam, adhoc vt per talem actum incurratur excommunicatio, aut alia pœna ecclesiastica; sed satis esse secundum aliquid sui subdi, & præsupponere interiorem circumstantiam, & sic subijci pœnæ ecclesiasticæ; quemadmodum si Domini Inquisitores iniustè puniant aliquem ex affectu odij, statim incurrunt excommunicationem latam in *Clem. cap. multorum de hær. ver. verum quia nimis &c.* & tamen interior illa circumstantia odij, ratione cuius incurritur ista excommunicatio, cum sit merè interna, non subditur iudicio Ecclesiæ: sic in casu nostro, quamuis hæresis illa interna non subijciatur iudicio Ecclesiæ; nihilominus, vt coniuncta cum illo actu externo 13

Occurritur prædictæ instantię in fauorem huius sententiæ.

terno reddit actum illum externum punibilem ab Ecclesia.

14 *Non omnis actus procedens ab hæresi interna est reseruatus, & subiacet censuræ, alijsq; pœnis.*

Sed dicendum est, qui manifestat hæresim internam per actus omnino indifferentes; nempe per illos actus, qui neque per se ipsos, neque per circumstantias aliquas, sunt apti ad significandum id, quod est in mente, non dicitur hæreticus externus in eo sensu, secundum quem ab Ecclesia requiritur, vt incurrat excommunicationem, & subiaceat alijs pœnis spiritualibus, & vt peccatum sit reseruatum; ac proinde iste talis non solùm poterit absolui per Bullam, verùm etiam absque vllo priuilegio, à Confessario ordinario. Est communis sententia, quam docent multi tum antiqui, tum recentiores, quos laudat, & sequitur *Sanchez in Decalogum lib. 2. cap. 8. num. 7. & 8. Nauar. disp. p. de pœnit. cap. cogitationis num. 10. Vgolinus de censuris Pontifici reseruatis par. 2. cap. 1. §. 1. num. 17.* dum ad excommunicationem hanc incurrendam requirit, vt signum externum sit aptum, & sufficiens ad hæresim internam significandam, *Henriquez in summa lib. 6. de Pœnit. cap. 14. num. 6. Vasquez loco superiùs citato, & p. 2. disp. 160. cap. 5. Emanuel sa in Aphorismis verb. Excommunicatio Bullæ cœnæ nu. 3. Castro Palaus tom. 1. tract. 4. p. 3. nu. 3. & sequentibus.*

15 *Ratio pro conclusione.*

Probatur conclusio, quia adhoc vt actus externus, siue sit in voce, siue sit in scripto, siue in actione corporali, subiaceat pœnis ecclesiasticis, requiritur, vel vt in se, & formaliter sit malus, & prohibitus: vel vt habet connexionem cum actu interno malo, & prohibito, non solùm secundùm esse physicum, seu in ratione effectus physici, verùm etiam secundùm significationem moralem: si vero talem connexionem non habet, non poterit subiacere pœnis Ecclesiasticis; & ideo actus illi enumerati, cum secundum se non sint mali; & prohibiti, neque in ratione significandi connexionem necessariam habeant cum hæresi interna, quia secundum se indifferenter se habent ad significandum affectum internum hæreticum, aut catholicum; idcirco non censentur subijci excommunicationi, neque esse peccata reseruata; secùs autem si essent secundùm se mali malitia spectãte ad heresim, seu essent fidei aliquo modo repugnantes; nam si essent mali malitia alterius rationis non constituerẽt hæresim externam. v. g. si quis credat simplicem fornicationem, aut periurium nõ esse peccatũ, & ex tali affectu fornicetur, aut falsum iuret, actus externi nõ cõstituerent hæresim externam, quia malitia, qua affecti sunt, nõ contrariatur fidei:

Vt actus externus quatenus procedit ab interno subiaceat pœnis ecclesiasticis, debet vel formaliter habere malitiam, ob quam imponũtur pœnæ illæ, vel connexionem cum actu interno prohibito ab Ecclesia.

Contra verò si actus externi ex circumstantijs hic, & nunc essent apti ad indicãdam hæresim internam, v. g. si quis seruaret ritus Turcarum, aut Iudæorum in colendis eorum festiuitatibus, idque faceret ex affectu hæretico; vel si dum eleuatur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in sacrificio, aut per vicos transit, nullum adhiberet signum reuerentiæ, quando ex circumstantijs talis omissio debitæ reuerentiæ non posset inaduertentiæ tribui; vel si quis imagines Sanctorum proijceret. Hæc autem, & similia censerentur facta hæretica, & exteriùs habere malitiam fidei repugnantem, vel si quis coram alijs profiteretur, se per talia verba, aut signa, quamuis ex se indifferentia, velle ea assumere, ad significandum aliquem errorem contra fidẽ; tunc si proferat verba, aut signa illa scribere ex affectu hæretico procedentia, diceretur sufficienter hæreticus externus, & actio illa sensibilis esset peccatum reseruatũ; quia licèt actus illi, vt supponimus, ex se sunt indifferentes; nihilominùs ex circumstantijs extrinsecis, nempe ex intentione illa exteriùs manifestata, sufficientes essent ad indicandam hæresim internam, v. g. si quis protestaretur, quod quoties tali tempore proferat hæc verba, Non est homo, intelligat hoc asserere de Verbo Diuino, contra mysterium Incarnationis; vel protestaretur, quod scribens tales characteres, aut verba ex se indifferentia, ea scribat, credendo Deum non esse trinum in personis; si postea illa verba proferret, vel ea signa delinearet ex animo hæretico, tunc ex circumstantijs, nẽpè ex protestatione exteriùs facta colligeretur eius animus, & statim incideret in excommunicationẽ latam contra hæreticos, & non posset per Bullam absolui.

Explicatur varia proponuntur.

16 *Satisfit contrariæ rationi.*

Ad rationẽ pro opposita sentẽtia respondeo, concedendo ad hæresim externã illa duo sufficere, nempe errorem in intellectu cum pertinacia, &c. & actum sensibilem procedentem ab illo errore interno; sed addo actum sensibilem, & externum non debere esse qualemcunque, sed talẽ, vt vel secundum se repugnet fidei, vel saltem ex circumstantijs significet hæresim internam: si vero neutro modo se habeat, licèt procedat ab interna hæresi, & tanquam effectus, & per denominationẽ extrinsecam participet malitiam hęresis, non esset satis; quia secundùm significationem formaliter non causaretur ab hæresi, à qua caussaretur tantùm secundũ esse physicum; & in ratione significationis non haberet necessariam connexionẽ cum errore illo interno, neque ex suppositione alicuius extrinsecæ circumstãtiæ: & ideo

& ideo simpliciter participatio eiusdem malitiæ cum hæresi non sufficeret ad denominandum hunc actum, hæresim externam; nam ad hanc denominationem requiritur, vt participatio talis malitiæ fundetur in connexione actus externi cum interno in ratione significationis, & non in esse physico tantùm; & hoc non gratis à nobis asseritur, sed ob fundamentũ, quo nostrã sententiã probauimus.

17 *Soluitur instantia in fauorem primæ sententiæ.*

Ad illam autem instantiam, quam pro ipsis aduersarijs proponit Vasquez, & ex Clementina confirmat, respondeo, quod quamuis actus odij ab Ecclesia nõ sit cognoscibilis; tamen actus ille externus, quẽ Ecclesia punit, habet malitiam iniustitiæ, quæ subdi potest cognitioni humanæ, licèt Ecclesia talem actum puniat posito tamquam connotato actu odij ab ipsa nõ cognoscibili, quem præsumit adesse ex iniustitia illa externa: at in casu nostro actus externus, quando est indifferens, & malus, quatenùs procedit ab interno, habet malitiam ab Ecclesia nullo pacto cognoscibilem; proinde vt sic ab ipsa Ecclesia non punitur.

18 *Secundum aliquos præsumitur hæresis externa, si verba sunt æquiuoca, & possunt habere sensum hæreticum.*

Dicendum est secundo. Si quis pronũciaret hæresim internam verbis, aut signis æquiuocis, quæ possunt habere sensum catholicum, & sensum hæreticum, & ad vtrũque sint indifferentia, præsumitur hæreticus externus: sic docet *Suarez de fide disp. 21. sect. 2. num. 10. Sanchez loco citato num. 26. & Bonacina de censuris disp. 2. quæst. 5. p. 2. num. 6.* & ducuntur ad hoc asserendum, quia hæreticus vtitur verbis ambiguis, & æquiuocis ad subterfugiendum, & simulandum; sed magis placet distinctio, quam dat *Castro Palaus loco citato*; inquit enim, hoc esse intelligendum, quando verba non sunt perfectè ambigua, sed communiter accipi solent in malam partem; aut ex circumstantijs cogimur ita ea accipere: at si pensatis omnibus circumstantijs nequeunt determinatè accipi in sensum malum, & hæreticum, nulla apparet ratio, cur dicamus, quod prolatio illa constituat externam hæresim: imò, vt aiunt Doctores, verba, vel facta, quæ possunt in bonum, & malũ sensum, interpretari, debent in bonam partem sumi: ita docent *Farinac. de hæresi quæst. 187. à num. 11. Rojas in tract. de hæret. par. 1. num. 200.*

Opus est distinctione.

Si verba possunt aquè habere sensum rectum, & sensum hæreticum, non cõstituunt hæresim externam.

19 *Soluitur ratio contraria.*

Ad rationem verò in contrarium respondeo, esto quod ab hæretico vsurpentur verba ambigua ad simulandum, & subterfugiendum; ex hoc autem non rectè infertur actum illum externum subdi censuræ ecclesiasticę, cũ vt sic nõ sit tãquã malus malitia hæreticali ab ipsa Ecclesia cognoscibilis, vt supra declarauim⁹.

SECTIO III.

Vtrum facultas circa casus Bullæ cœnæ sine restrictione concessa, extendatur ad hæresim?

20 *Prima opinio negat.*

TRes, aut quatuor super hanc materiam reperio sententias; quarum prima absolutè negat facultatem concessam ad absoluendos casus cœnæ extendi ad crimen hæresis; si de ipso specialis mẽtio non fiat. *Ita Couar. in cap. Alma mater. par. 1. §. 11. nu. 15. Nauar. in Enchiridion cap. 27. num. 275. Rodriquez in Bulla Cruciatæ. §. 9. num. 71. Henriquez in summa lib. 6. cap. 16. num. 2. Suarez tract. de fide disp. 21. sect. 4. num 21. & de cens. disp. 7. sect. 2. num. 10. Vasquez. tom. 4. de excom. dub. 19. num. 5. Viualdus in candel cap. de absolut. Sacram. num. 24. 25. Azor. tom. 1. institut. moral lib. 8. cap 10. quæst. 12. & cap. 19 quæst. 2. Farinacius de hæresi. quæst. 192. num. 63. ver. (& hæc contraria opinio) Barbosa de potest. episc. alleg 40. num. 31. Ludouicus à Cruce in Bullam. disp. 1. cap. 3. dub. 6 num. 4. Trullench similiter in Bullam lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 7. num. 9. Reginaldus in praxi tom. 1. lib. 8. num. 53. Castro Palaus tom. 1. tract. 4 disp. 4. p. 3. §. 4. num. 2. Bartholomeus à S. Fausto lib. 4. de iubileo extraordinario quæst. 105. & plures alij* & ex laudatis nonnulli explicitè, & in particulari loquuntur de Bulla Cruciatæ, si in ea non exciperetur delictum hæresis. Aliqui verò generaliter loquuntur de quibuscunque Bullis, seu Iubileis, in quibus conceduntur casus cœnæ Domini sine expressione hæresis, & aiunt, facultatem istam non extendi ad ipsam hæresim; quia requiritur specialis concessio; ita vt sub generali non intelligatur comprehensa, & hoc ob grauitatem delicti.

21 *Alia opinio affirmat.*

Secunda opinio est opposita, quam defendit *Sotus lib. 4. sent. dist. 22. quæst. 2. a. 3. Corduba in summa quæst. 8. Emanuel sà in Aphorismis de Excom. Bulla cœna. num. 17. & quidam alij apud Viualdum.*

22 *Aliqui admittunt sententiam affirmatiuam loquendo de hæretico occulto, negant de publico.*

Tertia sententia potest esse illa, quam docuit *Graphius in decisionibus aureis tom. 1. lib. 4. cap. 15.* qui vult hæreticum occultum posse absolui ab eo, qui habet facultatem generalem absoluendi à casibus cœnæ Domini; negat autem hoc de hæretico notorio, adquem absoluendum requirit facultatem specialem.

23 *Opinio Petri de Lorca distinguẽtis duo tempora.*

Quarta denique opinio videtur excogitata *à Petro Lorca in 2. 2. S. Thomæ q. 11. a. 4. disp. 45. num. 13.* vbi ait, inutilem nunc esse hanc quæstionem; quia in Bulla manifestè excipitur crimen hæresis, vtilem tamen fuisse, antequam exceptio expresè fieret, & vtilem, si postea omitterę-

teretur; idcirco distinguit duo tempora, videlicet tempus illud antecedens, in quo non erat in Bulla exceptum crimen hæresis, & cōcedebatur generalis facultas absoluendi à reseruatis, & tempus subsequens exceptionem. Quibus præmissis, inquit, quod si attendamus tempus illud antecedens, probabiliorem sibi videri sententiam negatiuam; si tamen in futurum cōcederetur generalis facultas absque illa explicita limitatione, asserit, absolutionem ab hæresi esse comprehēsam. Primum autem assertum probat ratione illa, quam communiter afferunt fautores illius opinionis negatiuæ; nempe in generali concessione non venire, quæ negarentur à Cōcedente, si de illis specialiter interrogatus esset. Secundū verò assertum probat; quia ex eo quod Pontifici constat talis controuersia, & vt quæstionem sedaret, expressè excipit crimē hæresis; si postmodū absq; tali exceptione generalē daret absoluēdi facultatem, videretur ex industria auferre exceptionē illam, & velle indiscriminatim omnia largiri. Hæc ex Lorca. Quibus omnibus sententijs præsuppositis.

24 *In Bullis, quæ nunc promulgantur expressè hæresis excipitur.*

Dicendum est primo. Si attendamus Bullam, quæ nunc in Regnis Hispaniarū, & adiacentibus &c. ab anno 1584. promulgantur, res est indubitata; nam dum conceditur facultas absoluendi à casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, expressè excipitur crimen hæresis; & ideò spectando tenorem harum Bullarum nulla remanet difficultas.

25 *Hæresis publica est priuatiuè reseruata Inquisitoribus in Regnis, in quibus est eorum tribunal.*

Vbi non est tribunal Inquisitionis ad Pontificem est recurrendum.

Dicendum est secundo. Quando hæresis est publica, præscindendo ab articulo, seu periculo mortis, absolutio ab hæresi non tātùm Summo Pontifici, verùm etiam est priuatiuè reseruata tribunali Sanctæ Inquisitionis in illis Regnis, in quibus reperitur istud sanctum tribunal, & talis facultas illi est concessa virtute variarum Constitutionum, quæ à plurimis Pontificibus secundùm temporum diuersitatem sunt concessa, quæ nunc à nobis supponuntur: in Regnis autem, in quibus tale tribunal non est constitutum, absolutio ista pertinet ad solum Pontificem, loquendo de hæresi publica: nam de occulta est apud Doctores dubitatio, an possint subditi ab Episcopo proprio absolui virtute Tridentini; quoniam videtur Decretum Tridentini abrogatum per Bullam cœnæ; de qua re fusè tractat *Sanchez in Decal. lib. 2. cap. 11. à nu. 26.* hinc inde rationes pro vtraque parte examinans, ipse verò partem negatiuam amplectitur.

Est dubium, an Episcopus possit suos subditos ab hæresi occulta absoluere.

26 Dicendum est tertio. Si sermo erit de hæresi occulta, & in solo foro conscientiæ, præscindendo à Constitutionibus, quæ extant pro Dominis Inquisitoribus contra hæreticam prauitatem, & solùm loquendo de Bullis, in quibus absolutè cōcedebatur facultas in ordine ad casus Pontificios, & ad eos, qui in Bulla cœnæ continentur, vt erat *Bul. Cruc. lat. Pij V, anno Domini* 1571. quam de verbo ad verbum transcripsit *Ludouicus à Cruce*; vel si ex suppositione non exciperetur in Bullis præsentibus crimen hæresis: si sermo, inquam, erit de his Bullis cum suppositionibus prædictis, probabiliorē existimo sententiā secundo loco relatam, & hoc nō solùm ob auctoritatem illorū, qui eam tuentur, sed etiam, quia opinio ista sufficienti fulcitur ratione; nam Pontifex dum simpliciter concedit sumentibus Bullam Cruciatæ omnes casus sibi reseruatos etiam in litteris, quæ in die cœnæ legi consueuerunt, & nullam in tali concessione apponit limitationem, & facillimè eam apponere potest, videtur velle omnes casus in Bulla cœnæ, etiam hæresim comprehendere. Et confirmatur, quia, quādo vult hæresim excipere, apertè se declarat, sicut facit in Bullis præsentibus: & in Iubileis aliquādo sine restrictione loquitur, aliquando verò excipit crimen hæresis: & sic in fauorem huius opinionis testatur *Emanuel Sà l. c. declaratum fuisse à Sacra Congregatione; & Fibucius in Summa tom. 1. tract. 8. cap. 10. n.* 265. affirmat, ita fuisse responsum occasione *iubilei concessi anno Domini* 1617. *à Paulo V.* idcirco non placet argumētum illud potissimum, quo vti solent auctores contrariæ sententiæ, dum probant suam conclusionem *ex illo principio iuris in 6. regula* 81. videlicet in generali cōcessione non intelligi comprehensa, quæ specialiter indigent concessione. Ex quo principio deducunt, crimen hæresis non comprehendi in facultate ista, de qua loquimur; quia facultatem absoluendi a tali delicto in specie Pontifex verisimiliter non esset concessurus. Sed, meo iudicio, hoc nō rectè ex illo iuris principio infertur; quia principium, seu regula illa iuris tunc verificabitur, quando eadem non est ratio formalis, sub qua manent omnia sub solius superioris imperio, seu iurisdictionis; dixi, quando eadem non est ratio formalis, &c. quia licèt rationes materiales sint valde diuersæ; tamen talis diuersitas non erit sufficiens, vt omnes res illæ vi eiusdem rationis formalis non maneant sub solo imperio Superioris; atque adeo sub eadem generalitate non veniant; secùs autem si ra-

tio formalis, sub qua res illæ manent sub sola Superioris potestate, sit multiplex, & diuersa. Exemplis hæc omnia declarantur. V. G. Si Episcopus concedat alicui Sacerdoti facultatem ad audiendam confessionem alicuius sui subditi, & ad eumdem absoluendum ab omnibus casibus sibi reseruatis, ex vi huius concessionis non intelliguntur comprehensæ censuræ eidem Episcopo reseruatæ, si aliqui casus erunt absq; censura reseruati, vt rectè animaduertit *Suarez ex doctrina Nauarri disp. 7. de censuris sect. 4. n. 14.* Et ratio est, quia sub generali ratione casuum non veniunt censuræ, cum sint diuersæ rationis; at si casus essent reseruati sub censura, vt sunt de facto casus papales; tunc sub generali concessione casuum venirent etiam censuræ; sed hoc esset per accidens, & ratione illius concomitantiæ: Rursus si Episcopus approbet Sacerdotem ad Sacramenta administranda, sub tali approbatione non includerentur Sacramenta extremæ vnctionis, & matrimonij, vt notat *Fagundez de præcept. Eccl lib. 7. cap. 3. n. 6.* quia talis approbatio communiter intelligi solet de illis Sacramentis, quæ ob maximam necessitatem & ob frequentem vsum requirunt maiorem Ministrorum pluralitatem, quæ ratio non militat in Sacramentis matrimonij, & extremæ vnctionis; idcirco sub illa generali approbatione non censentur comprehensa, nisi de mente concedentis aliud constet.

Sub nomine casuum non venit censura.

27 Cæterum in casu nostro, cum sub eadem prorsus formali reseruatione Pontifex apud se retineat potestatem absoluendi ab hæresi, & ab alijs criminibus, quæ in Bulla cœnæ leguntur; idcircò, dū absolutè concedit potestatē absoluendi a casibus in prædicta Bulla cōprehensis, videtur omnes includere; nā talis concessio, licèt secundùm sonum verborum, sit generalis, tamen est æquiualenter specialis, & nihil obstat maliti diuersitas, & grauitas, quam habet hæresis super alios casus eiusdem Bullæ; talis enim diuersitas materialiter se habet in ordine ad reseruationem, quæ cum sit vnica, æqualiter afficit omnes casus illos; & per consequēs in ordine ad reseruationem vnus non est formaliter alio grauior, neque vnus magis reseruatus, quàm alius. Alia argumēta, quæ in contrarium obijci solent, faciliùs diluuntur, & sunt sequentia, videlicet.

Sub eadem formali reseruatione cōcedit ur hæresis & alij casus in Bulla cœnæ.

28 Nonnullæ responsiones, & declarationes, quæ à diuersis Summis Pontificibus emanarunt, nempe *a Pio V. anno 1572.* vt asserit *Rojas lib. 1. de Hæreticis par. 2. assertione 32.* rursus referuntur *declarationes Vrb. IV. Pauli IV. apud Henriquez in Summa lib. 6. cap. 16. n. 2. & Aragonium in 2. 2. S. Thomæ q. 31. a. 3.* & demum ita declarauit *Gregorius XIII. anno 1576. in quodam Motu proprio*, quem ad verbum transcribit *Emanuel Rodriquez in addit. ad Bullam Cruciatæ §. 9 nu. 66.* & ideo *Ludouicus à Cruce, vt supra*, his declarationibus ductus, subdit ex Aragonio, & Henriquez, ab Inquisitoribus in Hispania publicè promulgatum fuisse, neminem virtute Cruciatæ absolui posse ab hæresi.

Obiectio ex varijs declarationibus Pontificijs.

Sed ad hoc argumentum ex prædictis declarationibus desumptum, respondeo primo: de illis iuridicè non constare. Secundo neque à prædictis Pontificibus declaratum fuisse, quod quando conceduntur casus contenti in Bulla cœnæ, nō comprehendatur hæresis; sed ad summū non cōprehendi hæresim, nisi aliquo modo concedatur, quod potest fieri vel per explicitam concessionem, vel saltem per concessionem generalem, quæ talis sit, vt æquiualeat speciali, & sic dicimus, quod, dum Pontifex concedit facultatem absoluendi à casibus in Bulla cœnæ, & nullam adhibet restrictionem, talis cōcessio est æquiualens speciali concessioni ob rationem superiùs expositam. Tertio aio, quod Motus proprius Gregorij XIII. nobis minimè aduersatur; quia Commissarius generalis Cruciatæ virtute eiusdem Constitutionis præscribentis fieri hanc exceptionem in Bullis, quæ nunc emanāt, iam excipit crimen hæresis; & ideo non sumus in casu; quia nos loquimur, quādo nulla est limitatio, sed absoluta concessio: neque obstat promulgatio illa facta à Dominis Inquisitoribus; nam id potest intelligi vel de hæresi publica, vel posito quod sit facta exceptio à Pontificibus. Præterea arguit idē Ludouicus ex eo quod cōmissio generalis facta Delegato nō extenditur ad caussam fidei, nisi exprimatur, vt communiter tenent Doctores. Cum igitur in Bullis, aut Iubileis casus hæresis non exprimatur, intelligitur omninò exceptus. 29

Responsio.

Respondeo, si nullo modo exprimatur, concedo deberè intelligi exceptum crimen hæresis; at nego quando est expressum vel in se, vel in alio, in quo per æquiualentiam sufficienter declaratur: & ita euenit, dum absolutè, & sine aliqua restrictione in Bullis, & Iubileis concedūtur casus in Bulla cœnæ; tunc omnes intelligūtur per quamdam æquiualentiam expressi, vt supra explicuimus, & per consequens concessi. 30

Hæresis nullo modo concessione facultatis ad absoluendum ponatur, intelligitur excepta.

De-

31 Denique dum in Bulla, & iubileo conceditur facultas generalis commutandi vota, vel dispensandi, non comprehenduntur vota castitatis, & religionis: ergo idem est asserendum de crimine hæresis.

32 *Si in concessione facultatis ad commutanda vota nulla fieret mentio de votis reseruatis, omnia intelligerentur excepta.*

Respondeo, dum conceditur facultas cōmutandi vota &c. si nulla fiat mētio de votis reseruatis, nō intelligi comprehensa vota ipsa reseruata, nā ratione reseruationis habent qualitatem quamdam, ob quā nequeunt intelligi sub generali facultate commutandi vota, quæ tali qualitate carent, secùs si fiat mentio aliqua, aut specialis, aut generalis æquiualens speciali, modo explicato.

33 Quæres. An idem sit dicendum de casibus Bullæ cœnæ, quando non conceduntur explicitè, sed solùm datur facultas generalis in ordine ad casus Summo Pontifici reseruatos.

34 *Facultas ad absoluendum à casibus papalibus non comprehendit casus in Bulla cœnæ, & quare.*

Respondeo negatiuè; quia alij casus Pontifici reseruati non continentur sub eadem reseruatione, qua reseruantur casus in Bulla cœnæ, qui ob grauitatem, quā habent, speciali reseruatione reseruātur; vt patet ex clausulis derogatorijs, quæ sunt in eadem Bulla, & non inueniuntur, cum Pontifex sibi reseruat alios: proinde hi casus requirunt specialem concessionem; & hæc sententia, quæ communis est, docent *Vgolinus de censuris tab. 1. cap. 10. §. 4 n. 8. Suarez de censuris disp. 21. sect. 3. nu. 3. Sanchez in summa lib. 2. cap. 12. in fine. Bonacina de censuris disp. 1. quæst. 3. p. 1. n. 12. Bartholomæus à S. Fausto de iubileis extraordin: lib. 4. quæst. 104. & alij.*

SECTIO IV.

An virtute Cruciatæ possint absolui, qui lapsi sunt in crimina contenta in primo Canone Bullæ cœnæ hæresi excepta.

35 PLures sunt casus, qui in primo Canone Bullæ cœnæ inueniuntur præter delictum hæresis: nam excommunicantur Apostatæ à fide, Fautores, Receptatores hæreticorūmeisque Credentes, Legentes, Imprimentes, Retinentes, aut Defendentes libros hæreticorū hæresim continentes, vel de religione tractantes. Rursus Schismatici, & pertinaciter se subtrahentes ab obedientia Sedis Apostolicæ. Horum autem criminum declarationem in præsentia supponimus ex tractatu Bullæ cœnæ; nam solùm inquirimus, an sicuti delictum hæresis excipitur, sic etiam intelligantur etiam excepta omnia prædicta crimina, quæ sunt ipsi hæresi affinia, ita vt per Bullam tolli nequeant.

Prima opinio, quæ à nonnullis asseritur, vult, per Bullā Cruciatæ neminē absolui posse ab his casibus contentis in primo Canone Bullæ cœnæ; sic *Ledesma in Summa tom. 1. tract. 1. cap. 6. Rodriquez in expositione Cruciatæ §. 9 nu 7. & in addit. ad eumdem. §. n. 66. Azor. tom. 1. institut. moral. lib 8 cap. 19. q. 2. Luysius Turr. in 2. 2. S. Thomæ tom. 1. disp. 56. dub. 1. vers. Deinde sciendum, & apud Sanchez loco infra citando,* idem sustinent loquendo de Schismate, *Vega in Summa. tom. 1. cap. 125. cas. 12.* Fundant autem hanc sententiam in eo, quod omnes supradicti casus reseruati sunt tribunali Sanctæ Inquisitionis, & comprehensi sub crimine hæresis; proinde sicuti absolutio ab hæresi eidem tribunali conceditur, sic absolutio ab alijs supradictis criminibus. 36

Aliqui putarūt per Cruciatā remitti non posse casus in primo Canone Bullæ cœnæ.

Secunda verò sententia oppositum docet; nempè ab his casibus pœnitentē absolui posse virtute Cruciatæ; sic *Henriquez in Summa lib. 6. cap. 16. nu. 2. & in Glos. lit. L. Farinacius de hæresi q. 180. n. 8. Sāchez in Decalog. lib. 2. cap. 12. n. 12. Ludouicus à Cruce in Bull. cap. 3. dub. 8. num. 2. & alij.* 37

Alij censuerūt p Cruciatam casus illos remitti posse hæresi excepta.

Dicendum est primo, quando in prædictis criminibus non inuoluitur error in intellectu contra fidem, ab illis omnibus absolui posse pœnitentes virtute huius Cruciatæ, vt vult secunda opinio, & ratio est manifesta; quia cum in Bulla Cruciatæ delictū dūtaxat hæresis excipiatur, & exceptio firmet regulam in cōtrariū, vt communiter dicunt Doctores, poterit Confessarius virtute Bullæ absoluere pœnitentes à reliquis omnibus casibus in illo primo Canone contentis. Et confirmatur conclusio; quia facultas ista, quæ in Bulla conceditur, est fauorabilis, ac proinde est amplianda, & præsertim, cum nulla nobis se offerat ratio ad illam coarctandam. 38

Pars affirmatiua cum limitatione recipitur.

Confirmatio.

Ad fundamentum in oppositum pro auctoribus primæ opinionis facillima est responsio; nam licet casus illi primi Canonis Inquisitoribus reseruentur, malè ex hoc infertur nō posse absolui per Bullam, argumentum autem nimium probat: sequeretur enim neque virtute Bullæ posse fideles absolui à peccato patrato in contractione Matrimonij cum secunda vxore, dum viuit prima, neq; à sollicitatione facta in confessione sacramentali, neque demum aliquis posset vigore eiusdem Bullæ absolui à casibus Summo Pontifici reseruatis; nam si reseruatio casuum facta Inquisitoribus prohibet, quin per Bullam auferri possint; multò magis hoc ipsum esset asserendum de casibus Summo Pontifici reseruatis. 39

Diluitur oppositum fundamentum, & doctrina diminuitur.

Neque dicas, ideo absolui posse à casibus Pontificijs, quia in Bulla id expresse conceditur; facilè ad hoc occurrimus; nam casus contenti in illo primo Canone sunt casus Pontificij, qui Inquisitoribus reseruantur quoad punitionem, & quoad absolutionem pro foro externo; & licèt cōcedamus posse etiam ab Inquisitoribus remitti in foro conscientiæ quoad absolutionem ab excommunicatione; tamen non in ordine ad confessionem sacramētalem; & ideo, vt ait *Sanchez loco citato*, Inquisitor non Sacerdos absoluere potest in foro conscientiæ ab hæresis excommunicatione,

40 Demum negandum est, prædicta crimina comprehendi sub hæresi: reseruatio enim cum sit odiosa, eius verba non sunt extendenda vltra proprium significatum naturale, imò potiùs restringenda, iuxta regulam Iuris in 6.

Crimina in primo Canone Bullæ cœnæ non continentur sub hæresi.

41 Dicendum est secundò. Si crimina prædicta admixtum habeant errorem contra fidem, tunc intelliguntur excepti, & facultas Cruciatæ ad illa nō se extendet: conclusio est manifesta; quia ob admixtam hæresim facultas concessa impediretur ne exiret in actum; hoc autem eveniret non ratione illorū criminum vt sic, sed ratione coniuncti, nempè hæresis; quēadmodum Sacerdos, qui habet potestatē absoluendi sola venialia, si audiat confessionem venialium, quæ habent culpam lethalem coniunctam, & in eadem confessione manifestatam, nihil efficiet ob impedimentum peccati mortalis adnexi.

Casus in primo Canone, si procederēt ex errore cōtra fidem, intelligūtur excepti.

SECTIO V.

An virtute Cruciatæ possit Confessarius toties quoties absoluere à casibus Sanctæ Inquisitioni reseruatis.

42 Antequā deueniamus ad huius quæsiti decisionem, tanquam certum supponimus, quod loquendo de hæresi externa, ob quam incurritur excommunicatio reseruata in primo Canone Bullæ cœnæ, nequit Confessarius per Cruciatā, neque pro vna vice, hæreticum absoluere; quia expresse tale crimen in ipsamet Cruciata excipitur, vt supra diximus: nō loquendo autem de hæresi, aio, casus, qui tribunali Sanctæ Inquisitioni reseruantur, esse in duplici differentia; nam aliqui extant in eodem primo Canone Bullæ cœnæ, vt auxilium, seu fauorē Hæreticis præbere, eos receptare, eorum libros hæresim continentes, vel de religione tractantes, legere, retinere, imprimere, defendere &c. Rursus schisma, & inobedientia à Sancta Sede Apostolica &c. Alij autem casus non reperiuntur in Bulla cœnæ, vt maleficia, sacrilegia, blasphemiæ hæreticales, sollicitatio ad Venerem in confessione sacramentali, iuxta constitutiones Pontificias antiquas, & recentes, & demū omnia illa crimina, quæ continentur in Edictis eiusdem Sanctæ Inquisitionis, quæ singulis annis promulgari consueuerunt. His autem positis,

Dicendum est primò. Si sermo erit de delictis inclusis in illo Canone Bullæ cœnæ, si habeant admixtum errorem in intellectu repugnantem Sanctæ fidei, idem, quoad absolutionem virtute Cruciatæ, asserendum est, quod diximus de hæresi externa, nempe absolui non posse per Cruciatam, quia ratione hæresis adnexæ intelliguntur excepta, & sic v. g. si quis recipiat aliquem hæreticū, vel libros supradictos animo, & errore hereticali perlegat, iste talis si resipiscat, non poterit vti priuilegio Bullæ, vt ab excommunicatione incursa se liberet; nam illa externa actio, quatenus procedit ab hæresi interna censetur reseruata, & per denominationem extrinsecam malitiam hæresis inuoluit; & de hac conclusione nemo dubitare potest. 43

A casibus Inquisitioni reseruatis habentibus admixtum errorem contra fidem nemo in Cruciata absolui potest.

Dicendum est secundò. Si delicta ista nullum errorem fidei contrarium supponant, à quo tanquā effectus procedant; certum est semel in vita, & semel in articulo mortis auferri posse per Bullam, vt sectione præcedente efficaciter ostendimus, ad quam lectorem remitto. Dixi semel in vita, &c. quia cum sint casus Summo Pontifici reseruati, priuilegium Bullæ pro vna tantùm vice in ordine ad illos tollendos vigorem habet, vt patet ex tenore ipsius Bullæ, & ex superius dictis. 44

Si talem errorem non continent per Cruciatā remitti possunt semel in vita, & morte.

Dicendum est tertiò. Ab omnibus alijs casibus, qui Inquisitioni reseruantur, & non continentur in eo Canone posse Cōfessarium toties quoties absoluere. Hanc sententiam ponit *P. Diana 1. p suarum moralium resol. tract. 5. resol. 7. ver. (Notant etiam.)* Probatur autē conclusio ista euidenti ratione ex verbis eiusdē Cruciatæ; dum enim agitur de facultate cōcessa ad absoluendum à reseruatis, priuilegiū absoluendi limitatur pro vna vice in vita, & pro alia in articulo mortis respectu dumtaxat casuum papalium: at in ordine ad alios casus, & censuras conceditur libera potestas absoluēdi toties quoties, sic enim dicitur: cū igitur absolutio semel tradenda coarctetur ad solos casus Pontificios; alios verò, expresse dicatur, posse vi Bullæ toties quoties cōfitebuntur, auferri, cōsequens est, vt dicamus vniuersaliter, omnes reliquos cuicunque reseruatos, siue Episcopis, siue Inquisitoribus posse toties quoties 45

Ab alijs Summo Pontifici non reseruatis toties quoties.

quoties remitti, cum restrictio in Bulla in casibus solùm papalibus fiat.

46 Dices. Possunt inueniri alij casus non extantes in Bulla cœnæ, qui sint simul Inquisitoribus, & Summo Pontifici reseruati; ac proinde ratione reseruationis papalis non poterit Confessarius per Bullam Cruciatæ ab illis toties quoties absoluere: ergo falsum est, quod dicitur in tertia cõclusione, videlicet ab omnibus alijs casibus, qui in illo primo Canone non clauduntur, & Inquisitoribus reseruantur, posse Confessarium absoluere.

47 *Nō reperiuntur casus reseruatus communiter Papæ, & Inquisitoribus, qui nō sunt in primo Canone Bullæ cœnæ.*

Respondeo, si præter illos, qui sunt in Bulla cœnæ reperirentur alij casus simul Inquisitoribus, & Summo Pontifici communiter reseruati, argumentum concluderet, & à nobis vtique concederetur, sed quia de facto præter illos, qui extant in illo Canone, nullus reperitur casus cõmuniter Inquisitoribus, & Summo Pontifici reseruatus; idcirco verè dicere possumus ab omnibus alijs præter illos &c. posse Confessarium toties quoties per Bullam Cruciatæ absoluere; & ideo ad argumentum neganda est cõsequentia, cum procedat ab antecedente conditionato, cuius conditio de facto non est purificata. Si quis autem desiderat videre, an veritatem habeat id, quod asserimus, nimirum præter eos casus, qui sunt in primo Canone Bullæ cœnæ, nullũ alium inueniri Inquisitoribus, & Põtifici reseruatum, legat Catalogum omnium casuum papalium vsque ad annum 1618. apud *Filliucium tom. 1. tract.* 15. & 16. ab illo autem anno vsque ad præsens tempus non reperitur casus communiter Inquisitoribus, & Summo Pontifici reseruatus.

SECTIO VI.

An per Bullam possit quis absolui, si culpabiliter omisit denunciare delicta, quæ sunt in Edicto Inquisitorum, antequam actu reuelet.

48 CAsus iste sæpè contingere solet; sunt enim aliqui, qui non obstante excommunicatione, quę fulminatur cõtra non reuelantes intra terminum impositum aliquod crimen ex illis, quæ continẽtur in Edicto Inquisitorum, non curant illud reuelare: ac proinde incidunt in excõmunicationem latam in eodem Edicto contra non reuelantes, &c. Quærimus igitur in præsenti, an si quis peccauerit ommittens reuelare, quando poterat, & debebat; si postea resipiscat, & confiteatur promittens se denunciaturum crimen illud, quod scit ab alio patratum, possit à Confessario absolui per Bullam Cruciatæ, antequam actu præcedat denunciatio. V. G. si quis audiuerit hæresim ab alio prolatam, seu esse hæreticum, aut si mulier fuerit à Confessario sacramentaliter excipiente peccata ad actus turpes sollicitata; & mulier sciat obligationem denunciandi talem Confessariũ: an hi tales valeant absolui antequam denuncient.

Partem negatiuam defendit *Stephanus Auila de censuris par. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 7. in fine*, qui loquens de rebus grauibus in terminis de casibus reseruatis tribunali Sanctæ Inquisitionis docet, pœnitentem esse remittendum ad Inquisitores, vt denunciet, antequam absoluatur, idq; probat ex ipsomet Edicto Inquisitorum, in cuius vltimo paragrapho sub pœna excommunicationis præcipitur omnibus Confessarijs tam regularibus, tum non regularibus, vt pœnitentes non absoluãt, nisi priùs reuelent. Et conuenienter hoc videtur statutum; quia si priùs absoluantur, sæpè contingeret, vt postea negligerent denunciationem. Sed hæc sententia, vt iacet, videtur nimis rigida, atq; adeo limitatione indigere. 49 *Opinio negatiua refertur.*

Dico igitur primo. Per se loquẽdo nequit Confessarius absoluere pœnitẽtem, si culpabiliter omisit reuelare, antequàm denunciet, suæq; obligationi satisfaciat. Hanc sententiam docent *Henriquez in summa lib. 5. cap. 10. in com. lit. T. Rodericus Acuña de Confessarijs sollicitantibus quæst. 21. num. 7. &* 8 *Trullench in Bullam lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 8. num. 7.* & probari potest ex verbis Edicti Inquisitorum, cui innititur Auila; per edictum enim illud datur præceptum de non absoluẽdo, nisi facta denunciatione; & ideo aliquando tale præceptum poterit vrgere; alter si nunquam locum habere valeat, esset vel inane, vel iniquum, quod nullo pacto est asserendum; ergo per se loquendo esse omnino seruandum: at per accidens poterit interdum non vrgere; vt mox videbimus. 50 *Per se loquẽdo nõ potest pœnitẽs absolui, nisi prius denunciet.*

Veritatem hanc docuit Illustrissimus, ac Reuerendissimus D. Didacus Garzia de Transmiera ex Diui Iacobi Militia, non minùs nobilitate, quàm ingenio, & doctrina conspicuus, qui licèt in hoc Siciliæ Regno, vbi Sanctissimę Inquisitionis contra hęreticam prauitatem, omnium gratissimus, munꝰ exerceat, grauissimisq; sit occupationibus districtus; Opus tamen tanto viro dignum, cuius inscriptio est: Stimulus fidei, in lucẽ nouissimè edidit; ibiq; *quæst. 2. cap. 7. num.* 17. hanc sententiam rectè confirmauit. 51 *Refertur pro hac sententia D. Didacus Trasmiera.*

tian-

52 *Si pœnitens nõ habet opportunitatem denunciandi, poterit absolui, si proponat id quamprimùm exequi.*

Dico secundo, Eo tempore, quo pœnitens est simpliciter impotens ad denunciandum, vel iustam, & rationabilem caussam habeat differendi; tunc poterit absolui à peccato omissionis, si firmiter promittat reuelare quamprimùm poterit. Hanc sententiam docet *Emanuel Rodriquez in summa tom. 2. cap. 34. n. 5. Santarellus de hæresi cap. 9. dub. vnico. n. 16. Peirinus de priuileg. tom. 1. in constitut. 4. Gregorij XV. §. 5. num. 24. & aliqui alij apud Dianam par. 1. tract. 4. resol. 27.* quibus ego addo *Trullench dub. cit. n. 8. Ioannem Sanchez in selectis disp. 11. n. 63.* & in hac sententia puto esse *Nauarrum lib. 5. consil de Hæreticis consil. 3. in fine:* nam, & si priùs dicat non esse absoluendum, nisi denunciet, addit tamen hæc verba, *(vel saltem omnino proponat denunciare)* & sic videtur Nauarrus altero ex his esse contentus: & ego censeo solum propositum denunciandi cum promissione facta Cõfessario, sufficere, quando nequit pœnitens habere opportunitatem denunciandi. Ratio autem huius conclusionis deduci potest ex vniuersalibus principijs, & ex similibus: sicuti enim detinens rem alienam inuitò Domino, poterit ex pluribus caussis, quas Doctores assignant, differre restitutionẽ, vel ob impotentiam, vel ob aliam caussam iustam, & tunc iudicamus hic, & nũc non obligare præceptum naturale, & Diuinum de restitutione facienda; ita in casu nostro, posito impedimento, aut rationabili caussa, prudenter iudicare possumus præceptum denunciandi pro nunc non obligare, sed esse veluti suspensum, vsque dum temporis opportunitas aduenjat.

53 *Caussæ excusãtes ad statim denunciandum.*

Caussæ autem, quæ sufficientes iudicari debent, sunt variæ, quarum aliquæ assignantur ab *Aegidio Trullench loco citato.* V. G. Si aliquo modo vrgeat necessitas communicandi ad vitãdum scandalum, vel infamiam, seu notam apud alios, nisi ille, cui reuelandi onus incumbit, Sacram Eucharistiam sumat: vel vrgeat vtilitas extraordinaria ad communicandum, vt si iubileum sit promulgatum, & expiret tempus, ita vt à Confessario prorogari ampliùs nequeat; vel ipse, qui denunciare debet, longè distet à loco, vbi Inquisitores resident; tunc censeretur rationabilis caussa absoluendi ab omissione præterita cũ proposito postea quamprimùm reuelandi, & hanc esse Dominorum Inquisitorum intentionem piè est existimandum.

54 Hoc ipsum dicendum foret, si aliquo pacto extincta sit obligatio reuelãdi E. G. Si crimen reuelandum sit sollicitatio ad actus inhonestos in confessione sacramentali, & Confessarius, qui sollicitauit, sit emendatus, & constet de tali emendatione, vel si ex hac vita decesserit: tunc etiam mulier sollicitata, quamuis de præterito grauiter deliquerit omittendo reuelationẽ; nihilominùs in tali casu, etiam si nulla alia vrgeat necessitas, aut caussa, erit omnino absoluenda, si pœniteat, &c In his autem, & similibus casibus, quoa prudens Confessarius sufficientes ad differendam denunciationem iudicauerit, poterit pœnitenti absolutionis beneficium impendere.

Dico tertio, Si nulla sit impotentia, aut vrgeat necessitas absoluendi, neque occurrat magna vtilitas, vt supra declaratum est; sola promissio, aut propositum denunciandi non erit sufficiens ad hoc vt Confessarius licitè valeat pœnitentem absoluere. Est contra *Nauarrum loco citato, & quemdam Lucium*, quem refert *ex Seraphino Freyta Trullench nu. 11.* in quam opinionem inclinat ipse *Seraphinus, & Acuña locis citatis.* nostram sententiam tuetur ipse *Trullench & Ioannes Sanchez vt supra.* Probatur autem, quia aliter præceptum illud in Edicto Inquisitorum de non absoluendis pœnitentibus, nisi priùs denuncient, aut nunquam, aut ferè nunquam obligaret; quia, si pœnitens non proponat denunciare, cum tenetur, manet in peccato mortali; ac proinde independenter ab illo præcepto nequit Confessarius illum absoluere; si autem proponat reuelare, iuxta hanc opinionem, quam impugnamus, poterit absolui; idcirco raro eueniret casus, in quo Confessarius, ex vi solius præcepti impositi ab Inquisitoribus, obligaretur ad non absoluendum; & sic præceptum illud esset vanum, & inutile, quod tamen non est asserendum: & rectè in simili ponderat *Suarez disp. 7. de censuris sect. 5. nu. 46.* in eo casu, in quo ab Episcopo concubinarius excommunicatur, docens non esse absoluendum, nisi cum effectu priùs concubinam è domo eijciat, quando potest eam expellere. 55 *Si non vrgeat rationabilis caussa, solum propositum denunciandi nõ sufficit, vt pœnitens absoluatur.*

†

SEC.

SECTIO VII.

An absolutio ab excommunicatione vigore Bullæ collata absque partis satisfactione sit ipso facto inualida?

56 CVm facultas absoluendi ab excommunicatione concedatur per Bullam nō omnino absolutè, sed veluti conditionatè, nempe vt satisfactio præstetur parti læsæ in ijs casibus, in quibus pars ipsa fuit offensa: insurgit dubitatio, an clausula ista de satisfactione exhibenda se habeat vt forma, seu vt cōditio necessaria; ita vt si omittatur, irritam reddat absolutionem. Dixi in casibus illis, in quibus pars fuit offensa; quia, cum quis patratur delictum adnexam habens censuram excommunicationis absque vlla partis offensione, præsens quæsitum non procedit. V. G. si quis ingreditur monasterium Monialiū absque licentia Superioris, & absque caussa, peccabit grauiter, & incurret censuram latam contra tales ingredientes; at cum transgressio ista non inferat damnum alicui; idcirco absolutio à tali censura non præexigit satisfactionem partis, & sic in alijs similibus; intelligi igitur debet quæsitum in illis casibus, in quibus crimen, ob quod lata fuit excommunicatio, est damni illatiuum cōtra tertiam personam. F. G. si quis clericum suadente diabolo percutiat, & per consequēs incurrat excōmunicationem, certum est teneri ad satisfaciendum clerico percusso, vt absolutionem à censura obtineat, & sic de alijs: quæritur ergo, si ita excommunicatus velit per Bullam absolui, & Cōfessarius de facto illi absolutionem elargiatur nulla præmissa satisfactione; an talis absolutio vigore Bullæ collata, sit irrita?

Declaratur quæsitum.

57 Prima sentētia duo asserit. Primo, quod si Reus est potens satisfactionem præstare antequā absoluatur, & satisfactionem omittat, absolutionem esse omnino inualidam. Secundo si reuera hic, & nunc est impotens ad satisfaciendum, & det cautionem à iure requisitam de satisfactione exhibenda tempore, quo poterit, tunc validā esse absolutionē, etiā si realis satisfactio minimè præcesserit. Sic docēt quāplures, vt *Rodriquez in Bullā §. 9. num. 52. Vasquez tom. 4. de excom. dub. 20. Gaspar. Hurtado de excom. disp. 14. diff. 5. Ioannes Præpositꝰ in 3. par. de cēs. in cōmuni q. 1. dub. 25. n. 114. Suarez de censuris, disp. 7. sect. 5. num. 42. Henriquez in summa lib. 7. cap. 13. num. 2. & lib. 13. cap. 28. num. 1. Filliucius tom. 1. tract. 11. num. 295. Trullench in Bullam lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 13. n. 11.*

Prima sentētia putat absolutionē esse irritam data opportunitate satisfaciendi, si omittatur satisfactio.

Secus, si desit opportunitas.

58 Hęc autem sententia, vt vidimus, duas cōtinet partes. In prima asseritur, absolutionem fore irritam, si Reus sit potens satisfacere, & nō præmittat realem satisfactionem, idq; probatur; quia Delegatus, qualis est ille, qui per Bullam absoluit, nequit excedere limites potestatis, quæ per Bullam ipsi cōceditur; at per hāc Bullam cōceditur potestas absoluēdi à censuris cum illa videlicèt limitatione, vt parti satisfaciat; quod ad minùs debet intelligi in eo casu, in quo Reus debet, & potest realē satisfactionē pręstare: ergo absolutio data absq; tali satisfactione excedens limites potestatis, quam habet absoluens, erit omnino irrita. In secunda autem parte dicitur esse valida, quando Reus est impotens, quod probatur; quia non est existimandum, formam huius priuilegij cum tanto rigore obligare: immò potiùs est credēdum, eius verba nō aliter esse interpretāda, quàm explicari solent similia verba, quæ in iure communi de eadem re habētur: nam *in cap. solet, de sent. excom. in 6. & in cap. ex parte de verb. signif.* hoc ipsum admonetur, & tamen ibidem notatur, quod si Reus nequeat actu satisfacere, det cautionē in iure præscriptam, dę qua re Sectione sequenti erit sermo.

59 Secunda sentētia vult, quod etiam posita impotentia ad satisfaciēdum; nihilominùs per Bullam Cruciatæ, aut simile priuilegium, quod dat facultatem satisfacta parte, nō posse aliquem absolui, ita *Sotus in 4. dist. 22. quæst. 2. a. 3. Guttier. qu. Canon. lib. 1. cap. 5. num. 29. Corduba de indulgent. quæst. 43. dub. 3. Ledesma in summa tom. 1 tract. de excom. cap 8. dub. 3. Valerus in diff. vtriusque fori verb. Absolutio diff. 5. num. 3.* quamuis auctor iste *in eadem differentia, num. 6.* videatur oppositum dicere *ver. (sed certè falsa.)* Potissimum fundamētum huius opinionis est, quia per illam clausulam præscribitur satisfactio partis tanquam forma; proindeque quicquid fit contra talem formam erit irritū, & inualidum, vt habetur ex sacris juribus: *cap. cum dilecta de rescript. cap. final. de restitut. spol.* & communiter Doctores.

Sententia absolutè negans id fieri posse, defenditur à pluribus.

In hac sententia satisfactio præscribitur vt forma.

60 Quod autem in clausula prædicta pręscribatur forma, probāt ex eo, quod ablatiuus ille absolutus, nempe (*satisfacta parte*) formam importare solet, & vim conditionis habere: neque dicas, conditionem istam intelligēdam esse, posita satisfaciēdi potētia; & ideo dum pœnitens nō potest satisfactionem præstare ob impotentiam, non videtur deneganda illi absolutio.

Instantia cōtra hanc sententiam.

61 Sed contra; quia absolutio danda per Bul-

Impugnatur.

Bullam, cum sit ex commissione delegata à Summo Põtifice, nõ poterit Cõfessarius excedere tenorem commissionis, vt patet in multis alijs similibus. V. G. si Põtifex dispẽset cum aliquo in voto, aut in aliquo impedimento ad matrimonium cõtrahẽdum, delegãs causam Episcopo, aut alteri Prælato inferiori, & in delegatione apponat conditionem, vt ille, cui est dispensandum, ante dispẽsationẽ ieiunet bis in hebdomada per mensem; vel soluat tot aureos; tunc nõ poterit Delegatus dispẽsare ante completum mẽsem, nõ apposito ieiunio illo, aut solutione illorum aureorum; etiam si omittatur ieiunium, aut aureorum solutio ex impotẽtia. Nonnulla alia argumẽta pro hac sententia proponuntur à Ludouico, sed ferè omnia reducuntur ad hoc, quod à nobis propositum est.

62 Tertia opinio sustinet, quod etiam si pœnitens valeat satisfacere parti læsæ, si Confessarius ante realem satisfactionem absolutionẽ impẽdat, valida erit absolutio, quamuis illicitè collata. Sic sentit *Auila de censuris par. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 9. cõcl. 2. Barbosa in collect. tom. 3. tit. 40. cap. 13. num. 3.* & in eam inclinat *Sanchez lib. 3. de matrimonio disp. 33. num. 3.* dum illam probabilissimam appellat & *Lezana tom. 3. quæst. Regular. verb. Bulla Cruciata*: eã vt probabilem sequitur *Hurtadus diff. 5. citata. num. 22.* & ratio pro hac sententia est, quia clausula illa de satisfacienda parte non se habet vt forma, sed solùm se habet tãquam admonitio, qua Põtifex vult instruere Confessarios, vt aduertant obligationem, qua detinentur, ne absoluant pœnitentes in præiudicium tertij ante realem satisfactionem.

Opinio aliorum putantiũ validam esse absolutionem.

In hac opinione satisfactio non se habet vt forma.

63 Dico primo. Si pœnitens potest satisfactionem præmittere, eamque culpabiliter omittat, Confessarius illum absoluẽs, grauiter, per se loquẽdo, peccabit, & de hac conclusione nulla est cõtrouersia, & difficultas apud auctores: & ratio est in promptu; quia Cõfessarius absque rationabili causa nõ seruat ordinem iuris in re graui, & in præiudicium tertiæ personæ. Dixi, per se loquendo, quia in dato casu Confessarius poterit aliquando excusari à culpa absoluẽdo ante realẽ satisfactionem, videlicet si labores ignorãtia inuincibili, vel si ob grauem metum illatum à pœnitente eum absoluat à cẽsura extra Sacramẽtum; quia, cum ordo iste sit ex lege ecclesiastica, non videtur Ecclesia obligare Confessarium in tali discrimine positum ad seruãdum illum ordinem, nisi metus incutiatur in odium fidei; tunc enim debet Confessarius potiùs mortem subire, quàm absolutionem dare, vt in similibus docent communiter Doctores. Au autem in isto casu absolutio externa sit irrita, inferiùs examinabitur. Dixi, non peccare, si det absolutionem à censura extra cõfessionem; quia etiam ob metum mortis nõ licet sacramentaliter indispositum absoluere irritum reddendo Sacramentum.

Confessarius per se loquẽdo grauiter peccat absoluẽdo pœnitentem ante satisfactionem, quando præstari potest.

Ob ignorãtiã interdum potest excusari.

Dico secundo. Probabilior mihi videtur tertia sententia, quàm etiam annis præteritis publicè docui in Collegio Panormitano, supplẽdo hunc tractatum de Bulla Cruciatæ per aliquot dies pro benemerentissimo, & amicissimo Patre Francisco del Bene nonnullis negotijs detẽto. Ratio autem fundamẽtalis pro hac sententia desumitur ex contrario fundamẽto, cui innituntur auctores oppositæ opinionis, & præsertim defensores secundæ sententiæ. Ducuntur autem ipsi ex eo quod existimant, clausulam illam, quæ in hac Bulla à Pontifice apponitur, de parte priùs satisfacienda, se habere vt formam; proindè rectè postea inferunt, parte non satisfacta, absolutionẽ virtute Bullæ collatam esse irritam: immò magis congruẽter loquuntur auctores secundæ, quàm primæ sententiæ, ex suppositione enim, quod clausula illa re vera sit intenta à Pontifice vt forma, necessariò sequitur, etiam posita impotẽtia, absolutionẽ fore nullam; quia, quando delegatio fit sub aliqua determinata forma, si talis forma omittatur, actus corruet; vt expresè statuitur in sacris iuribus *cap. cum dilecta de rescript. cap. cum venerabilis. de officio Deleg.* quod rectè statutum est, ne Delegatus excedat in exequutione fines ipsius delegationis; probandum igitur nobis est, clausulam illam, de satisfactione exhibẽda, non se habere vt nouam formã, & vt restrictiuam potestatis, quæ per Bullam conceditur; sed se habere vt admonitionem quamdam: & intẽtionem Pontificis esse, admonere Confessarios de eorum obligatione, vt aiunt Doctores, qui hanc eamdem sententiam tuentur. 64

Admittitur ab auctore tertia sititia

Pro cuius intelligẽtia aduertẽdum est, bifariã in delegatione exprimi posse clausulam aliquam, sub qua fit delegatio, seu commissio: et primo potest apponi, seu exprimi eo modo, quo præscribitur à iure communi, seu, vt dici solẽt, eo modo, quo iure inest; & tunc non est intentio delegantis inducere nouam formam, & conditionem, sed solùm admonere Delegatũ de obligatione proprij officij; nẽpè instruere illum, vt seruet formam, quæ in iure præscribitur: secundo apponi potest diuerso modo ab illo, quo iure inest, quod fit, cum formæ illi communi aliquid additur non à iure appositum. Ponamus exem- 65

In delegatione dupliciter clausula exprimi solet.

exemplum vtriusque modi. E.C. Si Pontifex, aut Episcopus deleget alicui suam potestatem circa approbationem Confessarij, & in delegatione dicat, do tibi facultatem ad approbandum Titium Sacerdotem, si reperies sufficientem habere doctrinam; tunc delegatio ista exprimet tantùm formam iuris communis; quia de iure communi est, non approbare ad confessiones excipiendas, nisi idoneum: si verò in eadem delegatione aliquid aliud addatur, V.G. dicatur, si reperies illum esse Sacræ Theologiæ, aut iuris Canonici Professorem; tunc clausula apposita inducit nouam formam, redditque conditionalem ipsam delegationem; quia forma alio modo exprimitur, quo iure inest. Vide *Abbatem cap. cum dilecta de rescript. num. 22. Felinum ibi. & cap. fin. de præsumpt. n. 33.*

66 Hi autem duo modi differunt inter se; nam, quãdo exprimitur aliquid, quod iure inest, expressio illa nihil operatur distinctum ab eo, quod operaretur, si omissa fuisset, vt colligitur *ex cap. finali de præsumpt: & ex iure ciuili L. Hac verba: de Legat: 1. L. Conditiones, quæ extrinsecus. ff. de condit: & demonstr:* quare id, quod in commissione exprimitur, etiam si omittatur, intelligitur tacitè inesse, eumdemque effectum inducere, ac si exprimeretur; proinde, si omittatur in exequutione, & secundùm ius commune eius omissio non irritabit actum; neq; similiter, si in delegatione non exprimatur, & omittatur, omissio reddet irritum actum, ita communiter Doctores: *Glos. in Clem. cap. vnico de offic. deleg. verb. Repererit: Abbas eo cap. finali num. 19. Felin. ibidem. num. 29. & Sanchez lib. 3. de matrimonio disp. 33. num. 3. Castro Palaus. tom. 1. tract. 3. disp. 2. p. 9. num. 3. & sequentibus, Merolla tom. 2. Theologia moralis disp. 4. de legibus cap. 5. p. 19. num. 271. &* alij apud supradictos.

67 His omnibus præhabitis, patet ratio pro nostra conclusione: nam, dum Pontifex concedit, vt Confessarius possit per Bullam absoluere pœnitentem ab excõmunicatione, dũmodo satisfactio fiat, &c. non intendit inducere nouam formam, nec restringere potestatem Confessarij, sed solùm admonere Confessarium, vt seruet id, quod secundùm ius commune est præstandum: ius autem cõmune Naturale, & Diuinum præcipit, vt satisfactio parti læsæ exhibeatur: & hoc, si commodè fieri poterit, fiat ante absolutionem: quod autẽ expressio satisfactionis exhibendæ non apponatur ad inducendam nouam formam, & ad concedendam potestatem conditionaliter, erit manifestum consideranti verba eiusdem clausulæ; quia neq; aliud diuersum ponit ab eo, quod petitur secundùm ius commune, neq; dicitur, quod aliter faciendo, absolutio sit irrita, &c. sed solùm ponitur eo modo, quo iure inest. Cæterum si spectemus ius commune, ex nullo capite colligimus, quod absolutio ab excommunicatione ante realem, seu actualem satisfactionem sit irrita; quia non habemus actualem satisfactionem esse de essentia huius absolutionis: imò neque esse de essentia absolutionis sacramentalis; nam poterit quis validè, & etiam licitè absolui ab iniurijs contra proximum illatis, antequam satisfaciat actu, vel restituat, cum proposito exequendi postea id, ad quod tenetur.

Pontifex in Bulla requirens ante absolutionem à censuris satisfactionẽ partis læsæ, non inducit nouã formam.

68 Dico tertio impotentia, quæ excusat à reali satisfactione, nõ oportet esse simpliciter impotentiam, sed sufficere, vt pensatis omnibus circumstantijs, prudẽti iudicio, pœnitens excusandus sit à restitutione, seu recompensatione, vel ex toto, vel ex parte: eo modo, quo auctores ratiocinãtur in materia restitutionis, in qua ad excusandum debitorem non requirunt impotentiam simpliciter, sed contenti sunt de impotentia illa, per quam prudenter sit differenda restitutio.

Caussa, ad excusandũ ne præmittatur satisfactio satis est, si sit rationabilis licèt non sit simpliciter impotentia.

Ex his autem patet solutio ad contraria initio posita, & ad rationem adductam ab auctoribus primæ sententiæ pro primo membro eiusdem sententiæ, quatenus asseritur, esse inualidam absolutionem ab excommunicatione datam virtute Bullæ; si pœnitens poterit ante absolutionem præstare realem satisfactionem, negandum est, quod Confessarius in eo casu absoluens excedat potestatem concessam; quia Pontifex per clausulam supradictam, vt est ostensum, non inducit nouam formam, sed solùm explicat formam iuris communis, secundùm quod habemus actualem satisfactionem partis læsæ non esse de essentia absolutionis, vt declarauimus. 69

Ad fundamentum secundæ sententiæ, manifesta est responsio ex dictis, nempe expressionem satisfactionis non apponi, vt nouam formam, sed eo modo, quo inest; in iure autem communi non est de essentia absolutionis, neq; est de essentia in terminis nostræ Bullæ. 70

SECTIO VIII.

Expenduntur quædam alia dubia circa satisfactionem partis, & cautionem Iuris.

71 PRo complemento præcedentis quæsiti nonnulla dubia sunt examinanda circa ipsam satisfactionem, & cautionem Iuris, quæ adhibenda est in defectu realis satisfactionis, & etiam circa personam, cui ipsa satisfactio debetur: & quamuis eorum discussio primariò, & directè pertineat ad tractatum de censuris; tamen poterit etiam spectare ad interpretationem alicuius Iubilei, & præsertim Bullæ Cruciatæ, in quibus Pontifex talem apponit clausulam, volens, vt nemo ab excommunicatione, seu ab alijs censuris vi Bullæ absoluatur, nisi parti offensæ fiat satisfactio. His positis.

72 Quæres primo. Quid veniat hic nomine satisfactionis?

Respondeo, venire quamdam recompensationem, aut in honore læso, aut in fama, aut in bonis externis, quam recompensationem *Suarez de censuris disp. 7. sect. 5. in fine, & alij* restitutionem appellant: placuit tamen eam vocare recompensationem, quæ idem importat, ac satisfactio vniuersaliter accepta, & sub se comprehendit, & satisfactionem specialiter dictam, & restitutionem propriè sumptam; nam & si hæc duo nomina interdum ab auctoribus confundatur, nihilominùs rigorosè loquendo, sunt diuersa; quia satisfactio propriè respicit honorem læsum; restitutio verò famam, & bona externa, in quibus fuit offensa. At satisfactio genericè sumpta eamdem amplitudinem habens cum recompensatione sub se continet & satisfactionem specialem, & restitutionem; ideoq; rectè in Bulla apponitur nomen satisfactionis, vt vtrumque membrum comprehendatur.

Satisfactio in Bulla sumitur amplè pro quacumq; recompensatione.

73 Quæres secundo. Quid, & quotuplex sit cautio Iuris?

Respondeo, cautionem esse à lege excogitatam, vt subrogetur loco satisfactionis, & dici poterit virtualis satisfactio, est triplex: nempè Pignoratitia, Fideiussoria, & Iuratoria; ita communiter Doctores.

Declaratur finis intentus à iure ad requirendam triplice cautionem.

74 Quæres tertio. An inter istas tres cautiones seruandus sit ordo? V. G. si quis nequeat satisfacere, valeat tamen dare pignus, aut fideiussorem ad satisfaciendum tempore habili, teneatur dare pignoratitiam cautionem; & si tantùm valeat dare fideiussionem, & iuramentum, obligetur dare fideiussionem, & vltimo tandem loco cautionem iuratoriam, quæ minùs secura, & tuta apud homines existimatur; an verò ad libitum, seu disiunctiuè possit. Confessarius suo muneri satisfacere, imponens pœnitenti, vt det vnam ex his tribus cautionibus.

Respondeo, fuisse sententiam aliquorum, qui videntur docere ordinem prædictum necessariò esse seruandum inter enumeratas cautiones; sic *Caietanus in summa ver. excommunicatio, cap. 77. Nauarrus in summa cap. 26. num. 7. & 8. Henriquez lib. 13. cap. 28. num. 1.* & clariùs *Auila de censuris par. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 5. concl. 2. ver: (secundo nota,) & sequent.* At alij non iudicant necessariò esse seruandum ordinem prædictum; sed satis esse cautionem iuratoriam, etiam si pœnitens dare poterit alias duas securiores; Hanc opinionem amplectitur *Trullench in exposit. Bullæ lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 12. num. 2.* licèt postea addat esse seruandum illum ordinem saltem in foro externo: & demùm concludit, hoc esse relinquendum arbitrio prudentis Confessarij, vt ipse eligat id, quod vtiliùs, & securiùs pro loci, temporis, & personæ commoditate iudicauerit magis expediens. 75

Aliqui asserunt inter cautiones esse ordinem seruandum.

Alij nō iudicant esse necessariò seruandum ordinem.

Denique *Ludouicus à Cruce in Bullam disp. 1. cap. 4. dub. 2. num. 15.* mediam tuetur sententiam, ait enim ordinatè esse procedendum, ita vt, si pœnitens poterit dare pignus, aut fideiussionem, non sit absoluendus, si solùm velit cautionem iuratoriam præstare: nam hoc poterit redundare in graue detrimentum partis læsæ; at illas duas primas putat disiunctiuè esse intelligendas; nempe, si potest dare pignus, satisfaciat pœnitens dando fideiussionem, & hanc sententiam videtur amplecti *P. Diana par. 5. tract. 9. resol. 39.* licèt probabilem putet opinionem præcedentem secundo loco à nobis relatam. 76

Ludouicus à Cruce solùm vult cautionē iuratoriam in defectu aliarū cautarum esse dandam.

Inter has opiniones, per se loquendo, iudico, primam esse sequendam; nam clausula ista apponitur adhoc vt personæ, contra quas irrogata fuit offensa, satisfiant quantùm hic, & nunc fieri poterit ab offendente; & ideo si ipse offendens nequit realiter satisfacere, videtur obligandus, cum vult vti priuilegio Bullæ, & obtinere beneficium absolutionis, ad dandam cautionem illam, per quam persona læsa tuta reddatur de satisfactione habenda: at sæpe 77

Prima opinio ab authore defenditur.

eue-

euenit, vt fideiussiones non sint tutæ; licèt dum præstantur appareant tutæ: nam ob varias circumstantias, quæ passim eueniunt, ille, qui hodie censetur habilis ad satisfaciendum, postea variatis circumstantijs non erit talis, vel ex defectu voluntatis, vel habilitatis; & multò minùs cautio iuratoria existimanda erit tuta, cum eius adimplementum totaliter à voluntate mutabili ipsius iurantis dependeat: dixi per se loquendo, nam per accidens in aliquo casu sententia Ludouici admitti poterit; quatenùs pensatis omnibus fideiussio erit adeo tuta, vt æquiualeat securitati pignorationis; vel inter vtramque moraliter sit differentia parui momenti. V. G. si fideiussio sit in pecunijs soluendis, & fideiussor sit valdè diues, & probatæ vitæ, &c. tunc enim videtur talis cautio esse æqualis securitatis moraliter cum cautione pignoratitia.

Moderatio in opinione authoris apponitur.

78 Quæres quarto. Quid veniat nomine partis læsæ in clausula huius Bullæ, vel in alio simili diplomate?

79 Respondet P. *Suarez loco superiùs citato*, nomine partis, non intelligi Prælatum præcipientem, vel excommunicatum, sed aliam personam offensam, & quamuis videatur Prelatus aliquo modo etiam offensus ob crimen à subdito patratum cōtra legem Prælati Superioris, qui censuram tali delicto affixit; nihilominùs Pontifex per hanc clausulam non intendit exprimere Superiorem; & hoc quia, vt rectè animaduertit idem Suarez, offensio, quæ fit contra Superiorem, dum eius lex contemnitur, est imbibita in omni trasgressione cuiuslibet cēsuræ; & ideo in absolutione à cēsura requiritur cautio, seu promissio parendi Ecclesiæ, &c. at in casu nostro Pontifex aliquod speciale proponit postulandum ab eo, qui absolui debet ab ea censura, quæ contracta fuit contra aliquam personam diuersam à Superiore, seu à Iudice, & multò minùs per partem intelligi debet ipse Iudex, cui ratione delicti soluenda sit pœna pecuniaria; nam ante solutionem actualem huius pœnæ absolutio per Bullam conferri poterit, vt notauit *Sotus in 4. dist. 22. quæst. 2. a. 3. post secundam conclusionem. Villalobos in summa tom. 1. tract. 16. diff. 20. d. n. 8.* per partem igitur in præsentia intelligi debet eadem persona, quæ fuit immediatè offensa.

Pars læsa est ipsa persona offensa.

Non est Iudex etiam si illi applicāda sit pœna.

80 Quæres quinto. An quando quis lædit personam ecclesiasticam, nempe clericum sæcularem, aut regularem, &c. satisfactio debeat fieri Ecclesiæ ratione illius clerici, & ratione regularis Monasterio, seu eius Superiori?

Respondeo, duas esse sententias, quarum prima docet, satisfactionem esse faciendam Superiori illius personæ, quæ fuit læsa: ita asserit *Bonacina de censuris disp. 2. quæst. 4. p. 5. num. 5. & Riccius in decis. Curiæ Archiep: Neap: par. 1. decis. 86. num. 4. & par. 3. decis. 34. num. 3.* testans sic decisum fuisse in ea curia Archiepis. vt quidam, qui religiosū Conuersū percussit, satisfaceret Abbati, & Monasterio. At Bonacina vult, vtrique, videlicet tum clerico offenso, tum Ecclesiæ, seu statui ecclesiastico satisfactionem esse exhibendam: modum verò satisfactionis, qui Ecclesiæ debet fieri, declarat per hoc, quod offendens Confessario absoluenti se humiliter subijciat, ostendens esse paratum pœnitentiam imponēdam acceptare cum iuramento obediendi Ecclesiæ, & nunquam in futurum percutiendi clericum. 81

Aliqui censent partē læsā esse Superiorē, quādo persona offensa est ecclesiastica.

Alij volūt satisfaciendū esse, & Superioris, & personæ ipsi offensæ.

Aliam sententiam defendit *Auila de censuris par. 2. cap 7. disp. 3. dub. 11. concl. 2.* asserens sufficere, vt satisfactio fiat ipsimet personæ læsæ, adhoc vt offendens absoluatur, & ad *Nauar. in manuali cap. 14. num. 25.* asserentem, non posse iniuriam remitti ab vxore, filio familias non dum emancipato, & à religioso; quia actio pertinet ad Superiorem, respondet, hoc esse intelligendum quoad forum externum, non quoad internum. Hæc secunda opinio mihi videtur probabilior, & in praxi admittenda. Ducor, quia modus ille satisfactionis, quem ponit Bonacina, non est specialiter requisitus, est enim vniuersalis; imò nunquam omitti potest, dum quis vult absolui; quia ad absolutionem obtinēdam necessariò debet se submittere absoluenti, & paratus esse debet ad recipiendam pœnitentiam, aliter esset absolutione indignus: proinde sicuti, vt supra ex Suarez notauimus, offensio facta contra clericum redundat contra statum ecclesiasticum; & ideo est veluti vniuersalis, & nequit esse illa, cuius satisfactionem Pontifex ex postulat in clausula huius Bullæ; ita & recompensatio ipsa, quæ exhibetur, dum pœnitens Confessario se subijcit, erit etiam vniuersalis, & non illa, quam requirit specialiter Pontifex. 82

Alia sententia putat satisfaciendum esse soli personæ offensæ.

Hæc vltima opinio, vt probabilior admittitur ab authore pro foro cōscientiæ.

Ad decisionem verò, quam pro sua sententia affert Riccius, respōdere possumus tripliciter. & primo, quòd Iudices eo modo decidentes caussam illam sequi voluerunt oppositam sentētiam ei, quam probabiliorem existimo; secundo, quia forsitan religiosus ille fuit ita percussus, & vulneratus, vt oportuerit Monasterium aliquas expensas erogare in curatione eiusdem Conuersi; & ideo restitutio ne- 83

Respondetur ad fundamētū primæ opinionis.

cessariò erat Monasterio, seu eius Abbati facienda; terno deniq; quia potuit euenire, vt in cōtemptum, seu in odium Abbatis, aut illius religionis Conuersus ille fuerit percussus, & tunc, cum immediatè religio fuerit offensa, meritò decisum fuit satisfactionem Abbati, seu Monasterio esse exhibendam.

CAPVT III.

De Absolutione ab excommunicatione, in quibusdam circumstantijs se tenentibus ex parte persona per Bullam absoluenda.

1 EXagitauimus in præcedenti capite facultatem, quam habet Confessarius per Bullam in ordine ad remittendas censuras aliquas reseruatas in particulari: nunc verò considerabimus eamdem facultatem comparatam ad personam absoluendam; dum ex parte ipsius personæ nōnullæ concurrunt circumstātiæ, ratione quarum poterit esse dubitatio, an absolutio virtute Bullæ validè, & licitè conferatur.

SECTIO I.

An excommunicatus denunciatus possit ab excommunicatione per Bullam absolui.

2 SOlent alij proponere quæsitum præsens sub diuersis terminis quærētes; an virtute Bullæ possit auferri excommunicatio deducta iam ad forum, & indicium externum; & quamuis modus iste sit ab illo differens, nam esse deductum in externum iudicium nō trahit necessariò excommunicatum esse denūciatum; quia deductio in iudiciū poterit importare & sententiam iam latam, & per cōsequens excommunicationem denūciatā, & etiam excommunicationem, de qua nō sit data sententia, sed causam inchoatam, & pendentem; nihilominùs in ordine ad absolutionem impertiendam virtute Bullæ eadem ferè est ratio: idcirco idem quæsitum, eiusque solutio extenditur ad vtrumque modum. His præhabitis.

3 Prima opinio est multorum, qui negāt nominatim excommunicatum absolui posse per Bullam etiam in foro interno, & hanc sententiam tuetur *Vasquez in 3. p. S. Thoma tom. 4. de excom. dub. 20. n. 8.* *Gaspar Hurtado disp. 14. de excom. diff. 5. n. 23. & 24.* loquens expressè de Cruciata. At alij dicunt, quod quamuis possit validè absolui, tamen licitè id fieri non posse: sic *Conin. de Sacramen tis disp. 14. dub. 16. n. 207. Auila de cēsuris par. 2. disp. 3. dub. 10. concl. 1. & 2. & alij*, qui probāt hanc opinionem. Primo, quia aliter perturbaretur ordo iudicandi, & ideo cōuenienter cautum fuit *in Concilio Trid. sess. 24. cap. 6.* vt Episcopi nequeant absoluere à casibus Summo Pontifici reseruatis, quando deducti sunt ad forum contentiosum. Secūdo probatur *per Extrauag. Etsi Dominici. 2. de Pœnit. & Remis.* vbi Sixtus IV. decreuit, denunciatum, vel publicè diffamatum absolui non posse neq; virtute Cruciatæ, neq; alterius priuilegij. *At Ioannes Valerus in differētia vtriusq; fori verb. Absolutio. diff. 3. num. 2.* docet, non posse absolui virtute Bullæ neque in foro pœnitentiali, nisi Iudex longè absit, & tunc absolutionem dandam esse cum cautione iuris.

4 Secunda sententia vult satisfacta parte validè absolui posse in foro interiori; si autē quæratur, an licitè id fiat, distinguit, & ait, quod si talis excommunicatus sit in loco distanti, vbi ignoratur eius excommunicatio, vel de ea adhuc lis pendeat, posse absolui satisfacta parte; secùs autē, quando excommunicatio publica est, & manifesta, ita *Rodriquez §. 9. in Bullam n. 55. & sequentibus, Trullench in Bullam lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 10. n. 2. 3. & 4.* Prima autem pars huius sententiæ quatenus asserit validam esse absolutionem, &c. suaderi potest; quia per Bullam conceditur generalis facultas absoluēdi ab omni excommunicatione (*heresi excepta*,) quæ clausula cum vniuersaliter loquatur, & nō excipiat nisi crimen hæresis, inuoluit firmam regulam pro omnibus alijs non exceptis, siuè sint à iure, siuè ab homine, siuè generales, siuè speciales; & ideo hæc opinio communiter recipitur à Doctoribus, dummodo ex absolutione non sequatur damnum cōtra tertiam personā, & perturbatio ordinis iudicialis. Secūda verò pars inquantum apponit esse parti satisfaciēdum probatur, quia dum persona offensa nō est satisfacta, sequitur perturbatio iurisdictionū, & ex absolutione obuenirent scandala, quæ sequerentur, si Cōfessarius absolueret nominatim excōmunicatum, aut denunciatum, etiam si absolutio esset solùm pro foro interiori; quia reus ita absolutus minùs timeret iudicem, minusq; ab eo dependeret, & liberiùs se gereret; ac proinde minueretur plena Iudicis iurisdictio; & ideo non est credendum, facultatem hanc in Bulla con-

Aliqui negāt posse excōmunicatū nominatū vi Bullæ absolui.

Alia sententia vult satisfacta parte validè absolui, quoad licitum vero cū distinctione procedit.

concessam fuisse in his euentibus, in quibus prædicta incõuenietia sequuntur.

5 Tertia denique sententia asserit, posse nominatim excommunicatum, seu denunciatum absolui virtute Bullæ in foro conscientiæ: ita *Sanchez in Summa lib. 6. cap. 17. n. 42. & 43. Sayrus de censuris lib. 2. cap. 20. n. 29. Henriquez lib. 8. cap. 60. nu. 4. Ludouicus à Cruce disp. 1. cap. 4. dub. 1. n. 5. Lezana tom. 3. quæst. Regul. verb. Bulla Cruciata n. 25. & Sebastianus Acosta in Bulla quæst. 80. & præsertim in secunda resolutione*, hos autem sequitur *Diana par. 1. tract. 11. resol. 26. & alij apud Ludouicum à Cruce.*

Tertia opinio absolutè docet posse absolui sed in foro conscientiæ.

6 Dicendum est primo. Facultas absoluendi à censuris, quæ cõceditur per Bullam, se extendit ad nominatim excommunicatos, & etiam denunciatos: est cõtra auctores primæ sententiæ; defenditur tamen ab auctoribus huius tertiæ sententiæ, & ex parte ab auctoribus secundæ. Probatur conclusio hac vnica ratione. In Bulla potestas ista absq; restrictione conceditur: igitur non est à nobis apponenda, & maximè cum priuilegium Bullæ quoad hanc facultatem sit fauorabile, atque adeo ampliandum.

Auctor hanc vltimã sententiam recipit.

7 Dicendum est secundo. Si quis per Bullam absoluat nominatim excommunicatum, parte non satisfacta, dum satisfieri poterit, si reus proponat postea debitam satisfactionem se præstiturum, validam censeo esse absolutionem, quamuis illicitè collatam. Probatur conclusio secundùm vtramque partem. Prima autem pars suadebitur ex duobus principijs; nã omnes hæ excommunicationes, vt ostendimus conclusione præcedenti, comprehenduntur in Bulla, & si validitati absolutionis aliquid obstaret, maximè esset negatio realis satisfactionis; sed vt probauimus *capite præcedenti sect. 7.* exhibitio actualis satisfactionis non apponitur neque in Iure communi, neque in Bulla tanquam forma, & conditio sine qua reddatur irrita absolutio; idcirco nulla apparet ratio pro inualiditate absolutionis collatæ nominatim excomunicato, & etiam denunciato; dixi, si reus proponat satisfacere, &c. si enim non proponat, erit contumax; proinde incapax absolutionis per Bullam impertiendæ, & per consequens absolutio erit irrita; & de hoc nulla est difficultas. Secunda autem pars nostræ conclusionis est manifesta ex dictis, quia inuenitur ordo à Pontifice requisitus, nempe vt reus ante absolutionem si poterit, parti læsæ satisfactionem præbeat, quæ ratio fortius vrget in casu isto, dum reus est publicè excommunicatus; & ideo cum res sit grauis, Confessarius absoluẽs lethale peccatum committet.

Si pœnitens promittit se parti satisfacturũ, valida absolutio, etiam nõ præmissa satisfactione, quamuis illicitè.

8 Ad rationem verò contrariam, cui innituntur authores primæ, & secũdæ sententiæ, facilè respondebimus negantes ex nostra sententia sequi scandala, perturbationem iurisdictionum, &c. quia cum talis absolutio solùm habetur pro foro conscientiæ, nihil detrahet de potestate Iudicis; cum reus ipse, non obstante tali absolutione, possit sicuti priùs conueniri coram ipso Iudice, & ab eodem puniri, & ideo in foro externo debet saltem publicè se gerere tanquam excõmunicatus, &c. & falsum est reum ita absolutum minùs ac antea dependere à suo legitimo Iudice; quia in ijs, quæ pertinent ad forum internum, reus non subditur Iudici sæculari, sed Confessario; & ideo ex hoc non benè infertur, quod reus minùs timeat Iudicem, quàm debet, & quod liberiùs possit se gerere in ijs rebus, in quibus subditur.

Soluitur rationes cõtrariæ.

9 Ad illud verò, quod ab auctoribus primæ opinionis adducitur ex Cõcilio Tridentino respondemus, nobis nõ officere quia Pontifex voluit ibi expressè coarctare potestatem Episcoporũ quoad casus papales tantùm occultos, & non publicos deductos ad forum contentiosum: at in Bulla non restringit facultatem absoluẽdi à censuris, si hæresim excipiamus; & ideo non est par ratio. Quare autem Pontifex voluerit limitare potestatem illam concessam Episcopis, & non hanc concessam per Bullam, licèt dicere possemus, satis esse ipsius Pontificis beneplacitum pro ratione talis diuersitatis; tamẽ optima congruentia ea est, quam affert *Ludouicus à Cruce in fine illius dubij*, nam Episcopus cum sit Iudex in foro externo, debuit Pontifex concedens casus sibi reseruatos etiam publicos, & deductos ad forum contentiosum concedere eorum absolutionem pro foro externo, & & sic sequeretur illa inconuenientia, quæ contra nos obijciunt aduersarij; sed Cõfessarius est Iudex tantùm in foro cõsciẽtiæ, ideoque ex absolutione data pro hoc foro, nullum in foro iudiciali resultat inconueniens, & sic patet disparitas.

10 Denique ad *Extrauagantem Sixti IV.* tres dat interpretationes *Sanchez loco citato*, quarum prima est: in ea Extrauag. interdici absolutionem solius hæresis, nõ aliorum criminum: sed hæc interpretatio non est admittenda; quia ibi expressè Pontifex prohibet absolutionem casuum contentorum in Bulla cœnæ. Secunda est: interdici absolutionem criminum deductorum ad forum iudiciale cõtentiosum vi illarum facultatum, quæ con-

concessa erant ab ipso Sixto IV. non tamē loquutionem esse de facultatibus cōcedendis ab alijs Pontificibus. Tertia explicatio est: eam Extrauagantem cessasse mortuo Sixto; quia fuit quasi clausula Bullæ cœnæ, quæ expirat defuncto Pontifice, vel expirat transacto anno promulgationis; nam Bulla cœnæ non durat nisi per annum, & singulis annis est noua. Has autem duas postremas explicationes admittimus.

SECTIO II.

An absens valeat ab excommunicatione per Bullam absolui.

11 *Supponuntur quædam certa.*

SVpponimus vt certum, & apud omnes sine controuersia, non requiri præsentiam localem, vt aliquis absolutionem censurarum habeat ab eo, qui potest censuras ipsas imponere; nam sicuti potestatem habet ligare absentem, vt communiter dicūt Doctores, multò magis ab eisdem vinculis soluere poterit absentem, cum plùs requiratur ad imponēdam censuram, quàm ad illam auferendam, quoniam imponere censuram, V.G. excommunicare, est actus iurisdictionis contentiosæ, quæ non in omni loco à Superiore erga subditum exerceri valet; at absoluere, est actus iurisdictionis gratiosæ, & voluntariæ, quæ etiam in alieno territorio potest exerceri. Rursus hoc ipsum ostendit praxis quotidiana in rescriptis Pontificijs, in quibus præmittitur absolutio censurarum in ordine ad consequendum aliquem effectum in eisdem rescriptis contentum. Hoc autem, quod supposuimus de eo, qui habet potestatem infligendi censuram, supponimus etiam de eo, qui est delegatus, cui à Superiore committi potest facultas absoluendi absentem à censuris. Difficultas igitur præsens solùm reducitur ad absolutionem, quæ datur vigore huius Bullæ, aut alterius similis priuilegij, quæsitum verò poterit procedere tum de validitate, tum etiam de honestate huius absolutionis, & loquendo de primo.

12 *Qui sustinent absolutionem censurarū vi Cruciatæ dādam esse in actu cōfessionis, debēt asserere, absolutionem censuræ absēti dari non posse.*

Omnes, qui sustinent absolutionem à cēsuris vi Bullæ Cruciatæ necessariò impertiendam esse in actu confessionis sacramentalis, consequenter aiunt, non posse absentem vi Bullæ absolui ab excōmunicatione, hos autem Doctores attulimus *supra cap. 2. sect. 9.* & cohærenter loquuntur; nam cum certum sit, vt suppono ex tractatu de Sacramento Pœnitentiæ, non posse hoc Sacramentum cōfici inter personas absentes; idcirco neque vi Bullæ exigentis, vt in ipso Sacramento detur absolutio à censuris, poterit quis absens absolui ab ipsa censura.

Solùm video circa hoc punctum, & sistendo in prædicta opinione, se offerri posse dubitationem quamdam speculatiuam potiùs, quàm practicam; an in aliquo casu saltem validè possit per hanc Bullam absolutio ab excōmunicatione, siue ab alia censura ferri in absentem, & vt hoc declaretur, suppono sententiam illam valdè probabilem, de qua ego in quodam speciali opusculo fusè egi, videlicet confessionem sacramentalem validè fieri posse in absentia, & hoc non repugnare Decreto Clementis VIII. qui, vt ego ibidem probaui, damnans propositionem illam, nimirum licere per litteras Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, loquutus est de absolutione sacramentali, & de toto Sacramento, non autem de sola confessione; posita igitur huius sententiæ probabilitate, suppono aliud principium, nempè absolutionem à censuris non solùm natura, verùm etiam ordine temporis saltem conuenientiùs præmittendam esse absolutioni à culpis, vt rectè animaduertit *Suarez de censuris disp. 7. sect. 5. nu. 37.* & ideo solet fieri secundùm vsum Ecclesiæ per distinctas formas. His autem duobus principijs positis, declaro casum hoc pacto: fingamus ab aliquo distante, & absente transmitti ad Confessarium epistolam, in qua contineantur peccata, quorum aliqua adnexam habeant excōmunicationem, & Confessarius post lectionem illorum peccatorum, vel inter legendum absoluat pœnitentem ab excommunicatione virtute Bullæ, qua, sibi cōstat per eamdem epistolam, vti velle pœnitentem: quæritur, an talis absolutio sit valida etiam ex hypothesi illius opinionis, quæ asserit, per hanc Bullam, absolutionem dari non posse extra Sacramentum confessionis. 13 *Difficultas, quæ se offert sistendo in prædicta opinione.*

Ad hunc autem casum, qui potiùs ad speculationem, quàm ad praxim pertinere videtur, respondeo, absolutionem illam ab excommunicatione validam fore, & ducor ad hoc asserendum; quia nihil apparet eius valori deesse, tum ex parte absoluentis, tum absoluendi, tum etiam ex parte materiæ: si enim aliquid deficeret, maxime esset carentia Sacramenti eo modo, quo requiritur ad hanc absolutionem validè impertiēdam; quia non videtur sufficere sola confessio sacramētalis ad hoc vt verificetur, absolutionem censurarum cōferri intra Sacramentum; nam & si lectio peccatorum existimetur vera confessio sacramentalis 14 *Responsio ad difficultatem.*

sit; nihilominùs requiritur vlteriùs, vt absolutio à censuris, quæ tempore præcedit, supponat materiam proximam absolutionis sacramentalis ita dispositam, & veluti præparatam, vt post ipsam absolutionem censurarum sequi valeat absolutio sacramentalis à culpis: hoc autem non reperitur in casu posito; quia post traditam absolutionem ab excommunicatione nequit Cōfessarius progredi ad peccatorum absolutionem ob pœnitentis absentiam; proinde irrita iudicanda erit absolutio illa ab excommunicatione, non enim seruatur modus, qui in Bulla exigitur, scilicet vt absolutio à cēsuris detur intra Sacramentum Pœnitētiæ, quod intelligi debet modo explicato.

15 *Reijcitur instantia contraria.*

Cæterum hæc non obstant; quia nulla ratione probatur, enarrationem illam peccatorum per scripturam in absentia, non esse materiam proximam dispositā, & præparatam, vt super eam possit cadere absolutio sacramentalis, si pœnitēs fieret præsens ex suppositione illius principij, quod præmisimus, nempè confessionem fieri posse Sacerdoti absenti per litteras: hac autem opinione præsupposita, non videtur necessarium, vt immediatè post absolutionem à censuris, sequatur absolutio à peccatis, ad hoc vt dicatur absolutio illa fieri in Sacramento; sicuti etiam accusatio culparum potest interrumpi, & inter aliquas accusationes, & absolutionem sacramentalem longum interponi tempus, & hoc non obstante, omnes illæ accusationes censentur sacramentales, quatenus diriguntur ad absolutionem postea impertiendam; sic absolutio illa à censuris, quæ datur inter ipsam accusationem sacramentalem, verè dicitur dari intra Sacramētū.

16 *Confirmatio responsionis traditæ.*

Confirmari totum hoc potest ex alio casu, quem ponit *Suarez sect. cit.* cuius nos supra meminimus *cap. præcedēte sect.* 13. respondentes ad quamdam instantiā, docet enim *n.* 38. quod si contingat à Sacerdote, qui cœpit absoluere pœnitentē, compleri formam absolutionis à censuris, & vltra non progredi ad absoluendū à culpis; vel quia repente moritur, aut loquelam amittit, aut denique, quia mutans voluntatem, nolit à peccatis absoluere, in tali casu ratam esse absolutionē illam à censuris, & peccata, quibus censura erat adnexa, non manere reseruata, si ratione illius censuræ reseruationē habebant. Validitatem autem illius absolutionis probat *Suarez* ex eo, quod licèt absolutio à censuris concedatur, & fiat in ordine ad absolutionem à peccatis; tamen non datur sub conditione, sed absolutè; proinde statim habet suum effectum, quamuis alter effectus, seu finis non obtineatur, & hoc non impedit, vt idem auctor asserit, quin dicatur absolutio à censuris data fuisse in foro Sacramēti saltem inchoatè, cum intentione, & animo illud perficiendi; atque adeo cōcludit absolutioni à censuris nihil deesse ex illis, quæ requiruntur à priuilegio, vi cuius procedit, neque in tali priuilegio petitur, vt iudicium ipsum sacramentale debeat esse consumatum, & completum, antequam pœnitens à censuris absoluatur; quia hoc conuenienter fieri non potest, vt de se est manifestum; nam ante absolutionem à culpis, per quam perficitur Sacramentum, absoluendus est pœnitens ab excommunicatione, si ea est innodatus. Hæc, quæ *Suarez* tradit, confirmant nostram sententiam, secundùm quam dicimus, in eo casu verè absolutionem ab excommunicatione conferri intra Sacramentum, dum confertur intra lectionem peccatorum, quam, suppositione initio facta, dicimus esse sacramentalem, dum fit cum intentione impertiendi absolutionem sacramentalem, & parùm refert, absolutionem hanc dari statim post accusationem peccatorum, vel post aliquod tempus, dummodo fiat intra Sacramentum modo declarato, & dirigatur ad absolutionem sacramentalem. Maneat igitur ex dictis, etiam amplectēdo opinionem illorum auctorum, qui volunt per Bullam, censuras tolli non posse, nisi dependenter à Sacramēto Pœnitentiæ, seu intra illud, dari posse casum, ex quo absens vigore eiusdem Bullæ liberetur ab excommunicatione, seu ab alijs censuris. Et hæc disputationis gratia sint exagitata. Redeundo autē ad quæsitum in ordine ad praxim.

Dico primo, validè posse absentem absolui per Bullam ab excommunicatione. Conclusio defenditur à quamplurimis, nempè ab omnibus, qui nobiscum sentiunt circa aliam controuersiam de absolutione ista extra confessionem, de qua *cap. præcedente sect.* 9. tractauimus, & statuimus facultatem, quæ per Bullam est concessa in ordine ad remittendas cēsuras, esse independentem quoad suum effectum à Sacramento Pœnitentiæ, qua sententia posita, nulla esse poterit dubitatio loquēdo quoad validitatem; neq; aduersarij facta tali suppositione cōtrarium existimant; nam ipsi totaliter fundantur in eo, quod putant per Bullam concedi facultatem prædictā dependenter à confessione sacramentali; & ideo corruente tali principio, nihil contra nos obijciunt, aut obijcere possunt. Rationes verò pro opinione illa, quam *in ea sectione* sequuti

17 *Absens validè absolui potest à cēsura vi huius Bullæ.*

sumus,

sumus, ibidem videri queunt. Authores autem loquentes in terminis de absolutione censurarum, quæ absenti confertur, & tuentur nobiscum partem affirmatiuam, plures sunt: *Suarez disp. cit. sect. 7. n. 4. loco citato, Bonacina de censuris disp. 1. quæst. 3. p. 4. n. 4. Trullench in Bullam lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 18. n. 10. Diana par. 4. trac. 2. resol.* 103. quamuis obiter *Lezana tom. 3. in Summa qq. Regul. verb. absolutio. n.* 16. *Filliucius tom. 1. tract.* 11. *cap.* 10. *nu.* 324. *Ludouicus à Cruce in Bullam disp.* 1. *cap.* 4. *dub* 7. *n.* 12. *& alij antiquiores*, qui ab ipsis laudantur.

18 *Non est licitum absque caussa rationabili absoluere absentē à censura.*

Dico secundo, non esse licitum absque proportionata, & rationabili caussa absoluere absentem à censuris, etiam si id virtute Bullæ, aut alterius priuilegij fieri possit: ita *Filliucius, & Trullench locis citatis*, & hoc, tum propter reuerentiam ipsius censuræ, tum propter scādala, quæ occurrere possent. Caussa autem, quæ cohonestaret talem absolutionem, esset, si excommunicatus aliquod graue damnum pateretur, nisi absolutionem haberet, & non posset adire Confessarium, neque Confessarius ad illum, tunc per litteras non solùm validè, verum etiam licitè absolueretur. Vide *Filliucium* assignantem nonnullas alias legitimas causas.

SECTIO III.

An vigore Bullæ absolutio à censuris ferri queat in inuitum, aut ignarum.

19 Eadem ferè suppositione, qua in *præcedente sectione* examinauimus, an absolutio per Bullam collata ferri possit in absentem, procedimus in hac sectione, dū quærimus, an ferri possit in eū, qui est ignorans, aut inuitus; supponimus autem tamquam certum, absolutionem à censuris, præscindendo à priuilegio Bullæ, & ab alio simili, posse dari ignoranti, & inuito, ab eo, qui imposuit censuram, siue censura sit ab homine, siue à iure; & hoc non solùm validè: verùm, quibusdam positis conditionibus, etiam licitè, vt declarat *Suarez disp. 7. de censuris sect. 7. n.* 11. sed à nobis in præsentia controuersia restringitur ad Bullā Cruciatæ, quæ de facto conceditur, & eodem modo quæritur, an validè, & an etiam licitè id fiat; & occasionem accipientes aliqua adnotabimus de facultate concessa per varia priuilegia, vel quæ de facto data sunt, vel quæ dari queunt.

Ab eo, qui censuram imposuit, certū est absolutionem eiusdem censuræ dari posse inuito, aut ignorāti.

20 *Si Confessarius habeat priuilegium sibi concessum*

Dicendum igitur est primo, si Confessarius priuilegium habeat absoluendi à censuris reseruatis absq; limitatione, & priuilegium sit concessum in gratiam ipsius Confessarij siue vt priuatæ personæ, siue vt partis alicuius communitatis, vt sunt religiosi, poterit inuitum absoluere. Conclusio ista colligitur ex doctrina, quā communiter tradunt auctores loquentes de eo, qui potestatem habet absoluēdi à censuris, & de conditionibus requisitis ex parte absoluendi, & præsertim *Suarez loco citato, & Bonacina de censuris disp. 1. quæst. 3. p. 4. n. 3. Ludouicus à Cruce disp. 1. cap. 4. dub. 7. n. 11. & alij*. Ratio autem est in promptu; nam spectata natura censuræ, sicuti ad illam infligendam non requiritur consensus illius, contra quem fertur; ita neque ad illam auferendam.

poterit inuitum absoluere, si in priuilegio facultas sine restrictione datur.

Dicendum est secundo. Quamuis ex vi talis priuilegij censuram habens validè absoluatur, tamen sæpè non expedit inuitum absoluere, & maximè si in contumacia persistat; & ideo interdum poterit esse graue peccatum, & contra iustitiam, si absolutio tendat in præiudicium tertiæ personæ: vide auctores prædictos, & alios de hac materia tractantes. 21

Sæpè non expedit inuitū absoluere à censura, & interdum erit graue peccatum.

Dicendum est tertio. Si priuilegium concessum in gratiam Confessarij sit dependenter à confessione sacramentali, nō poterit inuitus virtute talis priuilegij à censuris absolui. Conclusio est euidens; nam confessio nequit sacramētaliter fieri absq; positiuo consensu pœnitentis; proinde, quando facultas absoluendi à censuris est dependens à tali confessione, nō poterit habere suum effectum non posita confessione ipsa. Sic ex *Bonacina loco citato*, & ex hac cōclusione colligo, quod quamuis virtute nonnullorum priuilegiorum, quibus gaudent religiosi, detur absolutè facultas absoluendi à censuris; atq; adeo poterit saltem validè quis virtute talium priuilegiorum absolui; nihilominus in Societate nequeunt nostri Confessarij id facere vi nostrorum priuilegiorum; quia in compendio eorumdem priuilegiorum cōmunicatur à Patre Generali facultas ista dependenter à Sacramento Pœnitentiæ, vt patet *in annotatione vltima post §. 11. verb. Absolutio*; idcirco cum Religiosi Societatis nequeāt aliquo priuilegio gaudere, nisi cum dependentia à voluntate Generalis, vt patet *ex Constitutione Gregorij XIII. Anno Domini 1575. de vsu facultatum in Societate*; inde est, vt nostri Confessarij non valeant vi nostrorum priuilegiorum absoluere à censuris extra confessionem, & per consequens, neque poterunt vi eorūdem priuilegiorum inuitum absoluere. 22

Si facultas absoluendi sit dependenter à cōfessione sacramētali, nō poterit absolutio dari inuito.

Personæ Societatis non possunt absq; licentia Generalis absoluere à censuris vi suorum priuilegiorum extra Sacramentum.

Dicendum est quarto. Per Bullā Cruciatæ, aut simile aliud priuilegium concessum in fauorem ipsius pœnitentis, absolui à censuris inuitus nunquam poterit. 23

Vi Cruciatæ inuitus non potest absolui à cēsuris.

Sic

Sic docet in terminis *Henriquez lib. 23. de excom. cap. 29. num. 1. Trullech in expositione Bullæ lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 18. nu. 9. in fine*, & ratio est in promptu; quia vsus talis priuilegij primo, & per se dependet à libera voluntate ipsius priuilegiarij, idcirco, ipso nolente, nequit priuilegium applicari, & per consequens Confessarius non poterit per Bullam Cruciatæ, aut per simile priuilegium concessum in gratiam priuilegiati ipsum priuilegiatum absoluere.

24 Dicendum est quinto. Qui omnino ignorat priuilegium intuitu sui ipsius concessum, hoc est, dependenter à sua libera voluntate, nequit vi illius absolui, & quia Bulla Cruciatæ est tale priuilegium; idcirco ignorans tale priuilegium non poterit vi illius absolui. Esse autem Cruciatam priuilegium patet; nam licèt Summi Pontifices eam concesserint in gratiam Regis Hispaniarum, loquendo in communi, & vt sic; tamen eius applicatio, & vsus est dependens à personis priuatis in particulari volentibus eam sumere, eodemque actu vti; proinde, dum quis omninò ignorat exercitium, & applicationem ipsius Bullæ, non poterit consequi eius effectum: loquimur autem in hac conclusione de absolutione danda per hanc Bullam, aut simile priuilegium; quia si sermo erit spectata natura censuræ vt sic, nulla est repugnantia, quin possit auferri, etiam si eius ablatio, aut vlus illius potestatis, per quam tollitur, ignoretur ab ipso, qui est eadem censura ligatus, vt animaduertit *Bonacina loco citato, Suarez sect. 7. cit. de cens. n. 5.* & eodem modo est in hac re discurrendum de ignorante, sicuti supra ratiocinati sumus de inuito.

Si quis ignorat priuilegium vi cuius absoluitur, sese in sui gratiam concessum, non potest virtute illius absolui à censura.

25 Dicendum est sexto. Si quis non omnino ignorat à Confessario absolui per Bullam, poterit eius effectum consequi, & remanere liberum ab excommunicatione, seu ab alia censura, qua priùs erat innodatus. V. G. Sit pœnitens, qui hanc Bullam habeat, & accedat ad Confessarium, qui confessione completa det absolutionem intentione liberandi pœnitentem ipsum, quantùm potest; & pariter ipse pœnitens velit absolui eodem modo, tunc licèt nihil actu cogitet de priuilegio Bullæ, imo eius efficaciam ignoret explicitè; tamen censetur implicitè eam agnoscere; quatenus in ea intentione vniuersali virtualiter continetur intentio eximendi se per Bullam, vt in simili loquitur *Suarez lib. 8. de legibus cap. 25. num. 16. & 17. Merolla tom. 3. disputationum moralium disp. 6. cap. 6. à nu. 94. & alij* hoc punctum exagitantes in ordine ad Confessarium, qui facultatem habet absoluendi à casibus reseruatis, dum facultas primo, & per se est concessa alicui communitati, cuius ipse Confessarius est pars: docent enim, validam esse interdum absolutionem à reseruatis, etiam si Confessarius absoluens suam facultatem in particulari, & implicitè ignoret; quia sufficit generalis intentio, qua vult vti quatùm potest priuilegijs suę communitatis, seu facultate, quam habet, &c. & quamuis in omnibus non currat paritas inter hunc casum, & nostrum, tamen vtrique; eadem doctrina applicari poterit.

Si quis non omnino ignorat absolui per Bullam, poterit eius effectum consequi.

CAPVT IV.

De conditionibus ex parte absolutionis, quæ vigore Bullæ confertur.

Non intendimus in hoc capite discurrere de conditionibus illis, quæ à Doctoribus requiruntur in forma absolutionis sacramentalis, de quibus agitur in tractatu de Pœnitentia, & ad nostrum institutum minimè pertinent, sed solùm proponimus agendum de illis conditionibus, quæ postulantur in forma absolutionis à censuris: horum autem aliquæ sunt extrinsecæ, aliquæ verò intrinsecæ, vt in progressu huius capitis declarabimus. 1

SECTIO I.

An absolutio à censuris sub conditione per Bullam dari queat?

INter formas absolutionum à censuris enumeratur ea, quæ conditionalis, & ea, quæ ad cautelam nuncupatur; de quibus breuiter in hac sectione inquirimus, an per Bullam Cruciatæ similibus formis validè, & licitè vti valeamus; & à prima exordium sumendo. 2

Suppono ex tractatu de censuris, & pœnitentia, absolutionem aliam esse absolutam, aliam verò conditionatam: absolutam eam esse, quæ tùm in verbis, tùm in absoluentis intentione, nullam inuoluit conditionem: conditionatam autem, vt ex ipso nomine est manifestum, esse illam, quæ contrario modo se habet; nempè aut in verbis, aut saltem in sola intentione proferentis conditionem aliquam includit. Conditio autem triplex est, vel enim est de præterito, vel de præsenti, vel de futuro, V. G. si absoluendo dicas: si restituisti, vel partì læsæ satisfecisti, Ego te absoluo ab hac excommunicatione, quam incurristi, &c. hæc absolutio esset sub conditione de præterito; si verò dicas: si doleas Ego te absoluo, &c. erit de præsenti, quatenus datur posito actu pœnitentię præsentis; demum si dicas: si parti satisfactionem quamprimum dederis, Ego te absoluo, &c. erit absolutio sub 3

Varij modi absolutionis.

Conditio est triplex.

sub conditione futuræ satisfactionis. His præmissis quærimus, an p Bullã validè, & licitè sub his formis absoluere possimus.

4 Dicendum est primo. Certum est; absolutionem collatam sub conditione de præterito, aut præsenti validam esse. Est communis sententia, quam Doctores admittunt, etiam in absolutione à culpis, & ratio est in promptu; quia conditio de præterito, aut de præsenti actum minimè suspendit; quia si verè à parte rei conditio illa existentiam habuit, vel nunc habet, absolutio transit in absolutum, licèt in absoluente hoc non cognoscatur; si verò illa conditio non est posita, tunc absolutio erit irrita; nam intentio absoluentis est, absoluere posita tali conditione; & ita, loquendo de absolutione à censuris, docet *Suarez tom. 5. in 3. p. disp. 7. sect. 8. num. 3. Filliucius Tom. 1. tract. 11. cap. 10. num. 309. Bonacina de censuris disp. 1. quæst. 3. p. 7. n. 1.* & alij communiter. Si autem hoc validè fieri possit spectando tum naturam materiæ, in quam cadit forma absolutionis, tum ipsammet formam, non est dubitandum, quin etiam per Bullam Cruciatæ formam hanc validè exerceamus, cum circa hoc nihil in ipsamet Bulla in contrarium habeamus.

Absolutio sub conditione de præterito, aut præsenti est valida.

5 Dicendum est secundo. Apud Doctores est aliqua dubitatio, & controuersia, an absolutio à censuris sub conditione de futuro, sit valida; nam partem negatiuam amplexi sunt aliqui, vt *S. Antoninus par. 3. tit. 24. cap. 77. §. 1. Syluester verb. absolutio 3. nu. 1. Angelus verb. excommunicatio 2. n. 5. & alibi.* Sed partem affirmatiuam cum alijs sequendam existimo, & ita eam docet *Aegid. Con. de Sacramentis disp. 14. dub. 16. num. 213. Reginaldus in praxi lib. 9. num. 52. Suarez de censuris disp. 7. sect. 8. Gaspar Hurtado disp. 14. de excom. difficul. 2. Vasquez de excom. dub. 18. Stephanus Bauny in Theologia morali par. 2. disp. 3. tract. 2. q. 34. & alij.* Probatur autem, quia sicuti excommunicatio ferri potest sub conditione de futuro, vt de se patet, ita etiam & absolutio: non potest autem sufficiens assignari disparitas. Et confirmatur, nam præceptum, sicuti & dispensatio eiusdem præcepti dari poterunt sub conditione de futuro, ergo etiam excommunicatio, & eius absolutio.

Absolutio sub conditione de futuro, est dubium, an sit valida.

Partem negatiuam defendunt aliqui.

Partem affirmatiuam alij.

6 Neque valet ad probandum contrarium habere recursum ad absolutionem sacramentalem à peccatis, quæ sub conditione de futuro dari nequit, vt communiter in tractatu de Pœnitentia docent auctores, est enim maxima disparitas; nam absolutio, quæ est sacramentalis in ordine ad suum effectum ex sua institutione habet, non posse directè dependere ab ipso Confessario absoluente; proinde cadens super materiam debitam, & in subiecto impedimentum non reperiens, vel statim sortitur effectum, vel illum nunquam habebit, vt diximus, dum ageremus de hoc Sacramento; cõtra vero absolutio ab excommunicatione, seu ab alia censura non est sacramentalis, sed actus iudicialis merè humanus institutione tantùm humana introducta, quemadmodum ipsa censura; idcirco directè dependere potest ab hominis intentione, & dependenter ab eadem intentione eius effectus suspẽdi poterit, vsque dum purificetur conditio.

Paritas desumpta ex absolutione à peccatis non valet.

Dicendum est tertio. Aliquando etiã licitè absolutio datur sub conditione de præterito, & de præsenti, V. G. si est dubitatio, an aliquis nec ne censuram incurrerit, vel ad maiorem securitatem, vt fieri solet in confessionibus sacramentalibus, & in Breuibus Apostolicis in beneficiorum impetrationibus, ne nulliter beneficium conferatur; aut in dispensationibus, &c. aliquando verò poterit esse illicitum, dari talem absolutionem, quando videlicet nulla ex supradictis, vel similibus caussis se offert; tũc enim fieret contra vsum, & praxim Ecclesiæ, & præsertim si erit absolutio sub conditione de futuro, ad quam requiritur longè maior causa, quia pensatis omnibus, sic absolutus, vel erat dignus absolutione, vel indignus: si primum absolutio deberet esse absoluta, & non sub conditione, si indignus, neque sub conditione est exhibenda, & ideo rectè *Suarez sect. cit. num. 11.* inquit, talem modum absoluendi regulariter esse illicitum, & præsertim, quia non est vsus Ecclesiæ hoc pacto absolutionem dare. 7

Absolutio sub conditione de præterito, aut præsenti interdum licita; interdum verò illicita esse poterit.

SECTIO II.

Quid dicendum de Absolutione ad cautelam?

Diuidi consueuit absolutio in eã, quæ dicitur simpliciter data, & in eam, quæ datur ad cautelam, & ad reincidentiam; & quamuis hæ absolutiones essentialiter, seu substantialiter non differant, vt rectè notauit *Suarez disp. 7. de censuris sect. 8. n. 12.* tamen differunt ratione alicuius modi, quo dantur, vt videbimus; atque adeo solùm accidentaliter; de absolutione autem ad reincidentiam erit sermo in sequente sectione; in hac autem sectione solùm agemus de ea, quæ dicitur ad cautelam. Pro qua re aduertendum est, quod dum certò constat ab- 8

Absolutio alia dicitur simpliciter data, alia ad cautelam, & reincidentiã.

absoluendum in censuram incurrisse, quod innotescere communiter solet ex dicto ipsius pœnitentis; tunc absolutio illa dicitur simplex, siue simpliciter data; quando verò est dubium, an fuerit contracta nec nè, quod dubium oriri potest ex triplici capite; primo, an excommunicatio fuerit lata: secundo si fuerit lata, an fuerit inualida: tertio denique etiam si certò constet fuisse latam, & validam, dubium est ex parte subiecti, an crimen commiserit, ob quod lata fuit cẽsura. Quocunque autem modo ex his dubium sit de contractione excommunicationis, absolutio, quæ datur, dicitur ad cautelam; & de tali absolutione fusè loquitur. *Couar. in cap. Alma mater par. 1. §. 12. nu. 7. Vgolinus de censuris tab. 1. cap. 22. §. 1. & alij* communiter in tractatu de censuris.

9 *Modus absoluendi ad cautelã duplex: proprius, & improprius.*

Modus autem iste absoluendi ad cautelam duplex etiam esse poterit: nam alius est proprius, alius verò improprius; tunc enim erit proprius, quando adest dubium de contractione censuræ, modo aliquo ex supradictis; & ideo datur absolutio ad cautelam; at quando nulla est dubitatio, neque suspicio censuræ, tunc absolutio non dicitur propriè loquendo ad cautelam; sed potius ad superabundantiam, vt euenit in confessionibus sacramentalibus, in quibus nullum aperitur peccatum, cui sit adnexa censura, & tamen ante absolutionem sacramentalẽ ex vsu Ecclesiæ præmittitur absolutio à censuris; & fit ob reuerentiam ipsius Sacramenti; vel ante exercitium alterius actus, cuius valor possit impediri, si forsitan excommunicatio, aut alia censura inueniatur; sicuti etiam fit ab Episcopo, antequam conferat ordinem ad vitandũ periculum irregularitatis in eo, qui ordinatur, si fortè aliqua censura sit innodatus. In his autem, & similibus casibus, absolutio non dicitur dari ad cautelam propriè loquendo, & de his, præscindendo à Bulla Cruciatæ, non est controuersia, quæ solùm reducitur ad hoc, an videlicet per Bullam sit facultas absoluendi ad cautelam, loquendo de absolutione ad cautelam propriè dictam; nam de ea, quæ impropriè dicitur ad cautelam, & est ad superabundantiam, nulla est difficultas; quia dum Confessarius absoluit vigore Bullæ, etiam si nullius censuræ à pœnitente incursæ notitiam, aut dubitationem habeat, si præmittat, vt mos est, absolutionem à censuris, tunc dicitur absolutio à censuris ad cautelam impropriè, cum sit ad superabundantiam; de hac autem absolutione non est inquam difficultas, sed de alia, de qua quærimus,

Dubitatio est de absolutione ad cautelã propriè dictam.

an per Bullam detur potestas ad eam exercendam.

Prima sententia est eorum, qui negant per Bullam absolui aliquẽ posse ad cautelam, & ita sentit *Couar in cap. Alma mater p. 1. §. 12.* loquens generaliter de eo, qui habet potestatem delegatam absoluendi à censuris, & quidam alij Canonistæ, quos laudat *Ludouicus à Cruce in expositione Bullæ disp. 1. cap. 4. dub. 7. nu. 1.* & fundantur in hoc principio, nempè absolutionem ad cautelam esse extraordinariam; proinde facultatẽ ad illam præstandam, esse quamdam gratiam specialẽ à Pontifice concessam, vt colligitur ex *Capite per tuas de sent. excom.* ergo in Bulla Cruciatæ, quæ de facto promulgatur, cum solum simpliciter communicetur à Pontifice potestas ad absoluendum; idcirco non censetur concessa potestas, nisi absoluendi modo ordinario, & non extraordinario. 10

Nõnulli negant vi Bullæ dari posse absolutionem ad cautelam.

Sed secunda opinio, quæ affirmat, defenditur ab alijs, inter quos in terminis nostræ Bullæ eam amplectuntur *Ludouicus à Cruce loco citato, Aegidius Trullench in Bullam lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 9. nu. 15.* & quamuis hi auctores citent *Suarez*, tamen ipse non loquitur specialiter de absolutione danda per Bullam, sed de absolutione à censuris ad cautelam, & nõ descendit ad casum nostrum; proinde auctoritas *Suarez* non fauet huic secundæ sententiæ; quia aduersarij vltro fatentur dari posse absolutionem istam, sed negant per Bullam dari posse; quod est id, quod nos in præsentia inquirimus, citat etiam *Ludouicus* nonnullos alios. 11

Alij partem affirmatiuam tuentur.

Dicendum est, hanc secundam opinionem esse omnino amplectendam. Probatur, quia si datur potestas in Bulla absoluendi, quando censura est certa, multò magis, quando erit dubia; immò maior potestas videtur requirenda ad absoluendum à censuris, quando in eas pœnitens certò lapsus est, quàm cum lapsus est sub dubio; sicuti eadem potestas, quæ est ad remittenda peccata certa, erit sufficiens ad peccata dubia; absolutio autem à censuris dubijs est proprijssimè absolutio ad cautelam. Et confirmatur à pari, imò à fortiori, videlicet requiri maiorem potestatem ad absoluendum à censuris certis, quàm à dubijs; nam si aliquid peccatum sit reseruatum, dum est certum, non autem dum est dubium; tunc Confessarius, qui communem habet facultatem absoluendi à mortalibus, poterit absoluere ab illis peccatis dubijs, à quibus, si essent certa, absoluere nõ posset ob defectum potestatis, & sic maior potestas requiritur ad absoluendũ à cer- 12

Admittitur ab auctore hæc secunda opinio.

tis, quàm à dubijs: ergo idem est dicendum in censuris; proinde potiùs potestas maior videtur postulari ad absoluendum simpliciter à censuris, quàm ad absoluendũ ad cautelam, cũ est dubium de incursione censurarum.

13 Ad fundamentum autem auctorum primæ sententiæ, nego potestatem absoluendi ad cautelam, modo à nobis explicato, esse extraordinariam, & non cõprehensam sub potestate absoluendi à censuris certis, immò illa continetur sub ista, tanquam minus sub maiori. Ea verò, quæ in oppositum afferuntur à *Couar. & ab alijs*, locum habere videntur solùm pro foro externo, & non pro foro conscientiæ, & interno; & ideo dicimus, quod loquendo de foro contentioso, ad quod est delegata ipsa excommunicatio, tunc nequit ad cautelam absolui pro eodem foro virtute Bullæ; sed absolutio deberet esse ab eo, qui illam tulit, vel à Iudice superiore, aliter nihil efficeretur; quia semper pro eodem foro externo maneret dubitatio, cum Confessarius non sit legitimus Iudex in foro contentioso.

Potestas absoluendi ad cautelam cõtinetur in potestate absoluendi simpliciter.

SECTIO III.

An absolutio ad reincidentiam validè per Bullam Cruciata conferatur?

14 Alius modus absoluendi à censuris diuersus ab absolutione simpliciter dicta, est ad reincidentiam, quæ importat quemdam veluti regressum eiusdem censuræ, & dupliciter fieri contingit: primo, dum quis absoluitur, non in perpetuum, sed ad certum tempus, seu ad certum quemdam actum, pro determinato tempore duraturum, quo transacto, qui fuit ita absolutus, remanebit sicuti priùs excommunicatus; vt euenit, quando quis absoluitur ad comparendũ coram Iudice, vel ad testimonium ferẽdum, vel vt collatio beneficij ecclesiastici, aut alia gratia à Pontifice concessa valorem habeat, quibus peractis, absolutus incidit in priorem censuram: secundo poterit absolutio esse perpetua, & nõ cum restrictione ad definitum tempus, vel ad vnum, & alterum effectum, sed ex intentione absoluentis datur perpetuò duratura, sub conditione tamen aliquid faciendi. V. G. restituendi, vel cõparendi intra mensem; & ideo si transacto mense non præstetur, quod iniungitur, redibit excommunicatio. His præhabitis ex materia de censuris, quærimus, an vigore Cruciatæ, possit quis hoc pacto ad reincidentiam absolui.

Quid importat absolutio ad reincidentiam.

15 Dicendum est, per hanc Bullam nõ dari facultatem absoluendi ad reincidẽtiam: ita *Rodriquez in explicatione Bullæ, §. 9. n. 57. Henriquez lib. 13. cap. 29. Gomez in Bullam claus. 10. n. 27. ex Soto in 4. dist. 22. q. 2. a. 4. Acosta quæst. 51. Ludouicus à Cruce disp. 1. cap. 4. dub. 8. nu. 3. & 4. Trullench lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 14. n. 2. & alij*, & pro hac sententia *Pater Diana par. 5. resol. 25.* refert *Moscosum in Summa tract. 16. cap. 7. n. 5. & 6.* qui cum quadam limitatione loquitur, dum vult tempore Iubilei posse Confessarium absoluere ad reincidentiam, positis quibusdam conditionibus ibi expressis, quæ si postea ab absoluto non ponantur, vult ipse Confessarius, vt absolutus reincidat in excommunicationem in foro tamen externo, non autem interno. Probatur autem nostra conclusio hac ratione fundamentali. Per hanc Bullam non datur potestas neque excommunicandi, aut imponendi aliquam censuram, neque suspendendi excommunicationem, sed solùm datur facultas absoluendi simpliciter, vt patet ex ipsomet contextu Bullæ: ergo nõ datur facultas absoluendi ab excommunicatione ad reincidentiam. Hæc consequentia suadetur; quia absoluere ad reincidentiam, supponit in absoluente potestatem excommunicandi, vel suspendendi censuram, ne afficiat personam, quæ absoluitur, quæ suspensio non est quoad effectum tantùm; nam, vt communiter docent auctores, censura nequit suspendi in hoc sensu, vt ipsa manente, effectum non causset; sed in hoc alio sensu, vt ipsa secundùm se suspendatur non afficiendo hominem: cum autem quis absoluit ad reincidentiam, vel ad definitum tempus, seu ad aliquem effectum, vel perpetuò sub conditione, vt supra explicuimus, tunc transacto eo tempore, seu posito illo effectu, vel non posita conditione censebitur ex vi suæ iurisdictionis, vel iterum excommunicare, vel facere, vt prior excommunicatio suspensa redeat, quæ omnia, vt patet, sunt actus iurisdictionis supponentes hãc potestatem in eo, qui ita operatur; hæc autem iurisdictio nequaquam per Bullam conceditur; proinde nõ poterit virtute Bullæ dari absolutio ad reincidentiam, & hoc ex defectu potestatis, & iurisdictionis.

Per Cruciatã nequit absolutio dari ad reincidentiam.

Per Bullam nõ datur potestas excommunicandi, neq; suspendendi excommunicationẽ.

Sed contra nostram sententiam facere videntur nonnulla argumenta. Et primo sic. Qui potest absolutè, & simpliciter absoluere, poterit absoluere ad reicidentiã, nam plùs videtur illud, quàm istud, quia hoc est cum limitatione, illud verò absq; vlla restrictione: igitur cum per Bullam concedatur facultas absoluendi absolutè, 16

tè,

tè, & simpliciter, censebitur etiam concessa facultas absoluẽdi ad reincidẽtiã.

17 Respondeo, negando antecedẽs, eiusq; probationem; quia facultas absoluẽdi ad reincidentiam, supponit iurisdictionem ad excommunicandum, & ad suspendẽdam excõmnicationem, vt supra ostendimus, quam iurisdictionem non supponit facultas absoluẽdi simpliciter; proindè maior est potestas absolnendi ad reincidentiam, quàm absoluendi simpliciter, ista enim vtrumq; facere potest, scilicèt & absoluere simpliciter, & absoluere cum illa conditione.

Qui potest absoluere ab excommunicatione, non semper potest excõmunicare.

18 Dices secundo. Cui conuenit facultas absoluendi, eidem competit facultas excommnnicandi, sicuti, qui non habet potestatem condemnandi, nõ habet potestatem liberandi, vt dicitur *in Iure ciuili, regula 28. ff. de reg. iuris*. & confirmatur dupliciter. Primo, quia vtraque facultas à iurisdictione dependet. Secũdo quia absolutio, & excommunicatio vniformiter se habẽt *ex cap. verbum de pœnit. dist. 1.* igitur Confessarius, qui per Bullam potestatem habet absoluendi, habebit etiam veluti per accidens potestatem excommunicandi in casu reincidentiæ; nempe per quamdam veluti æquiualẽtiam, quatenus sic absoluendo, non omnino liberat pœnitentem, sed eum conditione, vt aliquod præstet opus &c. quo non prestito, intentionem habet non absoluendi, & per consequens, cum absolutio omnino dependeat ab intentione absoluentis, euanescit, conditione illa non posita, & in hoc sensu dicitur per Bullam habere Confessarius potestatem excommunicandi; sicuti Sacerdos non absoluẽs pœnitentem à culpis ob ipsius pœnitẽtis indispositionem, dicitur per quamdam æquiualentiam eum ligare, inquantùm eumdẽ à peccatorũ vinculis nõ absoluit.

19 Respondeo, falsum esse antecedens, vt patet ex dictis; nam potestas absoluendi nõ trahit secum potestatem excommunicandi; aliter quilibet Confessarius haberet facultatem excommunicandi suos pœnitentes; quod est manifestè falsum; & licèt vtraque facultas iurisdictionem importet, seù à iurisdictione dependeat; nihilominùs iurisdictiones istæ sunt diuersæ: nam potestas excommunicandi primò, & per se pertinet ad forum externum, & contentiosum, potestas verò absoluendi potest solùm esse pro foro interno; & quamnis interdum extendatur ad forum iudiciale externum; tamen primo, & per se non spectat ad forum externum, sed abstrahit ab vtroq; foro. Ad regulam illam Iuris respondeo, esse intelligendam de illo, qui per potestatem ordinariam potest absoluere, non autem de Delegato. Ad confirmationem autem nego, absolutionem, & excommunicationem vniformiter se habere in ordine ad causam efficientem; quia, vt diximus excõmunicatio primò, & per se procedit ab eo, qui potestatem habet in foro externo; non ita absolutio, quæ potest esse ab habente potestatem in solo foro interno: ad textum autem desumptum *ex cap. verbum*. respõdeo, ibi esse sermonem de absolutione, quæ procedit à Iudice ordinario habẽte potestatem in foro contentioso, non autem esse sermonẽ de absolutione, quæ est ab eo, qui absoluit ex priuilegio, vt est Cõfessarius absoluens virtute Bullæ. Ex his verò nego illam consequentiam, per quam inferebatur, Confessarium per Bullam habere per accidens, & per æquiualentiam potestatem excommunicandi; procedit enim ex falso principio, nempe per Bullam absolui posse pœnitentem ad reincidentiam, quod supra improbauimus. Neq; Confessarins denegãs absolutionem propriè dicitur ligare; sed dicitur eũ ligare, inquantum imponit ei pœnitentiam.

Potestas absoluendi non trahit necessariò potestatem excommunicandi.

Qui absoluit ab excommunicatione ex potestate ordinaria, habet facultatẽ excommunicandi.

Absolutio, & excommunicatio non se habent vniformiter ad caussam efficientem.

SECTIO IV.

Vtrum in absolutione excommunicationis, quæ datur per Bullam, sit exprimenda causa ipsius censuræ.

Præsens quæsitum, de quo auctores loquuntur in materia de censuris, à nobis est exagitandum, tum qnoad validitatẽ absolutionis; tũ etiã quoad rectum modum impertiendi absolutionẽ ipsam. 20

21 Dico igitur primò. Si spectemus naturam censuræ, & Ius commune, indubitatum est, posse validè conferri absolutionem, quamuis caussa incursus in eamdem censuram minimè exprimatur, vt docet *Henriquez in sũma lib. 13. de excom. cap. 29. num. 1. Suarez, disp. 7. de cens. sect. 9. num. 6. Fillincius tom. 1. tract. 11. cap. 10. quæsito 7. Bonacina de censuris disp. 1. q. 3. p. 5. nu. 7. Diana par. 5. tract. 9. resol. 31. ver. Notandum est, Trullench in exposit. Bull. lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 18. num. 25. & alij* cõmuniter. Probari solet conclusio ista ex eo quod ex natura rei nulla apparet necessitas talis expressionis; neque extat aliquod Ius talem expressionẽ præscribens; & cõfirmatur paritate desumpta ex forma absolutionis, quæ datur in foro iudiciali, cum reus à Iudice venit liberandus, tũc enim Iudex profert, aut scribit sententiã in forma, qua delinquẽs absoluitur, & nõ oportet, vt exprimatur causa accusationis, aut pœnæ, quam reus passus est.

Secundum ius commune in absolutione ab excommunicatione non est necessaria expressa caussæ incursus.

Dico

22 *Cum absolutio ab excommunicatione datur vi Bullæ nō oportet exprimere caussam.*

Dico secundo. Hoc ipsum asserendum est, cum aliquis absoluitur vigore Bullæ Cruciatæ: Ita *Trullench loco cit.* loquens expresse de Bulla *ver.(quæ doctrina.)* Et ratio est, quia, cum in Bulla non præscribatur talis modus, sed absolutè detur facultas absoluendi, consequens est, vt dicamus, modum absolutionis esse regulādum secundùm ius commune; ac proinde cum in iure communi, vt vidimus, nō statuatur, vt in forma absolutionis manifestetur caussa, neque necessariò erit manifestanda, dum ipsa absolutio confertur vi alicuius priuilegij.

23 *In quibusdam casib⁹ in forma absolutionis declarāda est caussa cēsuræ incursæ.*

Dico tertio. In quibusdam casibus in forma absolutionis declaranda erit caussa censuræ. Ita *Suarez vbi supra* loquens de absolutione cēsuræ: eius verò doctrina est applicanda etiam cum absolutio datur per Bullam, quæ in hac re non discordat à iure communi, sed per illud regulatur. Casus autem, in quibus caussa est manifestanda, referuntur *à Suarez ibidem*, apud quem videri possunt; ideoque vt breuitati consulam, eos omitto, cum præsertim nihil occurat diuersum in terminis nostræ Bullæ.

24 *In casibus, in quibus nō exprimitur caussa, validè, & etiam licitè conceditur expressio, secus in alijs casibus.*

Dico quarto. In illis casibus, in quibus non oportet exprimere caussam excommunicationis, absolutio absque tali manifestatione non solùm validè, sed etiam licitè confertur; in ijs verò casibus, in quibus est caussa declaranda, nō poterit forma absolutionis sine caussæ expressione licitè proferri.

SECTIO V.

An absoluens per Bullam ab excommunicatione vti debeat determinata forma.

25 *Absolutio à censuris non requirit essentialiter verba.*

SVpponimus vt certum ex materia de censuris, non esse de essentia absolutionis censurarum fieri per verba propriè dicta, sicuti est ratione absolutionis sacramentalis à culpis, vt ostendimus in tractatu de pœnitentia; nam absolutio censurarum etiam excommunicationis, vt vidimus, potest dari absenti, & per scripturam; ac proinde non est necesse ad eius valorem per verba propriè dicta proferri, & sic docet *Suarez disp. 7. de censuris sect. 9. num. 12. & alij* communiter.

26 *Poterit validè dari p nutus, & signa; id autē à solo Sūmo Pontifice licitè fit.*

Supponimus etiam, hāc absolutionem per nutus, & signa validè dari posse; attamen id nequaquam posse fieri à Prælatis Summo Pontifice inferioribus; quia nullus talis Prælatus variare potest formam præscriptam à Iure communi; at in Iure communi habemus, absolutionem à censuris dandam esse, vel per verba, vel per scripturam, vt docet *Glos. in Clem: vnica de sententia excom:* & patet *ex cap. cum desideres, & cap. Si aliquādo, de sent. excom.* attamen, cum Summus Pōtifex sit supra ius positiuum Canonicum, poterit etiam per nutus, & signa absoluere eos, qui censuris sunt innodati *ex Clement. cit.* & asserit *Bonacina disp. 1. de cens. quæst. 3. p. 5. num. 6. Suarez loco cit. n. 14. & alij.*

Denique supponimus secundum idem Ius cōmune non requiri determinatam formam verborum ad remittendas censuras, talis enim determinatio nullo iure suaderi poterit; sed aliqua requiri verba, siuè in voce, siuè in scriptis certum est; quia modo sensibili absolutio ista est impertienda; aliter nihil efficietur, nam cum censuræ inflictio, eiusq; absolutio inter homines exerceantur, oportet modo humano fieri, nempe per aliquod externum, & sensibile significans liberationem à censuris. 27 *Ad remittendas cēsuras nō requiritur determinata verborū forma; licet aliqua requirātur verba, siuè in voce, siuè in scriptis.*

His inquam suppositis ex tractatu de censuris, quærimus, an saltem in Bulla præscribantur certa, & determinata verba, seu forma absoluendi à cēsuris diuersa ab illa, quæ secundum Ius commune vsurpari solet. 28

Dicendum est primo. Absolutio vigore Bullæ collata non præfigit formam tāquam necessariò exercendam, distinctam ab ea, qua cōmuniter absque ipsius Bullæ applicatione vti solemus: hoc autem manifestum nobis erit ex tenore eiusdem diplomatis, in quo, cum nihil circa formam absolutionis sancitum habeamus; idcirco forma cōmunis relinquitur vsurpanda. Et quamuis in Bulla videatur apposita quædā verborum forma, nihilominùs non ponitur tanquam necessaria, sed solùm ex deuotione; quatenus in tali forma exprimuntur distinctè varij effectus, qui per virtutem Bullæ causātur; nempè explicita remissio cēsurarum, tum à iure, tum ab homine, remissio culparum, applicatio indulgentiæ plenariæ: attamen addo hāc formā, vt patet ex titulo, qui est ante ipsam, fuisse appositā pro illa absolutione, quæ datur semel in vita, & semel in articulo mortis. 29 *In Bulla nō præscribitur forma determinata in absolutione censurarum præter eam, quæ est de Iure.*

Dicendum est secundo. Eadem numero forma absolutionis, quæ vigore Bullæ confertur, poterit interdum validè ferri in censuras, & culpas simul delendas; & ideo, hæc numero verba *(Absoluo te)* sufficere possunt ex intentione absoluentis ad vtrumque effectum. (Supponimus enim ex materia de Pœnitētia, essentiam formæ absolutionis sacramentalis secundùm longè probabiliorem opinionem sitam esse in prædictis verbis.) Probatur autem conclusio hac ratione. Secundùm Ius 30 *Eadē numero forma interdū fertur in cēsuras, & culpas delendas vi Sacramenti.*

Ius commune eadem numero forma poterit validè se extendere ad censuras, & peccata: ergo etiam hoc ipsum fieri poterit virtute Bullæ. Consequētia ex dictis est manifesta; nam, vt ostendimus, circa formam absolutionis, Bulla nihil diuersum à Iure communi tanquam necessarium decernit. Antecedens verò asseritur à multis, qui in terminis de illo loquūtur; inter hos est *Henriquez in sūma lib. 13. de excom. cap. 19. num. 1. Suarez de censuris disp. 7. sect. 5. num. 37. Nauar: de pœnit. dist. 6. cap. 1. num. 27. & 28. Bonacina de Sacr: Pœnit. disp. 5. quæst. 4. p. 1. n. 10. quæsito. 4. & de censuris disp. 1. quæst. 3. p. 5. n. 2. & 3. Lezana in summa quæst. moral. tom. 3. verb. Absolutio. n. 2. & alij.* & ratio esse potest, quia absolutio à cēsuris, vt supradiximus, non requirens determinata verba, poterit significare simul deletionem culparū, & censurarum; atque adeo eadem numero manens habere vtrumq; effectum.

Verba ista, Absoluo te) sunt sufficiētia ad remittēdas culpas, & censuras.

31 Quod autem illa verba vtramq; continere valeant significationem, probatur; quia posita culparum, & simul censurarum accusatione verbum illud, *Absoluo*, sufficientem habebit determinationem ad significandum vtrumque effectum, sed hoc, fusiùs probatur in tractatu de Sacramēto Pœnitentiæ, dum agitur de sufficientia formę. Dixi in conclusione eamdem numero formam interdū satis esse ad effectus prædictos, & sufficere illa duo tantùm verba (*Te absoluo*,) quia censeo oppositum aliquando esse probabile, videlicèt, quando absolutio à censuris datur inuito, & non petenti; vt notauit *Pater Diana par. 5. tract. 9. resol. 31.* tunc enim verbum, *Absoluo*, non habebit requisitam determinationem, adhoc vt possit significare remissionem censurarū, V. G. fingamus, quod ille, qui potestatem habet absoluendi inuitum ab excommunicatione, proferat hanc formam, dicens, *Ego te absoluo*, in hoc casu ex nullo capite videtur sensibiliter determinatio significationis, de qua loquimur, desumi posse, non ex petitione facta ab ipso excōmunicato; quia supponimus adhuc manere in sua contumacia, atq; adeo absolutionem minimè postulare; intētio autem absoluentis nō est satis, quia per nullum externum signum manifestatur in ordine ad censuram delendam; proinde in hoc casu forma ista non erit sufficiens ad remittendas censuras, & pro hac sententia *Pater Diana citat Suarez, Turrianum, Conin. Villalob. & Cornejum.* Dixi vlteriùs validè id fieri posse, nam, per se loquēdo, non videtur licitum; est enim cōtra praxim, & consuetudinem Ecclesiæ, quæ præscribit formam distinctam ad remittendas censuras ab ea, quæ habetur ad absoluendas culpas, & hoc rectè institutum fuit; quia eadem forma negari non potest, quin æquiuocè proferatur, dum ex intentione proferentis extenditur ad censuras, & culpas; idcirco vterque effectus per duplicem formam significari debet. Sed contra id, quod in hac conclusione asseruimus de sufficientia eiusdem numero formæ.

Non est licitū absq; causa rationabili vti eadē forma ad absoluendū simul à cēsuris, & peccatis.

32 Obijcies primo. Absolutio à culpis debet esse sacramentalis, non autem absolutio à censuris; atq; adeo nunqnam eadem numero forma poterit se extendere ad caussandum vtrumq; effectum; quia simul foret sacramentalis, & non sacramentalis, quod repugnat.

33 Respondeo, cum dicitur, absolutio à censuris non esse sacramentalis, non intelligitur secundùm positiuam exigentiam, sed negatiuè, aut præcisiuè, quatenus absolutio à censuris ex se non est sacramentalis, & hoc non solùm formaliter, verùm etiam materialiter, cum dari queat extra Sacramentum Pœnitentiæ; at illi non repugnat esse saltem materialiter sacramentalem, quatenus identificari potest cum absolutione à culpis, quæ est sacramentalis; proindè ab obiectionem neganda est consequentia, eiusque probatio.

Absolutio à censuris non exigit nō esse sacramētalē.

34 Obijcies secundo. Id, quod est priùs, nequit esse idem cum eo, quod est posterius; at absolutio à censuris debet præcedere absolutionem à peccatis, & sic illa erit quid prius, ista quid posterius; ergo nequeunt identificari, & coalescere in vnam numero absolutionem.

35 Respondeo, si loquamur de prioritate rationis, seu de ordine naturæ, falsa erit maior; & ideo aio, quod quamuis vna, & eadem realiter sit vtraque absolutio, nihilominùs eadem realis, prout terminatur ad censuras, intelligitur prior se ipsa, prout terminatur ad culpas.

Absolutio à censuris satis est, vt sit prior prioritate rationis absolutione à culpis.

SECTIO VI.

Vtrum absolutio à censuris per Bullam si metu, aut dolo extorqueatur, sit irrita?

36 Dicendum est primo. Absolutio, quæ per metum grauem iniustum, aut per vim extorquetur, est ipso facto irrita, & nulla. Est communis sententia, quam loquendo de absolutione data secūdùm Ius commune docent *Suarez disp. 7. de cens. sect. 6. n. 13. Nauar. in summa cap. 27. nu. 125. Vgolinus de cens. tab. 1. cap. 20. §. 4. n. 2. Reginaldus in praxi lib. 9. n. 48. Conin. de Sacramentis disp. 13. dub. 5. num. 36. & disp. 14. dub. 16. concl. 2. Sayrus de censuris lib.*

Absolutio per metū grauem iniustum, aut per vim collata est inualida.

lib. 2. cap. 21. num. 30. Henriquez in summa lib. 13. cap. 30. num. 1. Filliucius tom. 1. tract. 11. cap. 10. quæst. 5. Bonacina de censuris disp. 1. quæst. 3. p. 8. num. 4. & sequentibus. Diana par. 3. tract. 5. resol. 118. in fine. ver: (Septimo idem dicendum,) par. 5. tract. 9. resol. 69. in fine. Ægidius Trulleneb loquens de absolutione data per Bullam in eius expositione *lib. 1. §. 7. cap. 6. dub. 2. in fine. Merolla in Theol. morali tom. 3. disp. 1. cap. 30. dub. 19. num. 25. Lezana in summa quæst. moral. tom. 3. verb. absolutio. num. 12. Stephanus Bauny in Theologia morali par. 2. disp. 3. tract. 2. quæst. 45. dub. 2.* Probatur autem manifestè ex Iure Canonico, nam *in cap. de his, quæ vi, aut metu in. 6.* non solùm statuitur, talem absolutionem esse prorsùs inualidam, sed vlteriùs eum, qui illam hoc pacto extorquet, incidere in censuram alterius excommunicationis. Ratio autem, quæ ex natura rei hoc efficaciter probet, non habetur, quia inualiditas ista ex solo iure positiuo prouenit; & ideo præscindēdo à tali iure, absolutio ista nō est inualida; quoniam metus non tollit omnino voluntarium, sed solùm secundùm quid; & ideo iuxta valde probabilem opinionem, ea, quæ tali metu fiunt, iure naturæ non sunt irrita, vt fusè examinatur *in p. 2. de voluntario, & inuoluntario*; attamen possumus quamdam afferre congruentiam; nam, qui per iniuriam aliquid extorquet, conueniens est, vt de re sic extorta nullum reportet commodum à iure concessum; restringendo autem hanc vniuersalissimam rationem ad casum nostrum, dicimus, quod ille qui per vim, aut metum iniustum extorquet absolutionem ab excommunicatione, non videtur recedere à sua contumacia; idcirco reddit se tali absolutione indignum; igitur conueniens est, vt ex vi talis absolutionis nullum reportet emolumentum. Dixi in conclusione: si per metum iniustum extorquatur; nam si iustè incutiatur, valida erit absolutio ab excommunicatione: ita *Suarez, & Bonacina locis citatis.* Dixi vlteriùs per metum grauem, &c. qualis est metus cadens in virum cōstantem. Qualis autem esse debeat, suppono declaratum in tractatu de inuoluntario, &c. quod autem ad inualidandam hanc absolutionem requiratur grauis metus, & leuis non sufficiat, est cōmunis doctrina, quæ videtur rectæ rationi consentanea; nam metus leuis in Iure pro nihilo reputatur, ita *ex L. Nec timorem 7. ff. de eo quod metus caussa, & L. metus. eodē titulo, & regula vani timoris. ff. de reg. iuris, & in Iure Canonico Clem. p. nu. 3. de foro competenti Glos. in capite vnico de his, quæ vi &c. in 6. verb. subiacere, Lessius lib. 2. de iust. cap. 17. num. 46. Sanchez lib. 4. de matrimonio disp. 9. num. 4. & sequentibus. Castro Palaus tom. 1. tract. 2. disp. 1. p. 12. & alij.*

Qui per vim extorquet absolutionem à censuris, incurrit in excommunicationem.

Si metus iustè incussus, valida erit absolutio.

Non sufficit metus leuis ad irritandam absolutionē.

37 Dicendum est secundo. Si quis per dolum, & fraudem versantem circa caussam finalem, seu substantialiter requisitā, absoluitur à censuris, absolutio etiam erit irrita, V. G. si Confessarius vult absolutionem conferre, positis debitis requisitis, nempe satisfacta parte, quando excommunicatus tenetur, si ipse excommunicatus ex dolo decipiat Confessarium, asserens satisfecisse, inualidè tunc absoluetur: ita *Suarez, Bonacina, Filliucius locis citatis*: & ratio est in promptu; nam absolutio non habet vim nisi ex intentione absoluentis, cum autem absoluens non intendat absoluere, nisi modo recto, nempe satisfacta parte, consequens est, vt dicamus, in tali casu ex intentionis defectu inefficacem esse absolutionem illam.

Erit etiam irrita absolutio extorta per fraudem circa caussam finalem.

38 Sed dices. Si hoc esset verum, sequeretur, quod si quis ignorantia inuincibili laboret, putans parti læsæ satisfecisse, vel non teneri ad satisfaciendum; quamuis reuera neque satisfecerit, neq; fuerit deobligatus ad satisfactionē præstandam, & vt sic absolueretur, absolutio esset inualida; quia non est secundùm intentionem absoluentis: hoc autem videtur durum, & à nemine asseritur.

39 Respondeo, negando sequelam; quia cum inualiditas ista dependeat à iure positiuo ecclesiastico, & non ex natura rei, Ecclesia irritat absolutionem, quæ datur per dolum, & fraudem; non autem, quādo ex parte vtriusque, nempe ex parte absoluendi, & absoluentis est ignorantia inuincibilis; & ideo intentio Confessarij absoluentis conformatur intentioni vniuersali Ecclesiæ, nisi positiuè, & expressè haberet voluntatem non absoluendi, etiam posita bona fide pœnitentis, attamen malè faceret habendo talem voluntatem.

Si error oritur ex ignorātia inuincibili pœnitentis, absolutio non erit inualida.

40 Dicendum est tertio. Quæ in præcedentibus conclusionibus de absolutione à censuris secundùm Ius commune statuta à nobis sunt, magis specialiter loquendo applicari debēt absolutioni collatæ per Bullam, aut per quodcunque aliud simile priuilegium; nam circa hæc, nulla inuenitur diuersitas inter Ius commune, & Bullam Cruciatæ.

Quæ dicta sunt secundùm Ius commune, locum habent in absolutione data per Bullam.

41 Objici potest contra prędicta paritas ex censura excommunicationis latæ per vim, & metum grauem, quo non obstāte, valida existimatur; ergo etiam idem erit dicendum de absolutione ab ipsa cēsura.

Respon-

42 *Aliqui putarunt excommunicationē datā per metū ipso nullam.*

Respondeo primo, non defuisse aliquos, qui putauerint, talem excommunicationem inualidam esse, & ita asseruerunt *Sayrus lib. 1. cap. 16. num. 9. Vgolinus de censuris Tab. 1. cap. 2. §. 4. num. 2. Conejo in 3. p. tract. 5. disp. 2. dub. 4. & apud Patrem Dianam par. 5. resol. 69 citata, Auendañus de metu lib. 2. cap. 31. nu. 171.* quam opinionem *ipse Diana* probabilem appellat.

43 *Non est eadē paritas de excōmunicatione, quæ datur per metum, & de absolutione in ordine ad validitatē.*

Respondeo secundo, negando paritatem, quia validitas, & inualiditas ista, tum excommunicationis, tum absolutionis solùm sunt ex iure ecclesiastico, in quo nullum reperimus decretum irritans excommunicationem latam per vim, & metum: at habemus decretum expressè annullans absolutionem datam per metum, vt patet *ex cap. illo de his, quæ vi &c. in 6.* idcirco non valet argumentum ex tali paritate procedens. Congruentiæ autem, quibus Pontifex voluerit magis vnum, quam aliud irritare, videri possunt apud *Suarez de censuris disp. 2. sect. 5. n. 2. & alios,* quos laudat *Diana resolutione citata.*

SECTIO VII.

An absoluendus ab excommunicatione vi Bullæ debeat iuramentum præstare de parendo Ecclesiæ mandatis.

44 IN iure Canonico inter alias solemnitates, quæ requiruntur ad rectum modum absoluendi à maiori excommunicatione, est emissio iuramenti de parendo, &c. quam ceremoniam colligunt Doctores *ex cap. ex tenore, cap. de cætero, cap. cum desideres, & cap. à nobis 28. de sent. excommunicat.*

45 Superfluum, & à nostro instituto alienum esset examinare ea omnia, quæ circa huius iuramenti emissionem tractant auctores in materia de censuris; quando ad nos solùm pertinet expendere, an iura supradicta comprehēdant etiam absolutionem, quo quis absoluitur virtute huius Bullæ; quapropter breuiter, & veluti per transennam attingendo, quæ à iure communi præscribuntur, deueniemus tandem ad præsentis quæsiti solutionem.

46 *Iuramētum, de quo est dubitatio, non debet esse vniuersale de omnibus Ecclesiæ mādatis.*

Supponendum igitur est circa emissionem talis iuramenti varia dicta fuisse à Doctoribus de hac re scribētibus, quorum aliqua sunt certa, aliqua verò controuersa; certum autem est nō esse iuramentum vniuersale de seruandis omnibus Ecclesiæ mandatis, vt notauit *Suarez. disp. 19. de censuris num. 10.* quia neq; in textibus citatis, neque alibi tale præscribitur iuramentum; sed est iuramentum de parendo Ecclesiæ, in lege illa, ob cuius trāsgressionem incurritur excōmunicatio, sic ponderant auctores, & *Suarez loco citato, Lezana in summa quæst. moral. tom. 3. verb. Absolutio. num. 10.* licèt aliqui rem hanc alio modo explicare videātur; sed in idem recidit, dicunt enim esse iuramentum de obediendo mandatis illius Superioris, qui absolutionem confert; at hoc non est diuersum, vt inquiunt *Lezana, & Sanchez in Decal. lib. 2. cap. 13. num. 20.* quia non alia ratione fideles in hoc casu Ecclesiæ obediunt, nisi exequendo mandata Superioris.

Est iuramētū de seruādo pcepto, circa quod fuit trāgressio.

47 *Iuramentum prædictū requiritur etiam satisfacta parte.*

Hoc autem iuramentum exigendum erit, quamuis absoluendus parti læsæ satisfecerit, vt docet *Couarr. cap. Alma mater par. 1. §. 11. num. 11.* & approbat *Sanchez cap. cit. num. 18.* nam finis, ob quem tale iuramentum exigitur, est, vt ipse absoluendus in posterum cautiùs procedat, & timore periurij se abstineat à similibus peccatis, & de his non est controuersia apud Doctores. Difficultas autem est, an in absolutione cuiuscunque maioris excommunicationis, ob quodcunque crimen præstari debeat iuramentum. Affirmat *Hostiens. in summa lib. 5. de sent. excom. num. 14. ver. in maiori autem excommunicatione*: sed alij communiter docent, nō esse postulandum tale iuramentum respectu cuiuscunque criminis, sed solùm in magnis, & atrocibus; vt dum agitur de incēdio, publica clerici percussione, & in casibus contentis in Bulla cœnæ: sanè in iuribus prædictis, solùm de percussione clerici fit expressa mentio. Hoc autem iuramentum non est de essentia absolutionis; nam absolutio sine illo collata erit valida, vt contra Hostiensem dicunt communiter Doctores, *vt Glos. cap. cit. cum desideres, in declaratione casus, & verb. Nisi forma Ecclesiæ. Abbas eodem cap. n. 4. & alij.*

In quo consistat punctū difficultatis.

In iure Canonico requiritur tale iuramentū, dum quis absoluēdus est ab excōmunicatione ob percussionē clerici.

48 *Restringitur quæstio ad absolutionē dādam vi Cruciatæ.*

His omnibus præmissis secundùm ius commune, descendendo ad casum nostrum in particulari, inquirimus, an excommunicatus vigore Bullæ absoluendus, debeat ante absolutionem iuramentum præstare de parendo Ecclesiæ modo explicato.

49 *Aliqui affirmatiuā partē tuentur in magnis criminibus.*

Partem affirmatiuam sequitur *Auila de censuris par. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 3. concl. 2.* dum ait iuramentum prædictum semper esse petendum, quando delictum est graue, & loquitur de absolutione data in Sacramento confessionis, & idem sentit *Gaspar Hurtado disp. 14. diff. 4. & ita videtur esse Ioānes Polancus in Directorio Confessariorum cap. 4. de Confessarij cu-*

ra circa absolutionem; nam cum loquatur de absolutione ab excommunicatione danda à Confessario in Sacramento Pœnitentiæ, & doceat in magnis criminibus esse emittendum iuramentum, videtur vniuersaliter loqui, & per consequens comprehendi absolutionem dandam virtute Bullæ; huic etiam sententiæ adhæret *Diana par. 5. tract. 9. resol.* 68. dum distinguẽs forum internum ab externo admittit opinionem eorum, qui asserunt iuramentum esse exigendum in magnis criminibus, dum absolutio datur in foro interiori, in foro autem exteriori standum esse consuetudini loci, &c.

50 Sed dicendum est, dum absolutio ab excommunicatione datur per Bullam in foro conscientiæ, non oportet iuramentum ab absoluendo exigere: ita docent plures vniuersaliter loquentes de absolutione ab excommunicatione collata vi Iubilei, Bullarum, & in foro tantùm conscientiæ; proinde Iura superiùs citata solùm pro foro externo locum habent; auctores autem qui hanc sententiam amplectuntur sunt *Alterius de censuris lib. 4 disp. 7. cap 2. ver:(Tandem solent dubitare, &c.) Bonacina de censuris in commum disp. 1. quæst. 3. puncto vltimo nu. 4. ver:(obserua tamen)* & in ea videtur esse *Suarez disp. 7. de censj.sect. 10. num. 4.* vbi *ex Nauarro* aduertit, quod quando hæc absolutio conceditur in foro Pœnitentiæ per priuilegia Mẽdicantibus concessa, & alia similia, non oportet seruare alias cerimonias, præter eas, quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficiunt; priuilegium autem huius Bullæ, in hoc est simile priuilegijs Mendicantium; quatenùs in ipsis datur simpliciter facultas absoluendi à censuris reseruatis: idem etiam docet *Filliuccius tom. 1. tract. 11. cap. 10. num.* 333. & addunt ita habere vsum. Et ratio est, quia Sacri Canones requirunt prædictum iuramentum, vt ille, qui absoluitur, cogi valeat ad prçstanda ea, quæ per iuramentũ promisit; nempè se pręsentare coram Põtifice, aut alio legitimo Superiore; vel vt aliquam externam pœnitentiam ex mandato Superioris peragat ad aliorum exemplum, hæc, & similia non habent locum, dum in foro tantùm conscientiæ absoluitur.

Absolutio ab excommunicatione data per Bullam nõ requirit iuramentum.

Iura contrariis intelligi debet pro foro externo.

CAPVT V.

An absolutio ab excommunicatione per Bullam collata, aliquid pro ipso absoluto in foro externo operetur?

Certum est virtute absolutionis ab excommunicatione per quãcunq; potestatem, siuè ordinariam, siuè delegatã, aliquos caussari effectus in beneficium illius, qui absoluitur, vt est, reddere illum capacem suffragiorum Ecclesiæ, &c. & in ordine ad talem effectum in pręsentia non loquimur, cum de illo agere propriè spectet ad materiam de censuris, sed consideramus efficaciam absolutionis ab excommunicatione, quæ per hanc Bullam datur in ordine ad aliquos effectus externos, inquirentes, an talis absolutio aliquo modo prosit pro foro externo, siuè iudicialiter, siuè extra iudicialiter, & quia effectus isti, de quibus poterit esse dubitatio sunt diuersi; idcirco de illis distinctè sermonem habebimus. 1

SECTIO I.

An excommunicatus per Bullam absolutus valeat in foro externo, & contentioso absolutionem excipere?

Quæsitum examinandum proponitur spectato tenore Bullæ, quæ de facto conceditur, per quam explicitè neque excluditur, neque includitur forum externum contentiosum. 2

Rursus aduerto, quæsitum procedere de excommunicatione publica iam delata ad forum iudiciale externũ; nam de occulta, vt patet, locũ habere non potest. 3

Circa hanc materiam varijs modis loquuti sunt auctores; nam *Rodriquez in Bulla §. 9. n.* 56. censuit, absolutionem ab excõmunicatione virtute Bullę collatam satisfacta parte prodesse in foro externo, etiam si data fuisset absq; licentia Iudicis, & in eadem sententia est *Medina in instructione Cõfessariorum, lib. 1. §. 7. & lib. 2. in fine, & apud Dianã par. 1. tract. 11. resol. 26 verb. (nec obstat) Io:de la Cruz in directorio cõscientiæ par. 2. tract. de excom. dub. 5. cõcl. 3. & alij,* & addunt hi auctores esse necessarium, vt ille, qui fuit absolutus per Bullã, habeat schedulam à Cõfessario, per quã testetur absolutũ iam fuisse à tali excõmunicatione; & hoc fit, ne molestetur à Iudice. Probat autẽ Rodriquez suã opinionem, *ex quodam Iubileo, quod concessit Pius V. anno Domini* 1568. per quod declarans indulgentiam illam nõ profuturã Christi fidelibus, nisi in foro cõsciẽtiæ, & pœnitentiali dũtaxat, addit hoc ipsum, esse 4

Putarũt aliqui prodesse etiam pro foro externo, si pars fuerit satisfacta.

esse intelligendum de alijs indulgentijs similibus, & dissimilibus concessis, tum à prædecessoribus, tum in futurum emanandis non profuturis in foro fori, vel contentioso, nisi à sumentibus has indulgentias parti sit satisfactum, fundat autem Rodriquez suam opinionem præsertim in his vltimis verbis; nam, cum Pontifex declarationem istam extenderit tum ad indulta præsentia, & præterita, cum ad futura siuè similia, siuè dissimilia iubileo, quod à se fuit concessum, certum est in tali declaratione comprehendi etiam Bullam Cruciatæ, cum loquutio fuerit de similibus, & dissimilibus; & cum vltimo addat talia indulta non profutura in foro externo, nisi facta fuerit satisfactio, videtur voluisse, quod facta satisfactione prosint pro foro externo: ita discurrere possumus pro sententia Rodriquez, & hanc sententiam admittit *Suarez tom. 5. de cens. disp. 7 sect 5. nu. 21. Bonacina disp. 1. quæst. 3 p. 10. num. 2. Filliucius tom. 1, tract. 11. cap. 9. num. 291.* loquendo in vniuersum de priuilegijs, & Bullis iubileorum, quando absque restrictione, siuè explicita, siuè implicita datur facultas absoluendi à censuris, secùs si erit restrictio, etiam si non sit explicita; colligitur autem ex verbis antecedentibus, aut consequentibus, vel ex subiecta materia, facultatem illam non esse cõcessam nisi tantùm pro foro interno.

5 *Distinctio Sebastiani Acostæ.* Cæterum *Sebastianus Acosta in Bullam, quæst. 50.* distinctione vtitur, & in prima resolutione eiusdem quæstionis concedit, absolutionem à censuris iure latis factam vi Bullæ valere etiam in foro exteriori: in secunda verò resolutione id negat de censuris ab homine. Probat vtramque conclusionem *ex Bulla concessa à Pio V. Anno 1571. die 6. Aprilis* pro Regno Portugalliæ, in qua Summus Pontifex declarat, absolutiones dandas vigore illius Bullæ, ab excommunicationibus, & alijs censuris ecclesiasticis ab homine latis, & ferendis nemini omnino, siuè ecclesiastico, siuè laico, in foro iudiciali prodesse, &c. huius Bullæ tenorem transcribit ipsemet *Acosta initio libri*; ponderat autem ipse, probans vtramque suam resolutionem, illa verba, videlicèt *absolutiones à censuris ab homine &c. non prodesse in foro iudiciali*; dum enim declarat absolutiones vi Bullæ non prodesse in foro externo, & expresè ponit absolutiones tantùm excommunicationum ab homine, videtur consequenter declarare absolutiones excommunicationũ à iure valere pro foro externo; exceptio enim illa circa censuras ab homine firmat pro absolutione à cẽsuris, quæ sunt à iure in ordine ad hoc, vt prosint in foro externo, aliter nõ debuisset de illis tantùm sermonem habere.

Demum ipsemet post vltimam resolutionem quamdam ponit limitationem circa absolutiones ab his censuris dandas vi Bullæ, quando excommunicatus est distans à Iudice, de qua re superiùs loquuti sumus. 6

Possumus aliam sentẽtiam referre aliquo modo diuersam ab assignatis, quam ponit *Ludouicus à Cruce in Bullam, disp. 1. cap. 4. dub. 3. n. 9.* ait enim, quod si excommunicatio sit occulta, & non delata ad forum contentiosum, & absolutio detur in foro conscientiæ, si post absolutionem eueniat, delictum illud manifestari, & deferri in forum externum, erit profutura in eo foro, quia si constabit de illa, poterit reus admitti in iudicio tanquam absolutus, & non cogi ad aliã absolutionem petendam, & demum excusari ab alijs pœnis, quæ possent ipsi imputari, dum se gessit tanquam non excommunicatus in omnibus actibus, siuè occultis, siuè publicis. His omnibus secundùm Doctorum mentem præmissis, quid à nobis sit sentiendum, mox aperiemus. 7 *Alij admittũt profuturã absolutionem vi Bullæ pro foro externo, si erit de censuris occultis.*

Dicendum igitur est primo, absolutionem vigore Bullæ Cruciatæ collatã nullo pacto suffragari in foro iudiciali, & contentioso: ita docet multi Canonistæ *apud Ludouicum à Cruce dub. cit. nu. 3.* & inter alios *Couarr. lib. 2. variar. resol. cap. 10. num. 3. & 6. & cap. Alma mater par. 1. §. 11. num. 26. & alibi, Gaspar. Hurtado de excommunicatione disp. 15. diff. 4. in fine*, hoc ipsum docet loquens expresè de Bulla Cruciatæ *Molina tom. 4. de iustitia disp. 64. num. 10. Sanchez in Summa tom. 2. lib. 6. cap. 17. num. 43. Sayrus de censuris lib. 2. cap. 20. num. 31. Ioannes Baptista Lezana in summa quæstion. regular. tom. 3. verb. Bulla Cruciatæ num 27. & alij apud ipsos*; hanc autem conclusionem extendo ad omnem censuram, siuè à iure, siuè ab homine, siuè pars læsa sit satisfacta, siuè non. 8 *Absolutio collata vi Bullæ nõ suffragatur in foro cõtẽtioso.*

Probari autem solet diuersis rationibus, placet autem illa desumpta ex paritate absolutionis peccatorum; sicuti enim non obstante absolutione data à Confessario per Bullam in ordine ad varia delicta, poterit reus puniri ob eadem delicta in foro externo, si sint alicui pœnæ subiecta, & sufficienter constent, sic non obstante absolutione data per eamdem Bullam in ordine ad censuras, poterit reus puniri in foro externo, vt ostẽdit praxis; proinde absolutio illa data per Bullam non suffragatur pro foro externo; eadem enim videtur paritas, cum 9

Bulla sub eodem tenore, & clausula de peccatis, & censuris loquatur, neq; in hoc apparet ratio diuersitatis.

10 Rursus probatur etiam, quia aliter sequeretur magna peturbatio iudiciorum, & sequerentur maxima scandala: nam daretur occasio liberiùs peccandi, si Iudex cogeretur admittere in foro contentioso absolutionem datam per Bullam in foro conscientiæ; multi enim ob timorem excommunicationis puniendæ in foro externo se abstinent à delictis patrandis.

11 *Conclusio definita est ab Urb. VIII.*

Denique conclusio ista est iam definita *ab Vrbano VIII. in Constitutione 105. edita Anno Domini 1630. die 19. Iunij*, quæ reperitur *in tom. 4. Bullarij*, & incipit, (*In specula militantis Ecclesiæ*,) declarauit enim Pontifex, absolutionem datã etiam à reseruatis in cœna Domini non suffragari, nisi in foro conscientiæ, non autem in foro externo; proindè omnis alia opinio contraria hodie nequit practicari.

12 *Soluitur fundamentũ secundæ opinionis.*

Ex his autem patet solutio ad ea, quæ obijci queunt ab aduersarijs; nam ad fundamentum sententiæ Emanuelis Rodriquez, & aliorum, respondemus, quicquid sit de mēte Pij V. per illud iubileum expressa, nunc satis nobis erit declaratio Vrbani, & addo, quod etiam præscindendo ab hac declaratione, non cogimur interpretari verba in eo sensu, in quo sumuntur ab ipsis aduersarijs; sed dicere possumus, per illa verba significari primariam Pontificis intentionem fuisse, declarare, quod non posita reali satisfactione, nullo modo suffragetur in foro externo illud iubileum, vel similia, aut dissimilia indulta, quamuis in foro conscientiæ arbitrio prudentis Confessarij existimatum fuerit, pœnitentem esse deobligatum ad satisfaciendum, vel ob impotentiam, vel ob aliam rationabilem caussam; at talis excusatio in foro contentioso rarissimè admitti debet; nam delinquentes, vt iudicialiter absoluantur, possēt fingere impotentiã, aut alias caussas petendo à Iudice, vt absque eo quod parti læsæ satisfecerint, ipsos excuset, & absoluat; quod esset maximum inconueniens, & redundaret in graue præiudicium partis, cui satisfactio debetur: at non sequitur voluisse Pontificem determinare, quod satisfacta parte absolutio in foro externo prosit inuito Iudice.

13 *Bulla cõcessa p Regno Portugalliæ non cõtradicit nostræ sententiæ; quia non agimus de tenore illius Bullæ.*

Ad id verò, quod docet Sebastianus Acosta, nempe absolutiones excommunicationum à iure, prodesse in foro externo, non autem absolutiones excommunicationum, quæ sunt ab homine, fundãs hanc diuersitatem in verbis Bullæ, quæ concessa fuit Regno Portugalliæ, non curamus respondere; quia, vt initio huius quæsiti adnotauimus, nos loquimur de Bulla, quæ de facto conceditur, in qua non sunt verba prædicta.

14 *Iudex in foro iudiciali fiue litis, potens pro eodē foro acceptare absolutionem datã vi Bullæ.*

Dicendum est secundo. Potest Iudex, si velit, acceptare pro foro externo absolutionem illam, dummodo id non resultet in præiudicium partis, & constet ipsi Iudici reum esse iam absolutum vigore Bullæ; ita *Henriquez in summa lib. 8. cap. 6. n. 4. in comment. lit. I. & lib. 13. cap. 27. n. 5. Conin. de Sacram. cap. 14. dub. 16. nu. 227. Auila de censs. par. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 12. Layman tract. 5. par. 1. cap. 6. n. 5. & alij*, & ratio est, quia, dum nullum ex tali acceptatione absolutionis sequitur damnum tertiæ personæ, & cõstat de absolutione, nulla apparet ratio, quare Iudex nequeat acceptare absolutionem illam.

SECTIO II.

An vigore Bullæ in foro tantùm conscientiæ ab excommunicatione absolutus valeat absque culpa cum alijs communicare?

IN præcedēti Sectione statuimus, absolutionem à censuris, quæ per hanc Bullam confertur, non suffragari in foro iudiciali, & contentioso, nisi Iudex velit illam acceptare, ex qua acceptatione nullum fiat alteri personæ præiudicium: nunc autem alia insurgit difficultas, an saltem talis absolutio prosit absoluto in ordine ad communicationem cum alijs, siuè communicatio sit in rebus sacris, & in actibus ecclesiasticis, siuè sit in prophanis, nempe in politico congressu. 15

16 *Ratio dubitãdi pro parte negatiua.*

Ratio autem dubitandi pro parte negatiua vniuersaliter intellecta, videlicèt pro vtraq; cõmunicatione, sacra, & prophana, est; quia cum communicatio prædicta à legitimo Iudice ipsi excommunicato sit interdicta, non videtur ad eamdem communicationem excommunicatus redire posse, nisi ab eodem Iudice id cõcedatur. Et cõfirmatur; nam aliter contemni videretur Ecclesiæ præceptũ, dum ipsa ex vna parte per censuram excommunicationis remouet excõmunicatum à fidelium consortio; & ex alia parte Confessarius per Bullam absoluens reintegrat ipsummet excõmunicatum, vt liberè valeat cum alijs fidelibus conuersari: proinde sicuti Ius publicum prohibuit excommunicato communionem cum reliquis fidelibus; ita pariter idem Ius publicũ, & nõ occultum eidem excommunicato iam absoluto restituere debet communionem cum alijs. Hanc sententiam negatiuam tuetur *Couarr. in*

cap.

cap. Alma mater. t. p. §. t t. n. 16. ver. Tertio circa idem, Paulus Comitolus in suis responsionibus moralibus, lib. 6. quæst. 6. & ideo ibidem asserit, Confessarium, qui ita absolutum admitteret ad Diuina, non esse excusandum à culpa mortifera.

17 *Alij partem affirmatiuã tuentur.*

Alij verò quamplures inferiùs citandi, partem affirmatiuam amplectuntur cũ distinctione mox declaranda. Pro qua re aduertendum est, excommunicationem posse esse occultam, & non deductam ad forum contentiosum, & posse esse iam ad tale forum deductam, denique esse posse publicam, sed non positam in iudicio: vel quia caret accusatore, vel quia Iudex non curat agere; occultum autem in primo membro sumo, prout opponitur publico, & non prout opponitur probabili in foro externo; nempè illud, quod per duos testes probari poterit. His autem positis.

18 *Si excommunicatio sit occulta, absolutus ab illa poterit se gerere tamquã non excõmunicatus, siue publicè, siuè priuatim remoto scandalo.*

Dicendum est primo. Quando excõmunicatio est occulta, & excommunicatus absolutionem obtinuit per virtutẽ Bullæ, poterit se gerere in omnibus actibus, siue publicis, siue priuatis, tanquam nõ excommunicatus: ita *Nauarrus tom. 2. consil. de sent. excom. consil. 47. nu. 3. Suarez de cens. disp. 7. sect. 5. nu. 25. & sequentibus. Henriquez in Summa lib. 8. cap. 6. n. 4. Alterius de cens. Tom. 1. disp. 4. lib. 4. cap. 4. vers. (respondeo hanc rationem) post primam dubitationem, Bonacina de censuris disp. 1. quæst 3. p. 10. n. 4. Layman in opere moral. lib. 5. tract. 5. par. t. cap. 7. n. 7. Ioannes præpositus in 3. p. quæst. t. de cens. dub. 14. n. 100. & alij*, qui generaliter loquuntur de eo, qui in foro tantùm conscientiæ est absolutus, siue per Bullam Cruciatæ, siue per Iubileum, aut simile priuilegium, per quod conceditur facultas absoluendi à censuris in foro conscientiæ, & in terminis nostræ Bullæ instituunt hanc quæstionem *Ludouicus à Cruce in exposit. eiusdem Bullæ disp. 1. cap. 4. dub. 3. n. 9. Trullench lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 9. nu. 3.* ratio autem conclusionis est, quia, cum reuera excommunicatio sit occulta, nullum infertur præiudicium iurisdictioni alterius; proinde si nullum sit periculum scandali, neque sit contemptus censuræ, poterit excommunicatus absolutus in omnibus se gerere tanquam non excommunicatus.

19 *Si manifestetur excõmunicatio, postquã absolutus ab illa cum alijs communicauit, oportet probare fuisse absolutum, vt euitet pœnam.*

Dicendum est secundo. Si, post absolutionem obtentam, & postquam absolutus cum alijs communicauit exercens actus excommunicatis interdictos, innotescat ipsa excommunicatio, tunc ad vitandam pœnam in foro externo oportebit, vt probetur, ipsum excommunicatũ virtute Bullæ fuisse absolutum, & ideo se ingessisse cum alijs communicando, siuè in sacris, siuè in prophanis, & nisi sufficienter probet legitimè fuisse absolutum, poterit puniri à Iudice in foro externo; modus autem sufficiens ad hoc probandum in sequenti conclusione explicabitur; posse autem puniri, nisi probet absolutionem, patet; quia cum ex suppositione delictum promulgatum fuerit, & id Iudici constet, & non constet absolutio, haberetur præsumptiuè aliud delictum punibile in foro externo, nempè exercitium actuum prohibitorum excõmunicatis: contra verò, si legitimè probetur absolutio, & excommunicatio erat occulta, & non deducta ad Iudicem, nullum videtur delictum patratum; quia nõ verificabitur, quod habita notitia excõmunicationis in aliquo foro, ipsum excommunicatum se ingessisse exercendo actus prohibitos.

Dicendum est tertio. Si causa delata fuerit ad Iudicem in foro externo, & pro eodem foro non constat absolutio, tunc nequit absolutus in foro tantùm conscientiæ publicè communicari, etiam si publicè sciatur, illum absolutum fuisse: Et ratio est; quia talis excommunicatio esset in contemptum Superioris, & contra obedientiam debitam. V.G. si quis clericum suadente Diabolo percusserit, & per consequens in excommunicationem inciderit, à qua virtute Cruciatæ absolutionem obtinuerit; si casus delatus fuerit ad Iudicem ecclesiesticum, tunc si percussor ille cõmunicauerit, & interfuerit officijs Diuinis, vel celebrauerit, &c. tunc etiã si adstantes sciuerint, illum fuisse virtute Bullæ absolutum; nihilominus illa publica communicatio notabiliter præiudicabit iurisdictioni Superioris, qui causam examinat, & de illa sententiam ferre debet; & ideo sic conuersans lethaliter peccabit ob virtualem cõtemptum obedientiæ, quam præstare debet suo Superiori: dixi si publicè communicauerit; nam si prædicti actus secretò exerceantur, non videtur contemni præceptum, & obedientia Superioris; imò dum ita cautè, & secretò se gerit, videtur non parui pendere Superioris iurisdictionem, sed illi deferre: occultè autem id fieri cẽsebitur, etiam si coram paucis, quibus absolutio innotuit, actus illi exerceantur; quis nam autem personarum numerus requiratur, ad hoc vt actus ille non iudicentur publicè exerceri, arbitrio prudentis est determinandum, attenta qualitate actuum, loci, personarum, &c. 20

Si caussa delata fuit ad forum externum, in eodẽ foro constare debet absolutio, vt cũ alijs reus publicè communices.

Dicendum est quarto. Quid sit necessarium ad hoc vt absolutio secretò obtenta probetur in foro externo, est dubitatio; nam aliqui dicunt sufficere schedulam 21

Quid requiritur, vt absolutio constet in foro externo.

dulam

dulam factam ab absoluente, nempè à Confessario, & maximè si erit prudens, & probatæ virtutis, qui in schedula illa testetur absolutionem dedisse illi excommunicato. Sed aduertendum est, quod *Cautio pro Confessario.* si ipse Confessarius absolutionem dedit in Sacramento Pœnitentiæ, oportet, vt priùs licentiam expressam habeat à pœnitente, ne frangat sigillum; hunc modũ testificandi absolutionem ponit *Nauar. in manuali cap. 27. n. 42.* & addit *lib. 5. cõs. de sent. excom. consil. 26.* fidem hanc in scriptis esse pœnitenti assignandam à Cõfessario. Ex isto modo dicendi, quem elegit *Nauarr.* infert *Suarez,* quod si Cõfessarius personaliter adeat Iudicem, & absolutionẽ datam testificetur, sufficiat; nam testes illi, & notarius solùm requiruntur à *Nauarro* ad probandam fidem illam scriptam esse à Confessario; igitur cum Confessarius per se ipsum hoc fateatur, nulla erit necessitas testium, & notarij; hunc etiam modum dicendi sequuti sunt alij, quos laudat *Trullench loco citato.* Alij verò dicunt credendum esse pœnitenti, & præsertim si fide sit dignus, attentis eius qualitatibus, & conditionibus, quod non improbabile existimauit *Ludouicus à Cruce, vt supra.* Sed censeo hæc non esse vsu recepta, & à Iudice ecclesiastico, non obstante tali absolutione, procedi posse in foro externo cõtra reũ, qui in foro solùm conscientiæ fuit absolutus puto tamen, quod si, modo superiùs explicato, constet Iudici, reum fuisse ab excommunicatione absolutum, non debere procedere contra ita absolutum, eum puniendo pro actibus in occulto exercitis; quia post absolutionem in occulto, vt ostendimus, liberum fuit illi cõmunicare; & ideo solùm requiri videtur, vt hoc in foro externo probetur; licèt Iudex possit procedere ad puniendum delictum, ob quod reus in excommunicationem incidit.

32 *Responsio ad rationem in contrarium.* Ad rationem verò pro contraria sententia initio positam, respondeo, quod quamuis communicatio fuerit excommunicato interdicta à legitimo Iudice; tamen hoc non fuit directè, & primariò, sed consequenter, & indirectè ratione excommunicationis, qua posita per quamdam sequelam resultat prohibitio excommunicationis, ad quam prohibitionẽ tollendam non oportet, vt excommunicatus absoluatur ab eodem Iudice, sed satis est, si absoluatur ab alio habente potestatem; sed quia absolutio solùm vi Bullæ confertur in foro conscientiæ; inde est, vt nequeat ita absolutus publicè communicare; sed solùm occultè, & coram illis, quibus ipsa absolutio innotescit.

Ad confirmationem, nego ex occulta communicatione inferri contemptum contra Ecclesiæ præceptum; imò oppositum potiùs colligitur; nam, dum absolutus curat occultè, & secretò communicare, & solùm coram scientibus absolutionem, & se abstinet à publica communicatione, & non communicat cum illis, qui scientes, fuisse excommunicatũ, tamen ignorant absolutionem, videtur manifestè magnifacere præceptum. 23 *Soluitur confirmatio.*

CAPVT VI.

De absolutione, quæ vi Bulla datur pro mortis articulo.

Concedit Summus Pontifex loquens de absolutione impertienda à casibus sibi reseruatis, vt virtute huius Bullæ fideles absolui queant ab omni cẽsura, & casu reseruato semel in vita, & semel in articulo mortis, &c. Cum autem in præcedentibus pertractatum à nobis sit de absolutione danda pro tẽpore vitæ, nunc erit agendum de illa, quæ vi huius diplomatis conferenda est tempore mortis, & cum circa hoc multa occurrant, distinctè sunt à nobis examinanda. 1

SECTIO I.

An facultas absoluendi per Bullam pro articulo mortis aliquid operetur?

Posset alicui videri facultas ista in ordine ad mortis articulum esse inutilis; quia nullum specialem effectum habet, cum in eo articulo iuxta *Tridentini doctrinam, sess. 14. cap. 7. de Pœnitentia,* nulla sit casuum reseruatio, & per consequẽs, quilibet simplex Sacerdos poterit absoluere; ideo nihil specialiter operandum remanet pro supradicta facultate; & sic videri posset frustratoria, & inutilis. 2 *Ratio quare pro articulo mortis inutilis videtur facultas ista.*

Sed dicendum est, plures esse effectus prædictæ facultatis, atque adeo non esse inutilem: ita *ex Rodriquez §. 9. in Cruciat. num. 36. Ludouicus à Cruce disp. 1. cap. 3. dub. 14. n. 2. Trullench. lib. 1. §. 8. cap. 2. dub. 5. à nu. 12.* & alij apud ipsum. Probatur conclusio ex enumeratione prædictorũ effectuum. Primò, quia absolutus vi Bullæ à censuris reseruatis in articulo mortis non tenetur se præsentare coram Iudice, qui excommunicationem tulit, at si ob imminentem mortis articulum absolueretur, & non in virtute Bullæ, aut similis priuilegij, si conualuerit, tenebitur se præsentare, & nisi se præsentet, aut absolutionem obtineat ab eo, qui potestatem habet absoluendi à talibus censu- 3 *Non est inutilis, sed plures habet effectus.*

ris

ris, reincidet in eamdem excommunicationem, vt definitũ est. *cap. (Eos, qui) de sent. excom. in 6.* Secundo si quis sit in discrimine vitæ constitutus, & sit excommunicatus excommunicatione reseruata, & careat Bulla, si præsens sit Confessarius, qui habet facultatem circa talem excommunicationem, non poterit absolui à simplici Sacerdote; nam licèt sit in controuersia positum, an tempore mortis quilibet Confessarius etiam non approbatus, præsente approbato, possit validè absoluere à peccatis, & aliqui affirmatiuam, aliqui verò negatiuam partẽ tueantur; nihilominus in ordine ad censuram pars negatiua est omninò certa; quia, vt colligitur manifestè *ex cap. (Eos qui.)* citato, absolutio illa à cẽsuris collata à simplici Sacerdote, qui alioquin potestate carebat, intantùm erit pro articulo mortis valida, in quantùm moribundus est legitimè impeditus adeundi eum, qui potestatem habet in censuras illas reseruatas; & ideo si præsens erit ille, qui facultatẽ habet, inualida erit absolutio collata à simplici Sacerdote: at habens Bullã poterit ab illo alio absolui, qui absq; priuilegio Bullæ non poterat absoluere. Tertio ratione Bullæ poterit ita constitutus in articulo mortis absolui ab omni censura, at si absolueretur sine Bulla, & à simplici Sacerdote ob imminens mortis periculum, dubiũ est, an simplex Sacerdos possit absoluere ab illis censuris, & pœnis, quæ non impediunt receptionem Sacramentorum, quę dari solent infirmis, nempe Sacramenta Pœnitentię, Eucharistiæ, extremæ Vnctionis, & sepulturã in loco sacro; Et dubium est, an simplex Sacerdos possit ob periculũ imminentis mortis absoluere à Suspensione, ab Ordine, Officio, Beneficio, &c. & negatiuè respõdet *Sanchez in Decal. lib. 4. cap. 13. nu. 12.* & citat *Zambranum de casibus in articulo mortis cap. 4. dub. 4. n. 17.* Oppositum autẽ sustinuit *Bartholomaus Vgolinus in tract. de censuris Papæ reseruatis, par. 3. cap. 2. §. 2. vers. Quæ regula,* quam opinionem sub dubio admittit etiam *Henriquez in Summa lib. 6. cap. 9. nu. 5.* & ducuntur ex *Concilio loco citato*, vbi generalis conceditur facultas cuilibet Sacerdoti pro articulo mortis, & cum nullum excipiatur peccatum, nullaque censura, & addatur pro eo articulo nullam esse reseruationem; idcirco videtur asserendum, posse à quocunque Confessario in eo articulo absolutionem conferri; quæcumque sit censura.

4 *In articulo mortis simplex Sacerdos nequit absoluere nisi a censuris impedientibus vsum Sacramẽtorum, & sepulturã ecclesiasticã.*

Sed nullo modo puto esse recedendũ à priori sententia, quæ asserit, à simplici Sacerdote non posse in articulo mortis constitutum absolui, nisi à peccatis, & ab illis tantùm censuris, quæ impediunt receptionem Sacramentorum, & ecclesiasticam sepulturam; & ratio est, quia mo tiuum, ob quod Concilium decreuit nullam esse pro eo articulo reseruationem, demonstrat id, quod nos dicimus; nam postquam declarauit, esse valdè vtile Christianæ disciplinæ, grauiora quædam crimina non à quibusuis, sed dumtaxat à superioribus Sacerdotibus esse absoluenda, postea excipiendo articulum mortis, ponit hæc verba. *Verumtamen piè admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis, atq; adeo omnes Sacerdotes, &c.* ratio autem, quæ mouit Conciliũ ad tollendam omnem reseruationem, fuit, ne occasione reseruationis aliquis dãnetur; quæ ratio nullo pacto militat respectu cẽsurarum, quæ Sacramenti receptionem non impediunt; ideoque videtur dicendum absque priuilegio non posse absolutionem ab omni censura reseruata exhiberi à quolibet Sacerdote, etiam pro eo articulo. Et ideo in hoc plurimum confert priuilegium nostræ Bullæ, & licèt daremus vt probabilem opinionem Vgolini; tamen quia est valdè dubia; idcirco priuilegium Cruciatæ, cum det certam facultatem pro omnibus his censuris, cẽsendum erit valdè vtile. Quarto est alius effectus; nam per absolutionem vi Bullæ collatam remissio pœnæ erit longè amplior, ratione indulgentiæ, quæ applicari debet in eo articulo.

5 *Corollariũ, & solutio rationis dubitandi initio positæ.*

Ex his igitur manifestè colligimus, facultatem, quæ per hanc Bullam conceditur, absoluendi ab omnibus peccatis, & censuris reseruatis semel in articulo mortis, esse valdè vtilem; ac proinde etiam ex hac parte priuilegium Cruciatæ esse magni momenti. Ad rationem verò dubitandi initio huius sectionis positam, patet solutio ex effectibus specialibus, qui pro eo articulo communicantur virtute huius Bullæ.

SECTIO II.

An ad vsum prædictæ facultatis satis sit articulus mortis præsumptus, seu eius periculum?

Determinanimus sectione præcedẽte, absolutionem à casibus, & censuris Summo Pontifici reseruatis, durante anno promulgationis, tempore, quo vrget mors, seu in articulo mortis semel tantùm virtute huius Bullæ dari posse; difficultas autem ex hoc emergit, quid 6

intel-

intelligatur per articulum mortis in ordine ad hunc effectum.

Aliqui putarunt articulū mortis esse eum, quē sequitur de facto mors.

7 Plures inuenio explicationes; nam aliqui latiùs, aliqui verò strictiùs sumunt mortis articulum; dum nonnulli dicunt, articulum mortis esse eum, quem de facto sequitur mors: ita *Sebastianus Acosta in Bullam Cruciatæ quæst. 51. Ludouicus à Cruce disp. 1. cap. 3. dub. XVI. nu. 1.* & eamdem sententiam videtur admittere *S. Antoninus par. 1. tit. 10. de indulg. cap. 3. §. 5. Gabriel. in 4. dist. 45. quæst. 3. a. 1.* & alij apud eumdem Acosta, à qua explicatione parùm recedit alia, nempe, articulum mortis esse eum, in quo mors est ineuitabilis, seu ineffabiliter, saltem moraliter futura, siuè obueniat per causas naturales, vt per morbum, aut nimiam senectutem, siuè per causam violentam extrinsecam, vt accidit quando quis est morte plectendus, aut in procinctu, vt ab inimico occidatur; & ita declarat hunc articulum *Sotus in 4. dist. 17. quæst. 4. n. 4. vers. Quæris autē. Couar. in cap. Alma mater. 1. p. relect. §. 1. n. 8. vers. Quod si mortuus. Sanchez in Decalog. lib. 2. cap. 13. n. 1. Duardus in Bullam cœnæ lib. 3. in §. 2. quæst. 2. num. 3. Rodriquez in Cruciat. §. 9. num. 38. Trullench in eamdem Cruciatam lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 4. n. 2.* & alij apud ipsos.

Alij censuerunt articulū mortis esse eū, in quo mors est ineuitabilis.

Eadem diuersitas opinionum est de periculo mortis.

8 Eadem explicationum diuersitas reperitur, dum declarant, quid sit mortis periculum; nam aliqui appellant mortis periculum, quando homo inuenitur, aut morbo affectus, aut in talibus circumstātijs, vt frequēter soleat ex illis sequi mors; vt accidit in graui tempestate maris, bello, &c. sic ex *Molina tom. 4. de iust. disp. 63. nu. 5. Henriquez, Trullenb locis citatis, Nuñus in addit. ad 3. p. S. Thomæ quæst. 8. a. 6. dub. 6.* Alij verò paulò latiùs loquentes de vero mortis articulo confundunt illum cum articulo mortis, & satis frequēter multi confundunt articulum mortis præsumptum cum periculo, vt patet legenti laudatos auctores.

Alij latius loquūtur confundentes articulum cum periculo mortis.

9 Vt autem ad præsens quæsitum directè respondeamus, priùs examinabimus, an secundùm proprietatem terminorum, seu significationem vocis pro eodem sumi debeat articulus, & periculum mortis: postea verò, quid secundùm iura Canonica; & quid peculiariter sit statuendum in ordine ad facultatem concessam per hanc Bullam Cruciatæ.

Secundùm iura articulus verus præsumptus, & periculū mortis secundùm significationē sunt diuersi.

10 Dicendum est primo. Ista tria, spectando proprietatem significationis, esse diuersa, nempè articulum realem mortis præsumptum, & eiusdem mortis periculum. Articulus autem verus, & realis est, dum mors est omnino certa, & infallibiliter, siue physicè, siuè moraliter ineuitabilis: tunc autem erit physicè ineuitabilis, quando causa est ab intrinseco, vt euenit, cū aliquis laborat morbo adeò graui, vt secundùm cursum naturæ impossibile sit eum superari; atque adeo mors sit proxima. V. G. intra paucas horas, aut post vnum diem, &c. moraliter autem ineuitabilis erit ab extrinseco, vt accidit, dum quis est, vel per sententiam Iudicis, vel ab inimico interficiendus intra breue spatium, nulla existente spe euadendi, pensatis omnibus circumstantijs.

Articulum autem præsumptum appello, quando secundùm prudentem, & rationabilem hominum existimationem adsunt caussæ ineuitabiliter, modo explicato, inferentes mortem, quamuis reuera non sit ita; tunc enim, cum ex diuersis circumstantijs occurrentibus, & caussantibus vehementem cōiecturam mortis imminentis, erit prudens credulitas vicinæ mortis; licèt ita iudicantes inuincibiliter decipiantur, illa autem credulitas vocatur præsumptio, cuius obiectum est mors putatiuè imminens. 11

Periculum verò mortis esse etiam potest, tum à caussis intrinsecis, tum etiam ab extrinsecis. E. G. si quis laborat morbo periculoso, vt febri maligna, aut vulnere graui sit affectus; attamen non sit omnino extra spem salutis; tunc diceretur esse in periculo moriendi; idem esset dicendum, si mulier laborat actualiter partu. Ab extrinseco autem censebitur quis in periculo constitutus, qui longam & periculosam petit nauigationem, aut qui reperitur in mari nauigans, dū est magna tempestas, &c. Cæterū periculū istud latitudinē habet; nā aliquod est maius, aliquod verò minus, iuxta maiorem, aut minorem accessum ad interitum, habito respectu ad causas magis, aut minùs efficaces ad mortem caussandam, & vt paucis omnia perstringam, periculum mortis est censendum, quando vel frequentiùs, vel non rarò ex talibus circumstantijs, siuè intrinsecis, siuè extrinsecis mors ipsa sequi solet. 12

Possumus etiam quæ diximus circa præsumptionem de articulo mortis, applicare periculo; nam interdum contingere poterit, vt quis consideratis quibusdam circumstantijs probabiliter iudicet esse periculum, cum reuera non sit. V. G. si quis videt ægrotum febri laborantem, & habet quædā inditia, per quæ iudicet febrim illam esse malignam, & tamen non sit talis; tunc diceretur præsumptiuè ægrotum esse in periculo vitæ, seu esse periculum præsumptum. 13

Dicendum est secundo. Illa tria supradicta 14

dicta in iure communi canonico solent pro eodem accipi. ita *Molina, Ludouicus à Cruce, Trullench, locis citatis. Sanchez, Gomez in Cruciatam clauf.* 10. *n.* 14. *Suarez tom.* 4. *in* 3. *p. disp.* 26. *sect.* 4. *n.* 2. *Delugo in tract. de Poenit. disp.* 18. *sect.* 2. *n.* 21. *Filliucius tom.* 2. *tract.* 7. *c.* 8. *n.* 219. & alij, est tamen contra *Sotum loco citato, Canum in relect. de poenit. par.* 5. *Valentiam tom.* 4 *disp.* 7. *quaest.* 10. *p.* 2. *ver. Primo cum poenitens. Zerolam in praxi poenit. cap.* 15. *quaesit.* 7. *Acostam locis citatis.* Probatur autẽ nostra conclusio ex varijs iuribus, in quibus articulus, & periculum mortis sumuntur vt moraliter aequiualentia; nam *in cap. Eos, qui. de sent. excom. in* 6. cum Pontifex initio illius Canonis dixisset in articulo mortis absolui posse ab alio, quàm à Summo Pontifice, enm, qui incidit in excommunicationem latam in *cap. Si quis suadente, &c.* statim in eodem Canone illũ, quem Pontifex vocauit articulum, postea vocauit periculum: & confirmatur *ex cap. cit. Si quis suadente* 17. *quaest.* 4. vbi appellat Põtifex periculum mortis, illud, quod *in cap. Eos qui.* nuncupauit articulum. Ex quibus, & alijs similibus iuribus colligitur pro eodem vsurpari à Sacris Canonibus periculum, & articulũ mortis. Probatur secundò conclusio ratione desumpta ex motiuo, quod habuit *Trid. sess. cit.* ad tollendam omnem reseruationem in articulo mortis; motiuum autem fuit ad vitandum periculum damnationis aeternae, si ratione reseruationis, & defectu iurisdictionis aliquis in articulo mortis constitutus non posset à quolibet Confessario absolui; quia saepè contingeret, non adesse Confessarium, qui habeat facultatem circa reseruata, & per consequens, qui haber reseruata posset decedere ex hac vita absque absolutione; hoc autem inconueniens militat non solùm in articulo mortis, verùm etiam in periculo: quia frequenter posset euenire, vt in articulo mortis non daretur copia Confessarij, aut aegrotus ob angustiam vicinae mortis confiteri non posset; proinde pia mater Ecclesia non videtur voluisse solùm pro illo puncto mortis iurisdictionem Confessarijs concedere; inde est, vt etiam in periculo mortis obliget diuinum praeceptum de confessione sacramentali facienda: vt rectè animaduertit *Sanchez in eo capite* 13. & alij cum ipso. & etiam in eo periculo constitutus est capax Sacramenti extremae vnctionis vt communiter dicunt Theologi: igitur secũdùm iura canonica periculum mortis sumitur moraliter vt aequipollẽs articulo mortis.

Motiuũ Tridentini ad tollendam reseruationem in articulo mortis.

15 Idem dicimus ob eamdem rationem in *Franc. Bardi in Bull. Cruc.*

de articulo praesumpto, quando inuoluit verè periculum mortis; & error solùm versatur circa articulum, quatenus hìc, & nunc prudẽter iudicatur instare mortem; dixi, quando articulus praesumptus inuoluit verè periculum; nam, si in re neque esset periculum, tunc posset esse dubium; an absolutio valeat: sed de hac re me remitto ad ea, quae tractantur in materia Sacramenti Poenitentiae de Ministro confessionis.

Articulus praesũptus inuoluens periculũ mortis, aequalet vero articulo.

Aduertere tamen debemus, ad hoc vt homo in periculo constitutus valeat à quocunque Confessario absolui; duas requiri conditiones, quarum meminerunt *Sanchez, Trullench, locis citatis,* & alij. Prima, vt non sit periculum remotum, hoc est, vt ex illo mors non sit nimis distans; quia tunc, si tempus sit longum, poterit occurrere opportunitas Confessarij habentis iurisdictionem circa reseruata; secùs, si pro eo tempore credatur certò, vel probabiliter non esse futuram copiam Confessarij; quia in tali casu, etiã initio illius periculi poterit in periculo constitutus à quocunque Confessario absolui, saltem si alius Confessarius, qui habeat iurisdictionem, non sit praesens. Secunda conditio est, vt in tali periculo absque legitima causa homo non ponatur: quia, si sponte in eo periculo se ponit, non diceretur, propriè loquendo, in periculo constitutus: ita *Sanchez loco citato, ex Corduba in Summa quaest.* 18. *p.* 2. *dicto* 4. & alij. 16

Vt in periculo constitutus possit à quocũq; Confessario absolui, duae requiruntur conditiones.

Dicendum est tertio. Si doctrina praedicta spectetur in ordine ad Bullam Cruciatae, seu ad effectũ eiusdem Bullae specialem obtinendum, rem esse dubiam: dixi, in ordine ad effectum specialẽ, &c. quia potestas absoluendi à reseruatis vt sic pro mortis articulo nequit esse effectus particularis, & proprius huius Bullae, sed iuris communis, vt enim diximus sectione praecedente, pro eo articulo, seu periculo quilibet Sacerdos facultatem absoluendi à quibuscunq; reseruatis recipit ab Ecclesia, vt patet ex Tridentino superiùs citato: effectus autem specialis erit non quaecunque potestas, sed illa, quae liberat absolutum ab onere se praesentandi, si fuerit excommunicatus, & vi Bullae absolutus: & trahit pleniorem remissionem quoad poenam peccatis debitam, vt declarauimus. Aio igitur, rem esse dubiam; quia illi, qui sustinent priuilegia Bullae Cruciatae esse strictè interpretanda, consequenter dicere debent, priuilegiũ istud, per quod datur facultas circa reseruata in articulo mortis esse strictè sumendum, nempè pro isto articulo pressè accepto, quatenus id distinguitur 17

à solo periculo, & in hac sententia est *Acosta, & Rodriquez locis citatis*, loquentes in terminis nostræ Bullæ; licèt ipse Rodriquez de articulo præsumpto partem affirmatiuā ibidem teneat, & solùm id neget de periculo: at oppositum defendunt etiam de periculo *Ludouicus à Cruce vbi supra, Trullench, Merolla, tom. 2. disp. 4. cap. 6. dub. 2. corol. 3. num. 92.* & hanc sententiam puto esse omnino amplectēdam: quia censemus, hoc priuilegium de facultate absoluendi à reseruatis esse fauorabile, atque adeo ampliandum, vt ostendimus supra in *prima parte tract. p. cap. 5.* & ideo, sicuti spectando Ius commune, articulus mortis extenditur ad periculum, & indiscriminatim in eodem Iure vtrumque vsurpatur; sic etiam spectando Bullæ priuilegium, eodē modo interpretari debemus verba, quemadmodum in Iure communi accipiuntur, si aliud in cōtrarium non habeamus; quod in casu nostro minimè reperitur; & licèt possit in contrariū obijci, *in Bulla Hispana* dici, facultatem istam dari pro articulo vero, tamen, vt rectè notat *Henriquez in sūma lib. 3. de Pænit. cap. 9. in cōm. lit: N*, id dici de indulgentia plenaria, & hoc animaduertit etiam *Nauarr. in manuali cap. 26. num. 31.*

Priuilegium circa absolutionē à reseruatis est fauorabile, & largè interpretandum.

CAPVT VII.

De Absolutione à suspensione, & interdicto per hanc Bullam elargienda.

1 INter censurarum species continentur Supēsio, & Interdictum, vt asseritur in Sacris Canonibus *cap. Quærenti de verb. signif.* quod communiter docent auctores, hoc autem in præsentia, vt certum à nobis supponitur ex tractatu de censuris: cum autem in Bulla detur facultas absoluendi ab omni censura; inquirunt Doctores, an talis potestas intelligatur cū aliqua limitatione concessa; & ideo per sequentia quæsita hoc erit à nobis examinandum.

SECTIO I.

An suspensio contracta per indebitam sacrorum ordinum susceptionem valeat per Bullam auferri?

2 VArijs modis contingere poterit indebita promotio, seu ordinum susceptio, de quibus fusè agi solet in materia de censuris; vel enim oritur ex eo, quod quis promouetur absque licentia proprij Ordinarij, vel per saltū, vel ante ætatem à Iure præscriptā, vel sine patrimonio, aut beneficio, vel denique simoniacè. Contra hos extant Constitutiones Pontificiæ, per quas imponitur suspensio ipso facto incurrenda; ita *per Extrauagantem Pij II.* quæ incipit: *Cum ex Sacrorum, editam* Anno Domini 1461. quam confirmauit, & ampliauit *Sixtus. V. Anno. 1588.* & extat alia Constitutio edita *à Clemente VIII. Anno 1595.* per quam cōfirmatur Constitutio illa Pij, & modetatur illa Sixti, quas Bullas transcribit *Quaranta in summa Bullarij, verb. ordo.* & demum reperiuntur Decreta Concilij Tridentini imponentis censuram suspensionis ipso facto incurrendæ contra sic malè promotos: Quærimus igitur, an virtute Cruciatæ possit prædicta suspēsio auferri.

Ratio autem dubitandi pro parte negatiua sumitur, quia Sixtus in sua Cōstitutione adeo strictè sibi, & suis successoribus reseruauit absolutionem huius suspēsionis, vt decreuerit, neq; per quæcunque Iubilea etiam amplissima, & extraordinaria, neque per sāctam Cruciatam, aut per alium quemcunque modum à nemine, nisi à Summo Pontifice, tolli posse hanc suspensionem. 3

Ratio dubitādi pro parte negatiua.

Rursus in ipsamet Bulla Cruciatæ expressè limitatur facultas Commissarij, ne absoluat ab hac censura; igitur multò minùs absolui poterit à Cōfessario vi huius Bullæ, cum facultas Commissarij sit longè amplior ea, quæ per Bullam hanc Confessarijs conceditur.

Et ideo hanc sententiam negatiuam tuetur *Henriquez in sūma lib. 7. de Indulg. cap. 13. n. 3. ver: qui verò:* & citat *Nauarrū in manuali cap. 27. n. 155. 162.* eāq; amplectitur *Rodriquez in addit. ad §. 9. n. 59. & in summa tom. 2. cap. 79.* licèt *in explicatione Bullæ eodem §. n. 62.* oppositum expressè docuerit. 4

Hāc partem nonnulli defendunt.

Sed dicendum est, virtute Bullæ posse suspensionem per indebitam sacrorum ordinum susceptionem remitti à Confessario: ita *Medina, in summa lib. 1. §. 8. Ludouicus à Cruce in Bullam disp. 1. cap. 4. dub. 9. num. 3. Trullench lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 15.* Probatur autem conclusio; quia facultas per Bullam concessa absoluendi à peccatis, & censuris nullam aliam habet limitationem, nisi circa hæresim, & circa casus Summo Pontifici reseruatos, à quibus semel in vita, & semel in articulo mortis priuilegiatus per Bullam absolui potest: cum igitur præter hanc limitationem nullam aliam habeat, sed absolutè, & simpliciter concedatur; hinc est, vt nō debeamus illi addere aliā distinctam limitationem; atque adeo à suspensione contracta per indebitam sacro- 5

Potest vi Bullæ absolutio dari à suspensione per indebitam ordinum susceptionem.

cro-

crorum ordinum susceptionem, poterit ita malè promotus absolui per Bullam Cruciatæ à suo Confessario.

6 *Soluitur ratio dubitandi in oppositum.*

Ad fundamentum autem contrariæ opinionis, respondeo, Constitutionem Sixti V. fuisse moderatam in multis à Clemente VIII. & inter alias moderationes, fuit hæc, auferre reseruationes illas factas à Sixto, omnia reducẽdo ad terminos sacrorum Canonum, & Constitutionis Pij II. in quibus non erat rigida illa reseruatio; proinde remanet priuilegium Cruciatæ integrum in ordine ad absoluendas has suspensiones.

7 *Potestas Cõfessarij est diuersa à potestate, quam dat Bulla Cõfessarijs.*

Ad illud verò, quod dicitur de Commissario, cuius potestas est limitata, & nõ se extendit ad absoluendum ab hac censura; respondeo, non valere illationem: cum potestas Cõmissarij sit diuersa à potestate, quæ cõceditur Cõfessarijs, & quãuis in hoc videatur potestas, quæ Confessario datur per Bullã, excedere potestatem, quam habet Commissarius; tamen potestas Commissarij in multis alijs excedit: proinde, simpliciter loquendo, erit amplior.

8 Quæres. An virtute Bullæ absolutus à suspensionibus prædictis licitè valeat ministrare in ordinibus susceptis, à quorum officio erat suspensus.

9 *Pars affirmatiua admittitur.*

Respondeo affirmatiuè: ita *Rodriquez in expositione Bullæ ad §. 9. n. 63. Auila de censuris par. 3. disp. 5. dub. 7. in decimo notãdo* & sic, qui ob receptionem sacri ordinis. V. G. presbyteratus ante legitimam ætatem à iure præscriptam suspensionis censura fuit ligatus, si ab ea vigore Bullæ absoluitur, licèt nequeat celebrare ante completam ætatem; tamen ea completa, absque alia dispensatione in sancto sacrificio ministrare poterit, celebrando missam; quia extincta censura, & completa ætate, nullum in casu posito remanet impedimentum, quo iste talis prohibeatur à Sacro faciendo; supponimus enim habere omnia alia requisita: oppositum docuit *Cornejo in 3 p. tract. 5. de suspẽs. disput. 4. c. 3. apud Dianã par. 5. tract. 10. resol. 34.*

10 Quæres secundo. An per Bullam auferri valeat omnis suspensio, & etiam illa, quæ dicitur punitiua, & non est medicinalis. V. G. Pontifex in pœnam alicuius delicti commissi puniat Sacerdotem delinquentem, eum suspendendo per annũ ab exercitio ordinis; nempe à sacro ministerio altaris; vtrum vi Bullæ possit iste reus absolui à suspensione prædicta, & saltem occultè celebrare Sacrum.

11 *Per Bullã tolli non potest suspẽsio, quæ est pura pœna*

Respondeo negatiuè; nam suspensio ista est pura pœna, & non habet rationẽ censuræ, quæ imponitur, vt homo resipiscat à contumacia; proinde non tollitur per absolutionem, sed dispensationem, vt docet *Suarez de censuris disp. 29 sect. 1. num. 18.* aut tollitur per lapsum temporis præscripti, & ideo, elapso anno, per quem fuit Sacerdos ille suspensus, statim extinguitur impedimentum ad celebrãdum: in Bulla autem Cruciatæ non datur facultas auferendi similes pœnas, cũ nulla detur potestas ad dispensandum, & ideo rectè *Sanchez in Summa lib. 6. cap. 15. num. 78.* ait, virtute Cruciatæ non posse Confessarium in his pœnis dispensare; idcirco, qui pœna illa est punitus, oportet expectare lapsum temporis præscripti, aut petere dispensationem à Pontifice: vide *Suarez sect. cit. per totam*, & præsertim in fine *nu. 23.*

Dices; si Episcopus sit ille, qui puniat sibi subditum tali suspẽsione, an per Bullam Cruciatæ talis suspensio tolli possit? 12 *Neq; vi Bullæ auferri potest, si suspẽsio pœnalis sit ab Episcopo.*

Respondeo, non posse; quia, vt dixi, hæ pœnæ tolluntur per dispensationem, vel per extinctionem transacto tempore.

SECTIO II.

An per Bullam Cruciatæ tolli possit omne Interdictum?

Pro intelligentia, & responsione huius quæsiti supponimus diuisionẽ illam interdicti; nempe in localem, & personalem, & in generalem, & particularem; de quibus tractatu de censuris fusè sermo habetur: quærimus igitur, an virtute Bullæ possit quis à Confessario absolui ab omni interdicto. 13

14 *Interdictum habẽs rationem censuræ tolli potest per Bullam posita satisfactione partis.*

Dicendum est primò. Omne interdictum, quod veram habet rationem censuræ, auferri poterit virtute Bullæ posita partis satisfactione eò modo, quo supra diximus loquentes de absolutione ab excommunicatione; & ratio huius rei sumitur ex verbis ipsius Bullæ; in qua §. 15. datur facultas, vt sumentes Bullam possint eligere Confessarium approbatum, &c. & ab eo quorumcunque peccatorum, & censurarum etiã Sedi Apostolicæ, & in Bulla cœnæ reseruatorum plenariam indulgentiam, & remissionem obtinere, &c. Cum autem nulla censura excipiatur, nisi ea, quæ est cum hæresis crimine coniuncta, vt patet ex Bulla, quæ Italico sermone est impressa, consequens est, vt dicamus, posse habentem Bullam vi illius absolui ab omni interdicto, quod habet rationem censuræ.

15 *Vi Bullæ auferri potest interdictum personale.*

Dicendum est secundo. Confessarius virtute Bullæ Cruciatæ potest absol-

uere ab interdicto personali particulari; nempe ab illo, quod directè primò, & per se fertur in aliquam personam singularẽ, vel in plures singulares, non collectiuè, quatenus faciant vnum populum, seu vnum corpus politicum, sed distributiuè ob propriam ipsorum culpam. Conclusio ista est certa, & à nemine negatur; quia tale interdictũ est proprijssimè censura; proinde comprehenditur sub obiecto facultatis absoluendi ab omni censura, quæ quidem facultas per hanc Bullã conceditur, sed, ad hoc vt validè Confessarius absoluat, debet persona, quæ tali interdicto est affecta, recedere à contumacia, ob quam fuit interdictum impositum; aliter nulla foret absolutio.

16 *Interdictum generale personale remittitur p Bullam, si persona, quæ caussa fuit interdicti, recedat à cotumacia.*

Dicendum est secundo. Ab interdicto generali personali, quod latum fuit ob cõtumaciam, persona interdicta, quæ non nõ fuit causa interdicti, absolui potest per Bullam, quando illi, qui causam dedetũt interdicto, seu fuerunt in culpa, recedunt à contumacia; aliter numquam à tali interdicto persona innocens per Bullam absolui poterit. Prima pars huius conclusionis, scilicet vi Bullæ tolli posse tale interdictum, probanda est ex dictis; nam facultas per Bullã concessa extenditur ad omnem censuram (excepta illa, quæ per hæresim fuerit contracta) qua affici possunt personæ particulares. Secunda verò pars quatenus requirit, vt qui caussam dederint interdicto, recedãt à contumacia, suadetur; quia cum tale interdictum primò, & per se feratur in communitatem; quatenus est quoddam corpus politicum, dum ipsum corpus manet interdictum, impossibile est, vt membra eiusdem corporis, dum actu conflant ipsum corpus, libera maneant ab interdicto, vt rectè animaduertit *Suarez tom. 5. de censuris disp. 38. sect. 2. n. 6.* corpus enim illud non est quid diuersum à suis partibus collectiuè acceptis; si autem distributiuè essent ab interdicto absolutæ, non possent collectiuè remanere interdictæ; at Bulla Cruciatæ non habet potestatem absoluẽdi, quæ se extendat ad communitatem vt sic; quia communitas, quatenus importat vnum corpus, nõ recipit Bullam. Et confirmari poterit hæc secunda pars ab inconueniente, quod sequeretur; nã, si possent personæ particulares manẽtes vt partes talis communitatis absolui per Bullam ab interdicto; interdictum generale deluderetur, & esset inutile: quia absolutis personis particularibus, remanere non posset: dicitur enim generale, inquãtum afficit omnes personas illius vniuersitatis.

Dicendum est tertio. Si interdictum generale personale latum sit ob culpam præteritam, & non sub ratione medicinæ, sed puræ pœnæ, tunc non erit censura, & per Bullam non poterit absolui, sed solùm à Superiore legitimo; quamuis interdictum ob præcisam culpam præteritam, quæ nullum habeat tractum successiuum, ferri non soleat. 17

Interdictum, quod non fertur vt medicina, sed in vindictã culpæ præteritæ nequit per Bullam auferri.

Dicendum est quarto. Interdictum locale, siuè sit generale, siuè speciale nequit per Bullam Cruciatæ auferri. Est cõtra *Rodriquez in addit. ad §. 9. n. 60. Ludouicum à Cruce disp. 1. cap. 4. dub. 10. n. 4.* qui licèt dubitent, an interdictum locale sit censura, &, si non est censura, negent, per Bullam tolli posse; tamen postea addunt, posse tolli per Bullam, si est censura, sed siuè dicamus esse censuram, siuè id negemus; puto per hanc Bullam minimè auferri posse. Et in hac sententia est *Trullench in exposit. Bul. lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 16. n. 2. Villalobos in Bullam tract. 27. clauf. 9. §. 2. n. 26.* & in eadem opinione videtur esse *Henriquez lib. 7. de indulg. cap. 13. num. 3.* cum inquit: *sub nomine censura concedit Bulla absolutionem ab interdicto personæ*; dum enim facit solam mentionem de persona, videtur excludere locum, seu interdictum locale; Rursus idem videtur sentire *Auila de cens. par. 5. disp. 6. dub. 2. concl. 2.* quærens, quis ex cõmissione absoluere possit ab interdicto? in secunda conclusione loquens de Bulla, asserit, per Bullam Cruciatæ absolui posse ab interdicto personali: sed clariùs loquitur. *Gordonus in sua Theologia morali lib. 7. quæst. 16. n. 86.* vbi, postquam dixerat, interdictum, quod à iure fertur ob contumaciam, nisi sit reseruatum, tolli posse à quocunque Ordinario, vel ab eo, qui absoluere potest ab excommunicatione iuris non reseruata, statim limitat suam assertionem, dicens: dummodo sit interdictum personale speciale; nam interdictũ locale, aut etiam personale generale, verior sententia est, relaxari posse, vel ab eo, qui, vt ordinarius Iudex Episcopalem habet potestatem, & pro confirmanda hac sententia affert illud incõueniens à nobis superiùs adductum, dum asserimus, personas particulares, durãte interdicto communitatis, absolui non posse ab alijs, quàm à Superiore. Ratio autem pro hac nostra conclusione est, quia etiam si daremus, interdictum locale esse censuram propriè dictam, de qua re in materia de censuris habetur sermo, hoc non obstante, aio, per Bullam Cruciatæ tolli nequaquam posse: quia Bulla in ordine ad absoluendum, 18

Interdictum locale, siuè generale, siuè speciale per Bullam non tollitur.

est

est concessa personis, & non locis; vt colligitur ex illis verbis eiusdem Bullæ, §. 15. dum dicitur: quod illam sumentes possint eligere Confessarium, qui eos possit ab omnibus peccatis, & censuris, absoluere &c. hæc autem verba, vt patet, adaptari nequeunt, nisi personis, non autem locis.

19 Multa alia possent hìc exagitari, tum ex parte personæ absoluendæ à suspensione, & interdicto, tum ex parte modi absoluendi: nempè, vt absens, inuitus, qui non satisfecerit parti læsæ, & præterea, an absolutio ab his censuris possit præstari virtute Bullæ extra confessionem, vel necessariò sit danda in confessione, &c. sed hæc omnia exagitauimus supra, agentes de absolutione ab excommunicatione per Bullam exhibenda, & ideo cum proportione sunt etiam applicanda absolutioni, per quam tolli debet suspensio, & interdictum.

SECTIO III.

An Cessatio à Diuinis, Depositio, & Degradatio tolli possint per Bullam Cruciatæ?

20 EX materia de censuris supponimus harum pœnarum ecclesiasticarum definitiones; nam Cessatio à Diuinis est quædam simplex prohibitio, per quam Ministri Ecclesiæ cessant à publico Diuinorum officiorum celebratione, ab administratione eorum Sacramentorum, quæ simpliciter, seu hic, & nunc non sunt necessaria ad salutem, & à priuatione ecclesiasticæ sepulturæ; & hoc in signū afflictionis, seu mœstitiæ ob aliquam grauem iniuriam, quæ contra Ecclesiam est commissa, & talis Cessatio appellatur organorum suspensio, quam definitionem colligit *Couar: in cap. Alma mater.* 2. §. 2. initio ex varijs Iuribus, & Auctoribus.

Quid sit Cessatio à Diuinis.

21 Quo autē pacto prædicti effectus Cessationis sint intelligendi, & an habeant aliquam exceptionem, seu limitationem, non pertinet ad nostrum institutum, sed ad tractatum de censuris; vbi etiam assignari solent nonnulla discrimina inter interdictum generale, & Cessationem à Diuinis; & de his infra aliqua dicemus.

22 Depositio, quę etiam dicitur Degradatio verbalis, est quædam pœna ecclesiastica, per quam ipsemet ecclesiasticus priuatur ab omni officio, & beneficio ecclesiastico, in perpetuum solùm remanente priuilegio clericali.

Quid sit Depositio.

23 Degradatio autem realis addit supra prædicta priuationem perpetuam priuilegij clericalis absque vlla spe veniæ.

Quid Degradatio.

His omnibus præsuppositis, inquirimus, an per Bullam Cruciatæ valeant auferri pœnæ istæ. 24

Dicendum est, nullo modo auferri posse virtute Bullæ: ita *Ludouicus à Cruce in Bullam disp. 1. cap. 4. dub. 11. Villalobos tract. 27. in Bullam clausf. 9. §. 2.* loquentes de Cessatione à Diuinis, & idem sustinet de omnibus his pœnis *Aegidius Trullēch lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 16. in fine.* quam opinionem dicit esse communem, & probat illam ex eo quod hæ pœnæ non sunt cēsura; sed ista ratio non videtur efficax ad suadendum intentum; quia nonnulli existimant, has pœnas esse censurarum species, & præsertim hoc affirmant de Cessatione à Diuinis ob affinitatem, & similitudinem, quam habet cum interdicto locali; quapropter, etiam si tanquam certum supponam, non esse censuras; tamen alia solidiori ratione, quæ calumnias, & effugia non patiatur, iudico esse ostendendam conclusionem positam. Aio igitur, ideo Cessationem à Diuinis per Bullam hanc tolli non posse; quia semper, & immediatè versatur circa locum, siuè sit generalis, siuè specialis; & nunquam afficit personas, nisi cum ordine ad locum, vt probari solet in tractatu de cēsuris: proinde, cum absolutio danda vigore Bullæ, solùm ferri valeat in personam, & non in locum; ideo pœna versans circa locum nunquam tolli potest per Bullam. 25

Cessatio per Bullam tolli non potest.

Quod verò attinet ad alias duas pœnas, nimirum ad Depositionem, & Degradationem, quæ immediatè, & solùm personas afficiunt, non possunt tolli per Bullam; quia ex natura sua sunt pœnæ perpetuæ, seu habent positiuam perpetuitatem, quæ censuris non conuenit; quia sunt temporales, & ad summum perpetuæ negatiuè; quatenus interdum aliquæ infliguntur absque temporis determinati definitione in vindictam ob delictum præteritum non innoluens tractum successiuum; hæ autem pœnæ, quæ ex sua natura perpetuitatem positiuam expostulant, à nullo, nisi à Summo Pontifice tolli queunt: vt rectè notauit *Suarez de cens. disp. 30. sect. 1. num. 10.* proinde circa illas Bulla Cruciatæ versari non potest. 26

Sed dices. In quibusdam Bullis antiquioribus ante Pium V. in clausula, per quam conceditur facultas absoluendi, erant verba hæc. *Ab excommunicatione, suspensione, & interdicto, & ab omni alia censura, & pœna;* sub nomine pœnæ venire poterant hæ tres, nempè, Cessatio à Diuinis, Depositio, & Degradatio. 27

Instantia contraria ex Bulla ante Pium V.

Re-

28 *Solutio.* Respondeo, in Bullis post Pium V. & in illis, quæ nunc promulgantur, non sunt apposita verba illa; videlicèt ab omni alia censura, & pœna, & sic corruit difficultas in ordine ad præsentes Bullas: at si loquamur de Bullis illis antiquis, respondeo, neque comprehendi sub illis verbis has tres pœnas: sed de hac re commodiùs erit agendum Sectione sequenti.

SECTIO IV.

An Priuilegium Cruciatæ se extendat ad tollendam aliquam irregularitatem?

29 *Definitio, & Diuisio irregularitatis.* Irregularitas, quæ secundùm etymologiam importat regulæ priuationem, & est quoddam impedimentum canonicum directè impediens receptionem ordinum, & eorum vsum, diuiditur vniuersaliter in eam, quæ contrahitur ex defectu, & in eam, quæ ex delicto; hæc autem duo membra, quæ adæquatè diuidũt totum genus irregularitatis, non ita sunt contradictincta, quin possint interdum in vnam coalescere, quæ simul sit ex delicto, & ex defectu; vt est E. G. irregularitas, quæ contrahitur ex homicidio, aut mutilatione; irregularitas autem ista prouenit ex delicto, quod causat defectũ significationis.

30 *Nõ est sermo de irregularitate ex defectu, vel innoluente defectu; hæc enim nõ tollitur per Bullam.* Quæsitum igitur præsens non procedit de irregularitate, quæ est ex indecentia, seu defectu; quia certum est, talem irregularitatem auferri nõ posse per Bullam, sed solùm per veram, & realem dispensationem ab eo, qui habet potestatem dispensandi in irregularitate; nec procedit de irregularitate illa, quæ est mixta, seu virtualiter duplex, nempè ex defectu, & delicto; procedit ergo de irregularitate, quæ resultat ex culpa, & non ex indecentia, seu defectu significationis, aut repræsentationis; vt est E. G. illa, quæ *Quæsitũ procedit de irregularitate, quæ est ex sola delicto.* contrahitur à clerico exercente actum ordinis, quando est aliqua censura innodatus; vt, si habens excommunicationem, celebret missam, aut, si est suspensus ab exequutione ordinum sacrorum, in illis malitiosè ministret; quærimus igitur, an per Bullam talis irregularitas tolli queat.

31 Prima sententia affirmat, quam tum ex recentioribus, tum ex veteribus plures tuentur, *Sotus in 4. dist. 22. quæst. 3. a. p. ver: secundum discrimen;* licèt *lib. 5. de iust. quæst. 1. a. 4.* contrarium docuerit. *Aragonius in 2. 2. S. Thomæ quæst. 64. a. 8. ver: (sed dubitabis) concl. 2. Salonius ibidem contrau. 4. concl. 1. Bañes ibidem par. 4. concl. 1. & in solut. ad secundum argumentum contra eamdem conclusionem; Gutsier: in quæst: can. lib. 1 cap. 37. num. 6. Vega in summa. tom. 2. cap. 15. cas. 8. Salas de legibus, disp. 15. sect. 1. concl. 2. num. 16.* & probabilem eam voçant *Rodriquez ad §. 9. Bullæ num. 64. Ioannes de la Cruz in direct. consc: par. 2. tract. de irregularitate dub. 15. concl. 2. Emanuel Sà in prima impressione ante correctionem ver: Absolutio nu. 20. Aula de cens. par. 7. disp. 10. dub. 4. Henriquez verò lib. 7. de Indulg. cap. 13. num. 6.* admittit hanc opinionem vt probabilem in praxi, si vrgeat necessitas, & non sit facilis recursus ad Episcopum, vel ad Nuntium pro dispensatione. Præterea in eadem sententia videtur esse *Sanchez lib. 9. de matrimonio disp. 32. num. 21.* dum has irregularitates, quæ sunt ex culpa, & non ex defectu, docet habere rationem censuræ; quamuis *in Decal. tom. 2. lib. 6. cap. 17. nu. 43.* dicat, priuilegium Bullæ iuxta communiorem sententiam non se extendere ad irregularitatem, non se declarando, an de omni, an verò de aliquo tantùm irregularitatis genere loquatur. Alios auctores pro hac opinione vide apud *Dianam par 1. tract. 11. resol. 27.* *Plures pro affirmante tuentur.* *Henriquez admittit dum vt probabilem, si vrgeat necessitas.*

32 *Probatur ex Bullis ante Pium IV.* Fundamentum autem, cui innituntur hi Auctores, est duplex. Primum enim desumitur ex Bullis antiquis, & præsertim ex ea concessa *à Pio IV. Anno Domini.* 1561. in qua concedebatur Confessarijs facultas absoluendi ab omni excommunicatione, suspensione, & interdicto, & postea subdebatur, & abomnibus alijs censuris, & pœnis; inter has autem censuras, & pœnas distinctas ab illis tribus, enumeranda est irregularitas, quæ oritur ex delicto. Secundum fundamentum est desumptum ex natura ipsius censuræ in hunc modum. Censura est punitio; sed aliqua irregularitas est punitio, ergo est censura. Ita *Bañes loco citato;* cum autem per Bullam Cruciatæ detur facultas absoluendi ab omni censura; consequens est, vt dicamus, per eamdem Bullam absolui posse ab illa irregularitate, quæ est censura. *Rursus probatur ex eo quod sit punitio.*

33 *Alia opinio communior, negatiua.* Secunda opinio negat, aliquam irregularitatem dari, quæ tollatur per absolutionem; & vult, tolli per veram, & realem dispensationem, atque adeo negat, per Bullam Cruciatæ tolli posse, cum nulla irregularitas sit censura. Ita *Molina tom. 4. de iust. disp. 80. d. num. 6. Henriquez lib. 14. cap. 17. num. 4. & in Glos. lit. L. Suarez. tom. 5. de cens. disp. 1. sect. 3. Trullench in Bullam lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 17. num. 4. Nauar. in summa cap. 27. num. 194. & 254. Lopez par. 2. instruct. cap.*

cap. 92. Gomez ad clausulam decimam Bullæ, num. 31. & quamplures *apud eumdem Trullench.*

34 *Insententia sta nulla irregularitas si censura.*

Fundamentum autem huius secundæ opinionis est oppositum illi fundamento, cui nitebantur sectatores primæ sententiæ; nam dicunt nullam irregularitatem esse censuram; ac proinde non includi in Bullis Cruciatæ, & similibus, in quibus datur facultas absoluẽdi ab omnibus censuris, & tandem respondẽt ad rationes contrarias, vt videbimus; & ideo cum in Bulla Cruciatæ, quæ hodie promulgatur, non inueniãtur verba illa, quæ erant apposita in Bullis antiquioribus; inde est vt hodie cesset ratio illa, quæ desumebatur ex his Bullis.

35 *Hac secunda primo admittitur ab Authore.*

In Iure Canonico tres tantùm ponuntur censuræ.

Dicendum tamen est, hanc secundam sententiam esse omninò amplectendam, quamuis priorem, saltem per principia extrinseca, negare nequeam, esse probabilem. Probatur autem conclusio primo; quia in Iure Canonico tres tantùm reperimus assignari censuras, nempe excommunicationem, suspensionem, & interdictum; ita *ex cap. Quærenti. de verb. signif.* vbi Innocentius III. Pontifex consultus, quid per censuram ecclesiasticam intelligi debeat, sic respondet; per eam, non solùm interdicti, sed suspensionis, & excommunicationis sententia valet intelligi; si autem irregularitas ex culpa esset censura, vtique Pontifex interrogatus illam non omisisset, aliter eius doctrina fuisset deficiens, quod nullo modo est dicendum.

36 Ad hoc argumẽtum, quod est efficax, desumptum ex prædicta responsione data à Pontifice, varias afferunt aduersarij interpretationes. Et primò dicunt, non valere argumentum à negatiuis; nam ista consequentia non videtur bona, videlicet, Pontifex non fecit mentionem loco citato de illa alia censura: ergo illa alia non est censura; verba enim ipsius Pontificis non habent sensum exclusiuum, sed tantùm inclusiuum, nempe includunt illas tres censuras, at nõ excludunt alias.

37 *Ratione materiæ interdum ex sensu non inclusiuo colligitur exclusiuus.*

Contra est; quia licèt ex sensu non inclusiuo non inferatur ex vi formæ sensus exclusiuus; tamen, ratione materiæ, de qua agitur, interdum valet illatio ab inclusione vnius, ad exclusionẽ alterius; & tunc erit, quando verba continẽt doctrinam, per quam Doctor profitetur explicare ea, quæ inuoluunt rationem aliquam formalem; in tali enim casu indefinita propositio æquiualet vniuersali, & non particulari, & sic V. G. si quis postulet, quid veniat nomine potẽtiæ sensitiuæ externæ, cum Philosophi de illa agunt; si quis inquam, ita postulet, & alius respõdeat, intelligi oculum, & aures, & nihil aliud adderet, sanè responsio ista foret valdè deficiens; quia per potentiam sensitiuam posset etiam intelligi potentia odoratus, gustus, &c. quæ quidem potẽtiæ vi illius responsionis censentur exclusæ; dum enim quæruntur species, quæ stant sub ratione generica, quæritur omnes, & non solùm aliquæ, & licèt interdũ omnes enumerari nequeant; tamen post nonnullarum assignationem, est apponẽda particula, seu dictio, per quam significetur, alias inueniri præter assignatas, E. G. est dicendum, reperitur ista, & illa, & aliæ, &c. aliter inclusio aliquarum sine vlla particula significante, alias inueniri species, contineret implicitè exclusionẽ cuiuscunque alterius speciei præter enumeratas; & æquiualeret vniuersali; nam perinde esset, ac dicere; omnis species, quæ stat sub tali genere, clauditur in his tantùm enumeratis. Cum igitur in casu nostro à Põtifice fuisset quæsitum, quid intelligi debeat per censuram ecclesiasticam, cum in litteris Apostolicis ipsa nominatur, & ipse respondisset intelligi posse non solùm interdictum, verùm etiam suspensionem, & excommunicationem, voluit apertè significare, has tres tantùm esse species censuræ; & ideo, si alia daretur, mala fuisset responsio, cum præter tres, alia venire possit in Apostolicis rescriptis.

Respondent secundo alij, in eo capite Pontificem loquutum fuisse de illis tantùm censuris, quibus Iudices ecclesiastici solent compellere rebelles; at irregularitas non est talis censura; idcirco Põtifex illius meminisse non curauit: sic respondet *Bañes*. & addit, ex litteræ contextu colligi, Pontificem loqui de censuris, quæ vim compulsiuam habent. 38

39 *Cessatio à Diuinis imponi potest à Iudice.*

De ratione censuræ vt sic est, esse coactiuam.

Contra est primo; quia Cessatio à Diuinis imponitur etiam à Iudice, & tamen nõ numeratur in *cap. illo Quærenti.* Contra est secundo; quia ideo Pontifex de censuris, quatenus sunt coactiuæ, mẽtionem fecit; quoniam de ratione censuræ in vniuersum est, esse coactiuam in eum finem, vt homo contumax resipiscat: ita colligitur expresse ex definitione cẽsuræ; vide *Suarez disp. 1. citata sect. 1. num. 8.* & meritò hoc dicimus; quia in Ecclesia debet esse aliquod remedium, seu medicina, ob quam fideles contumaces compellantur, vt recedant à contumacia; tale autem remedium appellatur censura ecclesiastica, propriè loquendo de censura; pœna autem, quæ imponitur in vindictam criminis commissi, non dicitur, propriè loquendo censura; & si quis

Pœna, quæ imponitur vt pura vindicta non est propriè loquendo censura, nisi latissimè.

si quis contendat, hoc nomen latè acceptum extendi ad pœnam inflictam ob peccatum præteritum, non esset cum illo de nomine contendendum; sed ex hoc non benè inferretur, quod, dum in priuilegijs Pontificijs conceditur facultas absoluendi à censuris, nomen censuræ sit ampliandum; atque adeo extendendum ad alias pœnas, quæ contineri possunt sub nomine censuræ latissimè acceptæ, etiam si priuilegium sit fauorabile: ex hoc enim sequeretur magnum inconueniens; quia posset quis dicere, nomen illud esse ampliandum ad Depositionem, & Degradationem, imò ad omnes alias pœnas; quod nemo dixit; & quamuis priuilegiũ sit fauorabile; tamen non sunt extendenda eius verba vltra significationem naturalem, & ciuilem, vt docent Iuristæ, *Baldus, Paulus de Castro in. L. Qui se patris. C. vnde liberi. Suarez lib. 6. de legibus. cap. 2. n. 5.* & alij, nisi aliqua necessitas cogat ad amplianda verba vltra ciuilem significationẽ; quia alioqui semper ob fauorem priuilegij possemus verba extendere ad casus improprios; & ideo nihil in legum fauorabilium dispositione haberemus firmum, & constans, quod esset inconueniens; necessitas autem impropriandi verba multiplex esse poterit, V. G. si verba non impropriarentur, continerent iniustitiam, priuilegium foret inutile, illusorium, &c. sic docent *Panorm. cap. 1. de constit. num. 14. Felinus cap. translato. num. 14. eodem titulo; Suarez lib. cit. de legibus. cap. 2. n. 7.* & alij. In his autem, & similibus casibus verba esse impropriando colligunt Doctores *ex. L. scire etiam. §. Aliud. ff. de excusat. tutor. & ex. L. si stipulatio, de oper. lib.* Applicando autem hanc doctrinam casui nostro, aio, quod censura ecclesiastica etiam in fauorabilibus nequit sumi, nisi pro illis tribus expressis in *cap. Quærenti*; quia, cum in hoc nomine non attendatur significatio naturalis, quæ ad multa se extendit non pertinentia ad rem nostram, sed attendatur sensus, seu significatio ciuilis, quæ est in vsu, nempe, significatio secundùm iura canonica, in quibus censura sumitur pro pœna illa ecclesiastica, quæ ab Ecclesia infligitur ad reprimendam contumaciam suorum subditorum, vt tandem pareant mandatis ipsius Ecclesiæ; ideo, vt aduertit, *Vgolinus de censf. Tab. 1. cap. 15. ex cap. 1. de sent. excommunicationis in 6. & ex cap. Multi corriguntur 2. quæst. 1.* solent medicinales, aut medicina appellari; inde est, vt dum per Bullam, aut aliud simile priuilegium concedatur facultas absoluendi à censu-

Dum conceditur facultas absoluendi à censuris, nomen censuræ nõ est sumendum latissimè, & impropriè.

ris, talis facultas, quamtumuis existimetur fauorabilis, non debet ampliari vltra significationem ciuilẽ nominis; cùm nulla necessitas se offerat ad extendendam vocem ad significata impropria.

Probari etiam solet nostra sententia ex stylo curiæ Romanæ, secundùm quem nunquam censetur concedi facultas dispensandi in irregularitate, nisi de ea fiat expressa, & specialis mentio; & hoc colligimus ex eo, quod aliquando, non obstantibus amplissimis facultatibus, quando Pontifex vult facultatem illam concedere, eam exprimit; ex quo saltem habemus, non esse certum, sub facultatibus amplis comprehendi irregularitatem; & ita affirmant *Nauar: cap. 27. cit. num. 254. Gomez in eadem clauf. 10. nu. 31.* & apud ipsum *Villadiego de irregularitate col. 43. Hẽriquez lib. 7. cap. 13. n. 6.* 40

Probatur conclusio ex stylo curiæ.

Ad hoc argumentum aliqui respondent, stylum curiæ fundari in probabilitate sententiæ, non autem tollere probabilitatem oppositæ sententiæ; proinde, cum non faciat Ius, nequimus ex illo sumere certum argumentum: ita respondet *Fagundez tract. 2. de praecept. Eccl. lib. 8. cap. 8. num. 38.* agens de facultate illa, quæ in Iubileis, & Bullis concedi aliquando solet ad absoluendum ab omnibus casibus etiam in Bulla cœnæ reseruatis, & examinans an sub tali facultate comprehendatur hæresis; probat non comprehendi, quia stylus curiæ hoc habet, nempe, sub huiusmodi clausulis generalibus nunquam hæresim venire; & ad hanc instantiam respondet modo prædicto. 41

Cæterum quicquid sit, an stylus Curiæ fundetur in sententiæ probabilitate, nec ne; tamen negari non potest, quod, dum à Summo Pontifice ipse stylus scitur, & approbatur; manifestatur aliquo modo intentio eiusdem Pontificis, qui illum approbans videtur declarare, non esse suam intentionem, admittere oppositam sententiam, & ideo, cum in casu nostro iuxta stylum curiæ habeatur sub facultate absoluendi ab omnibus censuris, & pœnis, non comprehendi irregularitatem, nisi specialiter exprimatur: Pontifex sciens, & volens praxim istam curiæ, videtur etiam velle sub facultate illa ab ipso concessa, nolle comprehendere irregularitatem, nisi illam specialiter exprimat. Et hæc in confirmationem nostræ conclusionis dicta sint. Alias autem rationes ad probandum nullam irregularitatem esse censuram, nec sub aliqua ex tribus comprehendi, adduximus *in tract. de censuris.* superest vt soluamus in contrarium adducta. 42

Ad

43 *Soluitur prima ratio pro parte affirmatiua.*

Ad primam autem rationem prioris sententiæ respondeo; quod dum additur, & ab omnibus alijs censuris, id non esse à Pontifice dictum, quasi detur alia censura præter illas tres ennmeratas; sed id intelligi debere de Cessatione à Diuinis, quæ secundùm aliquos est censura, vt asserit *Molina disp. cit.* soluens secundum argumentum, vel id dictum esse ad cautelam, si fortè aliquid aliud occurrat: vt aduertit *idem Molina*; nempè in ordine ad aliquas pœnas, quæ sunt veluti partiales censuræ, vt est V. G. priuatio vsus Sacramentorum ad aliquod tempus, à qua censura, posita rationabili caussa, posset quis ita priuatus absolui à Confessario virtute illius Bullæ, editæ à *Pio IV.* vel aliarum similium. Sic *ex Molina*.

44 *Nomine pœnæ in illis Bullis antiquis intelliguntur vel pœna iniũcta à Cõfessario, vel ab ipsomet pœnitente sibi imposita, vel illa, quæ sũt in iure canonico.*

Quatenus verò spectat ad alia verba, videlicet à pœnis, aio, per pœnas in illis Bullis, aut in alijs similibus intelligi vel pœnam aliquam iniunctam à Confessario, vel ab ipsomet pœnitente sibi impositas, vel demum intelligi pœnas, quæ inueniuntur in Sacris Canonibus pœnitentialibus, per quas fideles arcentur e. c. ab vsu Sanctissimæ Eucharistiæ intra aliquod tempus, vel à receptione aliorum Sacramentorum, vt testatur *Nauar. n. illo 254. Henriquez cap. 13. & num. 6. cit. Auila de cens. par. 7. disp. 10. dub. 4. & alij.*

TRACTATVS VII.

IN EVMDEM §. XV.

DE PRIVILEGIO COMMVTANDI VOTA.

POstremus fauor, quem Summus Pontifex in hoc paragrapho decimo quinto elargitur, est circa votorum commutationem, de qua ob rerum varietatem, & pluralitatem distinctum instituimus tractatum. Verba autem, quibus fauor iste tribuitur, diriguntur ad communicandam facultatem Confessarijs, & hæc sunt. (Et illis posse vota omnia (vltra marino, Castitatis, & Religionis, dumtaxat, exceptis) in aliquod subsidium huius expeditionis per eumdē Confessarium commutari.) His autem positis, antequam deueniamus ad particularia, sunt nonnulla vniuersalia præmittenda.

CAPVT I.

De conditionibus, seu qualitatibus commutationis per Cruciatam facienda.

1 QVAE in hoc tractatu continentur in tres diuidimus classes: in prima enim considerabimus nonnulla veluti vniuersalia, quæ vel antecedunt, vel comitantur commutationem votorum: in secunda erit sermo de ipsis votis commutandis in particulari: in tertia denique ponetur praxis plura inuoluens exemplaria de modo, quo fieri possit commutatio ad æqualitatem, quæ reperiri debet inter materiam subrogatam, & votum commutandum quantùm moraliter nobis permittitur.

SECTIO I.

An propria auctoritate vouens sua vota commutare valeat.

2 *Materia, quæ in commutatione voti substituitur, tripliciter se habet.*

MAteria, quæ loco prioris in voti commutatione subrogatur, tripliciter poterit se habere; vel enim est melior, & Deo gratior respectiuè ad eam, circa quam votū fuit emissum, vel æquè bona, & grata, vel minùs bona, minùsq; grata. Quibus positis.

3 *Commutatio in melius fieri potest propria vouētis auctoritate.*

Dico primo. Quando commutatio fit in rem, quæ pensatis omnibus est melior, tunc poterit vouens propria auctoritate sua vota in rem illam meliorem cōmutare; proinde nō indigebit ad hanc commutationem faciendam priuilegio Cruciatæ, aut simili, aut Prælati auctoritate. Est contra aliquos Canonistas, & Theologos, quos citat *Sanchez lib. 4. decal. cap. 49. n. 2.* & eorum argumenta infra à nobis sunt impugnanda: attamen conclusionem hanc defendunt reliqui, & est communissima sententia, quam tuetur ipse *Sanchez loco cit. n. 4.* vbi triginta quinque affert authores; quibus, ex recentioribus, addo *Castro Palaum tom. 3. tract. 15. disp. 2. p. 15. n. 2.* qui apponit limitationem, videlicet, nisi lege prohibeatur commutatio; hæc autem restrictio licèt ab alijs non apponatur, est tamen supponenda, vt inferiùs videbimus loquendo de votis reseruatis. Rursus in eadem opinione est *Ludouicus à Cruce in exposit. Bullæ disp. p. cap. 6. dub. 3. n. 5. Trull. in decal. lib. 2. cap. 2. dub. 45. num. 2. Barthol. à S. Fausto in thes. Relig. lib. 4. q. 7. n. 4.* Probatur primò conclusio ex Iure canonico, in quo res iam definita est; nam *cap. Peruenit. 2. de Iure Iurand.* sic statuitur (*Non enim propositum, aut promissum infringit, qui in melius illud commutat.*) & ideo *Glos:* sic exemplificans, inquit, *Iurasti ire vltra mare, intrasti Religionem postea, & non vadis vltra mare, non frangis iuramentum, quia in melius commutas. & cap. Licet Regul.* habetur, quod Religiosus professus in aliquo Ordine si petat licentiam à suo Prælato transeundi in alium Ordinē, & hoc illi denegetur; possit ad strictiorem religionem propria auctoritate trāsuolare commutans votum prioris religionis in me-

Admittitur limitatio.

melius. & *cap. scripturæ de voto*. dicitur; *seu fracti voti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur religionis obseruantiam commutare*. & *Glos.* ait, id fieri sine auctoritate Superioris. Probatur secundò ratione euidenti; nam per talem commutationẽ vouens aliquid Deo gratius offert, ergo abundantius ipsi Deo satisfacit, quàm si primum votũ adimpleret; proinde, si quis vouerit Deo aliquod cereũ, & loco illius offerat candelabrum argenteum, manifestum est, rem gratiorem offerre, & plenius satisfacere.

4 *nstãtia contraria ex humana promissione.*

Sed dices primò. Promissio rei determinatæ inter homines nequit à promittente commutari pro suo arbitrio in rem meliorem; vt habetur *L. mutuum. ff. si certum petatur. §. Nam in cæteris*. Secundò dices.

Alia instantiæ.

Cõmutare est actus iurisdictionis, quam nemo potest in se ipsum exercere, Tertio. Pœnitens nequit à se ipso commutare pœnitentiam sacramẽtaliter impositam, etiam si eam commutet in rem meliorem; ergo neque poterit votum propria auctoritate in melius permutare, Quarto suadetur ex sacris iuribus; nam *in cap. vlt. libri Leuitici* expreſsè Deus præcipit, quod, si quis vouerit offerre aliquod animal, non poterit in melius illud mutare: præterea id probatur *ex cap. licet* superiùs allato, vbi statuitur, non posse religiosum transire ad strictiorem religionem, nisi petita licentia à Prælato; & tamen commutatio ista erit de re meliori. tandem *cap. 1. de voto* decernit Pontifex, voti commutationem pendere ab arbitrio eius, qui præsidet, nempe à Prælato, ergo non potest vouens ex arbitrio suo hanc facere commutationem.

5 *Non est eadẽ ratio in omnibus inter promissionem hominibus, & Deo factam quoad commutationẽ in melius.*

Sed non erit difficile his argumentis satisfacere. Ad primum igitur respondeo, non esse paritatem; quia homines respiciunt propriam vtilitatem, & interdum suam voluntatem, quæ est illis pro ratione; & ideo possunt proprio iure postulare rem promissam in specie, &, cum de opposito non constet, tenetur promittens dare rem in specie promissam; &, si constaret, rem aliam esse meliorem, & promissario gratiorem, posset promittens pro suo arbitrio vnam pro alia commutare: at Deus respicit id, quod hic, & nunc est meliùs, & de hoc nobis constat; proinde vouens propria auctoritate potest rem vnam voto promissam, in eam, quæ pensatis omnibus euidẽter est melior, & Deo gratior commutare.

6 *Commutatio in melius vt sic non est necessariò actus iurisdictionis.*

Ad secundum, nego commutare in melius vt sic, esse actum iurisdictionis, aut esse dispensationem, & aio, esse actum abundãtioris solutionis, vt rectè respondet *Sanchez num. 9. & Suarez num. 13.*

Ad tertium aio, quod licèt aliqui affirment, posse pœnitentem à se ipso mutare pœnitentiam iniunctam à Confessario in rem euidenter meliorem; tamen, non recedendo à communi sententia, quæ est opposita, nego paritatem; nam obligatio ex voto oritur à voluntate ipsius vouẽtis, obligatio verò penitentiæ prouenit à voluntate Confessarij; sicuti obligatio, quæ prouenit ex lege ieiunij, orationis, auditionis Sacri, &c. non est ex volnntate subditi, sed Superioris; & ideo res præcepta vi pœnitentiæ sacramẽtalis, aut legis nequit in meliorem propria subditi voluntate commutari.

Pœnitentia sacramẽtalis nequit ab ipso pœnitente ẽt in meliùs cõmutari.

7 *Animal Deo promissũ non poterat in lege veteri, neq; in peius, neq; in melius cõmutari, & quare.*

Ad quartum respondeo, animal, quod, immolãdum per votum Deo in antiqua lege promittebatur, neque in peius, neq; in melius cõmutari poterat; ita Deo statuente, vt patet ex eadem sacra Scriptura; illa autem lex non erat nisi pro solis animalibus, vt notant Commentatores. Quare autem Deus ita disposuerit, varia sunt authorum dicta: mihi autẽ placet id, quod docet *S. Th. 2. 2. q. 88. a. 10. ad primũ.* inquit enim, per illud votum in animali illo, quatenus Deo erat mancipatum, quamdam resultasse sanctitatem; ideoq; non poterat commutari, & in vsus prophanos conuerti; sanctitas autem illa erat legalis; atq; adeo cessante lege ceremoniali post aduẽtum Christi in rebus Deo promissis non reputatur inueniri sãctitatem aliquam legalem.

8 *Cur ad trãsitum in strictiorẽ religionem requiratur licentia Superioris?*

Ad textum *in cap. licet*, dico, ad transitum in religionem strictiorem, ideo à iure requisitam fuisse petitionem illam, ne transitus temerè, & ex quadam animi leuitate fieret cum detrimento prioris religionis; proinde, rationabiliter Pontifex disposuit per legem illam, vt de illa volunrate religiosi notitiam haberet Superior illius Ordinis, seu Monasterij, à quo religiosus recedere intendebat. Demum *ad cap. 1. de voto*. aio, ideo id factum fuisse, quia difficillimum est rebus grauioribus, & præsertim in propria persona iustum iudicium ferre, idcirco est recurrendum ad arbitrium prudentis Superioris.

9 *Cõmutatio in meliùs locum habet etiam quando votũ cedit in vtilitatem tertij, & non ab ipso tertio acceptatum.*

Dico secundo. Commutatio prædicta in meliùs locum etiam habet, quando votum cedit in vtilitatem, seu commodum tertiæ personæ: est contra paucos, quos affert *Suarez loco cit. nu. 11.* qui volunt fieri non posse commutationem hanc, nisi Episcopi auctoritate; at conclusionem istam defendit ipse *Suarez, & Sanchez lib. 4. sum. cap. 49. num. 5.* remissiuè, *Barth. à S. Faustio lib. cit. quæst 8.* & probatur; quia, cum tale

votum emissum fuit, vt suppono, in honorem solius Dei, vel alicuius Sancti, nullam inuoluens promissionem in ordine ad tertiam personam, sequitur, nullum ius à tali persona acquisitum fuisse; & ideo vouens propria auctoritate in euidenter melius poterit votum istud permutare; proinde, si votum fuerit de elargienda eleemosyna alicui pauperi, aut certæ Ecclesiæ, seu Monasterio, poterit vouens mutare votum in melius absque auctoritate Prælati, aut Bulla Cruciatæ.

10 *Ad hanc cōmutationem non est satis probabilitas de melioratione in materia subrogata.*

Dico tertio. Ad hanc faciendam commutationem nō sufficit sola probabilitas de excessu meliorationis rei, quæ subrogatur loco prioris; sed requiritur talis certitudo, vt omnem excludat formidinem oppositi; quia authores petunt ad hanc commutationem debere excessum esse manifestissimum, & ideo hanc conclusionem in terminis ponit *Valent. 2. 2. disp. 6. quæst. 6. p. 7. ver. Notandum est autem. Sayrus in claui Reg. lib. 6. cap. 12. nu. 5. ver: Dixi primò. Sanchez in decal. lib. 4. cap. 49. n. 8.* & ratio est, quia, cum de creditoris voluntate non constat, non possum omittere rem, quam in specie promisi, & aliam loco illius substituere; at, dum est sola probabilitas de excessu, non sum certus de illo; & per consequens, neque ero certus, rem substitutam gratiorem esse Deo creditori; proinde auctoritate propria non possum hanc commutationem facere.

11 *In hac materia Bonū melius non attēditur ex genere, sed in ordine ad vouentem.*

Dico quarto. In subiecta materia Bonum melius non debet intelligi id, quod ex suo genere est melius, nempè quod est excellentioris virtutis; sed debet intelligi melius per ordinem ad vouentem, & ad finem voti, quem ipse intendebat emittens votum in tali materia; proinde, vt notant Doctores de hac re loquentes, illud censetur melius, quod est vouenti vtilius cōsideratis omnibus circumstantijs, v. g. si quis carnis maceratione indigeat ad voluptates carnis reprimendas, & voueat ieiuniū, gestare cilicium, &c. & velit propria auctoritate tale votum cōmutare in eleemosynas, in sumptionem Sanctissimæ Eucharistiæ, &c. cōmutatio nō diceretur in melius; quia, & si eleemosynarum largitas, sumptio Eucharistiæ sint actus perfectioris virtutis, quàm sit maceratio carnis per ieiunium, &c. nihilominus, per respectum ad finem à vouente intentum, qui est castigatio proprij corporis, non sunt media ita proportionata, quemadmodum ieiunium, &c. & per consequens neque Deo gratiora in ordine ad vtilitatem vouentis; diceretur autem in melius commutari, si loco ieiunij vouens eligat alias corporeas austeritates, v. g. somnum nocturnum capere supra nudam terram, aut supra cubile ligneum, vel quid simile, quod hic, & nunc existimetur esse euidenter austeriorem pœnitentiam; & de tali commutatione in rem euidenter meliorem, seu vtiliorem ad finem intentum, ferè nulla est difficultas.

Dubitatio autem & non parui momēti est, an vouens seipso valeat commutare votum absq; arbitrio Superioris, aut absq; priuilegio Cruciatæ, Iubilei, &c. in id, quod est euidenter æquale, videlicet in rem, quæ, per habitudinē ad finem voti, est æquè bona, ac vtilis, sicuti res promissa: sunt duæ sententiæ. Prima affirmat; eamque tuetur *Medina in instruct. Confessarij lib. p. cap. 14. §. 2. Lopez p. 1. instruct. cap. 47. Henriq. in sum. lib. 7. de Indulg. cap. 30. n. 5. Rodriq. §. 9. in Bullam n. 106. Sāchez in decal. lib. 3. cap. 19. in fine.* loquens de commutatione iuramentorum, se remittens ad dicenda *lib. sequente tract. de voti commut. Bonac. de legib. disp. 4. quæst. 2. p. 7. §. 3. n. 7. Villalobos in sum: tom: 2. tract. 34. diff 31. n. 8. Sancius in select. disp. 14. nu. 3. Porsell. in add. ad dub. regul. verb. voti commutatio. n. 88. Ioannes de la Cruz in direct. p. 1. propos. 2. a. 2. dub. 11. concl. 4. Ludouicus à Cruce in expos. Bulla disp. 1. cap. 6. dub. 3. nu. 5. ver. hoc supposito. Diana p. 1. tract. 2. miscel. resol. 9.* vbi ait, hanc opinionem probabiliter sustineri posse, sed absolutè eam tenet *p. 2. tract. 5. miscel. resol. 25.* 12 *Dubitatio, an vouēs possit à seipso euidēter æquale.*

Secunda sententia negat posse vouentem propria auctoritate votum suum commutare in euidenter æquale: *ita Sanchez in decal. lib. 4. cap. 49. num. 12. Suarez tom. 2. de relig. lib. 6. cap. 19. nu. 3. Filliuccius tom. 2. tract. 26. cap. 10. nu. 283. Malderus in 2. 2. S. Thom. tract. 10. cap. 15. dub. 11. Torres ibidem tom: 1. quæst. 88. a 12. disp. num. 12. Sayrus cap. illo 12. num. 8. Castro Palaus tom. 3. tract. 15. disp. 2. p. 14. num. 4. Layman in sum. lib. 4. tract. 4. cap. 8. num. 9. & alij quamplures apud Sanchez, & Dianam locis citatis.* Inter has duas opiniones non ita facilè determinatum iudicium ferri poterit, cum vtraque graues pro se Patronos habeat; ideoque vtraque est probabilis. 13 *Alij verò negatiuam tuētur.*

Dico igitur quinto. Opinio negatiua saltem in praxi mihi videtur probabilior: primò quia Deo gratius erit vouentem perseuerare in priori voluntate, dum loco materiæ promissæ rem meliorem non exhibet; secundò quia, cum difficile sit attingere æqualitatem requisitam, non videtur vouens posse propria auctoritate commutationem hanc efficere, & non apparet verisimile talem commutationem relictam fuisse in potestate 14

cu-

cuiuslibet vouentis, & ideo vouens recurrere debet ad Prælatum sibi superiorem, qui vicem Dei creditoris gerit, vt eius arbitrio res determinetur: tertiò probari potest conclusio ista *ex cap. 1. de voto*: vbi statuitur commutationem hanc depẽdere ab arbitrio Prælati, quoties non est certum, rem, quæ subrogatur, esse Deo gratiorem; proinde magis hoc asserendum est, dum constat rem non esse gratiorem, quia constat non esse meliorem, sed æqualem; admitto tamen cum *Sanchez, & alijs*, quãdo cõstaret de æqualitate materiæ subrogatæ, & dubiũ esset, an ipsa materia substituta sit melior, posse commutationem fieri ab ipsomet vouente; quia ratione illius dubij, aut probabilitatis de melioratione materia subrogata erit Deo gratior.

SECTIO II.

An per acceptionem huius Bullæ vota ipso facto commutata intelligantur.

15 SVpponimus commutationem votorum, seu iuramentorum vniuersaliter sumptam aliud non esse, nisi quamdam translationem obligationis ex vna materia in aliam. Ita *Sayrus in claui Reg. lib. 6. cap. 9. nu. 6. Lessius de iustit. lib. 2. cap. 10. dub. 11. Laymam in summa lib. 4. tract. 4. cap. 8. nu. 18. Bonacina in 2. præceptum decal. disp. 4. q. 2. p. 7. §. 3. nu. 1. Aegidius Trull. ibidem lib. 2. cap. 2. dub. 35. n. 1. & alij communiter.* Per hanc definitionem colligimus potissimum discrimen inter commutationem, & inter irritationem, & dispensationem; nam per istas duas tota voti, seu iuramenti obligatio tollitur, siuè perpetuò, siuè ad tempus; per illam verò non tollitur, sed mutatur. His autem positis inquirimus, an ipsamet Cruciatæ sumptio vim habeat commutandi vota, quæ ab ipso sumente emissa fuerunt.

Discrimen inter commutationem ex vna parte, & inter irritationem ex alia.

16 Proponit hoc dubium *Nauarrus in Manuali cap. 12. n. 79. ver. Duodecimo dicimus* & ait, aliquos simplices in eo esse errore, vt simul atque diploma, siue Bullam accipiunt, in qua Papa concedit, vt Confessarius possit eorum vota commutare &c. credant ipso facto, & statim se à suis votis liberari. Hanc simplicium opinionem tamquam omnino falsam ibidem reijcit *Nauarrus*, eamque etiam confutant *Sayrus lib. cit. cap. 11. n. 115. Lopez p. 1. instruct. cap. 50. vers. Aduertant simplices. Rodriquez in explicat. Bullæ §. 9. nu. 108. Suarez tom. 2. de relig. lib. 6. cap. 16. n. 1. Sanchez in Summa lib. 4. cap. 54. nu. 10. 11. Beia in suis respons. 2. par. cas. 9. Trull. in Bullam lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 14.*

Per ipsam acceptionem Bullæ vota cõmutari, esse simplicium errorem dixit Nauarrus.

17 Dicendum igitur est primò. Per sumptionem huius Bullę vt sic vota remanere in sua efficacia, sicuti antea, & ab eorum obligatione nullo pacto intelligi exemptum ipsum vouentem. Probatur conclusio euidenti ratione. Aliud est communicatio potestatis ad vota commutanda, aliud verò actualis commutatio, vt benè ipse Nauarrus adnotauit, & confirmauit quibusdã iuribus canonicis, sed per sumptionem huius Bullæ solùm à Põtifice cõfertur potestas commutãdi vota per Cõfessarium electum ab eo, qui Bullam accepit, ergo per sumptionem huius Bullæ vt sic vota ipsius vouentis remanent in sua efficacia, sicuti antea.

Per sumptionem Cruciatæ nullũ votum remanet commutatũ; sed solùm potestas commutandi cõfertur.

18 Dicendum est secundo, si Cõfessarius sit requisitus à pœnitente ad vota commutanda; attamen ex obliuione, vel ex malitia non commutet, adhuc vota permanebunt in suo vigore: sic asserunt Authores prædicti. Quapropter, vt commutatio ista obtineatur, oportet eligere Cõfessarium, à quo commutatio actu fiat, & cum res ista sit adeo certa, & apud viros doctos de illa nulla sit dubitatio, sufficiet nobis eam pro simplicibus breuiter tetigisse.

Si Confessarius de facto non commutat vota, etiã si fuerit à pœnitente requisitus, vota nõ erũt commutata.

SECTIO III.

An virtute Cruciatæ votum commutari possit non solùm in æquale, sed in minus.

19 DIco primo, certũ esse virtute Cruciatæ, aut similis priuilegij vota commutari posse in æquale; quia tunc Confessarius cõmutat vt Delegatus Pontificis, atque adeo commutatio fit auctoritate Superioris habentis spiritualem potestatem, & de hac conclusione nulla est apud authores controuersia; sed dubitatio est, an virtute eiusdem Cruciatæ possit commutatio fieri in minus; & partem affirmatiuam sequuntur *Medina lib. 1. Summa cap. 14. §. 7. Aragonius 2. 2. quæst. 88. a. 12. dub. 1. corol. 2. Henriq. lib. 7. c. 30. n. 5. Toletus in Sum. lib. 4. c. 18. Emanuel Sa. in in aphor. dub. 11. nu. 95. Rodriquez in expos. Bullæ §. 9. nu. 107. & in addit. ad eumdem paragraphum n. 10. Trullench in Bullam lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 12. n. 5. & alij*, quos affert, & sequitur *Diana par. 1. tract. 11. resol. 40.* partem verò negatiuam tuentur *Suarez lib. 6 de voto cap. 12. n. 6. & cap. 19. n. 7. Sanchez l. 4. Summa c. 50. n. 4.* & apud ipsum sexdecim adduntur authores pro hac eadem sententia, quibus addo *Santarellum de Iubileo cap. 8. dub. 1.* Est enim eadem ratio

Virtute Cruciatæ certũ est vota cõmutari posse in æquale.

ratio, ac de Cruciata in ordine ad modum commutationis.

20 *Probabilius est vi Cruciatæ vota in minus nō posse commutari.*

Dico secundo, probabiliùs esse per facultatem habitam vi Cruciatæ vota non posse in bonum minus commutari; ratio est, quia translatio obligationis ex materia meliori in materiam inferiorem non est pura commutatio, sed admixtā habet dispensationem; & ideo excedit potestatē collatam virtute Cruciatæ ad commutandum. Et confirmatur conclusio ratione generali: commutatio est veluti quidam contractus inter Confessarium commutantem nomine Dei, & ipsum vouentem vt patet: ergo debet fieri in æquale. Probatur consequentia; quia cōtractus permutationis, vt talis est, necessariò petit æqualitatē inter res permutatas, aliter nō esset pura permutatio, sed quoad illam inæqualitatem erit relaxatio, seu dispensatio; cum igitur mera commutatio inæqualitatem excludat, nō poterant vota vi Cruciatæ commutari in minus bonum; quia ad hoc requiritur potestas dispensandi; in Bulla autem solùm potestas commutandi conceditur, quæ secundùm vocabuli proprietatem æqualitatem importat.

Contractus permutationis, vt talis, petit æqualitatem.

21 *Obiectio.* Dices, si per Bullam nequeunt vota commutari in minus bonum, priuilegiū, quod conceditur, esset inutile; quia fine illo vota possent iuxta probabilem opinionem propria auctoritate vouentis cōmutari in æquale, vel saltem auctoritate Prælati absque tali priuilegio.

22 *Diluitur.* Respondeo, non esse inutile, primo; quia per ipsum priuilegium conceditur potestas commutandi ipsi Confessario, qui absq; tali priuilegio caret hac potestate, & licèt Viualdus, & Lessius agnoscant hanc facultatem in Confessario independenter ab omni priuilegio, tamen rectè confutantur à *Suarez lib. 6. de voto. cap. 10. n. 11.* qui ait, oppositam sententiā esse certam, & communem apud Theologos, & Canonistas, eodem modo confutantur à *Sanchez l. 4. Summæ cap. 49. nu. 13.* ratio autem est, quia iurisdictio Confessarij solùm extenditur ad forum pœnitentiæ circa absolutionem à peccatis, & à quibusdam censuris; facultas verò commutandi vota pertinet ad Prælatos, vel ad eos, qui delegatam ab eisdem Prælatis potestatem habent; proinde Confessarius in hoc se habet vt persona priuata; at obtinet hanc facultatem vi Cruciatæ. Ad illud, quod dicitur secundùm opinionē, quæ asserit, vota ab ipsomet vouente in æquale bonum posse commutari; respōdeo, id esse incertum, & probabiliùs esse contrarium: præterea minor caussa requiritur ad commutationem in æquale faciendam per Bullam, quàm sine illa, & licèt commutatio ista fieri valeat à Prælatis; tamen est per distinctum priuilegiū exigens caussam; Bullæ autem priuilegiū vel nullam requirit caussam, vt asserit *Sanchez lib. cit. c. 54. n. 6.* vel leuiorem postulat, vt videbimus.

Facultas cōmutandi vota non habetur à Confessario vi sui muneris, sed residet in Prælatis respectu subditorum.

Minor caussa requiritur ad faciendā commutationem in æquale per Bullam, quā sine illa.

23 *Æqualitas in commutādo nō mathematicè, sed moraliter est sumenda.*

Dico tertio, æqualitatem istam moraliter, & non mathematicè esse sumendam: ita *Sanchez lib. cit. c. 50. num. 1. Suar. cap. illo 19. nu. 9. & alij communiter* est enim impossibile ab omnibus agnosci mathematicam æqualitatem, atq; adeo satis erit eam moraliter accipere, quia meliori modo à nobis attingi non potest; proinde in ordine ad nos æqualitas ista latitudinem habet, & non consistit in indiuisibili, inquantum ab vno constituitur in maiori, & ab alio in minori quantitate; opiniones enim hominum, cum versentur circa res nō euidentes, impossibile est, vt omnes in iudicijs ferendis omninò conueniant, & nulla inter ipsas sit diuersitas, sicuti in statuendis pretijs naturalibus diuersitas reperitur: inde est, vt vnus homo iudicet rem aliquam tanti valere, V.G. decem; alius verò duodecim, & omnia existimantur pretia iusta, & æqualitatem habere cum re venali; sic in casu nostro, cum sit impossibile ab hominibus attingi mathematicam æqualitatem inter materiam subrogatā, & materiam, de qua est votum, sequitur quod illa materia, quæ ab vno iudicatur æqualis, ab alio existimetur inæqualis; idcirco æqualitas ista nequit in indiuisibili consistere, sed latitudinem maiorem, aut minorem iuxta maiorem, aut minorem prudentum existimationem habere oportet; ac proinde in ordine ad praxim, & ad seruandas leges, seu conditiones iustæ commutationis satis erit substituere quamlibet materiam ex illis, quæ à prudentibus iudicatur æqualis, licèt ab illis inæqualis censeatur, & tunc verè dicitur commutari votum in æquale bonum non æqualitate mathematica, sed morali, quæ procedit à prudenti iudicio, spectatis omnibus circumstātijs, quæ in hac materia attendi debent, de quibus inferiùs erit sermo.

Habet æqualitas ista latitudinem.

SE-

SECTIO IV.

An Confessarius teneatur vota pœnitentis commutare, si pœnitens eorum commutationem vi Cruciatæ expostulet.

24 QVæsitum locũ habet, quando Confessarius requisitus omni caret impedimento, & agnoscit inueniri rationabilem caussam ad commutationem, & hoc non obstante eã denegat.

Prima sententia asserit, in tali casu Cõfessarium teneri ad vota commutanda, &, si commutationem hanc deneget, peccare; ita *Aragonius in 2. 2. S. Th. quæst. 88. a. 12.* paulo ante versum *Si quis autem quærat. Sayrus in claui Reg. lib. 6. cap. 12. n. 18. ver. Postremò adnotandum. Viual. Candelab.* loquens de impedimento matrimonij ratione voti *n. 68. Sanchez in decal. lib. 4. cap. 54. Ludouicus à Cruce in Bullam disp. 1. cap. 6. dub. 1. nu. 1. Santarellus de Iubileo c. 8. dub. 2. Bartholomæus à S. Fausto in thes. lib. 4. quæst. 53. & alij apud ipsos*. Hi autem authores licèt affirment Confessarium peccare, si hanc omittat commutationem; tamen non se explicant, an peccatum istud sit graue, an verò leue: solùm *Barth. à S. Fausto quæst. 54. sequente in fine.* ait, Confessarium peccare ad minùs venialiter.

iqui ve- Confess- peccare tido cõ- stionem.

25 Secunda sententia negat, Confessariũ ad commutationem hanc faciendam teneri: sic *Ioan. Sancius in selec. disp. 14. nu. 17. Castrò Palaus tom. 1. tract. 30. disp. 6 p. 8. n. 12.* qui sic distinguit; vel enim Cõfessarius acceptauit sui electionem in ordine ad hunc effectum; & tunc certum est, teneri ad dispensandum, & si nolit, erit infidelis, & iniustus; quia iam quasi ex iustitia ratione acceptæ electionis obligatur ad concedendam dispensationem, & hoc erit verum, siue priuilegium concessum sit in gratiam ipsius Confessarij, dispensaturi, siue in gratiam eius, cui dispensatur; nam in vtroque casu Confessarius acceptando sui electionem, se obliganit ad hũc effectum præstandum: si verò sermo sit ante electionem, non tenetur dispensare, etiam si confessionem pœnitentis audierit; quia priuilegium concessum per Bullam non est ad arctandum Confessarium ad dispensationem concedendam, sed solùm ad concedendam facultatem dispensandi Confessori volenti, nõ renuenti, &c. sic discurrit *Castro Palaus*: & quamuis loquatur de dispensatione, tamen sub illa comprehendit commutationem, vt euidenter patet consideranti locum illum, eiusq; verba, sed suam sententiam limitat volens in aliquo casu inferiùs exprimendo Confessarium teneri ad dispensandum.

verò ex- i Con- iũ à tali to; nisi tauerit ctionem mmutã-

26 Cæterum existimo punctum hoc non posse absolutè determinari, & indigere varijs distinctionibus; idcirco quid sentiam, in sequentibus conclusionibus aperiam.

27 Dico igitur primò, per se loquendo, Confessarium non proprium, qui non tenetur confessionem pœnitentis audire, non esse cogendum sub peccato saltem mortali ad commutanda vota pœnitentis, nisi ad id præstandum se obligauerit, & tunc etiam opus erit aliqua distinctione, vt videbimus. Probatur conclusio; quia ex nullo capite talis obligatio deduci potest; proinde dum nullus manifestus extat titulus obligationis, nemo est obligandus, cũ obligatio sit odiosa; atque adeo, nisi caput obligationis sit euidens, non est asserenda; nullum autẽ videri caput talis obligationis patet discurrendo per capita illa, ex quibus dubitari possit oriri obligationẽ hanc; & primò dico, Confessarium nõ teneri ex proprio officio; quia vt supponimus, non est Confessarius ordinarius: secundò neque teneri ex vi Bullæ; nam per Bullam non constituitur tamquam Delegatus necessarius ad hanc caussam expediendam; nempe ad vota commutanda; sed solùm illi communicatur facultas ad commutandum, si voluerit; atque adeo fit delegatus liber, cum ipsa commutatio non præcipiatur; tertiò demum neque esse obligationem ex suppositione quod audierit peccata pœnitentis; quia onus audiendi peccata, & ab eis sacramentaliter absoluere, est diuersum onus à commutatione votorum, & vnum implicitè non continet aliud; ideoque Confessarius acceptans sui electionem in ordine ad peccata excipienda, non censebitur acceptasse electionem in ordine ad vota commutanda, & præsertim cum peritia sufficiens ad absolutionem exhibendam non sit sæpè sufficiens ad discernendam materiam, in quam vota commutari debeant. Igitur cum nullum aliud caput præter enumerata assignari poterit, & hæc non sint talia, vt talem caussent obligationem, dicendum consequẽter est, Confessarium non esse obligandũ sub culpa mortali ad hanc faciendam commutationem.

Confessarius, qui non est proprius per se loquẽdo, nõ tenetur commutare saltẽ sub mortali.

28 Dico secundò. Per accidens poterit esse mortale, denegare hanc commutationem; vt si Confessarius agnoscat pœnitentem inueniri in manifesto periculo fractionis voti, & eius audierit peccata, vt videat commutationem voti esse hic, & nunc medium opportunum, & reli-

Per accidens poterit Confessarius interdum obligari sub mortali.

non

quis aptus, & ipse poterit facilè commutationem facere, tunc si eam deneget, non excusabitur à culpa graui; quia eo ipso quod sponte suscepit munus Confessarij, & audiuit peccata, tenetur adiuuare pœnitẽtem meliori modo, quo potest, vt iterum non redeat ad priora peccata; proinde ad vitandas fractiones voti debet requisitus votum commutare, etiam si non sit proprius Confessarius.

29 *Sæpè erit culpa venialis denegare hãc commutationem, quicũqs sit Confessarius.*

Dico tertio. Sæpè poterit esse culpa venialis, denegare commutationẽ; quia si nullum est impedimentum, neque ex parte pœnitentis, neque ex parte Confessarij videtur charitas aliquo modo obligare Confessarium ad commutandum, & maximè si pœnitens magna afficeretur molestia ex negatione commutationis, & in hoc sensu explico authores primæ sententiæ asserentes Confessarium peccaturum, si commutationem deneget, quando adest rationabilis caussa ad commutandum; explicandi autem sunt solùm velle Confessarium venialiter peccare per se loquẽdo, & interdum poterit mortaliter delinquere, vt supra ostẽsum est.

30 *Quandoque nulla erit culpa denegare commutationem.*

Dico quarto. Si Confessarius non sit adeò peritus, vt possit iudicium ferre de materia æquiualente ad commutationẽ, ne se exponat periculo errandi, neque possit facilè doctos viros consulere, tunc nullum erit peccatũ denegare commutationem; quia in tali casu non debet ita quietem, & consolationem pœnitentis curare, vt se periculo errandi exponat.

31 *Interdum poterit excusari à culpa graui denegãdo cõmutationem, etiã si acceptauerit munus delegationis.*

Dico quinto. Si acceptet munus cõmutãdi, & postea sine caussa neget commutationem, poterit aliquando excusari à peccato graui, si ex tali negatione pœnitens non maneat in periculo frangendi votum, neq; sentiat magnam cordis angustiam, neque demum debeat nimium laborare inquirẽdo alium Confessarium, à quo commutationem habeat; in hoc autem casu cum notabile detrimentum non patiatur, non videtur Confessarius lethaliter peccare denegando commutationem.

32 *Ad hanc cõmutationem strictiùs proprius, quàm alienus Confessarius obligatur.*

Dico sexto. Ad commutationẽ hanc faciẽdã strictiùs obligatur proprius Confessarius, quàm alij; & ideo si requisitus à pœnitẽte irrationabiliter deneget cõmutationẽ, nõ ita facilè erit excusãdus à peccato; quia pœnitens in ordine ad ea, quæ ad propriam salutem pertinent, & possunt præstari à proprio Pastore, strictum ius habet in ipsum Confessarium ordinarium, vt ab ipso hæc omnia præstentur; proinde proprius Confessarius ius non habet se eximendi à tali onere; inter ea, autem, quæ conferri possunt ad spiritualem pœnitentis profectum, est commutatio votorum; nam interdum expedit bono spirituali ipsius pœnitentis facere commutationem hanc; proinde longè vrgentior caussa requiritur ad excusandum proprium, quàm alienum Confessarium, & secundùm circumstantias occurrentes erit decidendum, quando obligatio proprij Confessarij erit sub graui, quando sub leui culpa.

SECTIO V.

An ad commutanda vota per Bullam requiratur caussa.

33 *Quid [illegible] Auctores abstrahendo à priuilegio Cruciatæ.*

SI præscindamus à priuilegio huius Bullæ, decisio huius quæsiti petenda est ex doctrina vniuersali, quam apud Doctores de hac re tractantes passim inuenimus; videlicet commutationem in melius modo supra explicato nulla indigere caussa, nec spirituali potestate, sed fieri posse propria auctoritate vouentis, vt vidimus *sect. 1. huius cap.* at quando fit in minus, & etiam in æquale, aliquam respectiuè proportionatã caussam requiri, & Prælati auctoritatem, vt notat *Sanchez l. 4. Summæ cap. 50. nu. 17.* quia vt ipse ait, etiam si commutatio fiat in æquale bonũ non nihil dispensationis inuoluit; dispensatur enim in rigore fidelitatis, quatenus satisfactio, seu solutio fit in diuersa specie; proinde aliqua est necessaria caussa. Pro hac autem sententia quamplures authores *idem Sanchez* refert; sufficit enim leuis caussa, vt notat *Suar. lib. 6. de voto. cap. 19. nu. 5. 10. & Sanchez cap. cit. n. 21. & 22.* & ibi reijcit eorum opinionem, qui dicunt ad commutandum in æquale exigi caussam exequutioni voti obstantem, & id confirmat pluriũ auctoritate, *& n. 23.* addit, sufficere solam vouentis petitionẽ; quia cum illa concurrit semper promptior volũtas ipsius vouentis ad materiã subrogatam, & sic cum maiori hilaritate adimplendo votum, exequutio cedit in maius Dei obsequium: ita discurrunt authores prædicti circa hanc materiam præscindendo à priuilegio Cruciatæ: at quia nos consideramus commutationẽ hanc per respectum ad priuilegiũ ipsius Cruciatæ, idcirco quærimus, an postuletur caussa, & qualis.

34 *Commutatio [illegible] Cruciatæ [illegible]*

Dicendum est, ad commutationem hanc virtute Cruciatæ faciendam, nullã aliam requiri caussam, sed satis esse commune bonum, nempe subsidium belli contra infideles, ob quod confertur eleemosyna, quæ præscribitur in ipso diplomate: ita expressè loquentes de ipsa Cruciata docent *Suarez cap. 19. cit. n. 10.* San-

Sanchez cap. illo 50. nu. 19. & cap. 54. nu. 5. Rodriquez in addit. ad §. 9. nu. 107. Barth. à S. Faustoin thes. Confessar. lib. 4. quæst. 20. in fine. Ludouicus à Cruce in expos. Bullæ disp. 1. cap. 6. dub. 4. nu. 4. Aegidius Trull. ibidem lib. 1. §. 7. cap. 3 dub. 13. nu. 6. & ratio est, quia ob assignatam caussam Pontifex ducitur ad concedendum hoc priuilegium: proindè cum extet caussa adeo grauis ex parte concessionis priuilegij, non requiritur alia caussa ex parte priuilegiati postulantis commutationem, sed satis illi erit erogare eleemosynam taxatã.

Discrimen inter priuilegiũ Cruciatæ, & priuilegium Regularium in ordine ad commutanda vota. & in hoc aduertit *Sanchez lib. 4. citato cap. 54. nu. 5.* discrimen inter priuilegium Cruciatæ, & priuilegium, quod habent Regulares in ordine ad vota commutanda; nam istud ad commutandum postulat caussam ex parte vouentis, non autem priuilegiũ huius diplomatis, vt diximus: ratio autem huius discriminis innuitur ab eodem *Sanchez cap. 50. nu. 19. & à Suarez cap. illo 19. nu. 10.* quæ licet inquest esse vniuersalis, nihilominus valet spectata natura, & conditionibus horum duorum priuilegiorum: aiunt enim, quod facultas commutandi vota, dum concedítur in gratiam Delegati, & absque onere, sed mere gratuitò, vt est priuilegium concessum Regularibus, postulat caussam proportionatam; & ideò dum commutatio ipsa fit virtute priuilegiorum, quæ habent Regulares, non supponit caussam neque ex parte ipsorum Regularium, neque ex parte concessionis, consequens est, vt eam supponere debeat ex parte vouentis: at quando priuilegium, per quod datur potestas commutandi, est in gratiã ipsius vouentis, & sub onere aliquo cedẽs in bonum commune, vt de facto est priuilegium Cruciatæ, Iubilei, & similium; tunc caussa ad cohonestandam commutationem se tenet ex parte concessionis; & ideo non requiritur alia caussa neque ex parte Confessarij commutantis, neque ex parte vouentis. dixi, hanc rationem non esse vniuersalem, quia etiam si priuilegium commutãdi sit concessum in gratiam personæ postulantis commutationem, non statim sequitur, ex parte ipsius non requiri caussam ad commutationem faciendam: nam potest esse priuilegium totum gratuitum sine vllo onere in fauorem ipsius priuilegiati; & tunc necessariò expostulabit caussam ex parte ipsius, vt commutatio ipsa cohonestari valeat.

Ex his colligimus decisionem quæsiti, & quo pacto in hac materia sit loquendũ:

35 *Corollarium.* dicimus enim, ad commutanda vota vi huius Cruciatæ nõ exigi caussam ex parte illius, cuius vota commutãtur. at si quis ex hoc inferret, absolutè commutationẽ hanc faciendam per Cruciatam nulla indigere caussa, malè inferret, quia illatio foret à secundùm quid ad simpliciter; cõcedimus enim ex parte ipsius vouentis nõ esse caussam inquirendam, non quia nulla requiratur, sed quia sufficit caussa illa boni communis, cuius intuitu Pontifex motus fuit ad hoc diploma elargiendum sub onere illo erogandi eleemosynam, vt dictum est.

SECTIO VI.

An vota commutari valeant siue sint emissa ante, siue post Bullæ promulgationem.

PRiuilegium, per quod communicatur potestas commutandi vota, solet esse in duplici differentia circa eius durationem, quatenus potest concedi, vt perpetuò duraturum; & tale est illud, quod habent Regulares: & de isto priuilegio nulla est difficultas, quia cum semper retineat vigorem, non potest quæsitum respectu illius locum habere: proinde potestas illa perpetua extenditur tum ad vota præterita, tum ad futura, & per consequens ad omne tempus, vt bene notauit *Suarez lib. 6. de voto cap. 13. num. 2. & Sãchez in decal. lib. 4. c. 53. n. 23. et alij.* solet etiam cõcedi ad tempus determinatum, vt est priuilegium Cruciatæ, quod solùm vim habet durãte anno promulgationis, & idem de priuilegio Iubilei, vel simili, quod ad paucos dies conceditur. Difficultas autem examinanda est in ordine ad priuilegium huius Cruciatæ, & idem sentiendum de alio simili. 36

37 *Opinio quorundam et facultate p Cruciatam extẽdi solũ ad vota emissa ante promulgationem ipsius Cruciatæ.* Prima opinio vult, facultatem commutandi vota per Cruciatam solùm extendi ad vota illa, quæ fuerunt emissa ante promulgationem. ita docent plures, vt *Sotus lib. 7. de iust. quæst. 4. a. 3. ver. Post* hæc. *De priuilegijs. Lopez in Instruct. p. 1. cap. 10. Corduba in summa quæst. 149.*

38 *Alia opinio vult extendi etiam ad ea, quæ emittuntur post promulgationem.* Secunda autem opinio est opposita, inquantum asserit, per Bullam Cruciatę, aut per aliud simile priuilegium commutari posse vota tum antecedentia, tum subsequentia promulgationem. sic docet *Rodriq. §. 9. in Bullam nu. 111. Nauar. in Sum. cap. 12. n. 80. in fine. & notab. 34. de indulg. nu. 5. Viualdus in candelab. de 3. impedim. matr. Henriq. lib. 6. cap. 16. nu. 4. lit. N: & lib. 7. cap. 30. nu. 5. Suarez lib. 6. cit. cap. 13. à nu. 2. Sanchez loco supra cit. n. 2. 6. Trull. in Bullam lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 4. num. 3. & alij apud ipsum.*

39 *Hæc secunda sententia est certa admittitur.* Dicendum est cum hac secunda sententia, quæ est longè communior, &, vt censeo, certa. Probatur primo, quia verba

verba Bullæ, per quæ conceditur hæc poteſtas, ſunt generalia, & indefinita, ergo extenduntur ad vota etiam poſt ipſius Bullæ promulgationē, antecedens patet ex tenore ipſius diplomatis, conſequentia verò ſuadetur; quia verba indefinitè, & generaliter prolata comprehendũtur futura, vt docet *Gloſ. in cap. Quia circa verb. Sed futuri. De priuileg.*

40 *Poteſtas cōmutandi vota eſt fauorabilis.* Secundo probatur; quia poteſtas commutandi eſt fauorabilis, quidquid ſit de ipſa commutatione, ergo eſt amplianda, ſaltem quantùm verba ipſa ſignificant; ex vi autem ſignificationis eorum verborum, quibus declaratur conceſſio huius facultatis, abſque dubio colligere poſſumus extēſionem verborum ad vota futura.

41 Tertio, ſicuti facultas conceſſa ad hanc commutationē eſſet perpetua, & pro tota vita extenderetur ad vota futura, quemadmodum de facto eſt poteſtas, quam habent Superiores regulares in ordine ad ſuos ſubditos religioſos; ita dum conceditur per annum, intelligi debet ſe extendere ad omnia vota, quæ emittenda erunt à ſumente Bullam pro illo toto anno; eadem enim eſt proportio facultatis perpetuæ pro tota vita duraturæ, & conceſſæ pro determinato tempore. V.G. vnius anni. Hæ, & ſimiles rationes efficaciter ſuadent hanc ſententiam, quæ communis eſt, & in praxi iam recepta.

42 *Inſtantia contraria.* Sed dices cum Soto. Inconueniens videtur communicare poteſtatem cōmutandi vota antequam emittantur; ergo non eſt præſumendum intentionem Pōtificis fuiſſe, concedere per Cruciatam priuilegium, quod reſpiciat vota futura emittenda poſt promulgationem ipſius Cruciatæ. Reſpondeo, negando id eſſe inconueniens: immo oppoſitum eſt valdè congruum, dare poteſtatem, vt fideles, qui eleemoſynis, & orationibus ſubſidium præſtant huic expeditioni contra hoſtes ſanctæ fidei, poſſint ab obligatione votorũ liberari de vna materia, eamdēque obligationem transferre in aliam materiam, vt ſic maiori promptitudine, & hilaritate ſatisfaciant promiſſis Deo factis. Et confirmatur à pari, immo à fortiori, quoniam nullum cenſetur inconueniens, facultatem abſoluendi à peccatis, & cenſuris reſeruatis, quæ in hac Bulla conceditur, ſe extēdere ad futura, vt ſupra oſtendimus; ergò neq; exiſtimari debet incōueniens hoc ipsũ aſſerere de facultate cōmutādi vota.

Nullum eſt inconueniens dari poteſtatem commutandi vota futura.

SECTIO VII.

An commutatio votorum per Cruciatam fieri valeat extra confeſſionem ſacramentalem.

Non poſſe commutationem votorũ virtute Cruciatæ fieri niſi in confeſſione ſacramentali, ſuſtinent *Emanuel Rodriq. in expoſ. eiuſdem Cruciatæ. §. 9. nu. 113. regul. 9. Sayrus in claui Reg. lib. 6. cap. 11. nu. 105. verſ. Solùm aduertendum reſtat. Antonius Fernandez in exam. Theol. moral. par. 3 cap. 9. n. 5. Vega in Summa tom. 2. cap. 129. caſu 34. Lopez in 2. par. inſtruct. de clauib. cap. 9. Santarel. de Iubil. c. 8. dub. 8.* 43

Non po[illegible] vi Cru[illegible] commuta[illegible] nē v[illegible] n extra confeſſionē [illegible]

44 *A[illegible] fieri po[illegible]*

At fieri poſſe extra confeſſionem, docent quamplures, vt *Henriq. lib. 7. de indulg. c. 30. nu. 6. Sanchez lib. 8. de matr. diſp. 15. nu. 25 & in decal. lib. 4. cap. 54. n. 14. Barthol. à S. Fauſto in theſ. relig. lib. 4. quæſt. 55. nu. 2. Aegid. Trull. in expoſ. Bullæ lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 10. n. 2.* & in hac eadem opinione colligimus eſſe *Sotũ lib. 7. de iuſt. quæſt. 4. a. 3. ver. Poſt hæc. De priuilegijs*, dum loquens de voti diſpēſatione, quæ fit vi alicuius priuilegij, ait, diſpenſationem voti ad pœnitentiæ forum non pertinere; eadē enim ratio eſt in hoc de commutatione.

Dicendum eſt primo. Commutatio hæc per Cruciatam debet fieri à Confeſſario, qui ſit ab Ordinario approbatus. ita *Sanchez loco citato in decal. n. 17. Henriq. Trull. & Barth. à S. Fauſto vbi ſupra*, concluſio eſt certa ex ipſius diplomatis tenore, in quo expreſsè dicitur, quod ſumentes hanc Bullam poſſint eligere Cōfeſſarium ab Ordinario approbatum, qui abſoluat à reſeruatis, & vota commutet, &c. debet igitur commutans eſſe Sacerdos approbatus ad confeſſiones excipiendas.

45 *Commutatio iſta debet fieri à Confeſſario approbato.*

Dicendum eſt ſecundo. Confeſſarius approbatus, à quo petenda eſt commutatio, non oportet, vt ſit Confeſſarius ipſius vouētis. ita Authores laudati in præcedenti concluſione: & ratio eſt manifeſta, quia per ipſam Bullam ſolùm requiritur Confeſſarius approbatus; proinde eſſe Confeſſarium ipſius vouentis non eſt conditio neceſſaria.

46 *Non oportet eſſe Confeſſarium ipſius, qui petit commutationem.*

Dicendum eſt tertio. Confeſſio ſacramentalis non eſt neceſſaria ad hoc, vt vi huius Bullæ vota commutentur; proinde hæc commutatio fieri poteſt extra confeſſionem, vt volunt Authores ſecundæ ſententiæ, in qua videtur etiam eſſe *Suarez lib. 6. de voto cap. 16. num. 4.* qui ait, confeſſionem eſſe præmittendam, quando in priuilegijs cōceditur facultas ad commutādũ ſub hac forma, videlicet in foro pœnitentiæ, vel audita cōfeſſione, &c.

47 *Poteſt commutatio fieri extra Sacramentum Pœnitentiæ.*

&c. at si id sufficienter non declaretur, sed solùm requiratur ad eligendum Confessarium approbatum, &c. tunc non esse restringendum vsum huius facultatis ad Sacramentum Pœnitentiæ, sic ex Suarez. & hæc est fundamentalis ratio pro nostra conclusione: ex vna enim parte facultas ad commutandum votum non habet connexionem aliquam cum absolutione à peccatis, vt de se patet; ex alia verò parte in hoc priuilegio, per quod conceditur facultas ad commutandum, non exprimitur exercitium eiusdem priuilegij esse debere, auditis confessionibus, seu in Sacramento Pœnitentiæ; igitur nullum apparet sufficiens fundamentum ad restringendũ huius facultatis vsum ad confessionem sacramentalem.

47 *Soluitur ratio contrariæ sententiæ.*

Ratio autem, qua Authores contrarij vtuntur, facilè corruet ex dictis; quia ipsi intantùm putant expostulari cõfessionem sacramentalem, inquantum in ipsa clausula Cruciatæ exigitur Confessarius approbatus; sed coniectura ista ipsis minimè suffragatur; quia nomen Confessarij non denotat necessariò actuale exercitium, sed solum munus excipiendi cõfessiones, vt rectè notauit Suarez, & nos dum ageremus de facultate absoluendi à censuris, diximus *in hac par. cap. 1. sect. 9. versus finem*.

SECTIO VIII.

An Confessarius vi Bullæ potestatem habeat dispensandi in votis.

48 *Qui habẽt potestatẽ ordinariã cõmutandi vota, vt sunt Prælati, possunt etiã dispensare.*

TAmquam certum, & non controuersum supponimus in eo, qui habet ordinariam potestatem commutandi vota, vt sunt Prælati respectu subditorum, residere etiam potestatem dispensandi, & sic à tali facultate ad commutandum rectè infertur facultas ad dispẽsandũ, & de hoc puncto nulla apud Authores est dubitatio. Difficultas autem est de eo, qui delegatam habet potestatem cõmutandi, qualis dari solet per Iubileum, & Bullam Cruciatæ. Quærimus igitur, an virtute Cruciatæ Confessarius electus valeat dispẽsare in votis, si ad hoc sit requisitus ab eo, qui Bullã habet. Partem affirmatiuam videtur sequi *Syluester verb. votum 4. quæsit.* 3. dum in *secundo dicto* inquit. *Quicumque potest in voto dispensare, potest etiam illud commutare, & è contrario, &c.* & huic opinioni adhæret *Palacius in 4. dist. 38. disp. 3. apud Suar. loco infra citãdo.*

Aliqui partẽ affirmatiuã sequuntur.

49 *Potestas cõmutandi non trahit potestatem dispẽsandi.*

Sed alij cõmuniter docẽt, ex potestate cõmutandi nõ inferri potestatẽ dispẽsandi in votis. hãc opinionẽ vt certã tradi à Doctoribus, asserit *Suar. lib. 6. de voto cap. 12. n. 4.* & ratio est, quia cõmutatio est quid minus; dispẽsatio verò est maius, cũ totã voti obligationẽ auferat, cõmutatio verò transferat illam ex vna in aliam materiã, vt vidimus. Cæterum *Basilius Pontius lib. 8. de matr. cap. 10. n. 1.* amplecti nolens hãc cõmunẽ sententiã sine vlla exceptione, eã distinguit; aitq; vel cõceditur solũ facultas commutandi in æquale, vel in minus; si autẽ facultas primo modo concedatur, tunc fatetur non intelligi cõcessam facultatem dispensandi; at si concedatur secundo modo, vult esse concessã potestatem; quia, quoties commutatio fit in minus, remittitur aliquid prioris obligationis, & non solùm fit cõmutatio materiæ. His sententijs relatis superest, vt quid sit in hac materia sequendum, aperiamus.

Limitatur à Pontio.

Dico igitur primo. Qui habet potestatẽ delegatam commutandi vt sic, nõ cẽsetur habere facultatem ad dispensandũ. ita communiter Doctores, quos laudat *Suarez l. c.* & quibus adhæret *Sanchez in decal. lib. 4. cap. 53. n. 2. Ludouicus à Cruce in exposit. Bullæ disp. 1. cap. 6. dub. 7. nu. 12.* & ratio est eadem, quã supra innuimus; nã cũ dispensare, & cõmutare sint actus inuicẽ distincti, & cõmutare sit longè minus, cũ non tollat vinculum voti, dispẽsare autem sit longè maius, & obligationẽ auferat, nequit ex potestate cõmutandi inferri potestas dispensandi; ac proinde Confessarius electus, cui per hanc Bullam conceditur facultas ad cõmutandũ, non habet potestatem vi eiusdem Bullæ ad dispensandum in votis. 50

Admittitur cõmunis opinio.

Dices, in omni commutatione voti inuoluitur dispensatio; ergo dum cõceditur potestas ad cõmutandũ, intelligitur etiã cõcessa ad dispẽsandũ, & hoc est fũdamẽtũ, cui innititur prima sẽtẽtia affirmatiua. 51

Obiectio.

Cõtra est, quia falsũ est in omni cõmutatione includi dispensationẽ, cum interdũ cõmutatio fiat in maius, & cõmuniter in æquale, atq; adeo vt sic nullã continet dispensationẽ, cũ nulla fiat obligationis relaxatio: at verò, quãdo cõmutatio fit in minus, poterit esse aliqua dubitatio, de qua mox dicam in sequenti cõclusione. 52

Solutio.

Dico secundo. Si concedatur expressè potestas ad cõmutandũ in minus, negari nõ potest, in tali priuilegio cõtineri facultatem ad aliqualẽ dispensationẽ; quia dispensatio cõsistit in relaxatione vinculi: at potestas ista datur ad aliquid relaxandũ, nempe ad commutandum in minus; ergo ad dispensandum nõ absolutè, & simpliciter, sed secundum quid. 53

Facultas ad cõmutandum in minus continet potestatem aliquã dispensandi.

Neque valet distinctio, quã affert *Ludouicus à Cruce dub. cit. num. 13.* dum vult, dispẽsationẽ bifariam sumi, videlicet, vel quatenus significat remissionem debiti, & vt sic ait, distingui à commutatione, & 54

Reijcitur distinctio Ludouici, & aliorum.

cõsequenter negat inuolui in omni commutatione; vel quatenus significat diminutionem, seu remissionem rigoris debiti soluendi, & hoc pacto concedit in commutatione includi dispensationem aliquam; & addit hanc æquiuocè dispensationem appellari. Eamdem ferè distinctionem approbat *Suarez cap. cit. nu. 5. & alij*: non valet, inquam, nisi controuersiam reducamus ad voces; sicuti enim est vera donatio, seu relaxatio debiti, licèt partialis, si creditor in centum aureis remittat decem suo debitori; ita vouens cũ sit debitor Deo in re promissa, si Confessarius remittat partem, erit vera dispensatio, quamuis partialis, & non metaphorica, cum transcendat commutationem; ideoque per solam facultatem delegatam commutandi nequit Delegatus neq; in toto, neque in parte vi illius facultatis dispensare.

56 *Potestas ad commutandum in minus simpliciter appellatur potestas ad commutandum.*

Dico tertio. Potestas concessa ad commutandum in minus denominatur simpliciter potestas ad commutandum, & non ad dispensandum; quia denominari debet ab illo, quod est maius; & subrogatur loco prioris materiæ.

SECTIO IX.

An habens delegatam potestatem dispensandi possit ex vi talis potestatis vota commutare.

QVamuis controuersia ista propriè pertineat ad tractationem de voto in Decalogo; nihilominus pro abundantiori doctrina placet illam in præsentia exagitare.

57 *Aliqui asserunt rectè inferri potestatem commutandi a potestate dispensandi.*

Quamplures cẽsent rectam esse illationem à potestate dispensandi ad potestatẽ commutandi; & ideò affirmant posse ab habente facultatem dispensandi ex vi huius facultatis vota commutari auctoritate ecclesiastica; & in hac sententia sunt *Palud. in 4. dist. 38. a. 3. concl. 5. Rodriq. in Bullam §. 9. n. 115. Sotus lib. 7. de iust. quæst. 4. a. 3. Sayrus in claui Reg. lib. 6. cap. 12. nu. 15. Henriq. lib. 7. cap. 30. nu. 5. Suarez. tom. 2. de relig. lib. 6. de voto cap. 12. num. 10. Emanuel Sa in aphorismis verb. votum n. 19. Lessius lib. 2. de iust. c. 40. dub. 16. n. 108. Basilius Põtius lib. 8. de matr. c. 11. n. 3. Layman in sum. lib. 4. tract. 4. cap. 8. nu. 20. Fagund. in decal. lib. 2. cap. 50. nu. 7. Barbos. de potest. Episcop. par. 2. alleg. 37. nu. 23. Castro Palaus tom. 2. trac. 15. disp. 2. p. 14. nu. 4. Trull. in decal. lib. 2. cap. 2. dub. 37. nu. 1. & in Bullam Cruciata lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 1. nu. 7. Diana 2. par. trac. 5. miscel. resol. 25. & apud ipsum, Villalobos in sum. to. 2. tract. 34. diff. 32. num. 2. & alij.*

Ratio fundamentalis, cui hi Authores innituntur, est, quia cõmutatio continetur sub dispensatione tamquam pars sub toto, & minus sub maiori; ideoque iuxta regulam 53. *Iuris in 6. Cum licet, quod plus est, licet vtique quod minus est*, poterit habens potestatem dispensandi vota commutare. 58

Probatur regula in 6.

Secundo, potestas dispensandi, cum pertineat ad gratias, & sit purum Principis beneficium, amplè est interpretanda, vt in materia legum ostendi solet; & in præsentia supponitur, & cõceditur etiam ab aduersarijs; vt videre est apud *Suarez, & alios locis infra citandis.* 59

Potestas dispensandi amplè explicatur.

Tertio probatur à pari. Qui habet potestatem remittendi alicui totũ debitum, habet etiã facultatem relaxandi partem eiusdem debiti.

Qui potest remittere totũ debitum, poterit etiam solam partem relaxare.

Cæterum in opposita sententia sunt alij Authores non minoris notæ, vt *Nauar. §. in Leuit. notab. 29. num. 1. & in manuali cap. 12. num. 79. Medina in sum. lib. 2. cap. 1. Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 11. cap. 10. quæst. 4. & c. 18. quæst. 7. Valent. in 2. 2. disp. 6. qu. 6. p. 7. ver. deniq; Sãchez li. 8. de matr. d. 2. n. 15. & in decal. lib. 4. cap. 53. n. 4.* attamen *n. 5.* concedit, quod habens facultatem delegatam dispensandi in votis, possit partim dispensare, & partim commutare; ad hãc autem opinionem tuendam variæ ab eius defensoribus adducuntur rationes, quarũ præcipuæ hæ sunt. 60

Alij oppositũ sustinent.

Et primo, dispensatio, & commutatio sunt diuersi actus, & vnus nempè cõmutatio respectu dispensationis non comparatur vt pars in ordine ad totum; igitur ex facultate dispensandi non sequitur facultas commutandi; proinde regula illa *Iuris in 6.* cui innititur contraria sententia, scilicet *Cui licet, quod plus est &c.* non habet locum in hoc casu, quia regula illa procedit, quando id, quod est minus, cõtinetur in maiori vt pars. 61

Prima ratio huius sententiæ fundatur in eo quod commutatio non est pars dispensationis.

Secundo, etiam si demus commutationem esse partem dispensationis, adhuc regula prædicta nõ procedit; quia adhuc vt potestatem habens remittendi totum debitum, valeat partem remittere, oportet, vt potestas illa remittendi totum, cõcessa sit vel absolutè absque limitatione, vel si cum limitatione, eadem limitatio inueniatur in remissione illius partis, v. g. si Dominus det suo Oeconomo facultatem liberam, & absolutam condonandi alicui debitum; tunc certum est, posse Oeconomum, & totum, aut solam partem illius debiti remittere; quia facultas condonandi absolutè, & sine restrictione aliqua fuit cõcessa; vel si Dominus det facultatẽ cõdonandi debitũ cũ quadã conditione, nẽpè si Oeconomus agnoscat debito- 62

Secunda ratio.

bitorem esse pauperem, tunc cognita paupertate, poterit Oeconomus, & totū, & solam partem debiti remittere; quia conditio, seu limitatio illa paupertatis, cuius intuitu concessa fuit facultas remittēdi, reperitur etiam in conditione solius partis. Cæterum si Oeconomus in debitore non inveniat qualitatem illam paupertatis, non poterit, neque totum, neque partem debiti condonare; nam facultas fuit illi concessa stante conditione paupertatis, qua non posita, nulla remanet facultas in Oeconomo: hoc ipsum euenit in casu nostro; nam habens communicatam facultatem dispensandi in votis, eam non habet absolutè, sed cum limitatione, seu conditione imbibita in natura dispensationis; nimirum si inueniatur caussa sufficiens in vouente; proinde tali caussa non posita, in Delegato nulla censetur esse facultas ad relaxandum votum, aut ad illud commutandum.

63 *Tertia ratio.* Tertio, quando argumentum à maiori ad minus valet affirmatiuè, valebit etiā negatiuè à maiori ad maius. V. G. si quis dicat: Petrus potens est soluere centum aureos, ergo potens est soluere quinquaginta, recta erit illatio ista affirmatiua; & ideo recta erit hæc alia negatiua: non potest soluere quinquaginta, ergo neque centum, illud enim minus est vera pars illius maioris, & sub illo continetur: at cum ex negatione potestatis ad commutandum non valeat illatio ad negationem potestatis ad dispensandum, neque valebit affirmatiuè à potestate dispensandi ad potestatem commutandi; quia si alicui auferatur potestas commutandi, non censetur ablata potestas dispensandi, vt probat *Nauar. loco citato.*

64 *Quarta ratio.* Quarto, priuilegia etiam quamtumuis sint fauorabilia nequeunt extendi vltra verborum proprietatem; igitur potestas dispensandi licèt fauorabilis, tamen non est extendenda ad commutandum, quæ neque in communi modo loquendi, neq; in verborum proprietate comprehenditur sub dispensatione. Hæc, & quædam alia affert *Sanchez* ad suam sententiam confirmandam, & *disp. cit. de matr.* soluere conatur oppositas rationes.

65 *Opinio Merollæ.* Alia sententia adduci poterit, nimirū ea, quam ponit *Merolla in sua theol. moral. tom. 2. disp. 4. cap. 6. dub. 2.* qui licèt absolutè loquēdo *coral. 5. n. 98.* sequatur hanc secundā sententiam; tamen eā modificans *nu. 104.* ait, quod habens delegatam potestatem dispensandi poterit partim dispensare, & partim commutare; & ratio est præsumpta voluntas concedentis, quæ censetur delegare potestatem dispēsandi quoad meliorem, & tutiorem modum vsitatum in Ecclesia; melior autē, & tutior modus visitatus est, miscere commutationem cum dispensatione, & sic negat principaliorem rationem esse illā, quam dant Authores primæ opinionis, nempe partialem cōmutationem claudi in dispensatione tamquā partem in toto.

Hæ sunt opiniones, quæ in hac re patrocinantur, superest, vt quid probabiliùs à nobis censetur, in mediū afferamus.

Dico igitur, sententiam primo loco relatam probabiliorem mihi videri; proinde assero, qui habet potestatem delegatam dispensandi in votis, posse vi eiusdē potestatis vota commutare. Ducor ad hoc amplectendum rationibus allatis in fauorem illius opinionis, quæ si accuratiùs perpendātur, veritas nostræ sententiæ clariùs apparebit; quod præstabimus soluentes, & simul impugnantes rationes contrarias. 66 *Ab Authore defenditur prima sententia.*

Ad primū igitur concedimus, dispēsare, & cōmutare esse diuersos actus, & addimus differre sicuti includens ab incluso; & ab aduersarijs esset probandum, cōmutationem non comparari ad dispensationem tamquam partem ad totum; atque adeo regulam illam iuris *Cui licet quod est plus, &c.* non posse nobis suffragari. 67 *Commutare, & dispensare differunt sicuti inclusū ab includēte.*

Ad secundum respondeo incipiens ab illo exemplo, quod affert Sanchez de facultate Oeconomo concessa ad totum debitum alicui remittendum; & quia exemplum istud duobus modis proponitur; idcirco vtroque modo est ponderādum, & si primo modo spectetur, nihil suffragatur aduersarijs; quia nulla est paritas inter facultatem remittendi hoc pacto concessam, & facultatem dispensandi; nam facultas dispensandi est talis, vt secundùm genus suum considerata necessariò requirat caussam in dispēsando, vt omnes fatentur, & absque caussa erit inualida: at facultas illa remittendi totum debitum, nisi aliud limitationum addatur, nullam requirit caussam ex parte debitoris, sed satis erit voluntas Oeconomi, cui potestas data est; & ideo facultas ista potiùs assimilatur potestati irritādi vota, quàm potestati dispensandi; quia potestas irritandi non postulat caussam ad valorem irritationis, sed sufficit volūtas illius, in qua potestas irritandi inuenitur; si autem secundo modo proponatur exemplum, vt de facto ponitur ab eodem Sanchez, nimirū si detur facultas Oeconomo non absolutè, sed cum limitatione, seu conditione, videlicet posita paupertate ex parte debitoris; tunc aio, esse paritatem inter hanc facultatem, & eam, quæ datur ad dispensandum; sicuti enim 68

Oeco-

Oeconomus nequit remittere totum debitum, nisi posita paupertate in debitore; ita habens potestatē dispensaudi nequit remittere obligationem voti, nisi posita sufficienti, & proportionata caussa in ipso vouente; sed ex hoc nihil contra nostram sententiam concludi potest, quod sequenti discursu ostendam.

68 *Impugnatur exemplū Sanchezao modo, quo ab ipso ponitur.*

Motiuum adæquatum prioris facultatis circa debiti remissionem est impotentia debitoris ex paupertate proueniens; paupertas autem illa, & impotentia ex illa resultans poterit esse totalis, per quam debitor constituatur omnino, & totaliter impotens ad soluendum non solùm totū, sed etiam partem debiti; poterit etiam paupertas, & impotentia subsequens esse partialis, per quā ipsemet debitor sit impotens in ordine ad totum debitum, potens verò in ordine ad partem; sicuti igitur totalis paupertas, & totalis impotentia est motiuum ad relaxandum totum debitum, ita etiam & partialis impotentia, nisi aliud costet de mente creditoris, erit motiuum ad remittendam partem illam, ad quam debitor est impotens. Dixi nisi aliud constet, quia hoc nō constante præsumptio erit in fauorem debitoris, quatenus prudenter præsumi debet, quod creditor, qui ex motiuo paupertatis delegauit potestatem suo Oeconomo ad remittendum totum debitum; sic ex eodem motiuo voluerit dare potestatem ad remittendam partem illius debiti, si in debitore inueniret impotētiam ad partē hanc, neque verisimile censendum est, motiuum conferendi hanc potestatem fuisse solùm omnimodam paupertatem, & impotentiam consistentem in indiuisibili, ita vt potentia ista etiam si deficiat in minima parte debiti, censeatur corruere potestas Oeconomo concessa, V.G. si debitum esset centum aureorum, & posset debitor soluere nonaginta nouem tātùm, & non centum, corrueret potestas in Oeconomo ex defectu illius minimæ partis, sanè hoc est incredibile; proinde nisi in concessione potestatis hoc exprimatur, nullo pacto præsumendum erit. & ex his patet fundamentum istud, quod maximi faciunt aduersarij, nihil contra nos vrgere.

69 *Concedens potestatem ad dispensandum potest denegare facultatem ad commutādum.*

Ad tertium dico, quod sicuti vtraque potestas dispensandi, & commutandi dependet à libera concedentis voluntate, ita similiter earumdem potestatum ablatio, & ita ad sui beneplacitum poterit cōcedens velle solùm communicare, & delegare potestatem ad dispensandum, & expresse denegare facultatem ad cōmutandum, quia totum hoc ab ipsius voluntate adæquatè dependet; & sic etiam poterit vnam, & non aliam auferre, sed dum hoc non explicat, & absolutè concedit potestatem ad dispensandum, censetur in tali potestate inclusa facultas ad commutandum, & hoc est, quod à nobis sustinetur; cum autem in argumento dicitur ex negatione potestatis ad commutandum non inferri negationem potestatis ad dispensandum, respondeo, vniuersaliter hoc asseri non posse, quia est attendendum motiuum, quo ducitur Superior ad auferendam potestatem; si enim motiuum erit tale, vt etiam locum habeat in facultate dispēsandi, vtraque intelligeretur ablata V.G. si quis præcipitanter, & absque prudentia in hoc negotio se gerat tum in commutando, tum etiam in dispensando, tunc licèt explicitè reuocetur facultas commutandi, tamen, quia motiuum reuocationis est vniuersale, se extēdet ad facultatem dispensandi; in tali enim casu intentio Superioris non est restricta ad casum specialem, nempè ad commutationem vt sic, sed respicit vniuersaliorem rationē, videlicet ne Delegatus ampliùs se ingerat in exercenda potestate cōmunicata circa vota, quamuis reuocatio explicetur in facultate commutandi, & ita vtraque potestas erit ablata; sed quia interdum poterit euenire, vt solum motiuū militet in facultate commutandi, tūc verum est, non valere illationem V.G. si cui commissa est potestas ad vtrumque faciēdum, non habeat peritiam sufficientem ad attingendam æqualitatem requisitam ad commutationem, & ideo in hoc sæpe erret, & decipiatur, at in dispensatione habeat sufficientem scientiam, & prudētiā ad inueniendā caussam proportionatā pro dispēsatione; tunc motiuū ad tollendā facultatē cōmutandi satis non esset ad tollendam potestatem dispensandi paritas autem illa, quam pro se affert Sāchez ad probandum argumentum valere in solutionibus à maiori ad minus affirmatiuè, & à minori ad maius negatiuè; nihil prorsus efficaciæ continet, nam potentia, & impotentia ad soluendum est physica, & ex natura rei, & id, quod in hoc genere tamquam minus continetur sub maiori, est ex natura rei, & non dependet à voluntate hominis: at in casu nostro, id, quod est minus includi, aut non includi in eo, quod est maius, potest dependere à voluntate alterius, nam, vt dixi, Superior pro suo beneplacito potest communicare suā potestatem alteri, & absolutè, & cum illa modificatione, & limitatione, quæ sibi placuerit; atque adeò poterit concedens facultatem ad dispensandum excludere potestatem ad commutandum, quamuis sit minor, & veluti pars dispensationis; at si non

Dum absolutè cōcedit potestatē ad dispensandū, si aliud nō exprimat, intelligitur dare potestatem ad commutandū.

Ex ablatione facultatis ad cōmutandum interdū cēsetur ablata potestas dispēsandi, interdum verò minimè.

si non excludat, intelligitur vtraque potestas communicata.

71 *sententia vtheris priuilegium non extenditur vltra verborum proprietatẽ.* Ad quartum dicimus, in nostra sententia non extendi priuilegium hoc vltra verborum proprietatem; & quamnis extenderetur, nullum inconueniens esset; nam leges, & priuilegia, quæ sunt fauorabilia, & odium non continent, vt dicũt Authores in materia priuilegiorum, sunt extendẽda: quod autem non ampliemus facultatem dispensandi vltra verborum proprietatem, probatur; quia, vt ostendimus *ex regulis Iuris, Cui licet, quod est plus, licitum erit, quod est minus.* quemadmodum si Pontifex concedat alicui tempore quadragesimali posse comedere carnes, absque dubio cõcessa intelligitur comestio lacticiniorum; quia hoc est minus; ideoque implicitè continetur in illo; sic, vt probanimus, commutatio tamquã quid minus continetur in dispensatione.

72 *Corollarium sententia authoris.* Ex his omnibus, quæ hactenus à nobis exagitata sunt, patet veritas nostræ sententiæ, videlicet rectam esse illationem à potestate dispensandi ad potestatem cõmutandi; & ideo, qui habet priorem facultatem delegatam, habere etiam, & secundam, quia hæc tãquam quid minus in eadem linea, seu genere comprehenditur sub illa tamquam sub maiori. Et hæc dicta sint pro ampliori doctrina.

SECTIO X.

An Priuilegium commutandi vota in hac Bulla concessum, etiam ad iuramenta extendi valeat.

73 QVæsitum procedit solùm de facultate delegata, qualis illa est, quæ per hanc Bullam Cruciatæ Confessarijs in gratiam pœnitentis communicatur, & locum etiam habere potest de priuilegijs similibus, quæ per Iubileum, & quæ Religiosis pro sæcularibus conceduntur; non autem procedit quæsitum de facultate ordinaria, quæ residet in habentibus spiritualem iurisdictionem in foro externo, vt sunt Summus Pontifex, Episcopi, & Prælati regulares pro suis subditis; nam certum est, in his esse potestatẽ tum ad vota, tum ad iuramenta soli Deo præstita commutanda. Restringendo autem quæsitum ad facultatem delegatam, & ad eam, quæ per hanc Bullam confertur, multa veniunt dilucidanda, quæ maioris claritatis, & distinctionis gratia in sequentibus paragraphis comprehendimus.

(: § :)

§. I.

An Iuramenta absque voto emissa per hanc Bullam validè commutentur.

SVpponimus, iuramentum aliquod in honorem Dei, aut alicuius Sancti V.G. iuramentum ieiunandi fieri posse absolutè, & sine relatione, & connexione cum voto, & cum respectu ad votum. in hoc autem paragrapho agimus de iuramentis, quæ sub priori forma emittuntur; acturi postea de illis sub posteriori modo; quærimus ergo, an Titius iurans ieiunium in honorem B.V. & nullum emittens votum de eodem ieiunio, possit vtiliter virtute priuilegij Cruciatæ commutationem prædicti iuramenti à Confessario petere. 74

75 *Negant alij.* Partem negatiuam docet *Nauar. in summ. capit. 27. num. 275. vers. Decimo sexto* loquens de facultate, quam Confessarius habet ad dispensandum in voto, quamuis *lib. 2. consil. titul. de iure iuran. in prima edit. consil. 1. num. 3.* oppositum asserere videatur, dum ait, certum esse, per Iubileum, siuè per Bullam Cruciatæ posse relaxari iuramentum emissum non ludendi alea sub pœna adeundi Hierosolymam. In eadem sententia est *Azor. tom. 1. libr. 11. capit. 10. quæst. 2. Petrus Ledesma in sum. tom. 2. tractat. 11. cap. 4. differ. 4. Barth. l. à Sancto Fausto in thesaur. libr. 4. quæst. 41. Emanuel Sa. in aphor. verb. Iuramentum num. 32. in 2. impressione correcta, & verb. votum num. 16.* licèt in prima oppositum docuerit. *Ludouicus à Cruce in Bullam disp. prima cap. 6. dubitatione 5. num. 2.*

76 *Alij sequuntur partem affirmatiuã.* Alia opinio extremè opposita affirmat, & ait, facultatem delegatam commutandi vota, extendi ad iuramenta. ita *Suarez tom. 2. de religion. libr. 6. cap. 14. num. 6. Basilius Pontius libr. 8. de matrim. cap. 11. num. 4. & 5.* loquens de potestate delegata ad dispensandum in votis. *Henriquez libr. 7. capit. 30. num. 5. Sanchez libr. 8. de matrimon. d. 2. num. 18. & in sum. lib. 4. capit. 53. num. 8. Castro Palaus tom. 3. de relaxat. iuram. disp. 3. p. 1. num. 6. Merolla tom. 2. disputat. 4. cap. 6. corol. 6. num. 107. Rodriquez in Bullam §. 9. num. 110. Trullench in Bullam libr. 1. §. 7. cap. 3. dubitat. 2. num. 3. Diana parte prima tract. 11. resolut. 41. & alij apud ipsos.*

77 *Recipitur ab Authore hæc secunda sententia.* Dicendum est cum hac secunda sententia affirmatiua, quæ varijs argumentis à suis Sectatoribus suaderi solet; & primo probant ex *regula illa Iuris in 6. Cui*

licet

licet, quod plus est, &c. at maius est vinculum voti, quàm iuramenti; & ideo qui potestatem habet commutandi illud, habebit etiā potestatem cōmutandi istud; sed hæc ratio non valet, quia regula illa militat, quando minus continetur in eo, quod est maius tamquam pars, vt supra diximus: at vinculum iuramenti non est pars, neque continetur in vinculo voti: proinde ratio ducta ex regula iuris non rectè probat intentum. secundo probāt, quia, & si iuramentum non sit pars voti, neque in illo includatur; tamen in iuramento, quod Deo, & non hominibus fit, virtute includitur votum: quia tale iuramentum continet promissionem Deo factam; & ideo licèt non sit concessa potestas directè ad commutanda iuramenta, nihilominus indirectè habetur per facultatem commutandi vota: proinde dum vi huius potestatis commutatur votum implicitè inclusum in iuramento, corruet ipsum iuramentum. at neque ratio est efficax: nam quamuis eam admitteremus in ordine ad iuramentum, in quo comprehenditur votum; tamen cum dentur nonnulla iuramenta de re in futurum facienda, quæ promissionem minimè includunt, vt ostendit *Sanchez in Sum. lib. 3. cap. 9. à nu. 4. Suarez lib. 2. de iuram. cap. 1. à nu. 11. & cap. 14. nu. 1. & deinceps*; idcirco ratio prædicta non erit vniuersalis.

78 Tertio probatur, quia, quod est dispositum in vno ex æquiparatis, censetur dispositum & in alio, vt habetur *ex l. tantū. §. De seruo. Cod. De furtis*, & asseritur *à Glos. in cap. Si post quam, verb. confirmatione. de elect. in 6.* & in ordine ad hoc priuilegium commutandi votum, & iuramentum æquiparantur, quia per vtrūque homo Deo se obligat, & soli Deo acquiritur obligatio. ergo quod disponitur in vno, habetur vt dispositum in altero: sed ratio ista desumpta ex illo generali principio non placet Suario, quia, vt ipse inquit, non videtur efficax: nam licèt in iure tale principium admittatur, nihilominus nonnullas patitur exceptiones; & addit, negari posse, iuramētum, & votum circa eamdem materiam, etiam in ordine ad vsum moralem, & ad dispensationem, seu commutationem æquiparari, quia, vt aliqui censent, reseruatio voti in aliqua materia non extenditur ad iuramentum reseruandum, & fractio voti nō includit fractionem iuramenti, vel è cōuerso; & ideo neque potestas commutandi vota se extendet ad iuramenta. Hæc igitur, & similia objicit Suarez ad probandam insufficientiam huius rationis ex æquiparatorum regula desumptæ; & ideo ad suadendum intentum recurrit ad præsumptam voluntatem, & intētionē concedentis, idque confirmat ex communi existimatione, secundùm quam iuramenta hæc tanquam vota reputantur; & ait, hoc habere fundamentum in iure, quod probat afferens quosdam textus canonicos, & nonnullos authores.

Ceterum ratio, & fundamentum istud, cui Suarez adhæret, quamuis non displiceat; tamen desumitur ex regula æquiparatorum, quam ipse, vt vidimus in hoc casu, noluit approbare vt efficacem: aio igitur, regulam, seu principium illud generale æquiparatorum nō esse tamquam inefficax contemnēdum, sed rectè explicandum, & præsenti materiæ accomodandum, quia & si iuramentum, & votū in omnibus non æquiparentur; attamen in ordine ad obligandum hominem Deo, & in ordine ad dispensationem, seu commutationem sunt æquiualentia, vt ipsemet *Suarez* fatetur *eo capite nu. 11. 12.* imò in hac æquiualentia fundat hanc opinionem. concludendo autem dico: cum ex vna parte iuramentum, & votum in ordine ad obligationem ponendam, & auferendam paria sint, quatenùs non respiciunt nisi solum Deum vt creditorem, & soli ipsi Deo hominem obligent; & cū Deus, & Sacerdos loco Dei remittit hanc obligationem, vel eam commutat, perindè existimabitur ex quocumque capite ipsa obligatio prouenit siue ex iuramento, siue ex voto; neque res illa, quæ promittitur per votum, sortitur rationem maioris boni, quàm si promittatur per iuramentum, vel è conuerso. ex alia verò parte facultas commutandi vota, quæ in hoc diplomate conceditur, est latè sumenda, vt diximus *p. 1. tract. 1. cap. 5.* quia nullum continet odium, sed purum fauorem, & Principis beneficium: proinde extendi potest ad ea, in quibus eadem militat ratio, ac in votis, nempè in iuramentis. 79

Probatur illa clausula ex regula æquiparatorum.

Objicies pro prima sententia: votum, & iuramentū sunt diuersæ speciei, proinde diuersam pariunt obligationem. igitur facultas circa vota non est amplianda ad iuramenta. 80

Obiectio

Respondeo. Ratio, quæ primò, & per se respicitur à facultate ista, non oritur immediate ex ratione specifica, & peculiari ipsius voti, sed ex quadam ratione cōmuni voto, & iuramento, nempè ex promissione, seu voluntate offerendi Deo aliquod obsequium in honorem ipsius Dei, & licèt exemplificetur in voto, tamen, quia ratio concedendi facultatem istam locum habet etiam in iuramentis; ideo ad iuramenta extenditur, quamuis non ex- 81

Votum, & iuramentum soli Deo ... ne ad ... sub ... deq; ...

exprimantur,& possemus ad hoc confirmandum varia afferre exempla, v.g. facultas, qua indulgetur clerico Beneficiario ad lucrandos fructus præbendæ in absentia, ad hoc vt sacræ Theologiæ operam det, extenditur ad studium legis canonicæ, quia hę duæ scientiæ æquiparantur in iure:& sic docet *Panorm. Felinus in cap. fin. De magistris; Nauarr. in Manuali cap. 25. n. 58. & alii.* Rursus priuilegium comedendi oua in diebus prohibitis cõprehendit lacticinia; quia eadem in vtroque est ratio,& sic in multis alijs similibus. ad argumentũ igitur negãda est cõsequẽtia.

82 *Secũda obiectio.*

Obiicies secundò. Licèt priuilegiũ hoc fauorem,& nihil odii contineat; tamen nõ debet ampliari vltra verborũ proprietatẽ, vt colligũt Doctores *ex cap. Porro. De priuilegijs.* & ideo cum iuramentum non sit votum, si facultas circa istud extenderetur ad illud, egrederetur verborum proprietatẽ,& huius priuilegij terminos.

83 *Iuramẽtum, & votũ quãuis specie differant, sub eadem ratione respiciuntur à facultate commutandi.*

Respondeo, doctrinam hanc verificari, quando non habemus eãdẽ æquiparantiam; idcircò cum in voto, & iuramento, vt ostensum est, in ordine ad effectum cõmutandi,& dispensandi eadem militet ratio, inde est, vt rectè asseramus, per facultatem circa vnũ comprehendi & aliud, non obstante eorũ specifica diuersitate.

84 *Tertia obiectio.*

Obiicies tertiò textum *in cap. Cui. De Preb. in 6.* vbi statuitur, facultatem concessam ad prouidendũ de beneficio pinguiori, non extendi ad prouidendum de beneficio minùs pingui; ergo multò magis potestas commutandi vota nõ est amplianda ad commutanda iuramenta, cũ hæc duo inter se quoad vinculum obligationis vel parùm, vel nihil differant.

85 *Solutio.*

Respondeo, in eo loco esse sermonẽ de mãdatis, quorum tenores strictè, & diligenter sunt seruandi; non autem loqui de facultatibus commutandi, seu dispensandi, quæ amplam admittere possunt significationem: sic respondet *Nauarr. q. 3. de redit. Mini. 10.*

86 *Obiectio quarta.*

Obiicies quartò. Quando Pontifex vult concedere facultatẽ ad votum, & etiã ad iuramentũ cõmutandũ, vel dispẽsandũ, vtrũq; exprimit, vt patet ex ampliatione priuilegii Pauli III. facta in fauorẽ Societatis IESV, dum extendit facultatẽ commutandi vota, etiam ad iurata, vt refertur in compendio nostrorum priuilegiorum, *verb. commutatio* §. 1. ergo cum in hoc priuilegio solùm de voto mentionem faciat, signum est eius intentionem non se extendere ad vtrumque.

87 *Aliqua priuilegia pro maiori securitate conscientiæ dantur.*

Respondeo primò. Multa priuilegia concedi solent pro maiori securitate cõscientiæ,& præsertim quando hinc inde sunt contrariæ Doctorum sententiæ, vel

Franc. Bard. in Bull. Cruc.

interdum pro maiori claritate.

Respondeo secundò ad id, quod dicitur de priuilegio concesso Cõfessariis nostræ Societatis, sermonem esse non de iuramento principaliter,& absolutè elicito, sed de illo, quod fit ad confirmanda vota, quod duplex vinculum circa eamdem rẽ inducitur;& ideo posset esse aliqua forsitã maior dubitatio, de qua mox dicemus.

§. II.

Quid sentiendum quando votum, & iuramẽtum simul concurrunt absolutè, & sine connexione.

Dupplici modo concurrere inuicem possunt votum, & iuramentũ eiusdem personæ circa eamdẽ rẽ: primò merè concomitanter, ita vt vnum non sit emissum in maiorem alterius vinculi firmitatem, seu accessoriè ad illud, sed absolutè, & per se absque vlla connexione, quam inuicem habeant, vt si quis: v.g. voueat ieiunium,& postea statim iuret ieiunium illud seruare, aut vice versa priùs iuret,& postea voueat, tunc duobus vinculis per se vouens esset adstrictus: secundò potest iuramentum emitti in confirmationem; & tunc ipsum iuramentum accessoriè se habebit ad votum,& modus iste, vt aduertit Suar. cõmuniter est vsitatus,& de vtroque modo est nobis agendũm: in hoc autem paragrapho erit sermo de voto, & iuramento concomitanter se habentibus; de posteriori autem modo in sequenti loquemur. 88 *Duplici modo emitti potest ꝓ cõfirmãda re promissa per votum.*

Prima igitur opinio est negatiua, videlicet non posse virtute Cruciatæ commutari iuramentum,& votum simul concurrentia absque subordinatione vnius ab alio,& ita tenẽt *Rodriq. in Bullam* §. *9. n. 110. Lessius lib. 2. de iust. cap. 42. dub. 12. n. 60. Sanchez De matrim. lib. 8. d. 2. num. 23. in sum. lib. 4. cap. 53. num. 20. Sayrus in claui Reg. lib. 5. cap. 8. num. 9. Azor. tom. 2. lib. 11. cap. 10. quæst. 2. Henriq. lib. 7. cap. 30. n. 5. in com. lit. T. Sorbus in compend. priuil. Mẽdic. verb. Absolutio quoad fratres, & sæculares in annotat. concl. 8. Ludouic. à Cruce in expos. Bullæ disp. 1. cap. 6. dub. 6. num. 6. Fagundez in decalog. lib. 2. cap. 50. num. 13. ver. Si verò.* Fundamentum autem huius opinionis est, quia dum concurrunt duo vincula, & vnum non dependet ab alio, nec est illi accessorium, fortiùs ligant, quàm si esset vnum tantùm: at priuilegium Cruciatæ vnum dumtaxat respicit vinculum; ergo non poterit se extendere ad tollendam, seu commutandam obligationem, quæ in duplici vinculo fundatur. 89 *Putant aliqui, non posse vi Cruciatæ commutari rẽ promissam ex voto, & iuramento simul concurrentibus in rem ipsam.*

90 *Alii opinionem tuentur affirmatiuam.*

Secunda sententia oppositum sustinet, videlicet per hanc Bullam commutari posse votum, & iuramentum circa eamdem rem, simul, & absque subordinatione vnius ad aliud concurrentia. ita *Suar. lib. 6. de voto cap. 14. num. 19. Basilius Pōtius lib. 8. de matr. cap. 11. in tertia ampliatione Castro Palaus tom. 3. disp. 3. p. 1. num. 5. Trullenchin Bullam lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 3. & in decal. lib. 2. cap. 2. dub. 23. num. 5. & dub. 41. num. 12. Emanuel Sa in 1. impressione ante correctionem, verb. Voti irritatio. 16. & alii.*

91 *Hæc secunda opinio placet Authori.*

Dicendum est primò cum hac secunda sententia, quam etiam aduersarii probabilem existimant. Probatur autem cōclusio; quia vnum vinculum ob alterius coniunctionē non mutat suam naturā; & ideo si est cōmutabile vi priuilegij, quando solum reperitur, remanet eodem modo cōmutabile, dum per accidens, & sine vlla connexione est alteri coniunctum, à quo maiorem non habet firmitatem, cū nulla inter ipsa vincula supponatur connexio; proinde si seorsim accepta manēt in tota latitudine obiecti huius facultatis, manebunt etiam, dum simul concurrunt absque connexione inter se, vt patet in similibus, nempè in facultate delegata absoluendi à censuris, quæ siue diuisim, siue coniunctim concurrant, non impediunt, quin ab habente facultatē illā auferātur, vt fusiùs ostēdimus infra soluēdo obiecta.

92 *Commutatio bifariam fieri potest.*

Dicendum est secūdò. Cōmutatio ista potest duplici modo fieri; vel cōmutando priùs vnū vinculum, postea verò aliud per duos distinctos actus, incipiēdo à quo Confessarius voluerit, siue à voto, siuè à iuramento; vel poterit etiam talis cōmutatio fieri vnico actu, seu vnica cōmutatione, quæ directè feratur in illud vinculum, quod est principalius, idest primariò fuit intentū: v. g. in votū, & indirectè in iuramentum, vel è conuerso, si iuramētū fuerit primò intentū; vel deniq; directè, & immediatè in vtrumque vinculum.

93 *Argumenta adducta à Sanchez pro opinione negatiua.*

Sed obiicies. Quamuis demus per Bullam conferri Confessario facultatem cōmutandi vota, & iuramenta, nihilominus non communicatur potestas ad commutandum vtrumque coniunctim; quia potestas ad commutandum vtrumque diuisim est diuersa, & minor potestate ad commutandum vtrumque coniunctim; nam duo vincula simul concurrētia fortiùs ligant, quā diuisim sumpta. Ex confirmatur à pari: dū enī cōcurrūt duo impedimēta ad contrahendū matrimoniū, quia strictius habetur vinculum impediēs; idcirco solutio est difficilioris dispensationis, vt latè probat *Sanchez lib. 8. de matr. disp. 23. à n. 2.* quemadmodū etiā in rebus physicis dici solet, virtus vnita est fortior se ipsa dispersa; & totum hoc confirmat Sanchez *l. c. adducens tres textus ex iure canonico, nempè cap. Ex tuarum. De auctorit. & vsu Pallii cap. vnico. De treuga, & pace, cap. Pastoralis. De priuileg.* Rursus confirmat ex eo quod absurdum videtur admittere, validam esse dispensationem laborantis octo impedimētis dirimentibus decepto Pōtifice petitis seorsim octo dispensationibus ab ipso; quia facillimè concederet Pontifex dispensationes istas octo personis, & nō vni tantū personæ. Hæc, & alia dicit Sāchez ad probandū, inualidā esse dispensationē circa vnū impedimentū ad contrahendū matrimoniū tacito illo impedimento simul concurrente, & *in sum. l. c.* volens probare, non posse vi facultatis delegatæ ad cōmutanda vota cōmutare aliquod votū, si cum illo simul iuramentū concurrat cadens nō supra votū, sed supra materiam promissam per votū, affert paritatem desumptā ex dispensationibus pro matrimonio contrahendo, in quibus debet simul vtrumque impedimentum manifestari; & ideo se remittit ad ea, quæ *disp. 23. de matr. dixerat.*

Præterea addit, quod si duo concurrūt impedimenta, quorū vnū tolli potest ab Episcopo; aliud verò à solo Pontifice, non posse ab Episcopo tolli illud primū impedimentum propter concomitantiam alterius impedimēti manifestādi & tollēdi. 94

Potestas ad commutandi votum, & iuramentum per se concurrentia, maior est, per quam commutatur votum, & iuramentum ordinata ipsi voto.

Respondeo negando, potestatem ad commutandum votum, & iuramentum simul coniuncta, & per se stantia absque subordinatione vnius ad aliud esse maiorem potestate ad commutandum votū, & iuramentum, quando non sunt coniūcta. sicuti si quis facultatē habeat absoluēdi fideles ab excōmunicationibus Pōtifici reseruatis, sine dubio posset ex vi huius facultatis absoluere aliquem innodatum duplici, vel triplici excommunicatione, non obstante coniunctione; & hoc propter eamdem rationem; nam coniunctio vnius excommunicationis cum alia nō facit, quin illa facultas delegata ad omnes Pontificias excommunicationes non extendatur quomodocumque se habeat; neque talis coniunctio caussat nouam, & maiorem reseruationem ea, quàm ipsæ excōmunicationes habent diuisim acceptæ; proinde manētes cū eadē reseruatione, supra quā concessa fuit facultas, censentur adhuc manere intra latitudinem obiecti prædictæ facultatis: sic semel concesso, quod facultas, quæ datur ad vota, extendatur ad iuramenta soli Deo facta, non potest efficaci ratione ostendi, per eamdem facultatem cūmutari nō posse,

quan-

quando modo exposito simul concurrāt.

Ad confirmationem dico, esse in quæstione positum, an quando duo concur-
95 runt impedimenta ad contrahendum matrimonium, vtrumque per eamdem petitionem sit necessariò exponendū; an verò satis sit per duas; sed quamuis, cū sententia, quæ hodie ex stylo Curiæ practicatur, dicamus, vtrumque impedimētum in eadem petitione esse exprimendum, aliter nulla esset dispensatio, ex hoc autem nihil contra nos: quia ex hoc sufficienter non probatur aliud, nisi esse exprimendum in casu nostro vtrumque vinculum, nempè votum, & iuramentum: & si dicas, in Bulla non dari facultatem in vtrumque coniunctim, quia coniunctim faciunt strictius vinculum, quā seorsim. respondeo, facta hypothesi, sub nomine voti comprehendi iuramentum, dico implicitè etiam concedi potestatem commutandi vtrumque simul concurrens, & illam strictiorem obligationē nō esse sufficientem ad tollendum ipsum coniunctū ab obiecto illius facultatis, vt ostendi potest paritate aliarum facultatum delegatarum in excommunicationem, alias cēsuras, & irregularitates.

Est in quæstione positū, an concurrētia plura impedimenta ad matrimoniū, in eadem petitione omnia sint simul explicanda. Ex stylo Curiæ, sunt hodie explicāda simul.

Demū si dicas, disparē esse rationē, quia
96 excōmunicationes sunt eiusdē speciei; proinde cōiunctionē pluriū excōmunicationū nō requirere aliā potestatē, præter eā, quæ datur ad absoluendū ab omni excōmunicatione, & sic de aliis censuris, & de irregularitate; earū enim cōiunctio facit maius solū extensiuè, non intensiuè: at votum, & iuramentum sunt vincula diuersæ speciei, & sic dum simul concurrunt, faciunt maius vinculum intensiuè.

Instantia in contrariū.

Contra est primò, quia nullum apparet fundamentum, ex quo colligatur, iura-
97 mentum emissū post votū facere obligationē intensiuè maiorē, cū per augmentū dumtaxat extensiuū totū hoc saluari posit, & maximè, quia iuramentum non fit ad magis firmandum votum, sed per se manet sine relatione ad votum.

Iuramentum emissum pro confirmatione voti non reddit vinculum maius intensiuè.

98 Contra est secundò, nā, vt rectè adnotauit Suar. votū, & iuramentū in ordine ad cōmutationē, & dispensationē omnino æquiparantur, & supra nos etiā ostēdim[a]. quapropter sub hac ratione considerata non diuersificantur. Ad illud verò physicū axioma, scilicet *virt[us] vnita fortior &c.* aio, nihil aduersariis suffragari, quia axioma illud verificatur de qualitatibus habētibus graduale latitudinē, vt est v.g. calor, frigus, quorū gradus, quādo sunt vniti, fortiùs: at quādo sunt dispersi, remissiùs agūt. illi autē tres textus canonici, quibus Sanchez intēdit suā opinionē cōfirmare, perperā adducuntur; & miror à Sāchez viro alioqnin oculato textus illos in hunc finē afferri, cū prorsus nihil contineāt in fauorē sententiæ, quā ipse defendit. nā *in c. illo: Ex tuarū.* nihil aliud habetur, nisi facultas concessa à Celestino III. quoad vsum Pallij extra propriam Diœcesim in gratiā Archiepiscopi Cōpostellani ob causā specialē ibi narratā *in c. Pastoralis. De priuil. declarat Innoc. III.* quod religiosi illi, quib[us] Sedes Apostolica indulsit, vt Ecclesias suas in proprios vsus conuertere possint, id nō faciant incōsulto suo Episcopo. demū in *c. vnico De treg. & pace*, licèt afferatur dictū illud Ecclesiastæ, nēpè *funiculus triplex difficilè rumpitur.* hinc S. Thom. & Sāchez occasionem arripuere ad confirmationē suæ opinionis, videlicet votū, & iuramentū simul cōcurrentia strictius esse vinculū, ac forti[us] ligare, & cōsequenter difficiliùs; tamē si attendamus intentionē Pontificis ad referēdū hoc dictū, nihil inueniemus, quod prædicto auctori faueat; nā noluit Pōtifex mediantè sententia illa Ecclesiastæ significare, quod si Episcopi mutuò se adiuuent cōsilio, & auxilio, faciliùs compescent inobedientes, frangētes treguā, quā certis tēporibus præcepit ibi ipse Pontifex. ex hoc autē non percipio, quo pacto iuramētū, & votū simul faciāt intensiuè strictius vinculū; & si respōdeatur, colligi ex eo quod se habent tāquā funiculi, qui dū vniuntur, difficiliùs rūpūtur, hoc est soluuntur: si inquā ita respondeatur, vel nullum, vel valdè leue robur habebit confirmatio, quia sistendo in metaphora ista de funiculis, inueniemus disparitatem; nam funiculi non vniuntur sine relatione vnius ad alium, sed ita, vt vnus reddat alium magis resistitiuum: at iuramentum adueniens post votū emissum stat per se, vt hic supponimus, sine vlla relatione, aut subordinatione ad votum, & è conuerso; & ideò paritas non est ad rem; potiùs autem vim haberet, quando iuramentum emitteretur ad firmandum votum, de qua re paragrapho sequenti.

In ordine ad cōmutationē votum, & iuramentum æquiparātur.

Axioma illud, nēpè virtus vnita fortior, verificatur in qualitatibus habētibus latitudinem.

Responsio ad textus canonicos allatos à Sanchez.

Ad aliam confirmationem ex absur- 99
do, quod sequeretur, si quis admitteret, validam esse dispensationem, si habens decem impedimenta dirimentia matrimonium, procuraret ab illis solui per decem dispensationes distinctas. respondeo: esto concedamus inualiditatem harum dispensationum nobis non aduersari, nihilominus, quia stylus Curiæ in dispensationibus circa matrimonium ita obtinuit, & cū hoc non sit ex natura rei, nō potest hoc ipsum ad alias res extendi.

Demum quod idem anthor addit de 100
habente duo impedimenta, ex quibus vnum subditur potestati Epis-

 copi,

copi; alterum verò esse Summo Pontifici reseruatum: & ideo dū simul concurrunt, non possunt ab Episcopo dispensari in illo impedimento ob coniunctionem cum hoc alio impedimento simul enarrato. respondeo, à Sanchez nō probari, non posse ab Episcopo dispensari in illo impedimento, quod secundùm se spectatum non excedit potestatem ipsius Episcopi; neque in hoc valet paritas de duobus impedimentis reseruatis simul concurrentibus, quæ sint talia, vt dispensatio in illis nequeat esse nisi à Pontifice: & ratio disparitatis est, quia in casu illo integrum impedimentum, in quod potest Episcopus, proponitur: at in ordine ad Pōtificem, si vnum tantùm ex illis duobus impedimentis in supplicatione, proponeretur, non manifestaretur integrum impedimentum in ordine ad potestatem ipsius Pontificis, & sic non est eadem ratio; paritas autem curreret, si duo essent impedimenta in ordine ad Episcopum; tunc enim si vnum tantùm exponeretur, & Episcopus in illo dispensaret, posset quis dicere, inualidam esse dispensationem, sicuti dicitur de dispensatione facta à Pontifice, quando vnum tantùm aperitur impedimentum.

Sanchez non probat impedimentum, quod potest ab Episcopo auferri, quādo est coniūctum cū impedimento papali non posse ab Episcopo tolli.

101 Ad fundamentum autem pro prima sententia initio à nobis adductum, respōpondeo, duo ista vincula, nempè votum, & iuramentum, dum simul circa eādē rē concurrunt, quando absolutè sumuntur, & sine subordinatione, non facere maius intensiuè, sed solùm extensiuè; atq; adeò non ligare fortiùs intensiuè, sed tantùm operari, vt eadem res pluribus vinculis sit affecta, quæ in ordine ad commutationē, seu dispensationem existimantur æquiparata, & eiusdem rationis.

§. III.

Vtrum per Bullam validè commutetur votum, si iuramento sit firmatum.

102 Alius modus, quo concurrere posset iuramentum, est, cum emittitur non tamquam absolutè, & per se stans, sed ad votum prius emissum cōfirmandum, & sic immediatè cadet non supra rem promissam; sed supra ipsum votum, ad quod accessoriè se habet: quærimus ergo, an vi Cruciatæ vota sic iurata commutari valeant.

103 Negant fieri posse talem commutationem omnes illi Authores, qui nolūt, facultatem delegatam commutandi vota extendi ad iuramenta, quos sectione antecedenti laudauimus, & expressè de iuramento firmante votum tenet *Azor. tom. 1. lib. 11. cap. 10. quæst. 20. ver. Alij tamen.* & fundamentum est illud superiùs tactū, nempè duo vincula simul iūcta esse quid maius, quàm sit vnum tantùm vinculum; votum autem iuratum duo inuoluit vincula. ergo est quid maius: proinde S. *Thom. 2. 2. q. 89. a. 8. ad secundum* ait, iuramentum voto adhiberi, vt per duas res immobiles maior firmitas habeatur. rursus si quis perpetuæ castitatis votum habeat, & addat iuramentum, nequit validè dispensari à Pontifice, si de solo voto mētionem faciat. denique confirmatur ex priuilegio, quod nostræ Societati concessit Greg. XIII. extendens priuilegiū datū à Paulo III. ad vota etiā iurata; si autem per priuilegiū cōmutandi vota per iuramentū cōfirmata, nō concederetur quid maius, extēsio Gregorij foret inutilis, quia vi primæ facultatis esset concessum totū id, quod includitur in illa extensione.

Aliqui negāt, posse per Bullam commutari iuramētum emissum *in confirmationem v[...]*

104 Sed alij partem affirmatiuam tuentur, inter quos est *Sanchez in sum. loco citato in superiore parag. Suar. lib. 6. de voto cap. 14. num. 14. Castro Palaus tom. 3. tract. 1. disp. 2. punct. 1. num. 3. Merol. tom. 2. disp. 4. cap. 6. num. 114. & plures alij.*

Aliqui affirmatiue respondent.

105 Dicendum est eum hac secunda sententia, quam probabiliorem existimo, eamq; probo hac ratione fundamentali. iuramē tum in casu posito est voto accessorium; proinde corruente voto, seu transmutato ex vna materia in aliam corruet, & iuramentum, quod est voto accessorium, & addo, quod si attendamus Summariū italicū res habebitur decisa, quia expressè datur facultas commutandi vota iurata his verbis (*Potrà ancora il detto Confessore commutare loro qualunque voto, benche sia iurato.*) Difficultas autem esse potest, an dum votum iuramento firmatum commutatur in aliam materiam, intelligatur etiam commutari iuramentum, ita vt cum voto transeat in aliam materiam. partem negatiuā amplecti videtur *Suar. cap. cit. num. 18. remissiuè ad superiorem tractatū lib. 2. cap. 36.* & hoc probat *ex cap. Clericus. De iure iur.* proinde videtur consequenter docere in commutatione voti iurati non commutari iuramentum, sed relaxari, cum nō patiatur translationem ex vna in aliam materiam. Cæterum addit, posse eum, qui commutat tale votum, nolle commutare, nisi vouens acceptet nouam materiam sub eadem obligatione voti iurati; & tunc iuramentum accessoriè transibit, & licèt explicitè de nouo non emittatur, nihilominus implicitè, & virtualiter emittitur, dum commutatio cum tali onere acceptatur. tandem concludit hunc commutationis modum non

non esse necessarium, sed posse simpliciter commutari votum; & tunc corruet iuramentum, quod accessoriè se habebat ad votum, pro vt versabatur in priori materia; atque adeo circa materiam subrogatam manere solum votum, & non iuratum. Hæc autem, quæ ex Suarez retulim' mihi placent, proinde ea absque difficultate amplectenda esse censeo.

106 Ad argumentum autem contrariæ sententiæ, respondeo: & ad primum dico, illa duo vincula, si sumantur absolutè absque subordinatione, non facere maius intensiuè, vt supra diximus; si verò sumantur cum subordinatione, & habitudine vnius ad aliud, vt de facto de his in præsentia loquimur, intensiuè fortiùs ligare; tamen cum vnum se habeat accessoriè ad aliud; ideò corruente principali corruere debet, & accessorium. sicuti in humanis, si quis alteri centum promittat, & ad promissionem firmandam iuramentum adhibeat; tunc si promissarius remittat, & & condonet promittenti promissionem factam, corruet iuramétum, quod illi promissioni accessoriè se habebat. quapropter licèt iuramentum adiectum ad firmãdum votum fortiùs etiam intensiuè liget vouentem, nihilominus, quia fortior ista obligatio prouenit ab aliquo accessoriè se habente, dissoluitur soluto principali. Ad auctoritatem S. Thomæ dico, iuramẽtum voto adhiberi, vt maior firmitas habeatur: at ex ista maiori firmitate nihil cõtra nos infertur, quia, vt dixi, est maior firmitas per adiectionem alicuius accessorij, quod omnino dependet in conseruari à suo principali, eiusque naturam sequitur: *Regula accessorium de reg. iur. in 6.* & communiter Doctores tum Canonistæ, tum iuris ciuilis periti, quos laudat *Barbosa. De axiomatibus verb. Accessoriũ, num. 1.*

Satisfit primo argumẽto in contrariũ.

107 Ad secũdum respondeo. Si quis emisit votum perpetuæ castitatis, & postea iuramento illud confirmauit, ita vt iuramẽtum accessoriè se habeat, tunc nulla etiã facta mentione de tali iuramento, sed solùm petita dispensatione voti, dispensatio esset valida, quia extincto voto iuramentum tamquam accessorium extinguitur. vt rectè notauit *Suar. lib. 6. cit. cap. 14. nu. 25. 26.* & approbat *Sanchez l. 4. sum. cap. 53. num. 22.*

Non obstante quod non fiat mentio de iuramẽto accessorio valida erit dispensatio voti.

108 Ad confirmationem desumptam ex priuilegio concesso nostræ Societati: aio, id esse ad maiorem declarationem, & cõscientiæ securitatem ob sententiarum varietatem.

109 Quæres hic obiter, an si quis petat facultatem ad dispensandum, seu commutandum vnum dumtaxat votum, cui est adiectum iuramentum, facultas illa extẽdatur ad vtrumque, & videtur quod non, quia per facultatem illam vnica tantùm dispensatio, seu commutatio concessa videtur, quæ tota versatur circa commutationem, & dispensationem voti, & sic non videtur se extendere posse ad iuramentũ: hanc dubitationem mouet *Suar. num. 26. cit.* & resoluit, probabile esse vitalis facultatis non posse directè, & votum, & iuramentum tolli; quia hoc modo plures deberent esse dispensationes, nimirum vna circa votum; alia circa iuramentum, & tamen facultas est ad vnicam dũtaxat dispensationem, seu commutationem, sed addit, in tali casu iuramentum indirectè tolli posse tamquam quid accessorium, & non per modum dispensationis, quæ solũ tota circa votum versatur; concludit demum esse probabile, per facultatem illam auferri posse iuramentum, quamuis non accessoriè, sed absolutè, & concomitanter se habeat ad votum. Hæc ex Suarez, circa quæ placet, quod docet de iuramẽto, quod se habet accessoriè: at quando se habet solùm concomitanter, & nõ accessoriè, & facultas est limitata ad vnicam tantùm dispensationem, seu commutationem, mihi videtur difficile posse per talem facultatem adeo restrictam directè tolli vtrumque vinculum, cum directa ablatio non vnicam, sed plures inuoluat dispensationes; & ideo in tali casu censeo, non posse vi huius facultatis vtrumque vinculum extingui, aut commutari.

Habens facultatem ad tollendum vnũ tantùm votum, tollet etiam iuramẽtũ accessorium.

Secus, si iuramentum sit absolutè, & non accessoriè emissum.

SECTIO XI.

An Commutatio vi Bullæ facienda sit in subsidium temporale; an verò satis sit in spirituale.

IN clausula illa in hoc diplomate contenta, in qua datur Confessario facultas commutãdi vota, habẽtur verba hæc. *(& illis vota omnia vltra marino castitatis, & religionis dumtaxat exceptis (in aliquod subsidium huius expeditionis per eumdem Confessarium commutari, &c.)* ex his verbis suborta est controuersia, an hoc subsidium necessariò debeat esse temporale; an verò sufficiat esse spirituale, vt sunt orationes, ieiunia, & alia pia opera. 110

Prima sententia indiscriminatim loquens asserit, satis esse commutationem hanc fieri in subsidium spirituale: & pro hac opinione Sanchez loco infra citando citat *Deza*, & *Llamas*, quibus addo *Antonium Gomez in Bullam clauf. 10. num. 54.* qui non limitat hanc sententiam ad solos pauperes, vt illi adscribit *Sanchez loco infra citando in relatione tertiæ sententiæ,* 111

num.

Prima sententia, & eius ratio vtrumq; admittens.

num. 55. fundamentum, cui innituntur, est, quia Bulla absolutè ait, esse faciendam commutationem in aliquod subsidium, sub quo non minùs comprehenditur spirituale, quàm temporale. Præterea subsidia spiritualia sunt maioris efficaciæ ad impetrandum à Deo, quàm sint temporalia; ergo cum tale subsidium petatur in fauorem expeditionis contra infideles, videtur dicendum, commutationem hāc fieri posse siue in temporale, siue in spirituale subsidium.

113 *Secunda sententia debere esse tēporale tantum.*

Secunda opinio in aliud omnino extremum venit, aitque, totum subsidium, in quod fit commutatio, esse debere temporale. sic *Aragon. in 2. 2. quæst. 88. a. 12. ver. & ad argumentum. Sotus lib. 7. de iust. quæst. 4. ar. 3. ver. (Rursus circa) Lopez 2. par. instruct. cap. 9. in fine. Rodriq in Bullam §. 9. nu. 109. Nauarr. in sum. cap. 12. nu. 80. & alii apud ipsos.*

Rationes eius.

ducuntur primò, quia talis est praxis; secundò, quia si Pontifex sub onere spirituali concederet, fieri posse hanc commutationem, id explicaret; sicuti se declarat in concessione indulgētiarum, ad quas obtinendas requirit orationes. & non obstat, quod in Bulla absolutè petatur subsidium, & non specificetur debere esse temporale; quia nomine subsidij simpliciter prolati pro bello contra infideles venit subsidiū tēporale in eleemosyna pecuniaria consistens, nam maximè ducit ad finem intentum assequendum.

114 *Tertia sententia subsidium partim spirituale, partim tēporale admittens.*

Tertia sententia, quæ est media inter vtramque, ait, commutationem hanc fieri posse in subsidium partim temporale, partim spirituale. ita *Henriq. lib. 7. cap. 30. nu. 6. Sanchez lib. 4. sum. cap. 54. nu 58. Suarez lib. 6. de voto cap. 19. nu. 18. Villalob. to. 1. tract. 27. claus. 9. §. 3. num. 38. Diana p. 1. tract. 11. resol. 21. Ludouicus à Cruce in exposit. Bullæ disp. 1. cap. 6. dub. 2. nu 5. Fernādez in examine Theologiæ moralis p. 3. c. 9. sect. 11. §. 17. nu. 1.*

Prima coniectura, qua nititur hæc opinio, videtur leuis.

Probant autem hi Authores hanc sententiam ex quibusdam coniecturis: & primò ex verbis huius clausulæ, dum dicitur, (*in aliquod subsidium huius expeditionis commutari.*) quasi dicat aliquam commutationis partem debere esse in eleemosynam pro belli expeditione. sic *Sanchez, Ludouicus à Cruce, & Trull.* sed coniectura ista mihi videtur valdè leuis, & intentum nō probare; quia verba illa non faciunt hunc sēsum, sed hunc alium, nempè vt res, in quam fit commutatio, sit aliquid in fauorem expeditionis, ly autem, aliquid, potest verificari, etiam si materia, idest eleemosyna, in quam fit commutatio, sit moraliter æquiualens priori materiæ, de qua erat votum, & gratis omnino ly aliquid sumitur inadæquatè, nimirum inquantum significat partem commutationis.

Secunda à Ba ex incommodo, si tota commutatio fieret in temporale lucrū.

Secundò probatur ex incommodo; quia si tota commutatio fieri deberet in eleemosynam, pauci vellent vti priuilegio Bullæ ad commutationem votorum faciēdam, ne sustinerent graue onus erogandi elemosynam, & sic redundaret in notabile detrimentum subsidij intenti à Pontifice, cuius mens est, vt omnes Bullā capientes eius priuilegijs frui possint; & ideo in commutandis votis præsumitur contentus esse, vt, qui petit commutationem, contribuat eleemosynam suis facultatibus proportionatam, vt ex eleemosynis minutis, & etiam pinguioribus cumuletur quantitas pro belli expeditione. hanc rationem affert Sāchez, & alij. Tertiò probat idem Sanchez à pari; nam Pōtifex concedit Bullam Compositionis pro debitis incertis, & compensatio fit multò minori summa, quàm sit summa debita, & in hunc finem, ne se componentes nimium grauarentur, & concedendo compensationem pro summa adeo parua debitores allicereutur ad erogandam pecuniam in subsidium huius expeditionis. Hæ autem duæ vltimæ rationes videntur facere sufficientem, & rationabilem coniecturam ad hanc sententiam suadendam.

115 *Quarta fauens pauperibus.*

Quarta sententia esse potest illa, per quam aliqui dicunt, vota pauperum cōmutari posse in subsidium spirituale, si paupertas talis sit, vt ipsi neque paruam erogare valeant pecuniam: & hoc probabile putat *Lessius lib. 2. de iust. c. 40. dub. 16. num 109. Trull. in Bull. lib 1. §. 7. cap. 3. dub 11. nu. 3. Suar. cap. cit. n. 56. & Sanchez etiam l. c.* quamuis aliqui ex illis addant, tutius esse, vt à pauperibus exigua erogetur eleemosyna tamquam pars commutationis, & reliqua fiat per alia pia opera.

116 *Decisio Authoris prima. Præscindendo à mente Pōtificis tota commutatio debet esse in pecuniam. Ratio.*

Dicendum est primò. Si huius Bullæ verba inspiciamus, præscindendo à mente, & intentione Pontificis, probabiliùs censeo, commutationem hanc totam esse faciendam in pecunijs. Probatur, quia nomine subsidij in ordine ad actionem, quę ad sui perfectionem pecunijs indiget, venit subsidium pecuniarium, quia cum detur iuxta indigentiam actionis, ad quā ordinatur, debet intelligi de subsidio cōsistēte in re, qua indiget actio illa: at cū in casu nostro expeditio belli cōtra infideles indigeat maxima pecuniarū summa; idcirco subsidium, quod præscribitur in Bulla, debet intelligi consistere in pecunijs.

117 *Obijcitur, opera pia sint pecunijs efficaciora.*

Et si dicas, opera pia oblata Deo pro bono exitu huius expeditionis esse pecunijs efficaciora. respondeo primò etiam illam erogationem pecuniarum ratione finis,

finis, esse opus pium, & præter efficaciam, quam habet, vt opus pium, habere etiam naturalem efficaciam, qua carent alia pia opera. Secundò dico, quod alia opera pia, quamuis secundùm se efficacissima; tamen sæpè ex defectu hominis offerentis apud Deum vel paruam, vel nullam habent efficaciam ad impetrandum.

117 *Confirmatio conclusionis.* Confirmatur nostra conclusio ex Bulla translata in idioma italicum, in qua explicitè præscribitur eleemosyna pro cōmutatione facienda.

108 *Decisio secunda.* *Ex fine Pontificis probabilior censetur tertia sententia.* Dicendum est secundò. Si attendamus finem, & intentum Pontificis, debemus omninò vt probabiliorem admittere tertiam sententiam; nam Pontifex mediante hoc priuilegio intendit allicere fideles, vt priuilegio isto vtantur, & vt sic elargiendo aliquam pecuniam, cumuletur maior quantitas in subsidium belli; proinde si commutatio fiat partim in pecunia, partim in alijs operibus faciliùs attrahuntur fideles: contra verò si tota commutatio deberet esse in pecunijs, retardarentur ad vtendum hoc priuilegio, & sic Pōtifex non assequeretur finem intentum.

119 *Decisio tertia quoad pauperes.* Dicendum est tertiò. Dum commutātur vota pauperum, qui neque exiguam dare possunt eleemosynam, commutatio tota fieri poterit in subsidium spirituale. & hæc est præsumpta Pontificis mens, ne pauperes destituti maneant tali beneficio. Ex his respondendum est ad ea, quæ sunt contraria, & ad id, quod pro se affert prima sententia, dico: quamuis in Bulla dicatur, commutationem hanc esse faciendam in aliquod subsidium, &c. tamē nomine subsidij absolutè prolati venit tēporale, non autem spirituale; & præsertim in subiecta materia. Ad illud verò de maiori efficacia, quæ est in subsidio spirituali, iam supra diximus, quod licèt opera pia ex se sint efficaciora, si comparentur cum subsidio temporali vt sic, nihilominus etiam erogatio pecuniarum vtrumq; habet, videlicet esse subsidium spirituale, & temporale; quia erogatio ista ex ea parte, ex qua habet rationem eleemosynæ, ratione finis, in quē dirigitur, est opus pium, & rursus habet efficaciam temporalem: addo etiam opera purè spiritualia ex defectū offerentis interdum apud Deum aut nullam, aut ferè nullam habere efficaciam, vt dixi.

Respondetur obiectis à prima sententia.

126 *Satisfit argumentis secundæ sententiæ.* Ad argumenta secundæ sententiæ respondeo: & ad primū, dico, falsum esse, praxim vniuersalem eam esse, quæ ibi ponitur; nā cōmutatio ista solet etiā fieri miscendo cum eleemosyna alia pia opera spiritualia. Ad secundum, quod Pontifex non explicet, se esse contentum, vt commutatio fiat sub onere spirituali,

Cur Pontifex non dicat expressè commutationē fieri posse sub onere spirituali.

ideò esse, quia subsidium, in quod primariò intendit, faciendam esse commutationem, est temporale: attamen, quia respiciendo finem, ad quem ordinatur subsidium, expedit interdum miscere eleemosynam cum alijs operibus pijs ob rationem superiùs assignatam; idcirco potiùs finem, quàm verba materialia attendere debemus. ex prædicto autem modo commutandi meliùs obtinetur finis, quia plures concurrunt ad petendam hanc commutationem, & dum erogatur aliquid in pecunijs, crescit ex plurium concursu subsidium temporale: at si verba rigorosè sumerentur, & tota materia subrogata deberet in pecunijs consistere, pauci vellent hoc priuilegio vti, & sic minor pecuniarum quantitas exigeretur, quod est contra finem à Summo Pontifice, & Rege Hispaniarum intentum.

Ad secundum dico, quod ideo non fuit expediens declarari, commutationem hanc fieri posse sub onere tantùm spirituali, quia id, quod primò, & per se intēditur in hac commutatione, est subsidium temporale, & veluti per accidens subsidium spirituale ex præsumpta Pontificis voluntate, vt explicuimus. 121 *Primariò intēditur subsidium temporale; per accidens spirituale.*

SECTIO XII.

An votorum commutatio vi Cruciatæ solùm fieri valeat durante publicationis anno.

SVpponimus huius diplomatis efficaciam durare vsque dum elabitur annus publicationis, & eo transacto, statim extingui, vt ostendimus supra *par. 1. tract. 2. cap. 4.* & expressè præscribitur in ipsa Bulla latina §.29. his verbis. *(Item declarant, quod expirante anno omnes supradictæ facultates, gratiæ, & indulta expirent, tantùmque poterunt caussæ pendentes ad finem perduci.)* 122

Sed quia solent Authores loquentes de facultate commutandi vota per hanc Bullam in ordine ad tempus nonnulla exagitare; idcirco ea in sequentibus paragraphis proponimus.

†

§. I.

§. I.

Vtrum si intra annum promulgationis à Confessario fiat commutatio votorum confusè, & in genere, possit elapso anno determinari materia, in qua fit commutatio.

123 *Explicatur sensus quæstionis.* DVplicem sensum habere potest præsens quæsitum iuxta duplicem habitudinem, quæ reperiri potest in confusione, & generalitate proposita: primò, vt se extendat tantùm ad materiam subrogandam loco prioris materiæ, ita vt pœnitens recordetur in particulari de votis, quorum commutationem expostulat: secundò, vt se extendat etiam ad vota ipsa, ita vt pœnitens immemor sit de specie votorum ab ipso emissorum, & de his commutationem desideret. in hoc autem paragrapho sermo est in prima acceptione; futurus postea in sequenti paragrapho de secunda acceptione, & ideò.

124 Dicendum est affirmatiuè. sic sustinent *Sayrus in claui Regia lib. 6. cap. 12. nu. 21. in fine. Rodriq. in addit. ad §. 9. nu. 18. Sanchez in sum. lib. 4. cap. 54. num. 31. Villalob. tom. 1. tract. 27. claus. 9. n. 41. Suar. tom. 2. De relig. lib. 6. cap. 16. n. 15. Less. lib. 2. ca. 40. dub. 16. nu. 109. ver Potest etiam. Nauarr. in sum. cap. 26. nu. 13. Viualdus par. 3. cap. 14. nu. 40. Trullench in Bull. lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 9. nu. 1. Barthol. à S. Fausto in thes. lib. 4. quæst. 62.* & ratio est, quia licèt commutatio ista sit confusa, & in genere, neque sit determinata qualitas, & quantitas materiæ subrogandæ loco prioris, nihilominus est vera commutatio, quamuis implicita, facta tempore habili, scilicet durante anno promulgationis: neque refert, quod determinatio fiat post elapsum annum, quia non est actus iurisdictionis, neque ipse secũdùm se formaliter, & immediatè fit per virtutem Cruciatæ, sed est actus prudentiæ, quo homo iudicat, talem materiam esse proportionatam pro tali voto commutando; actus verò, qui immediate fit virtute Bullæ, est ille, quo fit commutatio illa generalis.

Conclusio affirmat posse materiam, in quam cõmutatur votũ, determinari transacto anno, licèt antea fuerit confusè determinata.

125 *Potest determinatio fieri etiã à laico, ad quem remittitur pœnitens à Cõfessario.* Ex his sequitur, quod etiam si Confessarius remittat pœnitentem ad alium, à quo sit determinanda materia, in quam fieri debet commutatio, & etiam si iste sit laicus, valida esset commutatio; quia determinatio, & declaratio materiæ, vt dixi, non est actus iurisdictionis, sed prudentiæ, quæ poterit etiam in laico inueniri.

126 *Obiectio.* Dices. Confessarius in commutandis votis vi Cruciatæ procedit vt Delegatus, ergo non poterit remittere pœnitentem ad alium, à quo est determinanda materia substituenda, quoniam vt sic subdelegaret, quod excedit potestatem Delegati, vt habetur. *L. fin. ff. De off. eius, & l. à. Iudice Cod. De iudicijs.* nisi sit delegatus à Principe, vel ad caussarum vniuersitatem, vt communiter dicunt Authores: at Cõfessarius electus à pœnitente virtute Bullæ non est talis; proindenon videtur posse remittere ipsum pœnitentem ad alium, à quo expectet, & recipiat materiã, in quã fiat commutatio.

127 *Respondetur.* Respondeo, hunc alium, ad quem fit remissio, non esse subdelegatum, vt exerceat actum aliquem iurisdictionis, sed esse veluti subdelegatum ad exercendum actum prudentiæ determinando materiã, vt enim dixi, actus iurisdictionis erit illa commutatio generalis, & confusa; non autem determinatio ista. sicuti si Confessarius volens tutò procedere, dum ab ipso petitur voti commutatio, consulat virum prudẽtem, eiusque iudicio se remittat, tunc nemo est, qui dicat consilium istud esse actum iurisdictionis, & consulentem esse Iudicem subdelegatum in dãdo consilio prædicto: sic à pari, dum Confessarius remittit pœnitentem ad alium, iste alius se habet vt merè consulens; nihil enim differt consilium, seu determinationem fieri à Confessario immediatè, & per se ipsum petentem consilium, vel fieri mediatè, seu per alium, nempè per ipsum pœnitentem.

Determinatio confusa est actus iurisdictionis; particularis est actus prudentiæ, ad quẽ potest quis subdelegari laicus.

§. II.

An si Confessarius velit maturiùs procedere, differre possit commutationem voti transacto anno, in quo durat Cruciata.

128 *Explicatur, qui casus in praxi euenire possit.* CAsus iste in praxi euenire poterit: nã fingamus, quod pœnitens petat cõmutationem votorum vltimo die anni, quo durat Bulla; & Confessarius ex seipso nequeat se determinare de materia subroganda loco prioris materiæ, & nequeat eodem vltimo die consilium à prudentibus habere: quærimus, an nulla facta, & signata commutatione in particulari, aut in generali possit ad meliùs rem considerandam, & decidendam differre commutationem post aliquos dies, non obstãte quod annus durationis Bullæ sit elapsus.

129 *Sententia affirmatiua, & eius ratio.* Id fieri posse docet *Suarez lib. 6. De voto cap. 16. nu. 15. Sanchez lib. 4. sum. cap. 54. n. 33. Trul. in expos. Bulla lib. 1. §. 7. c. 3. dub. 9. n. 2.* & id probat, ex eò quod Cõfessarius acceptauit potestatem, inchoauit causã & quo-

& quodam modo concessit dispensationem, seu commutationem, quod sufficit ad iurisdictionem firmandam, vt postea tempore congruo possit cōmutatio consumari: & hoc ostenditur ex natura potestatis delegatæ, & est necessarium ad conuenientem vsum huius potestatis. sic hi Anthores discurrunt. verùm si nihil aliud addatur, eorum ratio non videtur sufficiens ad intentum probandum, quia supponitur aliquid, in quo tota difficultas consistit, & à quo eorum ratio efficaciam haberet, quod tamen non probatur, nempè caussam non remanere integram, sed inceptā ex acceptatione potestatis commutandi: hoc autē, vt sic, est omnino falsum; quia sola, & pura acceptatio potestatis non est inchoatio caussæ; aliter numquam daretur casus, in quo caussa delegata remanere posset integra post mortē delegantis, vel ob amotionem ab officio, quia Delegatus acceptans delegationem censebitur caussam inchoasse; atque adeo si moriatur delegans, vel ab officio cessaret, semper in Delegato maneret iurisdictio ex isto capite firmata, quod nemo asserit: vide quæ diximus in simili *part.* 1. *tract.* 2. *cap.* 4. *sect.* 3. igitur non satis erit à pœnitente eligi Confessarium, & à Confessario acceptari potestatem commutādi ad hoc vt caussa sit incœpta, sed requiritur actus, non qui solùm se habeat, velut præambulum ad ipsam commutationem, sed vt verè attingat ipsammet: & ideo puto debere à Confessario de præsēti commutari votum tempore habili, licèt materia subrogata eodem tempore non signetur, sed differatur determinanda etiam post elapsum annum, si tale tēpus existimetur necessarium ad prudentē determinationem circa qualitatem materiæ, & modum commutationis. hoc autem pacto declarata horum Doctorū sententia verissima censenda est, eiusque veritas nititur & iuri communi, & iuri speciali: in Iure autem communi habemus, quod quamuis delegans, qui caussam alicui delegauit, cesset vel ob mortem, vel ob cessationem ab officio, caussæ delegatæ, si inchoatæ reperiantur, possunt expediri à Delegato; quia eius potestas in ordine ad has caussas non desijt ob mortem delegantis, vt expresè colligitur, *ex l. & quia ff. De iurisdic. omn. Iud. & ex cap. Relatum. cap. Gratum. & cap. licet. De off. Deleg. & cap. final. De off. leg.* de iure autem speciali id habemus ex ipsamet Bulla, in cuius fine, vt supra vidimus initio huius sectionis, statuitur, facultates omnes, & gratias cessare expirāte anno, & solùm ad finem perduci posse caussas pendentes: applicando autem totum hoc casui nostro dicimus, quod si Confessarius acceptando facultatem commutādi vota virtute huius Bullæ ad petitionem pœnitentis, & quia nequit in promptu deliberare circa materiam substituendam, & circa commutationis modum, differat designationem materiæ, res non erit integra, sed inchoata, & dependens; proinde elapso anno poterit materiam ipsam pœnitenti præscribere: at si nulla fiat commutatio, sed solùm Confessarius acceptaret munus commutandi, caussa remaneret integra, atque adeo post elapsum annum inutiliter fieret ipsa commutatio virtute præcedentis Bullæ, cum eius efficacia expirauerit.

Ostenditur non esse sufficiens.

Sola, & pura acceptatio potestatis nō est inchoatio caussæ.

Sententia Authoris, debere commutari votum de præsenti, licèt materia subrogandam signetur in particulari.

Probatur ex iure communi, & speciali.

Franc. Bard. in Bull. Cruc.

§. III.

An posita generali illa commutatione voti, ante designationem materiæ subrogandæ possit absque peccato prius votum non seruare.

Esse hunc voti reū docet *Emmanuel Rodriquez in addit. ad Bullam §. 9. num.* 115. respondens ad secundum dubium, & probat, quia licèt præcesserit commutatio, nempè illa generalis; tamen eius exequutio fuit impedita, seu suspensa materia substituenda; declarat autem hoc, & confirmat idem Author exemplo. Sicuti enim Pontifex dispensans in aliquo casu delegat caussam examinandam Ordinario, vel Confessori suspendens vt sic exequutionem illius dispensationis; tunc si Orator, qui petiit dispēsationem, ante exequutionem faciēdam ab Episcopo, vel Confessario, vtatur dispensatione illa, grauiter peccabit, & si dispensatio erat circa aliquod votum reseruatum, erit voti reus: sic in re nostra, quamuis Confessarius virtute Bullæ votum pœnitentis commutauerit, nihilominus cōmutationis effectus manet suspensus, vsque dum materia designetur. sic *Rodriquez.* 130

Sententia Rodriquez, & eius ratio explicatur.

Sed dicendum est, probabiliùs esse oppositum, nempè hunc talem nō esse reum voti. *ita Lessius lib. 2. De iust. cap. 40. dub. 16. num. 100. Sanchez cap. illo 54. sum: num. 32. Diana parte prima tract. 11. resol. 52. Aegidius Trull in Bull. lib. 1. §. 7. capite tertio dub. 9. num. primo.* hanc opinionē fundant in eo, quod per cōmutationē illā, quāuis generalē, extracta fuit obligatio voti circa priorem materiam promissam, & translata in materiam substituendam. Ad exemplum verò, quod pro se Emmanuel attulit, respondeo, nō esse parem rationem; quia Pontifex reuera in eo casu 131

Sententia Authoris opposita.

Eius fundamentum.

Satisfit argumento petito ab exemplo. non diſpenſat, ſed poteſtatem ſuam diſpenſandi delegat Ordinario, cui præſcribit, vt ſi preces veritati nitantur, diſpenſet: proinde Epiſcopus vt Pontificis delegatus diſpenſat; non autem Pontifex, qui nihil aliud facit in eo caſu, niſi committere cauſſam, & delegare poteſtatem diſpenſandi; at in caſu præſenti Confeſſarius verè commutat priorem materiam in aliam licèt confusè, & genericè præſcriptam, deſignandam poſteà in ſpecie.

132 *Obiectio.* Cæterum contra horum Doctorum ſententiam videtur vrgeri poſſe in hunc modum: de ratione commutationis eſt, ita eximere vouentem ab obligatione vnius materiæ, vt non eximat illum ab obligatione alteriꝰ materiæ; ergo impoſſibile eſt, vt vouens non peccet, ſi violet votum de priori materia. antecedens videtur manifeſtum ex natura ipſius commutationis, quæ per hoc diſtinguitur ab irritatione, & diſpenſatione: nam hæ ſiuè ſint perpetuæ, ſiuè temporales ita liberant vouentem, vt illum eximant ab obligatione cuiuſcumque materiæ: conſequẽtia autem ſuadetur, quia ſi vouens frangeret priorem materiam, antequam ſit præſcripta materia ſubrogata, non peccaret, ſequeretur habere illam exemptionem, quam haberet, ſi eius votum fuiſſet ſolutum per irritationem, aut diſpenſationẽ temporalem; & ideo eumdem effectum relinqueret commutatio, quem poneret irritatio, & diſpenſatio, & ſic nõ diſtingueretur ab illis ad tempus conceſſis, quod nemo concedet.

133 *Reſpondetur. Commutatio liberat vouẽtẽ ab obligatione prioris materiæ, & obligat ad actu ſubrogatam in ſpecie, vel ad ſubrogandam.* Reſpondeo, & per diſtinctionẽ illius antecedentis dico: de ratione cõmutationis eſt ita liberare vouentem ab obligatione prioris materiæ, vt illum obliget vel ad materiam actu ſubrogatam in ſpecie, vel ſubrogandam; talis autem modus relaxationis nequit conuenire irritationi, & diſpenſationi, quæ ſiuè perpetuæ ſint, ſiuè tẽporales, nullam ponunt obligationem in vouente: at non eſt de ratione commutationis, dum fit, ſubrogare nouam materiã in ſpecie: hac poſita diſtinctione pro antecedente, negamus conſequẽtiam, eiuſque probationem, per quam dicebatur, ex noſtra ſententia ſequi eamdem exemptionem relinqui in vouente mediante commutatione, quam relinquerent irritatio, & diſpenſatio.

§. VI.

Vtrum pœnitens immemor ſpeciei voti poſſit commutationem vi Bullæ vtiliter obtinere.

[illegible]

Pono caſum. Recordetur Titius ſe votum, aut vota emiſiſſe; at non recordetur de materia, circa quam erat votũ, petit à Confeſſario, vt non obſtante tali obliuione, vota illa cõmutet virtute Cruciatæ. quæritur ergo, an iſta confuſio cadens ſupra ipſamet vota impediat commutationem, & iſte eſt ſecundus ſenſus, quem, vt notauimus, habere poteſt quæſitum principale in titulo huius præſentis ſectionis. 134 *Explicatur caſus.*

Prima autẽ ſententia docet, poſſe pœnitẽtem obtinere aliquam proportionatam commutationem arbitrio prudentis Confeſſarii præſcribendam, vel habere prorogationem longioris temporis in hũc finem, vt conſiderando poſſit iterum recordari de ſpecie, ſeu materia voti obliti, quamuis tranſeat tempus, quo durat Bulla: & hanc opinionem amplectitur *Sanch. cap. illo, 54. num. 34. Trullench. dub. 9. cit. num. 3.* & hoc probant, quia videtur eadẽ ratio de iſto caſu, & de illo, quãdo ponitur memoria voti ex parte pœnitentis, ſed Confeſſarius differt deſignationem materiæ, vt maturiùs examinet modum commutationis, de quo ſupra egimus. 135 *Prima ſententia affirmat.* *Eius ratio.*

Secunda opinio negat poſſe fieri hanc commutationem, ſi pœnitens omnino oblitus ſit materiæ, de qua erat votum *ita Suar. cap. 16. cit. num. 14.* idque probatur: quia cõmutatio prudens nequit fieri, niſi cognoſcatur votũ commutandum; vt enim ſeruetur lex iuſtæ commutationis, debet commutans notitiam habere de qualitatibus, & conditionibus voti, quod commutari debet, aliter quæcumq; detur commutatio, ſemper cenſebitur commutatio temeraria; & ideo exponitur Confeſſarius periculo errandi, quia poſſet contingere, vt materia, in quam fit commutatio, ſit notabiliter inæqualis priori materiæ: idcirco tranſacto tempore habili, non poterit Confeſſarius vi præteritæ Bullæ hanc commutationem efficere. 136 *Secunda ſententia negat.* *Probatio deſumpta ex lege prudentis commutationis.*

Cæterum quæſitum iſtud ſpeculatiuum potiùs, quàm practicum parum vtile eſt in ordine ad praxim: quia ſi vouens poſt adhibitam diligentiam immemor eſt voti, ad nihil tenebitur durante tali obliuione; & ſic non indigebit commutatione: illa autem dilatio parum illi prodeſt, quia ſi voti recordabitur, pote- 137 *Quæſtio hæc in ordine ad praxim parũ vtilis.*

rit

ris virtute nonæ Bullæ commutationem habere, & maximè quia inter extinctionem, seu cessationem vnius Bullæ, & promulgationem alterius, tempus mediare non solet; poterit etiam commutationem hanc obtinere à Regularibus virtute ipsorum priuilegiorum; & ideo, vt dixi, in ordine ad praxim quæsitum non erit nisi leuissimi momenti.

Speculatiuè quo pacto explicetur, & decidatur.

138 At si magis speculatiuè, quàm practicè eius decisionem attendere velimus, mihi videtur posse commutationem modo iā explicando procedere, vt vitemus argumentum, quo Pater Suarez impugnat sētentiam Sāchez: aio igitur posse Cōfessarium habere intentionem, & de facto cōmutare vota oblita pœnitentis, si dicat ex nunc pro tunc vi Bullæ commuto tibi vota, quæ emisisti, & quorum speciem, seu materiam non recordaris, in illam materiam, quam Deus scit esse moraliter æqualem, & proportionatam illi materiæ, de qua sunt vota ipsa. si ergò Confessarius talem habeat intentionem declaratam per hæc, aut similia verba, nullum mihi apparet inconueniens, quare modus iste commutationis nequeat esse validus: proinde elapso anno, si pœnitens recordetur materiam voti, poterit ex vi talis commutationis eligere materiam proportionatam loco prioris materiæ arbitrio Confessarii, aut alterius viri prudentis, siue ipsius pœnitentis, si sit vir doctus, & sincero affectu ducatur in electione ipsius materiæ subrogandæ; nam electio ista non est commutatio, quæ supponitur iam facta à Cōfessario tempore habili, sed est actus prudentiæ, per quem declaratur æqualitas, seu proportio requisita inter vtramque materiam, quamuis rectiùs sit, electionem hanc fieri arbitrio Confessarij, aut alterius viri docti, ne ipsemet pœnitens in propria causa decipiatur.

Confessarius potest commutare vota oblita pœnitētis ex nūc pro tempore, quo eorum materiam recordabitur.

Satisfit argumēto Suarez, & ostenditur nō esse huiusmodi cōmutationem temerariam.

139 Ad argumentum igitur Suarez ex dictis respondetur, commutationem hanc non esse temerariam, sed prudentem ex suppositione quod pœnitentes nequeāt recordari materiam voti: & quamuis ad prudentem commutationem requiratur notitia voti commutandi, tamen erit necessarium, quando Confessarius debet in specie designare materiam subrogādam, non autem id est essentialiter requisitum ad commutationem in genere, pro vt comprehendit illam, quæ fit in materia particulari, & illam, quæ in aliquo casu fit in materia indeterminata, determinanda postea, cum recordabitur speciem voti.

Optimum simile affertur ad confirmandam sententiam Authoris desumptum ex iure ciuili.

140 Possumus autem ad confirmationem huius responsionis, & ad nostram sententiam efficaciùs suadendam, optimum simile afferre ex iure ciuili. Cùm enim inter aliquos lis est suborta, & ad forum contentiosum delata; si antequam Iudex sententiam ferat, instantia, nempe terminus illius temporis, intra quod controuersia est decidenda, propè absit, vt pereat; atque adeo potestas dicendi sententiam extinguatur, & Iudex nequeat certum formare iudicium; quia rationes pro vtraque parte non sunt adhuc benè perspectæ: tunc debet sententiam obscuram, vt inquiunt, proferre. sic *Panorm. cap. venerab. num. 20. De iudiciis, & alij Iurisperiti apud Marium Mutam suprà consuet: Sen: Panorm. cap. 16. num. 60.* Sententia autem ista obscura appellatur, quia sub hac forma, aut simili datur. *Condemnamus condemnandum, & liberamus liberandum ob periculum peremptionis instantiæ.* est enim forma quędam indeterminata; ideoque vocatur obscura, declaranda tamen, vt postea: videlicet explicandum est, quis sit ex collitigantibus dānandus, quis liberandus; seu in cuius fauorem danda sit sententia, & secundùm ius municipale huius Regni Siciliæ intra bimestre est hoc declarandum, vt statuitur *Pragm. 2. tit. 11.* Existimatur autem sententia ista sic obscurè, & indeterminatè prolata prudens, & rationabilis; quoniam ex vna parte cum non possit Iudex hic, & nunc decidere potiùs pro vno, quàm pro altero litigante; & ex alia parte instantia caussæ breui sit peritura, & si periret, cessaret facultas iudicandi in Iudice in damnum tertij, prouisum est, vt modo explicato ne desinat terminus iudicandi, & ne desinat iurisdictio intra tēpus habile, obscurè caussam decidere: ita in casu nostro, cum Confessarius ob pœnitentis obliuionem nequeat determinatam commutationem votorum facere, & vigor Bullæ breui sit extinguendus, quo extincto desineret facultas cōmutandi in Confessario; idcirco ad vitādum tale incommodum Confessarius dat velutiobscuram commutationem declarandam postea, quando pœnitens memor fuerit votorum à se emissorum.

Sententia obscura in iure ciuili quid sit.

Applicatur simile.

Aduerto tamen hic, quod cum pœnitens postea votum emissum in specie agnoscet, tenebitur eligere, & subrogare materiam proportionatam, vt perficiatur commutatio, si velit recedere à priori materia, circa quam votum emisit.

†

CAPVT II.

De votis commutandis, ad quæ extenditur, & de his, ad quæ non extenditur privilegium Cruciatæ.

1 Egimus in præcedenti capite de conditionibus, seu qualitatibus, quæ ex parte commutationis vi hui⁹ diplomatis requiruntur: nunc verò considerabimus ipsamet vota declarantes, quæ sint commutabilia, quæ minimè per hanc Bullam Cruciatæ; quapropter sequentes instituimus sectiones.

SECTIO I.

Expenditur idem privilegium in ordine ad quædam specialia vota distincta ab illis tribus in hac Bulla reservatis.

2 VT meliùs innotescant vota specialia, quæ sub huius amplissimi privilegij latitudine comprehenduntur, vnicũ est proponẽdum principium, ex quo vota ipsa commutabilia deduci queunt.

3 Dicendum igitur est, omnia vota tum personalia, tum realia, aut mixta, exceptis illis tribus, nempè *Vltramarina, Castitatis, & Religionis*, posse virtute Bullæ commutari, vt expresè habetur in ipsomet diplomate, & cuius verba à nobis relata sunt initio præcedentis capitis. euidens est cõclusio, quia cum per Bullam Põtifex amplam concedat facultatem commutandi omnia vota, illis exceptis, nulla remanet dubitatio, quia omnia alia vota claudutur sub hoc privilegio in ordine ad ipsorũ commutationem (excipio autem semper vota substantialia Religionis, & illis annexa siuè sint solemnia, siuè simplicia; nam ista, certum est, commutari non posse neque per Bullam, neque per quodcumque Iubileum) ex principio igitur posito ad maiorem claritatem deducendæ sunt nõnullæ conclusiones, in quibus descendimus ad vota in particulari.

Facultas cõmutandi vota per Cruciatam concessa quàm sit ampla.

Quæ nam excipiantur.

4 Colligitur ergo primò, per Bullã Cruciatæ commutari posse votum assumendi sacros ordines. *ita Henriq. lib. 7. cap. 30. num. 6. Azor tom. 1. instit. moral. lib. 11. cap. 20. q. 9. Sanchez lib. 8. de matr. disp. 9. n. 13. Rodriq. in Bull. §. 9. num. 132. Acosta in ead. Bull. quæst. 73. Ludouicus à Cruce disp. 1. cap. 6. dub. 10. nu. 6. Fernandez in exam: p. 3. cap. 9. §. 17. num. 8. & alij apud dictum Ludouicum.* Ratio autem est, quia tale votum non fertur immediatè in Castitatem, sed in aliquem statum, cui connexa est Castitas; proinde cum votũ strictè sit interpretandum, ideo tale votum nõ erit reseruatum. sicuti in simili aduertit *Palatius in 4. disp. 2. ver. adnotandum tamen, si quis voueat Religionem, non censetur vouere immediatè Castitatem, Obedientiam,* quod etiam docet Sanchez *lib. 9. de matrim. d. 33. n. 14. & in sum: lib. 4. cap. 16. nu. 117.* Et hoc, quia obiectum primi voti non est Castitas, sed est promissio illius status, in quo suo tempore sit votum Castitatis.

Votum assumendi sacros ordines commutari potest.

Ratio: quia nõ fertur immediatè in Castitatem.

5 Colligitur secundò, votum non nubẽdi esse commutabile per hanc Bullam, vt ex multis docet *Aegidius Trullench lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 15. num. 23. Sanchez lib. 8. de matr. disp. 15. num. 10. & alij apud eosdẽ.* Probatur, quia votum Castitatis reseruatum, est illud, quod omnimodam complectitur Castitatem, quale non est votum non ineundi matrimonium: limitanda tamen est conclusio cum citatis authoribus casu, quo votum istud sit emissum in fauorem tertij, cuius interest fuisse emissum, & ad eius petitionem factum, ab eodemque acceptatum, tunc enim nõ posset per Bullam commutari v. g. si vir à sua coniuge petat, quod si fortè ipse decedat ex hac vita relictis filiis, & superstit ipsa coniux, votum emittat iterum non nubẽdi in vtilitatem filiorum, si mulier votum emittat sciente, & illud acceptante viro, tale votum ob rationem dictam nõ posset virtute Cruciatæ commutari, quia eius efficacia non extenditur ad commutanda vota, quorum commutatio ex iure quæsito resultaret in damnum tertij.

Votum non nubẽdi.

Limitatur, nisi sit in fauorem tertij.

6 Colligitur tertiò. Votum coniugalis castitatis potest eodem modo commutari, & hoc, quia non est votum omnimodæ Castitatis, *ita Lessius lib. 2. de iust. cap. 40. num. 105. Diana tract. 11. De Bulla Cruciata resol. 62. Ludouicus à Cruce, c. 6. cit. dub. 10. num. 5. Trull. dub. 15. cit. num. 10. Sanchez disp. illa 9. n. 8. & in decal. lib. 4. cap. 40. num. 50.* qui limitat hanc conclusionem, quando tale votum esset annexum statui religioso auctoritate Summi Pontificis, vt est votum annexum Equitibus S. Iacobi, Alcantaræ, Calatrauæ, &c. Ex his etiam deducitur, votum non petendi debitum posse commutari per Cruciatam, quia nõ fertur in omnimodam Castitatem.

Votum coniugalis castitatis.

Limitatur, si sit annexum statui religioso.

Non petendi debitum.

7 Colligitur quartò, votum Virginitatis si præcisè sumatur, quatenus importat corporis integritatem consistens in abstinentia à primo actu luxuriæ posse commutari. *sic Sanchez lib. 5. de matr. disp. 15. num. 4. Trull. dub. 15. cit. nu. 22. & Diana tract. 11. Bull. resol. 60.* hi autem Authores notant, quod si expresè non constet, an vouens voluerit promittere præcisam, & solam abstinentiam à primo actu, tunc esse præsumendum fuisse votum omnimodæ Ca-

Votum Virginitatis, si præcisè importat partis integritatem.

Castitatis; atque adeo nõ esse per Bullam commutabile.

8 *Dubitatio.* Dices, cum votum sit stricti iuris in dubijs censendum est ad minimum se extẽdisse, *iuxta regulam* 30. *Iuris in* 6. scilicet, *In obscuris minimum est sequendum.* igitur dum vouens non est certus se promisisse totalem continentiam, poterit præsumere per votum Virginitatis promisisse meram corporis integritatem.

9 *Soluitur.* Respondeo, prædictam doctrinam ex regula illa esse admittendam, nisi aliundè aliquid aliud obstaret, & sic cum votum Virginitatis cõmuniter accipi soleat pro omnimoda Castitate, idcircò possessio nõ stat pro solo primo actu, sed pro totali Castitate.

10 *Votum inseruiendi domui religiosæ.* Colligitur quintò, posse per Bullam commutari votum perpetuò inseruiendi hospitali, aut alteri religiosæ domui, aut votum Obedientiæ alicui emissum, quia hæc nõ sunt vota Religionis. *sic Trullench cap.* 3. *cit. dub.* 16. *nu.* 10.

11 *Seruãdi paupertatē extra religionem.* Colligitur sextò, votum seruandi paupertatem extra religionem posse etiam commutari per Bullam, & non esse reseruatum. *sic Henriq lib.* 7. *cap.* 30. *nu.* 6 *Suar. lib.* 6. *De voto cap.* 21. *num.* 9. *Trullench dub.* 14. *num.* 5.

12 *Visitãdi limina Apostolorum, & alia loca sancta.* Colligitur septimò, votum visitandi limina Apostolorum, Domum Lauretanã, S. Iacobum in Cõpostella nõ esse exceptum in hac Bulla; ideoque eius virtute commutari posse. *ita Trull. cap. illo.* 3. *dub.* 5. *nu.* 11. *& dub.* 17. *nu.* 5. *Rodriq.* §. 9 *in Bull. nu.* 126. *Henriq. l. c. & alij.* Ratio autem est, quia, vt infra declarabimus, per votum Vltramarinum non intelliguntur peregrinationes, & loca pia superius dicta, proinde cum tale votum non sit vnum ex illis tribus poterit per Bullam validè commutari.

13 *Non ludendi sub pœna soluend pecuniã determinata Ecclesiæ, vel pauperibus.* Colligitur octauò. Si quis voueat non lusurum sub pœna soluendi Ecclesiæ determinatæ, aut pauperibus aureum vnũ pro qualibet vice, si sæpè luserit, ita vt ratione voti sit debitor in magna pecuniarum quãtitate, poterit per Bullam tale votum commutari partim in eleemosynas, partim in alia pia opera, & etiam potest commutari votum prædictum quoad futuram obligationem. *sic Aegidius Trull. in Bull. lib.* 1 §. 7. *cap.* 3. *dub.* 8. *nu.* 1. *Torres in* 2. 2. *tom.* 2. *quæst.* 88. *a.* 12. *disp. vlt. nu.* 4. *Sanchez in decal. lib.* 4. *cap.* 52. *nu.* 9. *Suarez to.* 2. *De relig. lib.* 6. *cap.* 20. *nu.* 19. *Filliuccius tom.* 2. *tract.* 26. *cap.* 10. *nu.* 295. *Diana in Bull. resol.* 46. *& alii apud ipsum.* est contra *Sayrum in clau. Reg. lib.* 6. *c.* 12. *nu.* 20. *ver. Præter hæc, in fine. Nauarrum in consil. tom.* 1. *consil.* 35. *in antiquis, in nouis consil.* 32. *De voto. Azor. to.* 1. *lib.* 11. *cap.* 19. *dub.* 23. *Graffius p.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 28. *n.* 5. eorum autẽ opinio nititur in hoc, quod aliud est commutare votum, aliud relaxare pœnam, quæ non oritur immediatè ex voto, sed ex violatione voti.

Cæterum hæc ratio nõ conuincit, quia tota illa obligatio ex voto emisso vim habet; neque est obligatio distincta ab ea, quæ suo tempore de præsenti obligauit, vt rectè notat Suarez, sed est eadem, quæ semper magis, atque magis vrget, & aduertendum hic est, quod si vouens solùm petat commutationem voti pœnalis, vel absoluti de eleemosyna eroganda, commutatio facta iuxta talem petitionem nõ extenditur ad pecuniam debitam ex fractione voti; idcircò si ipse vouens velit etiam commutationem habere de pecunia debita, tenebitur illam explicitè petere, vt notant Authores citati. 14 *Respondetur argumẽto cõtrariæ sentẽtiæ.*

Colligitur nonò. Si Pontifex commutet pecuniam ex fractione voti debitam, vel eius partem remittit, & partem soluendam relinquit, potest Confessarius vi huius Bullæ commutare partem illius pecuniæ debitam in aliud opus pium. ita *Suarez l. c. Ludouicus à Cruce in exposi. Bull. disp.* 1. *cap.* 6. *dub.* 15. *nu.* 12. *Sanchez l. c. Trull. cap illo* 3. *nu.* 5. *Suarez cap. cit. nu.* 20. *& alij.* Ratio est, quia nihil obstat commutatio illa facta à Pontifice, cum per talem commutationem pars pœnæ, quam vouens tenetur soluere, non est effecta reseruata; proinde sicuti priùs ante commutationem Pontificiam poterat tota pœna ab Episcopo, vel ab alio Confessario virtute Iubilei, aut Cruciatæ validè commutari, sic &, post commutationem Pontificiam, quod remanet sub obligatione, erit eadem auctoritate commutabile. 15 *Partem pecuniæ debitæ ex fractione voti potest Confessarius cõmutare in aliud opus pium.*

Colligitur decimò. Vota, seu iuramenta, quibus firmantur statuta Communitatum, Collegiorum, Academiarum, &c. nequeunt per Bullam commutari. *ita Sotus de iustit. lib.* 8. *quæst.* 1. *a.* 9. *ad tertium ver. Tertium mẽbrum. Azor. tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 9. *quæst.* 4. *Trull. in Bull. cap.* 3. *cit. dub.* 5. *nu.* 8. *&* 12. Ratio autem est clara, quia hoc priuilegium Cruciatæ non est concessum vniuersitatibus, sed personis particularibus: hoc autem Sanchez limitat, asserens esse intelligendum, quando statuta prædicta sunt à Summo Pontifice confirmata. Rursus talia iuramenta cedunt in vtilitatem tertij, & primò, & per se non fiunt ob motiuum Diuini cultus; proinde eorum commutatio redundat in damnum alterius, ideoque non continetur in obiecto huius priuilegij, sicuti ob eamdem rationem iuramenta, quę emittuntur à nonnullis Prælatis non alienãdi bona 16 *Non possunt cõmutari vota, seu iuramẽta, quibus firmantur statuta Cõmunitatum, &c.*

bona ecclesiastica, & alia similia, quorũ relaxatio, seu commutatio tenderet in damnum alicuius tertij, nequeunt per Bullam commutari.

SECTIO II.

An tria illa vota, quæ in Bulla excipiuntur, valeant per ipsam Bullam commutari, quando sunt pœnalia.

17 Diximus supra, priuilegium cõcessum per Cruciatam non posse se extendere ad commutanda tria illa vota, nẽpè *Vltramarinum*, *Castitatis*, & *Religionis*. Cæterum quia in emissione horum votorum interdum aliqua adnectitur qualitas, seu circumstantia; idcircò meritò Doctores dubitãt, an in quibusdam casibus priuilegium istud Cruciatæ extendatur ad commutanda huiusmodi vota: qualitas autem ista, de qua esse potest dubitatio, licèt multiplex sit, præcipuè tamen est, quando aliquod ex enumeratis votis fit sub conditione, quæ duplex est, nempè, & pœnalis, & merè conditionalis. in hac autem sectione loquemur de pœnali; in sequenti verò de pura conditionali: acturi postea de quibusdã alijs qualitatibus, & modis, sub quibus hæc vota emitti solent. Exordium autem sumentes à conditionalibus, quæ simul sunt pœnalia.

Explicatur duplex conditio, sub qua tria vota excepta in Bulla videntur posse commutari.

18 Ponamus exemplum, sit Petrus ludo alearum deditus, in quo notabilem pecuniarum iacturam, forte aduersa, expertus sit, & vt faciliùs possit se à tali ludo abstinere, emittat votum ingrediendi Religionem, seruandi perpetuam Castitatem, aut peregrinandi in terram sanctam, si ampliùs ludat; tunc votum istud dicitur pœnale, quia Religio, Castitas, Peregrinatio in pœnam transgressionis ipsemet vouens sibi imponit, & quia non paruam habet difficultatem in exequutione horum votorum; idcirco votum aliquod ex prædictis emittit, vt pœna deterritus abstineat à ludo. Cæterum quia materia ista, circa quam versatur votum, est Pontifici reseruata, quærunt Doctores, an quando non intuitu deuotionis, sed per modum pœnæ vota de tali materia fiũt, possint per Bullam à Confessario commutari in aliqua pia opera.

Pœnale votũ Religionis, Castitatis, Peregrinationis huiusmodi fit.

19 Aduertunt tamẽ Doctores, supradicta vota duplici modo fieri posse. primò si quis voueat se non patraturum in posterum hoc, aut illud, V. G. non lusurum, non se inebriaturum, &c. & si fortè ludat, aut inebrietur, in pœnam promittat hierosolymitanam Peregrinationem. Secũdo modo si quis non voueat se nõ lusurũ, inebriaturum &c. sed posito quod ludat, se inebriet &c. voueat Peregrinationem, tunc ludendo, aut se inebriando non cẽsetur reus voti, quia hoc non promisit; sed solùm censebitur posuisse conditionem, ex cuius existentia votum transit in absolutum. Ex hoc autem duplici modo, aliqui, inter quos est. *Nauarrus in sum. cap. 12. nu. 43. Azor. tom. 1. instit. moralium lib. 11. cap. 20. quæst. 13.* putant, primo dũtaxat modo vota ista appellanda esse pœnalia, non autem secundo modo: sed alij vtroque modo volunt esse pœnalia. *sic Sanchez lib. 8. de matr. disp. 10. nu. 2. Sotus lib. 7. De iust. quæst. 2. a. 1. ad quartum. Gomez in Bullam clauf. 10. nu. 99. & alij*, & hanc opinionem amplectendam iudico, quia in vtroque modo semper vouens præscribit sibi materiam illam, in quam cadit votum tanquam pœnam, & merè per accidens se habet, quod conditio illa etiam sit materia voti; & aduerto in hoc casu duplex interuenire votum, vnum, quo Petrus promittit Deo, se tali ludo malo non lusurum; alterum votum est promissio Peregrinationis. His omnibus præhabitis pro terminorum declaratione quærimus, an vota ista, quæ sunt in materia reseruata, possint vtpotè pœnalia per Bullam commutari.

Duplex modus quo potest emitti.

Vtroque modo votum pœnale.

20 In hac re tres inuenio sententias. prima absolutè negat commutari posse. ita nõnulli, quos tacito nomine laudat *Philarchus De off. Sacerd. tom. 1. p. 2. cap. 22. ver. penultimo*, quam opinionem ipse æquè probabilem putat, sicuti & oppositas. Nititur autem hæc opinio his rationibus. primò, quia antequam vouens pœnam incurrat, votum non extat; proinde locũ habere non potest commutatio, de cuius natura est supponere rem vt Deo promissam, circa quam versari debet, quia in illud, quod non dum est, ferri non potest neque dispensatio, neque commutatio: quemadmodum actus pœnitentiæ necessariò supponit propriam culpam, circa quam versari debet; neque valet, si dicas, commutationem fieri posse pro eo tempore, quo continget voti violatio, & pro tunc eximatur vouens, ita vt non teneatur promissam præstare; non valet inquam, quoniam commutatio, vt subsistat, fieri debet tempore habili, nempè tempore, pro quo supponitur res cõmutabilis: sed post incursam pœnam votum transiens in absolutum erit consequenter Pontifici reseruatum; atque adeo per Bullam non commutabile: secundò quia si fingamus quod Titius in pœnam alicuius delicti à se patrati voueat e.c. Religionem,

Prima sententia negans.

Eius rationes.

nem, votum erit reseruatum. igitur à pari idem dicendum est de voto emisso ante delictum, seu ante pœnæ incursionem.

Secunda sententia sub quadã distinctione affirmans, & negans.

21 Secunda opinio distinguit, & vult, ante pœnæ incursionem vota illa non esse reseruata, sed fieri reseruata post incursionem pœnæ. *sic Sebastianus Acosta in Bull. quæst. 73. in 3. propos.* & probat suam sententiam hac ratione: ante adimpletã cõditionem, votum Religionis erit accessorium sequens naturam sui principalis *Ex cap. Accessorium De. Reg. iur. in 6. & ex l. Cum principalis ff. eod tit.* & cum votum principale non sit reseruatum, neque reseruatum erit eius accessorium: at post pœnam incursam, & adimpletam conditionem votum Religionis nõ erit amplius accessorium, sed manet absolutum, independens à voto priori; ergo erit reseruatum: sic *ex Acosta*, cuius sententiam amplexus est *Rodriq. in Bull. §. 9. nu. 124. Sotus De cauendo iuramenti abusu 1. par. c. 9. & lib. 7. De iust. q. 2. a. 1. ad quartum, & q. 4. a. 3. Couar. in cap. Quamuis pactum par. 1. §. 3. nu. 12. & alij apud Sanchez loco infra citando.*

Tertia sententia absolutè affirmatiua.

22 Tertia denique opinio absolutè asserit, siue antè, siuè post incursam pœnã huiusmodi vota cõmutari posse virtute Bullæ. *sic Sanchez lib. 8. De matr. disp. 10. nu. 8. & in decalog. lib. 4. cap. 40. num. 91. Gomez in Bull. clau. cit. Medina in sum. cap. 14. §. 6. Henriq. lib. 7. cap. 30. num. 6. Rodriq. in qq. regul. tom. 1. quæst. 63. a. 7. Trullen Bull. lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 6. nu. 13. Castro Palaus to. 3. tract. 15. disp. 2. p. 11. nu. 6. & alij quamplures apud ipsos.*

Author adheret tertiæ sententiæ vt probabiliori.

23 Dicendum est cum hac vltima sententia, quam cæteris probabiliorem existimo. & præter authoritatem eorum, qui eam tuentur, optima ratione suadetur; quia votorũ reseruatio cum sit odiosa, atque adeo restringenda, interpretanda est de votis, quæ non includunt voluntatem fugiendi absolutam obligationem, quod repugnat perfectioni voti, atque adeo votum pœnale cum imbibitam habeat talem voluntatem, non censebitur votum simpliciter talis rei, sicuti sunt alia, quæ talem voluntatem non inuoluunt: ergo vota pœnalia, cum à voti perfectione, & natura deficiant, non censētur reseruata, dum Pontifex absolutè, & simpliciter hæc tria vota in Bulla sibi reseruet: votum enim in materia odiosa sumitur strictè, nempè pro illo, quod perfectã voti naturam inuoluit, & non debet latè accipi, pro vt includit & perfectum, & imperfectum votum modo explicato.

Respondetur primæ rationi primæ sententiæ.

24 Ad primam autem rationem pro sententia primo loco relatam, respondeo negando, ante incursionem pœnę votum non extare, quia ex eo quod conditio nõ sit purificata, & vouens pœnam non incurrerit, non rectè infertur negatio voti, sed solùm obligatio ad votum exequendum: sicuti si Petrus per publicum contractum obligabatur Paulo soluere centũ, si in posterum illi talem inferat molestiã, certum est, Petrum actu obligatum esse, sed non teneri ad solutionem, vsque dum ponatur molestia.

Secundæ rationi eiusdem fit satis.

25 Ad secundum nego paritatem: quia, votum emissum in pœnam delicti patrati est absolutum, & res per actum vouendi promissa non proponitur vouenti, vt res odiosa, sed potiùs vt res sibi grata, quam ipse vouens Deo offert in recompensationem iniuriæ illatæ contra ipsum. Secus dum votum emittitur ante delictũ commissum, vt vouens perterritus timore pœnæ fugiat illam culpam: nam tunc proponitur res promissa vt odiosa, & nõ vt amabilis: proinde dum sic promittitur, votum erit cum defectu, qui est aliquo modo oppositus perfectioni voti; quod cum sit actus Religionis, & ex sua natura primò, & per se respiciat Dei cultum, debet emitti ex affectu offerendi Deo rem, ipsi vouenti gratam.

Fundamento secundæ sententiæ respondetur.

26 Ad fundamentum secundæ opinionis respondeo, quod quamuis post incursã pœnam votum transeat in absolutum, nihilominus, cum obligatio originem duxerit ab actu deficiente à natura, & perfectione voti, nempè ex quadam abominatione rei promissæ; inde fit, vt votum ipsum transeat in absolutum cum eodem defectu, & imperfectione; ac proinde in ordine ad reseruationem, quæ est strictissimi iuris, non comprehendatur sub ratione voti simpliciter prolati.

SECTIO III.

Quid Iuris de his tribus votis purè conditionalibus.

Votum conditionale triplex.

27 VOtum conditionale tripliciter se habere potest: primò, quatenus importat rationem pœnæ, & sic non appellatur purè conditionale, quia præter conditionem includit vindictam, seu pœnã; & de voto sub hac forma actum est præcedenti paragrapho. secundò potest emitti non sub ratione pœnæ, sed solùm sub conditione, quæ suspendat exequutionem ipsius voti, & in recompensationem alicuius beneficij, quod vouẽs à Deo sperat obtinere V. G. si quis reperiatur aliquo graui morbo oppressus, vel in aliquo alio vitæ periculo constitutus promittat Deo, se Religionem ingressurum, si à tali periculo incolumis euadat, tale votũ

Importãs rationẽ pœnæ nõ est purè conditionale.

erit

§. I.

Vtrum si intra annum promulgationis à Confessario fiat commutatio votorum confusè, & in genere, possit elapso anno determinari materia, in qua sit commutatio.

123 *Explicatur sensus quæstionis.* DVplicem sensum habere potest præsens quæsitum iuxta duplicem habitudinem, quæ reperiri potest in confusione, & generalitate proposita: primò, vt se extendat tantùm ad materiam subrogandam loco prioris materiæ, ita vt pœnitens recordetur in particulari de votis, quorum commutationem expostulat: secundò, vt se extendat etiam ad vota ipsa, ita vt pœnitens immemor sit de specie votorum ab ipso emissorum, & de his commutationem desideret. in hoc autem paragrapho sermo est in prima acceptione; futurus postea in sequenti paragrapho de secunda acceptione, & ideò.

124 Dicendum est affirmatiuè. sic sustinent *Sayrus in claui Regia lib. 6. cap. 12. nu. 21. in fine. Rodriq. in addit. ad §. 9. nu. 18. Sanchez in sum. lib. 4. cap. 54. num. 31. Villalob. tom. 1. tract. 27. claus. 9. n. 41. Suar. tom. 2. De relig. lib. 6. cap. 16. n. 15. Less. lib. 2. ca. 40. dub. 16. nu. 109. ver Potest etiam. Nauarr. in sum. cap. 26. nu. 13. Vivaldus par. 3. cap. 14. nu. 40. Trullench in Bull. lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 9. nu. 1. Barthol. à S. Fausto in thes. lib. 4. quæst. 62.* & ratio est, quia licèt commutatio ista sit confusa, & in genere, neque sit determinata qualitas, & quantitas materiæ subrogandæ loco prioris, nihilominus est vera commutatio, quamuis implicita, facta tempore habili, scilicet durante anno promulgationis: neque refert, quod determinatio fiat post elapsum annum, quia non est actus iurisdictionis, neque ipse secũdùm se formaliter, & immediatè fit per virtutem Cruciatæ, sed est actus prudentiæ, quo homo iudicat, talem materiam esse proportionatam pro tali voto commutando; actus verò, qui immediate fit virtute Bullæ, est ille, quo fit commutatio illa generalis.

Conclusio affirmat posse materiam, in quam commutatur votũ, determinari transacto anno, licèt antea fuerit confusè determinata.

125 *Potest determinatio fieri etiã à laico, ad quem remittitur pœnitens à Cõfessario.* Ex his sequitur, quod etiam si Confessarius remittat pœnitentem ad alium, à quo sit determinanda materia, in quam fieri debet commutatio, & etiam si iste sit laicus, valida esset commutatio; quia determinatio, & declaratio materiæ, vt dixi, non est actus iurisdictionis, sed prudentiæ, quæ poterit etiam in laico inueniri.

126 *Obiectio.* Dices. Confessarius in commutandis votis vi Cruciatæ procedit vt Delegatus, ergo non poterit remittere pœnitentem ad alium, à quo est determinanda materia substituenda, quoniam vt sic subdelegaret, quod excedit potestatem Delegati, vt habetur. *L. fin. ff. De off. eius, & l. à Iudice Cod. De iudicijs.* nisi sit delegatus à Principe, vel ad caussarum vniuersitatem, vt communiter dicunt Authores: at Cõfessarius electus à pœnitente virtute Bullæ non est talis; proinde non videtur posse remittere ipsum pœnitentem ad alium, à quo expectet, & recipiat materiã, in quã fiat commutatio.

Respondeo, hunc alium, ad quem fit remissio, non esse subdelegatum, vt exerceat actum aliquem iurisdictionis, sed esse veluti subdelegatum ad exercendum actum prudentiæ determinando materiã, vt enim dixi, actus iurisdictionis erit illa commutatio generalis, & confusa; non autem determinatio ista. sicuti si Confessarius volens tutò procedere, dum ab ipso petitur voti commutatio, consulat virum prudẽtem, eiusque iudicio se remittat, tunc nemo est, qui dicat consilium istud esse actum iurisdictionis, & consulentem esse Iudicem subdelegatum in dãdo consilio prædicto: sic à pari, dum Confessarius remittit pœnitentem ad alium, iste alius se habet vt merè consulens; nihil enim differt consilium, seu determinationem fieri à Confessario immediatè, & per se ipsum petentem consilium, vel fieri mediatè, seu per alium, nempè per ipsum pœnitentem. 127 *Respondetur.*

Determinatio confusè est actus iurisdictionis particularis est actus prudentiæ, ad quẽ potest quasi subdelegari laicus.

§. II.

An si Confessarius velit maturiùs procedere, differre possit commutationem voti transacto anno, in quo durat Cruciata.

CAsus iste in praxi euenire poterit: nã fingamus, quod pœnitens petat cõmutationem votorum vltimo die anni, quo durat Bulla; & Confessarius ex seipso nequeat se determinare de materia subroganda loco prioris materiæ, & nequeat eodem vltimo die consilium à prudentibus habere: quærimus, an nulla facta, & signata commutatione in particulari, aut in generali possit ad meliùs rem considerandam, & decidendam differre commutationem post aliquos dies, non obstãte quod annus durationis Bullæ sit elapsus. 128 *Explicatur, qui casus in praxi euenire possit.*

Id fieri posse docet *Suarez lib. 6. De voto cap. 16. nu. 15. Sanchez lib. 4. sum. cap. 54. n. 33. Trul. in expos. Bulla lib. 1. §. 7. c. 3. dub. 9. n. 2.* & id probat, ex eò quod Cõfessarius acceptauit potestatem, inchoauit caussã & quo- 129 *Sententia affirmatiua, & eius ratio.*

& quodam modo concessit dispensationem, seu commutationem, quod sufficit ad iurisdictionem firmandam, vt postea tempore congruo possit cõmutatio consũmari: & hoc ostenditur ex natura potestatis delegatæ, & est necessarium ad conuenientem vsum huius potestatis. sic hi Authores discurrunt. verùm si nihil aliud addatur, eorum ratio non videtur sufficiens ad intentum probandum, quia supponitur aliquid, in quo tota difficultas consistit, & à quo eorum ratio efficaciam haberet, quod tamen non probatur, nempè caussam non remanere integram, sed inceptã ex acceptatione potestatis cõmutandi. hoc autẽ, vt sic, est omnino falsum, quia sola, & pura acceptatio potestatis non est inchoatio caussæ; aliter numquam daretur casus, in quo caussa delegata remanere posset integra post mortẽ delegantis, vel ob amotionem ab officio, quia Delegatus acceptans delegationem censebitur caussam inchoasse; atque adeo si moriatur delegans, vel ab officio cessaret, semper in Delegato maneret iurisdictio ex suo capite firmata, quod nemo asserit: vide quæ diximus in simili *part.* 1. *tract.* 2. *cap.* 4. *sect.* 3. igitur non satis erit à pœnitente eligi Confessarium, & à Confessario acceptari potestatem commutãdi ad hoc vt caussa sit incœpta, sed requiritur actus, non qui solùm se habeat, velut præambulum ad ipsam commutationem, sed vt verè attingat ipsammet: & ideo puto debere à Confessario de præsẽti commutari votum tempore habili, licèt materia subrogata eodem tempore non signetur, sed differatur determinanda etiam post elapsum annum, si tale tẽpus existimetur necessarium ad prudentẽ determinationem circa qualitatem materiæ, & modum commutationis. hoc autem pacto declarata horum Doctorũ sententia verissima censenda est, eiusque veritas nititur & iuri communi, & iuri speciali: in iure autem communi habemus, quod quamuis delegans, qui caussam alicui delegauit, cesset vel ob mortem, vel ob cessationem ab officio, caussæ delegatæ, si inchoatæ reperiantur, possunt expediri à Delegato; quia eius potestas in ordine ad has caussas non desijt ob mortem delegantis, vt expresè colligitur, *ex l. & quia ff. De iurisdic. omn. Iud. & ex cap. Relatum. cap. Gratum. & cap. licet. De off. Deleg. & cap. final. De off. leg.* de iure autem speciali id habemus ex ipsamet Bulla, in cuius fine, vt supra vidimus initio huius sectionis, statuitur, facultates omnes, & gratias cessare expirãte anno, & solùm ad finem perduci posse caussas pendentes: applicando autem totum hoc casui nostro dicimus, quod si Confessarius acceptando facultatem commutãdi vota virtute huius Bullæ ad petitionem pœnitentis, & quia nequit in promptu deliberare circa materiam substituendam, & circa commutationis modum, differat designationem materiæ, res non erit integra, sed inchoata, & dependens: proinde elapso anno poterit materiam ipsam pœnitenti præscribere: at si nulla fiat commutatio, sed solùm Confessarius acceptaret munus commutandi, caussa remaneret integra, atque adeo post elapsum annum inutiliter fieret ipsa commutatio virtute præcedentis Bullæ, cum eius efficacia expirauerit.

Ostenditur non esse sufficiens.

Sola, & pura acceptatio potestatis, nõ est inchoatio caussæ.

Sententia Authoris, debere commutari votum de præsenti, licèt materia subrogandæ signetur in particulari.

Probatur ex iure communi, & speciali.

Franc. Bard. in Bull. Cruc.

§. III.

An posita generali illa commutatione voti, ante designationem materiæ subrogandæ possit absque peccato prius votum non seruare.

ESse hunc voti reũ docet *Emmanuel Rodriquez in addit. ad Bullam §. 9. num.* 115. respondens ad secundum dubium, & probat, quia licèt præcesserit commutatio, nempè illa generalis, tamen eius exequutio fuit impedita, seu suspensa materia substituenda; declarat autem hoc, & confirmat idem Author exemplo. Sicuti enim Pontifex dispensans in aliquo casu delegat caussam examinandam Ordinario, vel Confessori suspendens vt sic exequutionem illius dispensationis; tunc si Orator, qui petiit dispẽsationem ante exequutionem faciẽdam ab Episcopo, vel Confessario, vtatur dispensatione illa, grauiter peccabit, & si dispensatio erat circa aliquod votum reseruatum, erit voti reus: sic in re nostra, quamuis Confessarius virtute Bullæ votum pœnitentis commutauerit, nihilominus cõmutationis effectus manet suspensus, vsque dum materia designetur. sic *Rodriquez.* 130

Sententia Rodriquez, & eius ratio explicatur.

Sed dicendum est, probabiliùs esse oppositum, nempè hunc talem nõ esse reum voti. *ita Lessius lib. 2. De iust. cap. 40. dub. 16. num. 100. Sanchez cap. illo 54. sum: nu. 32. Diana parte prima tract. 11. resol. 52. Aegidius Trull in Bull. lib. 1. §. 7. capite tertio dub. 9. num. primo.* hanc opinionẽ fundant in eo, quod per cõmutationẽ illã, quãuis generalẽ, extracta fuit obligatio voti circa priorem materiam promissam, & translata in materiam substituendam. Ad exemplum verò, quod pro se Emmanuel attulit, respondeo, nõ esse parem rationem; quia Pontifex reuera in eo casu 131

Sentẽtia Authoris opposita.

Eius fundamentum.

Satisfit argumento petito ab exemplo. non dispensat, sed potestatem suam dispensandi delegat Ordinario, cui præscribit, vt si preces veritati nitantur, dispenset: proinde Episcopus vt Pontificis delegatus dispensat; non autem Pontifex, qui nihil aliud facit in eo casu, nisi committere caussam, & delegare potestatem dispensandi; at in casu præsenti Confessarius verè commutat priorem materiam in aliam licèt confusè, & genericè præscriptam, designandam postea in specie.

132 *Obiectio.* Cæterum contra horum Doctorum sententiam videtur vrgeri posse in hunc modum: de ratione commutationis est, ita eximere vouentem ab obligatione vnius materiæ, vt non eximat illum ab obligatione alteri⁹ materiæ; ergo impossibile est, vt vouens non peccet, si violet votum de priori materia. antecedens videtur manifestum ex natura ipsius commutationis, quæ per hoc distinguitur ab irritatione, & dispensatione: nam hæ siuè sint perpetuæ, siuè temporales ita liberant vouentem, vt illum eximant ab obligatione cuiuscumque materiæ: consequētia autem suadetur, quia si vouens frangeret priorem materiam, antequam sit præscripta materia subrogata, non peccaret, sequeretur habere illam exemptionem, quam haberet, si eius votum fuisset solutum per irritationem, aut dispensationē temporalem; & ideo eumdem effectum relinqueret commutatio, quem poneret irritatio, & dispensatio, & sic nō distingueretur ab illis ad tempus concessis, quod nemo concedet.

133 *Respondetur. Commutatio liberat vouētē ab obligatione prioris materiæ, & obligat ad actu subrogatam in specie, vel ad subrogandam.* Respondeo, & per distinctionē illius antecedentis dico: de ratione cōmutationis est ita liberare vouentem ab obligatione prioris materiæ, vt illum obliget vel ad materiam actu subrogatam in specie, vel subrogandam; talis autem modus relaxationis nequit conuenire irritationi, & dispensationi, quæ siuè perpetuæ sint, siuè temporales, nullam ponunt obligationem in vouente: at non est de ratione commutationis, dum fit, subrogare nouam materiā in specie: hac posita distinctione pro antecedente, negamus consequētiam, eiusque probationem, per quam dicebatur, ex nostra sententia sequi eamdem exemptionem relinqui in vouente mediante commutatione, quam relinquerent irritatio, & dispensatio.

§. VI.

Vtrum pænitens immemor speciei voti possit commutationem vi Bullæ vtiliter obtinere.

134 *Explicatur casus.* POno casum. Recordetur Titius se votum, aut vota emisisse, at non recordetur de materia, circa quam erat votū, petit à Confessario, vt non obstante tali obliuione, vota illa cōmutet virtute Cruciatæ. quæritur ergo, an ista confusio cadens supra ipsamet vota impediat commutationem, & iste est secundus sensus, quem, vt notauimus, habere potest quæsitum principale in titulo huius præsentis sectionis.

135 *Prima sententia affirmat.* Prima autē sententia docet, posse pœnitētem obtinere aliquam proportionatam commutationem arbitrio prudentis Confessarii præscribendam, vel habere prorogationem longioris temporis in hūc finem, vt considerando possit iterum recordari de specie, seu materia voti obliti, quamuis transeat tempus, quo durat Bulla: & hanc opinionem amplectitur *Sanch. cap. illo, 54. num. 34. Trullench. dub. 9. cit. num. 3.* & hoc probant, quia videtur eadē ratio de isto casu, & de illo, quādo ponitur memoria voti ex parte pœnitentis, sed Confessarius differt designationem materiæ, vt maturiùs examinet modum commutationis, de quo supra egimus. *Eius ratio.*

136 *Secunda sententia negat.* Secunda opinio negat posse fieri hanc commutationem, si pœnitens omnino oblitus sit materiæ, de qua erat votum *ita Suar. cap. 16. cit. num. 14.* idque probatur: quia cōmutatio prudens nequit fieri, nisi cognoscatur votū commutandum; vt enim seruetur lex iustæ commutationis, debet commutans notitiam habere de qualitatibus, & conditionibus voti, quod commutari debet, aliter quæcumq; detur commutatio, semper censebitur commutatio temeraria; & ideo exponitur Confessarius periculo errandi, quia posset contingere, vt materia, in quam fit commutatio, sit notabiliter inæqualis priori materiæ: idcirco transacto tempore habili, non poterit Confessarius vi præteritæ Bullæ hanc commutationem efficere. *Probatio desumpta ex lege prudentis commutationis.*

137 *Quæstio hæc in ordine ad praxim parū vtilis.* Cæterum quæsitum istud speculatiuum potiùs, quàm practicum parum vtile est in ordine ad praxim: quia si vouens post adhibitam diligentiam immemor est voti, ad nihil tenebitur durante tali obliuione; & sic non indigebit commutatione: illa autem dilatio parum illi prodest, quia si voti recordabitur, pote-

rit

rit virtute nouæ Bullæ commutationem habere, & maximè quia inter extinctionem, seu cessationem vnius Bullæ, & promulgationem alterius, tempus mediare non solet; poterit etiam commutationem hanc obtinere à Regularibus virtute ipsorum priuilegiorum, & ideo, vt dixi, in ordine ad praxim quæsitum non erit nisi leuissimi momenti.

138 *Speculatiuè quo pacto explicetur, & decidatur.*

At si magis speculatiuè, quàm practicè eius decisionem attendere velimus, mihi videtur posse commutationem modo iã explicando procedere, vt vitemus argumentum, quo Pater Suarez impugnat sententiam Sãchez: aio igitur posse Cõfessarium habere intentionem, & de facto cõmutare vota oblita pœnitentis, si dicat ex nunc pro tunc vi Bullæ commuto tibi vota, quæ emisisti, & quorum speciem, seu materiam non recordaris, in illam materiam, quam Deus scit esse moraliter æqualem, & proportionatam illi materiæ, de qua sunt vota ipsa. si ergò Confessarius talem habeat intentionem declaratam per hæc, aut similia verba, nullum mihi apparet inconueniens, quare modus iste commutationis nequeat esse validus: proinde elapso anno, si poenitens recordetur materiam voti, poterit ex vi talis commutationis eligere materiam proportionatam loco prioris materiæ arbitrio Confessarii, aut alterius viri prudentis, siue ipsius pœnitentis, si sit vir doctus, & sincero affectu ducatur in electione ipsius materiæ subrogandæ; nam electio ista non est commutatio, quæ supponitur iam facta à Cõfessario tempore habili, sed est actus prudentiæ, per quem declaratur æqualitas, seu proportio requisita inter viramque materiam, quamuis rectiùs sit, electionem hanc fieri arbitrio Confessarij, aut alteri' viri docti, ne ipsemet pœnitens in propria causa decipiatur.

Confessarius potest cõmutare vota oblita pœnitẽtis ex nũc pro tempore, quo eorum materiam recordabitur.

139 *Satisfit argumẽto Suarez, & ostenditur nõ esse huiusmodi cõmutationem temerariam.*

Ad argumentum igitur Suarez ex dictis respondetur, commutationem hanc non esse temerariam, sed prudentem ex suppositione quod pœnitentes nequeãt recordari materiam voti: & quamuis ad prudentem commutationem requiratur notitia voti commutandi, tamen erit necessarium, quando Confessarius debet in specie designare materiam subrogãdam, non autem id est essentialiter requisitum ad commutationem in genere, pro vt comprehendit illam, quæ fit in materia particulari, & illam, quæ in aliquo casu fit in materia indeterminata, determinanda postea, cum recordabitur speciem voti.

140 *Optimum simile affertur ad confirmandam sententiam Authoris desumptum ex iure ciuili.*

Possumus autem ad confirmationem huius responsionis, & ad nostram sententiam efficaciùs suadendam, optimum simile afferre ex iure ciuili. Cùm enim inter aliquos lis est suborta, ac ad forum contentiosum delata, si antequam Iudex sententiam ferat, instantia, nempe terminus illius temporis, intra quod controuersia est decidenda, propè absit, vt pereat; atque adeo potestas dicendi sententiam extinguatur, & Iudex nequeat certum formare iudicium; quia rationes pro vtraque parte non sunt adhuc benè perspectæ: tunc debet sententiam obscuram, vt inquiunt, proferre. sic *Panorm. cap. venerab. num. 20. De iudiciis, & alij Iurisperiti apud Marium Mutam suprà consuet:* Sen: *Panorm. cap. 16. num. 60.* Sententia autem ista obscura appellatur, quia sub hac forma, aut simili datur. *Condemnamus condemnandum, & liberamus liberandum ob periculum peremptionis instantiæ.* est enim forma quædam indeterminata; ideoque vocatur obscura, declaranda tamen, vt postea: videlicet explicandum est, quis sit ex collitigantibus dãnandus, quis liberandus; seu in cuius fauorem danda sit sententia, & secundùm ius municipale huius Regni Siciliæ intra bimestre est hoc declarandum, vt statuitur *Pragm. 2. tit. 11.* Existimatur autem sententia ista sic obscurè, & indeterminatè prolata prudens, & rationabilis; quoniam ex vna parte cum non possit Iudex hic, & nunc decidere potiùs pro vno, quàm pro altero litigante; & ex alia parte instantia caussæ breui sit peritura, & si periret, cessaret facultas iudicandi in Iudice in damnum tertij, prouisum est, vt modo explicato ne desinat terminus iudicandi, & ne desinat iurisdictio intra tẽpus habile, obscurè caussam decidere: ita in casu nostro, cum Confessarius ob pœnitentis obliuionem nequeat determinatam commutationem votorum facere, & vigor Bullæ breui sit extinguendus, quo extincto desineret facultas cõmutandi in Confessario; idcirco ad vitãdum tale incommodum Confessarius dat veluti obscuram commutationem declarandam postea, quando pœnitens memor fuerit votorum à se emissorum.

Sententia obscura in iure ciuili quid sit.

Applicatur simile.

Aduerto tamen hic, quod cum pœnitens postea votum emissum in specie agnoscet, tenebitur eligere, & subrogare materiam proportionatam, vt perficiatur commutatio, si velit recedere à priori materia, circa quam votum emisit.

†

CAPVT II.

De votis commutandis, ad quæ extenditur, & de his, ad quæ non extenditur priuilegium Cruciatæ.

1 EGimus in præcedenti capite de conditionibus, seu qualitatibus, quæ ex parte commutationis vi hui⁹ diplomatis requiruntur; nunc verò considerabimus ipsamet vota declarantes, quæ sint commutabilia, quæ minimè per hanc Bullam Cruciatæ; quapropter sequentes instituimus sectiones.

SECTIO I.

Expenditur idem priuilegium in ordine ad quædam specialia vota distincta ab illis tribus in hac Bulla reseruatis.

2 VT meliùs innotescant vota specialia, quæ sub huius amplissimi priuilegij latitudine comprehenduntur, vnicū est proponēdum principium, ex quo vota ipsa commutabilia deduci queunt.

3 Dicendum igitur est, omnia vota tum personalia, tum realia, aut mixta, exceptis illis tribus, nempè *Vltramarino, Castitatis, & Religionis*, posse virtute Bullæ commutari, vt expresè habetur in ipsomet diplomate, & cuius verba à nobis relata sunt initio præcedentis capitis. euidens est cōclusio, quia cum per Bullam Pōtifex amplam concedat facultatem commutandi omnia vota, illis exceptis, nulla remanet dubitatio, quia omnia alia vota clauduntur sub hoc priuilegio in ordine ad ipsorū commutationem (excipio autem semper vota substantialia Religionis, & illis annexa siuè sint solemnia, siuè simplicia; nam ista, certum est, commutari non posse neque per Bullam, neque per quodcumque Iubileum) ex principio igitur posito ad maiorem claritatem deducendæ sunt nōnullæ conclusiones, in quibus descendimus ad vota in particulari.

Facultas commutandi vota per Cruciatam concessa quam sit ampla.

Quæ nam excipiantur.

4 Colligitur ergo primò, per Bullā Cruciatæ commutari posse votum assumendi sacros ordines. *ita Henriq. lib. 7. cap. 30. num. 6. Azor tom. 1. instit. moral. lib. 11. cap. 20. q. 9. Sanchez lib. 8. de matr. disp. 9. n. 13. Rodriq. in Bull. §. 9. num. 132. Acosta in ead. Bull. quæst. 73. Ludouicus à Cruce disp. 1. cap. 6. dub. 10. nu. 6. Fernandez in exam: p. 3. cap. 9. §. 17. num. 8. & alij apud dictum Ludouicum.* Ratio autem est, quia tale votum non fertur immediatè in Castitatem, sed in aliquem statum, cui connexa est Castitas; proinde cum votū strictè sit interpretandum, ideo tale votum nō erit reseruatum. sicuti in simili aduertit *Palatius in 4. disp. 2. ver. adnotandum tamen, si quis voueat Religionem, non censetur vouere immediatè Castitatem, Obedientiam,* quod etiam docet Sanchez *lib. 9. de matrim. d. 33. n. 14. & in sum: lib. 4. cap. 16. nu. 117.* Et hoc, quia obiectum primi voti non est Castitas, sed est promissio illius status, in quo suo tempore sit votum Castitatis.

Votum assumendi sacros ordines commutari potest.

Ratio: quia nō fertur immediatè in Castitatem.

Colligitur secundò, votum non nubēdi esse commutabile per hanc Bullam, vt ex multis docet *Aegidius Trullench lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 15. num. 23. Sanchez lib. 8. de matr. disp. 15. num. 10. & alii apud eosdē.* Probatur, quia votum Castitatis reseruatum, est illud, quod omnimodam complectitur Castitatem, quale non est votum non ineundi matrimonium: limitanda tamen est conclusio cum citatis authoribus casu, quo votum istud sit emissum in fauorem tertij, cuius interest fuisse emissum, & ad eius petitionem factum, ab eodemque acceptatum, tunc enim nō posset per Bullam commutari v.g. si vir à sua coniuge petat, quod si fortè ipse decedat ex hac vita relictis filiis, & supersit ipsa coniux, votum emittat iterum non nubēdi in vtilitatem filiorum, si mulier votum emittat sciente, & illud acceptante viro, tale votum ob rationem dictam nō posset virtute Cruciatæ commutari, quia eius efficacia non extenditur ad commutanda vota, quorum commutatio ex iure quæsito resultaret in damnum tertii. 5

Votum non nubendi.

Limitatur, nisi sit in fauorem tertii.

Colligitur tertiò. Votum coniugalis castitatis potest eodem modo commutari, & hoc, quia non est votum omnimodæ Castitatis. *ita Lessius lib. 2. de iust. cap. 40. num. 105. Diana tract. 11. De Bulla Cruciata resol. 62. Ludouicus à Cruce, c. 6. cit. dub. 10. num. 5. Trull. dub. 15. cit. num. 10. Sanchez disp. illa 9. n. 8. & in decal. lib. 4. cap. 40. num. 50.* qui limitat hanc conclusionem, quando tale votum esset annexum statui religioso auctoritate Summi Pontificis, vt est votum annexum Equitibus S. Iacobi, Alcantaræ, Calatrauæ, &c. Ex his etiam deducitur, votum non petendi debitum posse commutari per Cruciatam, quia nō fertur in omnimodam Castitatem. 6

Votum coniugalis Castitatis.

Limitatur, nisi sit annexū statui religioso.

Non petendi debitum.

Colligitur quartò, votum Virginitatis si præcisè sumatur, quatenus importat corporis integritatem consistens in abstinentia à primo actu luxuriæ posse commutari. *sic Sanchez lib. 5. de matr. disp. 15. num. 4. Trull. dub. 15. cit. nu. 22. & Diana tract. 11. Bull. resol. 60.* hi autem Authores notant, quod si expresè non constet, an vouens voluerit promittere præcisam, & solam abstinentiam à primo actu, tunc esse præsumendum fuisse votum omnimodæ 7

Votum Virginitatis, vt præcisè importans corporis integritatem.

Ca-

Castitatis; atque adeo nō esse per Bullam commutabile.

8 *Dubitatio.*

Dices, cum votum sit stricti iuris in dubijs censendum est ad minimum se extēdisse, *iuxta regulam* 30. *Iuris in* 6. scilicet, *In obscuris minimum est sequendum.* igitur dum vouens non est certus se promisisse totalem continentiam, poterit præsumere per votum Virginitatis promisisse meram corporis integritatem.

9 *Soluitur.*

Respondeo, prædictam doctrinam ex regula illa esse admittendam, nisi aliundè aliquid aliud obstaret, & sic cum votum Virginitatis cōmuniter accipi soleat pro omnimoda Castitate, idcircò possessio nō stat pro solo primo actu, sed pro totali Castitate.

10 *Votum inseruiendi domui religiosæ.*

Colligitur quintò, posse per Bullam commutari votum perpetuò inseruiendi hospitali, aut alteri religiosæ domui, aut votum Obedientiæ alicui emissum, quia hæc nō sunt vota Religionis. *sic Trullēch cap.* 3. *cit. dub.* 16. *nu.* 10.

11 *Seruādi paupertatē extra religionem.*

Colligitur sextò, votum seruandi paupertatem extra religionem posse etiam commutari per Bullam, & non esse reseruatum. *sic Henriq lib.* 7. *cap.* 30. *nu.* 6 *Suar. lib.* 6. *De voto cap.* 21. *num.* 9. *Trullench dub.* 14. *num.* 5.

12 *Visitādi limina Apostolorum, & alia loca sancta.*

Colligitur septimò, votum visitandi limina Apostolorum, Domum Lauretanā, S. Iacobum in Cōpostella nō esse exceptum in hac Bulla; ideoque eius virtute commutari posse. *ita Trull. cap. illo.* 3. *dub.* 5. *nu.* 11. *& dub.* 17. *nu.* 5. *Rodriq.* §. 9 *in Bull. nu.* 126. *Henriq. l. c. & alij.* Ratio autem est, quia, vt infra declarabimus, per votum Vltramarinum non intelliguntur peregrinationes, & loca pia superi⁹ dicta, proinde cum tale votum non sit vnum ex illis tribus poterit per Bullam validè commutari.

13 *Non ludendi sub pœna soluend pecuniā determinatæ Ecclesiæ, vel pauperibus.*

Colligitur octauò. Si quis voueat non lusurum sub pœna soluendi Ecclesiæ determinatæ, aut pauperibus aureum vnū pro qualibet vice, si sæpè luserit, ita vt ratione voti sit debitor in magna pecuniarum quantitate, poterit per Bullam tale votum commutari partim in eleemosynas, partim in alia pia opera, & etiam potest commutari votum prædictum quoad futuram obligationem. *sic Aegidius Trull. in Bull. lib.* 1 §. 7. *cap.* 3. *dub.* 8. *nu.* 1. *Torres in* 2. 2. *tom.* 2. *quæst.* 88. *a.* 12. *disp. vlt. nu.* 4. *Sanchez in decal. lib.* 4. *cap.* 52. *nu.* 9. *Suarez to.* 2. *De relig. lib.* 6. *cap.* 20. *nu.* 19. *Filliuccius tom.* 2. *tract.* 26. *cap.* 10. *nu.* 295. *Diana in Bull. resol.* 46. *& alij apud ipsum.* est contra *Sayrum in clau. Reg. lib.* 6. *c.* 12. *nu.* 20. *ver. Præter hæc, in fine. Nauarrum in consil. tom.* 1. *consil.* 35. *in antiquis, in nouis consil.* 32. *De voto. Azor. to.* 1. *lib.* 11. *cap.* 19. *dub.* 23. *Graffius p.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 28. *n.* 5. eorum autē opinio nititur in hoc, quod aliud est commutare votum, aliud relaxare pœnam, quæ non oritur immediatè ex voto, sed ex violatione voti.

Cæterum hæc ratio nō conuincit, quia tota illa obligatio ex voto emisso vim habet; neque est obligatio distincta ab ea, quæ suo tempore de præsenti obligauit, vt rectè notat Suarez, sed est eadem, quæ semper magis, atque magis vrget, & aduertendum hic est, quod si vouens solùm petat commutationem voti pœnalis, vel absoluti de eleemosyna eroganda, commutatio facta iuxta talem petitionem nō extenditur ad pecuniam debitam ex fractione voti; idcircò si ipse vouens velit etiam commutationem habere de pecunia debita, tenebitur illam explicitè petere, vt notant Authores citati. 14

Respondetur argumēto cōtrariæ sententiæ.

Colligitur nonò. Si Pontifex commutet pecuniam ex fractione voti debitam, vel eius partem remittit, & partem soluendam relinquit, potest Confessarius vi huius Bullæ commutare partem illius pecuniæ debitam in aliud opus pium. ita *Suarez l. c. Ludouicus à Cruce in exposit. Bull. disp.* 1. *cap.* 6. *dub.* 15. *nu.* 12. *Sanchez l. c. Trull. cap illo* 3. *nu.* 5. *Suarez cap. cit. nu.* 20. *& alij.* Ratio est, quia nihil obstat commutatio illa facta à Pontifice, cum per talem commutationem pars pœnæ, quam vouens tenetur soluere, non est effecta reseruata; proinde sicuti priùs ante commutationem Pontificiam poterat tota pœna ab Episcopo, vel ab alio Confessario virtute Iubilei, aut Cruciatæ validè commutari, sic &, post commutationem Pontificiam, quod remanet sub obligatione, erit eadem auctoritate commutabile. 15

Partem pecuniæ debitæ ex fractione voti potest Confessarius cōmutare in aliud opus pium.

Colligitur decimò. Vota, seu iuramenta, quibus firmantur statuta Communitatum, Collegiorum, Academiarum, &c. nequeunt per Bullam commutari. *ita Sotus de iustit. lib.* 8. *quæst.* 1. *a.* 9. *ad tertium ver. Tertium mēbrum. Azor. tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 9. *quæst.* 4. *Trull. in Bull. cap.* 3. *cit. dub.* 5. *nu.* 8. *&* 12. Ratio autem est clara, quia hoc priuilegium Cruciatæ non est concessum vniuersitatibus, sed personis particularibus: hoc autem Sanchez limitat, asserens esse intelligendum, quando statuta prædicta sunt à Summo Pontifice confirmata. Rursus talia iuramenta cedunt in vtilitatem tertij, & primò, & per se non fiunt ob motiuum Diuini cultus; proinde eorum commutatio redundat in damnum alterius, ideoque non continetur in obiecto huius priuilegij. sicuti ob eamdem rationem iuramenta, quę emittuntur à nonnullis Prælatis non alienādi 16

Non possunt cōmutari vota, seu iuramēta, quibus firmantur statuta Cōmunitatum, &c.

bona

bona ecclesiastica, & alia similia, quorũ relaxatio, seu commutatio tenderet in damnum alicuius tertij, nequeunt per Bullam commutari.

SECTIO II.

An tria illa vota, quæ in Bulla excipiuntur, valeant per ipsam Bullam commutari, quando sunt pœnalia.

17 Diximus supra, priuilegium cõcessum per Cruciatam non posse se extendere ad commutanda tria illa vota, nẽpè *Vltramarinum*, *Castitatis*, & *Religionis*. Cæterum quia in emissione horum votorum interdum aliqua adnectitur qualitas, seu circumstantia; idcirco meritò Doctores dubitãt, an in quibusdam casibus priuilegium istud Cruciatæ extendatur ad commutanda huiusmodi vota: qualitas autem ista, de qua esse potest dubitatio, licèt multiplex sit, præcipuè tamen est, quando aliquod ex enumeratis votis fit sub conditione, quæ duplex est, nempè, & pœnalis, & merè conditionalis: in hac autem sectione loquemur de pœnali; in sequenti verò de pura conditionali: acturi postea de quibusdã alijs qualitatibus, & modis, sub quibus hæc vota emitti solent. Exordium autem sumentes à conditionalibus, quæ simul sunt pœnalia.

Explicatur duplex conditio, sub qua tria vota excepta in Bulla videntur posse commutari.

18 Ponamus exemplum, sit Petrus ludo alearum deditus, in quo notabilem pecuniarum iacturam, forte aduersa, expertus sit, & vt faciliùs possit se à tali ludo abstinere, emittat votum ingrediendi Religionem, seruandi perpetuam Castitatem, aut peregrinandi in terram sanctam, si ampliùs ludat; tunc votum istud dicitur pœnale, quia Religio, Castitas, Peregrinatio in pœnam transgressionis ipsemet vouens sibi imponit, & quia non paruam habet difficultatem in exequutione horum votorum; idcirco votum aliquod ex prædictis emittit, vt pœna deterritus abstineat à ludo. Cæterum quia materia ista, circa quam versatur votum, est Pontifici reseruata, quærunt Doctores, an quando non intuitu deuotionis, sed per modum pœnæ vota de tali materia fiũt, possint per Bullam à Confessario commutari in aliqua pia opera.

Pœnale votũ Religionis, Castitatis, Peregrinationis huiusmodi fit.

19 Aduertunt tamẽ Doctores, supradicta vota duplici modo fieri posse. primò si quis voneat se non patraturum in posterum hoc, aut illud, V. G. non lusurum, non se inebriaturum, &c. & si fortè ludat, aut inebrietur, in pœnam promittat hierosolymitanam Peregrinationem. Secũdo modo si quis non voueat se nõ lusurũ, inebriaturum &c. sed posito quod ludat, se inebriet &c. voueat Peregrinationem, tunc ludendo, aut se inebriando non cẽsetur reus voti, quia hoc non promisit; sed solùm censebitur posuisse conditionem, ex cuius existentia votum transit in absolutum. Ex hoc autem duplici modo, aliqui, inter quos est, *Nauerrus in sum. cap. 12. nu. 43. Azor. tom. 1. instit. moralium lib. 11. cap. 20. quæst. 13.* putant, primo dũtaxat modo vota ista appellanda esse pœnalia, non autem secundo modo: sed alij vtroque modo volunt esse pœnalia. *sic Sanchez lib. 8. de matr. disp. 10. nu. 2. Sotus lib. 7. De iust. quæst. 2. a. 1. ad quartum. Gomez in Bullam clausf. 10. nu. 99. & alij*, & hanc opinionem amplectendam iudico, quia in vtroque modo semper vouens præscribit sibi materiam illam, in quam cadit votum tanquam pœnam, & merè per accidens se habet, quod conditio illa etiam sit materia voti; & aduerto in hoc casu duplex interuenire votum, vnum, quo Petrus promittit Deo, se tali ludo malo non lusurum; alterum votum est promissio Peregrinationis. His omnibus præhabitis pro terminorum declaratione quærimus, an vota ista, quæ sunt in materia reseruata, possint vtpotè pœnalia per Bullam commutari.

Duplex modus quo potest emitti.

Vtroque modo dicuntur pœnalia.

In hac re tres inuenio sententias. prima absolutè negat commutari posse. ita nõnulli, quos tacito nomine laudat *Philarchus De off. Sacerd. tom. 1. p. 2. cap. 22. ver. penultimo*, quam opinionem ipse æquè probabilem putat, sicuti & oppositas. Nititur autem hæc opinio his rationibus. primò, quia antequam vouens pœnam incurrat, votum non extat; proinde locũ habere non potest commutatio, de cuius natura est supponere rem vt Deo promissam, circa quam versari debet, quia in illud, quod non dum est, ferri non potest neque dispensatio, neque commutatio: quemadmodum actus pœnitentiæ necessariò supponit propriam culpam, circa quam versari debet; neque valet, si dicas, commutationem fieri posse pro eo tempore, quo continget voti violatio, & pro tunc eximatur vouens, ita vt non teneatur promissam præstare; non valet inquam, quoniam commutatio, vt subsistat, fieri debet tempore habili, nempè tempore, pro quo supponitur res cõmutabilis: sed post incursam pœnam votum transiens in absolutum erit consequenter Pontifici reseruatum; atque adeo per Bullam non commutabile: secundò quia si fingamus quod Titius in pœnam alicuius delicti à se patrati voueat e.c. Religionem, 20

Prima sententia negans.

Eius rationes.

nem, votum erit reseruatum. igitur à pari idem dicendum est de voto emisso ante delictum, seu ante pœnæ incursionem.

21 Secunda opinio distinguit, & vult, ante pœnæ incursionem vota illa non esse reseruata, sed fieri reseruata post incursionem pœnæ. *sic Sebastianus Acosta in Bull. quæst. 73. in 3. propos.* & probat suam sententiam hac ratione: ante adimpletā cōditionem, votum Religionis erit accessorium sequens naturam sui principalis *Ex cap. Accessorium De Reg. iur. in 6. & ex l. Cum principalis ff. eod tit* & cum votum principale non sit reseruatum, neque reseruatum erit eius accessorium: at post pœnam incursam, & adimpletā conditionem votum Religionis nō erit amplius accessorium, sed manet absolutum, independens à voto priori; ergo erit reseruatum: sic *ex Acosta*, cuius sententiam amplexus est *Rodriq. in Bull. §. 9. nu. 24. Sayrus De cauendo iuramenti abusu 1. par. c. 9. & lib. 7. De iust. q. 2. a. 1. ad quartum, & q. 4. a. 3. Couar. in cap. Quamuis pactum par. 1. §. 3. nu. 12. & alij apud Sanchez loco infra citando.*

Secunda sententia sub quadā distinctione affirmans, & negans.

22 Tertia denique opinio absolutè asserit, siue antè, siue post incursam pœnā huiusmodi vota cōmutari posse virtute Bullæ. *sic Sanchez lib. 8. De matr. disp. 10. nu. 8. & in decalog. lib. 4. cap. 40. num. 91. Gomez in Bull. claus. cit. Medina in sum. cap. 14. §. 6. Henriq. lib. 7. cap. 30. num. 6. Rodriq. in qq. regul. tom. 1. quæst. 63. a. 7. Trull. in Bull. lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 6. nu. 13. Castro Palaus to. 3. tract. 15. disp. 2. p. 11. nu. 6. & alij quamplures apud ipsos.*

Tertia sententia absolutè affirmatiua.

23 Dicendum est cum hac vltima sententia, quam cæteris probabiliorem existimo. & præter authoritatem eorum, qui eam tuentur, optima ratione suadetur; quia votorū reseruatio cum sit odiosa, atque adeo restringenda, interpretanda est de votis, quæ non includunt voluntatem fugiendi absolutam obligationem, quod repugnat perfectioni voti, atque adeo votum pœnale cum imbibitam habeat talem voluntatem, non censebitur votum simpliciter talis rei, sicuti sunt alia, quæ talem voluntatem non inuoluunt: ergo vota pœnalia, cum à voti perfectione, & natura deficiant, non censētur reseruata, dum Pontifex absolutè, & simpliciter hæc tria vota in Bulla sibi reseruet: votum enim in materia odiosa sumitur strictè, nempè pro illo, quod perfectā voti naturam inuoluit, & non debet latè accipi, pro vt includit & perfectum, & imperfectum votum modo explicato.

Author adhæret tertiæ sententiæ vt probabiliori.

24 Ad primam autem rationem pro sententia primo loco relatam, respondeo negando, ante incursionem pœnę votum non extare, quia ex eo quod conditio nō sit purificata, & vouens pœnam non incurrerit, non rectè infertur negatio voti, sed solùm obligatio ad votum exequendum: sicuti si Petrus per publicum contractum obligabatur Paulo soluere centū, si in posterum illi talem inferat molestiā, certum est, Petrum actu obligatum esse, sed non teneri ad solutionem, vsque dum ponatur molestia.

Respondetur primæ rationi primæ sententiæ.

25 Ad secundum nego paritatem: quia votum emissum in pœnam delicti patrati est absolutum, & res per actum vouendi promissa non proponitur vouenti, vt res odiosa, sed potiùs vt res sibi grata, quam ipse vouens Deo offert in recompensationem iniuriæ illatæ contra ipsum, Deū; secus dum votum emittitur ante, delictū commissum, vt vouens perterritus timore pœnæ fugiat illam culpam: nam tunc proponitur res promissa vt odiosa, & nō vt amabilis: proinde dum sic promittitur, votum erit cum defectu, qui est aliquo modo oppositus perfectioni voti; quod cum sit actus Religionis, & ex sua natura primò, & per se respiciat Dei cultum, debet emitti ex affectu offerendi Deo rem ipsi vouenti gratam.

Secundæ rationi eiusdem fit satis.

26 Ad fundamentum secundæ opinionis respondeo, quod quamuis post incursā pœnam votum transeat in absolutum, nihilominus, cum obligatio originem duxerit ab actu deficiente à natura, & perfectione voti, nempè ex quadam abominatione rei promissæ; inde fit, vt votum ipsum transeat in absolutum cum eodem defectu, & imperfectione; ac proinde in ordine ad reseruationem, quæ est strictissimi iuris, non comprehendatur sub ratione voti simpliciter prolati.

Fundamento secundæ sententiæ respondetur.

SECTIO III.

Quid Iuris de his tribus votis purè conditionalibus.

27 Votum conditionale tripliciter se habere potest: primò, quatenus importat rationem pœnæ, & sic non appellatur purè conditionale, quia præter conditionem includit vindictam, seu pœnā; & de voto sub hac forma actum est præcedenti paragrapho. secundò potest emitti non sub ratione pœnæ, sed solùm sub conditione, quæ suspendat exequutionem ipsius voti, & in recompensationem alicuius beneficij, quod vouēs à Deo sperat obtinere V. G. si quis reperiatur aliquo graui morbo oppressus, vel in aliquo alio vitæ periculo constitutus promittat Deo, se Religionem ingressurum, si à tali periculo incolumis euadat, tale votū erit

Votum conditionale triplex.

Importās rationē pœnæ nō est purè conditionale.

Merè, & propriè conditionalis quod sit.

erit merè, & propriissimè conditionale, explicatum per particulam illam, si, quæ suam retinet naturam, & in huius voti emissione vouens Deo offert veluti in compensationem beneficij, quod desiderat, nempè illius periculi effugium, Religionis ingressum: tertiò, interdum promissio habet effigiem, seu formam voti conditionalis, sed reuera est votum absolutum, quia licèt inuoluat dictionem conditionalem, scilicet particulam, si; tamen dictio ista in animo vouentis æquiualet particulæ, quādo, & ita ponitur ad tempus exequutionis voti determinādum E.C. si quis nunc viuente Patre impedimentum habeat, ne Religionem ingrediatur, aut detineatur aliquo morbo ingressū impediente, & voueat in hunc modum, si Pater meus obierit, aut ego ab hac ægritudine euasero, promitto Deo Religionē ingredi; tūc dictio illa, si, determinat tempus, quo votum est exequēdū, & perinde est, ac dicere, promitto ingressum Religionis post mortē Patris mei, aut quādo corporis salutē recuperauero. sub hac autem forma non agimus de his tribus votis, quæ licet habeant speciem conditionalium, tamen sūt absoluta, & consequēter sunt reseruata, sed sermo est de his votis, quę sūt merè conditionalia, & distinguūtur ab illis, quæ non sunt merè conditionalia, qualia sunt pœnam includentia, de quibus supra.

Habens formā voti conditionalis, sed re vera absolutū explicatur exemplo.

28 Differt autem votum merè conditionale à pœnali in eo, quod in voto pœnali res, quæ promittitur, obijcitur vt exosa, vt supra declarauimus; in voto tamen conditionali non proponitur, vt exosa, sed potiùs vt grata: at animus vouentis non fertur directè in rem ipsam promissam, sed in rem aliam, quam desiderat à Deo obtinere, aut vitare, vt patet exemplis adductis. His præhabitis quærimus, an vota de materia Summo Pontifici reseruata, quando sunt strictè conditionalia, possint per Bullam Cruciatæ commutari.

Quid differat votum merè conditionale à pœnali.

29 In hac re sunt etiam tres sententiæ, vt diximus agentes de voto pœnali. & prima negat esse commutabilia siuè post, siuè antè conditionem adimpletam. *ita sentiunt Sotus lib.7. De iust. quæst.2. art.1. ad quartū. Corduba in sum. quæst.152. Nauar. in manual. cap. 12. num. 43. Guttier. in quæst. can. lib.2. cap.22. num. vlt. Arag. in 2.2. S. Thomæ quæst.88. a.12. ver. si quis autem quærat. Valent. ibidem disp.6. quæst. 6. p.7. ver. item possunt. Rodriq. in Bull. §.9. nu.125 Azor. tom.1. lib.11. cap.19. quæst.13. & alij.*

Prima sententia negans.

30 Secunda opinio est eorum, qui adhærent Authoribus citatis, quatenus negant post conditionem adimpletam, sed ante-

Secunda negans post conditionem adimpletā cedens ante adimpletā.

quam ea adimpleatur, concedunt, talia vota commutabilia esse per Bullam Cruciatæ, & per Episcopum. *sic docent Suarez lib.6. De voto cap.22. n.11. Lessius lib.2. De iust. cap.40. dub.3. num.106. casu septimo Sayrus in clau. Reg. lib.6. cap.11. n.67. Ludouicus à Cruce in Bullam disp.1. cap.6. dub. 9. nu.16. Filiuccius tom.1. tract.26. n.269. Basilius lib.8. De matr. cap.7. nu.7.*

31 Tertia sententia sustinet huiusmodi vota tum ante, tum post conditionem adimpletam commutari posse per Bullā, sicuti per Episcopum, & per Mendicantium priuilegia: & sic asserunt *Petrus Ledesma in sum. to.2. tract.10. cap.8. post quartum dictum. Sanchez disp. cit. De matr. n.13. & in decal. lib.4. cap.40. nu.99. Toletus in instruct. lib.4. cap.18. nu.11. Diana in Bull. tract.11. resol.54. Castro Palaus tom 3. disp. 2. p.12. nu.15. Trullench in Bull. lib.1. §.7. cap.3. dub.7. num.9. & alij.*

Tertia sententia affirmans tā ante, tū post conditionem adimpletam tria vota reseruata esse commutabilia.

32 Dicendum est primò, tria ista vota, quę in Bulla excipiuntur, & soli Summo Pontifici reseruantur, dum fiunt sub cōditione expressa, quæ tacitè inest, seu eo modo, quo inest, nequeunt per Bullam commutari V.G. si exprimatur ista conditio, voueo Religionē hinc ad annū, si vixero, aut si Deus opppositū nō decreuerit, &c. tunc votū istud verè non dicitur conditionatum, sed absolutū, eo prorsus modo, quo esset, si conditio illa, aut similis expressa minimè fuisset. & desumitur ex Iure, in quo habetur, quod conditio tacitè subintellecta non faciat actum conditionalem, vt apertè statuitur *l. conditiones extrinsecus: ff. De condit: & demonstr. Glos. in cap. significasti De elect. ver. conditione. Sanchez lib.1. De matr disp.67. nu.3. & lib.5. disp.1. à num.3. Suarez lib.5. De suram. cap.34 per totum, & lib.4. De voto cap.18. nu.2. & alij scribentes in l.3. ff. De leg. 1.* Ratio autem est, quia conditiones istæ aut sunt generales, quæ subintelliguntur in omni contractu, aut si sint particulares, non addūtur ad suspendēdum actum, eiusque obligationem, sed potiùs præsupponuntur tāquā necessariæ ad validitatē, & honestatē voti; & ideo non reddunt votū conditionatū, sed absolutū statim obligans vouentem: secus autē esset, si conditio illa tacita explicaretur alio modo, quo inest; tunc enim votum erit conditionatum, & suspensum. Varia autem exempla vide apud laudatos Authores.

Authoris sententia de votis, quæ fiunt sub conditione expressa, quæ tacitè inest. est negatiua.

33 Dicendū est secundò. Si conditio sit de præterito, aut de præsēti, vota, quæ sub tali cōditione fiunt, vel erūt irrita, si cōditio nō ita se habet, sicuti exprimitur, vel si ita se habet, erūt valida; & in hac materia, de qua loquimur, erūt reseruata, & per Bullā cōmutari non poterūt. *ita Suarez lib.6. De*

Et de votis quæ sub cōditione habita de præterito, aut de præsenti.

voto

voto cap. 23. n. 9. Sanchez lib. 8. De matr. disp. 10. n. 14. & in summa lib. 4. c. 30. nu. 88. & alij. Probatur, quia votũ emissum sub conditione de præterito, aut præsenti nõ includit conditionẽ suspensiuã; proinde cum statim obliget, erit absolutũ, & per consequens in hac triplici materia erit reseruatũ, & incõmutabile per Bullã: V. G. si quis ita voueat: si pater meꝰ tali die incolumis euasit à tali periculo, vel si nunc est in ciuitatẽ reuersus, voueo hierosolymitanã Peregrinationẽ. si igitur conditio illa de preterito, nẽpè euasio à periculo, aut illa alia de præsenti, videlicet actualis regressus ita se habeant, sicuti apponuntur in actu vouendi, non suspendunt votũ Peregrinationis: & ideo illud absolutũ reddunt, & per consequens, cum sit de materia reseruata, erit & ipsum etiam reseruatum.

34 *Et de ijs, quæ habent conditionem futuram, sed necessariam.*

Dicendũ est tertiò. Si vota ista emittantur sub cõditione futura, & necessaria; vt si dicas, voueo Religionẽ, si sol cras orietur, votum istud censebitur absolutum; quia cũ positio cõditionis erit certò futura, habetur pro adimpleta; proinde statim vouens obligabitur. *sic Sanchez cap. illo 40. n. 95. & communiter alij.*

35 *Vota, quæ fiũt sub conditione futura, sed impossibili, sunt irrita.*

Dicendũ est quartò. Si votũ aliquod ex his tribus emittatur sub conditione futura, & impossibili, vt voueo Castitatẽ, si cras cœlũ manu tetigero, votum est ipso facto irritũ, vt fusè probat *Sanchez lib. 4. cit. cap. 23. à n. 8. alios Authores citãs*: & ratio est clara, quia ita vouens noluit obligari, nisi ea cõditione posita, & cũ nũquã cõditio apponetur, nũquã cõsequẽter erit obligatio.

36 *De votis sub conditione de futuro licita, & contingente auctoris sententia est affirmatiua.*

Dicendũ est quintò. Quodcũque votũ conditionale per conditionẽ de futuro licitã & contingentẽ de hac materia reseruata poterit per Bullã cõmutari, vt asserit tertia sentẽtia. & licèt votũ merè cõditionale nõ habeat imperfectionem illã, quæ reperitur in voto conditionali pœnali: nihilominus cũ non sit omnino liberũ ab aliqua imperfectione, vt mox explicabo; idcirco probabiliùs censeo, non esse reseruatũ. Suadetur conclusio ostendẽdo priùs imperfectionẽ, quã talia vota inuoluunt, & postea ex hoc deducendo negationẽ reseruationis in illis; imperfectio autẽ ista nõ est tantũ penes motiuũ applicãs volũtatẽ ad vouendũ; nã hoc pacto si quis moueretur ad emittendũ votũ Religionis neque ex amore Diuini cultus, sed ex alio motiuo, aut minùs bono, aut indifferenti, & absolutè Religionẽ voueret; tunc tale votũ non esset reseruatũ, quod tñ est apertè falsum, & à nemine conceditur. sed imperfectio ista, de qua loquimur maximè est attendenda penes ipsum actum vouẽdi, & consistit in hoc, quod ipsemet actus

Ratio fundamentalis desupta ab imperfectione voti conditionalis.

Quæ sit ista imperfectio, explicatur.

dependeat à futuro euentu; atque adeo careat perfectione illiꝰ immobilitatis, quæ in voto absoluto reperitur: quapp̃ter votũ conditionatũ includens imperfectum consensum circa rem promissam erit imperfectũ, & potiùs votũ cum addito, quã simpliciter, inde fit, vt non sit reseruatum: nã vt supra diximꝰ, sub reseruatione strictè intellecta pro vota simpliciter, & absolutè prolata veniunt vota perfecta, & non diminuta, vt meliùs patebit soluendo argumenta pro oppositis sententijs.

Sub reseruatione strictè intellecta veniunt vota perfecta, & nõ diminuta.

37 *Obijcitur pro prima sententia disparitas voti merè cõditionalis, & pœnalis.*

Dices primò pro sententia primò loco relata. In his votis merè conditionalibus, non militat ratio illa, per quam ostẽdimus, vota pœnalia non esse reseruata; atque adeo commutari posse. & disparitas est, quia in pœnalibus res promissa proponitur voluntati tanquam odiosa in illum finem, vt voluntas deterrita abstineat à peccato, ne pœnam incurrat: at in conditionalibꝰ res promissa non proponitur tãquã odiosa, sed vt Deo grata, ad hoc vt ipse vouens offerendo rem illam Deo obtineat id, quod desiderat. igitur non militat eadem ratio, &c.

38 *Respondetur ex ratione communi alicuius imperfectionis, quã vtraq; habẽt.*

Respondeo. Quãuis in omnibus non militet eadẽ ratio in pœnalibus, & conditionalibus; tamen vtrũq; voti genus includit cõmunẽ aliquã rationẽ, ob quã nõ cõtineatur sub reseruatione Pontificia: ratio autẽ ista cõmunis est votũ non emitti ex affectu rei promissæ, & cultꝰ Diuini, quod minuit perfectionem illam, quæ esse debet in actu vouendi, nẽpè emitti primò, & per se in Dei honorẽ, & ex affectu ipsius rei oblatæ: quapropter vtrũq; genus voti pœnale, & purum conditionale non censetur comprehendi in reseruatione voti vt sic, quæ strictè est interpretanda; & ideo ad argumentum neganda est consequentia.

39 *Obijcitur pro secunda sententia ratio cõmunis omnis contractꝰ, qui conditione impleta censetur esse perfectus.*

Dices secundò pro sententia, quæ vult, vota ista conditionalia post impletam cõditionem, esse reseruata. ad quam probandam Pater Suar. multa congerit argumenta: & primò supponit esse communem, quod tamen est apertè falsum, vt patet ex Authoribus, quos adduximus in relatione tertiæ sententiæ. Probatur autem hæc opinio ab eodem Suarez sic: In omni alio contractu, conditione adimpleta, non solùm obligatio, verùm etiam contractus est æque perfectus, vt patet in contractu matrimonij, sponsalium, emptione, & venditione, & in quacumque humana promissione: ergo etiam in voto conditionali, quod est veluti quidã contractus, quem vouens init cum Deo offerens rem aliquã Deo gratam, si ipse Deus concedat talem, vel talem gratiam adimpleta conditione, erit & obligatio consurgens

gens perfecta, & similiter votum; & si respondeas, quidquid sit de vi obligandi, tamen consensum, seu voluntatem, quæ fuit radix talis obligationis, fuisse imperfectam. Contra, quia impossibile est, obligationem esse perfectam, & consensum in voto inclusum, ex quo oritur obligatio, non esse perfectum; nam obligatio est veluti effectus formalis consensus, vel si sit effectus illius in genere caussæ efficientis, erit ita intrinsecus, vt nequeat esse maior perfectio in ratione obligationis, quam in ratione voti.

40 *Respondetur ad homines concedentes, votũ pœnale nõ esse reseruatũ, etiam adimpleta conditione.*

Respondeo, hoc ipsum argumentum esse soluendum ab ipsis aduersariis cõcedentibus, votum pœnale nõ esse reseruatum, quia adimpleta conditione illa, sub qua votum pœnale fuit emissum, obligatio erit absoluta, ac si initio cõtracta fuisset absque conditione: & tamen hoc non obstante, dicũt, votum esse imperfectum, vtpote proueniens ex imperfecta radice, hoc ipsum ego dicere possũ de voto merè conditionali: & nihil officit, maiorem inueniri imperfectionem in voto pœnali, & per consequens magis distare à perfectione voti simpliciter dicti; nam sufficit tanta imperfectio, per quam votum in materia odiosa, qualis est reseruatio, non censeatur comprehensum: & talis est imperfectio illa, quæ requiritur in voto conditionali, vt supra ostendimus.

41 *Responsio directa.*

Aliud est obligationem esse absolutè perfectam; aliud cõsensũ.

Sed respondeo directè ad argumentũ, & aduerto aliud esse loqui de obligatione voti; aliud verò de consensu, à quo consurgit ipsa obligatio, concedo igitur, obligationem adimpleta conditione esse absolutè perfectam, sicuti est in aliis votis ab initio absolutis, & in cæteris contractibus; at nego consensum, ex quo resultat obligatio, esse perfectum in his votis conditionalibus. Ad instantiam autem in oppositum, nego obligationem esse effectum formalem consensus: nam eius effectus formalis non est constituere formaliter hominem obligatum, sed cõsentientem, seu volentem, ex quo sequitur veluti proprietas quædam, obligatio: & dum cõtra hoc vrgetur, non posse perfectam obligationem proficisci ex imperfecto consensu, respondendum est cum distinctione in hac re valdè notanda: & dico perfectionem, aut imperfectionem obligationis, quæ prouenit ex voto, vel esse attendendam in ordine ad effectum formalem intrinsecum, & proprium ipsi⁹ obligationis, vel in ordine ad caussam extrinsecã, à qua oritur; si primo modo spectetur, aio, obligationis vim consistere in indiuisibili; proinde quoad munus alligandi non dari vnam obligationem altera maiorẽ: nam quæcumque posita eodem modo

Notãda distinctio Authoris de perfectione, & imperfectione obligationis quoad caussã, vel quoad effectum.

vouentem afficit: si verò spectetur secundo modo, nempè in ordine ad caussam, vnam esse posse altera perfectiorem, & sic obligatio, quæ prouenit à votis, quæ emissa sunt ab impuberib⁹, vel ab aliis personis, quæ subduntur alteri quoad potestatẽ dominatiuam, non est ita firma, sicuti est illa, quæ resultat ex votis personarũ, quæ sunt sui iuris: illa enim auferri potest ab eo, in quo dominatiua residet potestas; at ista nequit hoc pacto tolli; atq; adeo erit firmior in subiecto, & perfectior. his autẽ positis respondeo ad instantiam in oppositum, & dico, impossibile esse, obligatiouẽ esse perfectã in ordine ad caussam, à qua proficiscitur, & cõsensũ, ex quo oritur ipsa obligatio, non esse perfectũ; quia caussa talis obligationis cõsensũ inuoluit, nempè consensum in voto inclusum: at non esse impossibile, obligationem quoad suũ effectum formalem intrinsecum esse perfectam; consensum verò, qui in voto includitur, esse imperfectum imperfectione, de qua loquimur, videlicet ea imperfectione, quæ minuit voti perfectionem, vt supra declarauimus.

Dices tertiò. Commutatio, seu dispensatio non cadit supra votum, quatenus est actus præteritus, sed inquantum reliquit obligationem in vouente exequendi ipsum votum: igitur si obligatio proueniẽs à voto conditionali erit ita perfecta, sicuti ea, quæ prouenit à voto absoluto, quemadmodum ista non est commutabilis, ita neque & illa. 42 *Obiectio tertia.*

Respondeo, cõmutationẽ cadere supra obligationẽ, inquantũ obligatio cõnotat caussam, à qua prouenit; & sic cõcedo: sine tali connotatione, nego antecedens: & distinguo consequens; obligatio resultãs ex voto conditionato est ita perfecta quoad sua intrinseca, sicuti ea, quæ est à voto absoluto, concedo; quoad extrinsecã caussã, vt declarauimus, nego cõsequentiã. 43 *Responsio.*

Obligatio resultãs ex voto conditionato non est ita perfecta quoad extrinsecam caussam, sicut ea, quæ ex voto absoluto.

Dices quartò. Contractus sub cõditione emissi post conditionem adimpletam, eosdem prorsus pariunt effectus morales, quamuis odiosos, quos pariunt contract⁹ similes absoluti à principio. V.G. sponsalia inita sub conditione ante impletam conditionem non inducunt impedimẽtũ publicæ honestatis, quod tamen inducũt post adimpletam conditionem, & non minus, quam si initio fuissent absoluta, præterea collatio beneficii sub cõditione simoniaca nõ parit censurã, nisi post purificatã cõditionẽ, & nõ minus, quã si initio absoluta fuisset, & sic de reliquis, vt inductione patet discurrẽdo per similes cõtractus: ergo à pari, obligatio ex voto conditionato erit reseruata post impletã cõditionẽ, sicuti & obligatio ex voto absolutè inito. 44 *Obiectio quarta.*

inito: neque disparitas sufficiēter assignabitur, si respondeas in obligatione voti esse attendendam eius originem, non autem in obligatione aliorum cōtractuum.

45 *Responsio.*

Respondeo. Esto sit eadem paritas inter votum, & alios contractus conditionales in ordine ad effectus morales; tamē reseruatio non est effectus voti, sed potestatis, quæ residet in reseruante, & accidit ipsi voto, eique est omnino extrinseca, & concomitanter ad illud se habet, ad eum planè modum, quo in rebus physicis se habet V. G. lux ad aërem productum ad præsentiam solis; dum enim caussa effectiua producit aërem in eodem instanti productionis aër genitus illuminatur à sole: sic in his moralibus dum vouēs emittit votū in tali materia, & ex voto gignitur obligatio in eodem momento afficitur reseruatione, quæ caussatur non ab ipso vouente, neque à voto, sed à Superiore, qui votum in tali materia sibi reseruat; atque adeo reseruatio non comparatur ad votum tanquam ad sui caussam, sed tanquam accidens extrinsecum ad subiectum: in ordine autem ad effectus morales esto demus non esse attendendam originem, secus autem in ordine ad accidentia, quibus vota ab extrinseco affici possint.

Reseruatio est extrinseca voto, eique accidit.

Non caussatur a voto, neq; a vouente, sed a Superiore, qui votū sibi reseruat.

46 *Obiectio quinta.*

Dices quinto. Imperfectio ista, per quā eximitur votū in materia supradicta à reseruatione, est ratione motiui imperfecti, quo mouetur voluntas ad emittendū votum; at talis imperfectio nihil obstat: ergo votū conditionatum in materia supradicta adimpleta conditione, erit reseruatum. maior tantùm indiget probatione: illam autèm probo discurrendo per alia vota procedentia ex motiuo imperfecto quo non obstante, in omnium sententia erunt reseruata; si quis V. G. emittat votum Religionis intuitu commoditatum temporalium, quæ sunt in Religione, vel intuitu honoris, &c. votum istud erit ex motiuo valdè imperfecto, & tamen in omnium sententia erit reseruatum: similiter si voueat Peregrinationem terræ sāctæ, vt iter faciens noua loca pertranseat, & de eis notitiam acquirat, erit votum reseruatum, licèt emanet ex imperfecto motiuo, & sic in alijs similibus: ergo à pari in casu nostro licèt votum conditionatum Religionis, si vouens euaserit periculum naufragij, sit imperfectum, quatenùs procedit ex motiuo imperfecto; nihilominus posita cōditione erit reseruatum: & confirmatur, nam conditio illa nihil aliud operatur, nisi suspensionem, quæ licèt quamdam importet imperfectionē; tamen cōditione adimpleta totaliter aufertur, quia solū durabat pro statu conditionali: proindè ille idem consensus, qui sub cōditione processit, quamuis pro statu conditionis non adimpletæ erit imperfectus; pro statu tamen conditionis iā positæ erit perfectus: obligatio autem nō oritur ex consensu, pro vt respicit temp⁹ præcedens, sed pro vt terminatur ad tēpus subsequens, in quo conditio ponitur.

Imperfectio motiui, quo mouetur voluntas ad emittēdū votu non videtur illud eximere à reseruatione. Suadetur inductione facta in aliis votis ex imperfecto motiuo, & tamen reseruatis.

Confirmatur prima.

Confirmatur secundò.

Confirmatur secundò, quia non est imperfectio ad rem pertinens, votum fieri sub conditione de præsenti, vel præterito, vt si voueat Peregrinationem hierosolymitanā, si nauis cum mercibus incolumis ad portū peruenerit, &c. ergo neque erit imperfectio ad rem pertinens, nempè ad reseruationem, si votū illud fiet sub cōditione de futuro, videlicet si nauis perueniet ad portū, &c. Hæc *ex Suar. n. 13. 14.*

47 *Responsio.*

Respondeo negādo maiorem. vt enim supra declaranim⁹, imperfectio, quæ huic reseruationi obstat, non est assignanda in motiuo, quo voluntas ad votū emittendū ducitur, sed est imperfectio formaliter imbibita in ipso actu vouēdi, quatenus non emittitur cū omnimoda firmitate, & immobilitate ex parte ipsius vouentis, cū essentialiter depēdeat ab euentu futuro. dixi ex parte ipsius vouētis, quia, nō oportet vt votū habeat immobilitatem in ordine ad alienā voluntatem: nam quodcumq; votū quantum est ex se subdi potest alterius voluntati siuè quoad irritationē, siuè quoad dispensationem. Satis igitur erit ad eius perfectionem veluti substantialē, vt ex parte vouentis omnimodā habeat firmitatem. Ad probationē autem maioris patet responsio ex dictis; ea enim vota, quę in probatione adducuntur, & similia, solùm habēt imperfectionē ex parte motiui applicantis voluntatem ad vouendū, non autem ex parte actus vouendi, qui nihil à futuro euentu expectans, statim ac elicitur, erit firmus, & immobilis.

Imperfectio eximens votū à reseruatione non est cōsideranda in motiuo voluntatis, sed illa, quæ formaliter imbibita est in actu vouendi.

Quodcunque votū quātum est ex se subdi potest alterius voluntati siue quoad irritationem, siue quoad dispensationem.

48 *Respondetur primæ confirmationi.*

Ad primam confirmationem aio, per suspensionem illam, quam votum conditionale includit, actum vouēdi reddi valdè imperfectum, & adimpleta cōditione licèt remaneat firmus quoad vim obligādi; tamen deficit ex parte suæ originis, quem defectum semper trahit in vtroq; statu siue cōditionali, siue post impletam conditionē, nisi iterū absolutè renouetur.

Suspensio in voto cōditionali inclusa reddit illum valdè imperfectum.

49 *Respondetur secundæ cōfirmationi.*

Ad secundam confirmationē nego, nō esse imperfectionem, quæ ad rem nostrā pertineat, votum fieri sub cōditione, quo pacto autem faciat ad nos, iam declaratū est. Præterea nego eamdem esse rationem de voto emisso sub cōditione de præterito, & præsēti, & de voto sub cōditione de futuro, quia illud non dependet à futuro euētu, pidè habet firmitatē, quāuis ab ipso vouēte ignoretur, & sic non est par ratio.

Non est eadē ratio voti facti sub conditione de præterito, seu de præsēti, & sub conditione de futuro.

Obiectio sexta.

50 Dices sextò. Per votum conditionale fit veluti quidam contractus cum Deo ex innominatis, videlicet facio, vt facias; proinde videtur maior obligatio, quàm sit in promissione absoluta, & simplici, & sic inter homines magis obligat promissio conditionalis adimpleta conditione ex parte promissarij, quàm simplex promissio: igitur si Deus ex parte sua adimplet contractum, concedēdo id, quod fuit petitum: ergo ex parte vouentis erit perfecta, & consummata obligatio, atque adeo perfectum votum.

Responsio.

51 Respondeo, votum conditionale non esse contractum cum Deo, quia de ratione contractus est mutua obligatio; in voto autem conditionali ex parte Dei nulla est obligatio. Cæterum, quidquid sit de hoc, dico, quod quamuis adimpleta conditione maxima sit in vouente obligatio, & maior, quàm sit illa, quæ oritur ex voto absoluto; tamen hoc non obstante obligatio resultans ex voto conditionali imbibitam habet imperfectionem ex sua origine, vt diximus, & ideo non est reseruatum.

SECTIO IV.

An iuramenta, quæ cadunt super materiā trium prædictorum votorum sint etiam reseruata.

Explicatur casus de iuramentis absolutis.

52 Sermo est de iuramentis absolutè, & absque conditione emissis, quæ cadunt super materiam Pontifici reseruatā, videlicet si fiat iuramentum de Peregrinatione hierosolymitana, aut de Castitate perpetua, aut denique de ingredienda Religione: dixi de his iuramentis absq; cōditione emissis; nam si fiant sub conditione, eadem est ratio de ipsis, ac de votis conditionatis, de quibus supra.

Prima sententia affirmans esse reseruata.

53 Prima sententia vult, talia iuramenta esse reseruata. Sic *Caietan. in 2.2. q. 89. a. 9. Aragonius quæst.* 88. *art.* 12. *Valentia tom.* 3. *disp.* 6. *quæst.* 7. *par.* 4. *Azor. tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 10. *quæsit:* 3. *Basilius lib.* 8. *De matr. cap.* 11. *num.* 3. *Fagund. in decal. lib.* 2. *cap.* 42. *num.* 4. *Trull. in Bull. lib.* 1. *S.* 7. *c.* 3. *dub.* 5. *num.* 4. *Trullench. in Bull. lib.* 1. *S.* 7. *c.* 3. *dub.* 5. *n.* 4. *& alij apud ipsum.* Fundamentum huius opinionis est, quia iuramentum istud Deo factum est promissorium; proinde includit votum, quod in supradicta materia est reseruatum.

Eius ratio.

Secunda negans.

54 Secunda sententia docet, iuramenta etiam absoluta, quæ cadunt super materiam reseruatam trium prædictorum votorum, non esse reseruata; proinde priuilegium huius Bullę se extendere ad commutanda talia iuramenta. *sic Tabiena in sum: verb: Iurare, q.* 20. *n.* 21. *Nauarr. lib.* 2. *consil. tit. De iur. iur. consil.* 3. *in priori editione, num.* 4. 5. *& in posteriori consil.* 1. *num.* 45. *Petrus de Ledesma in sum: part.* 2. *tract.* 11. *cap.* 4. *de iuram. dub.* 2. qui dicit, oppositam opinionem, præcisa authoritate, parum probabilitatis habere. Ducūtur ad hanc sententiam primò, quia in Iure non habemus, iuramētum aliquod Sūmo Pontifici reseruatum. secundò, quia dum Pontifex per aliquod indultum cōcedit potestatem relaxandi, seu commutandi iuramenta, quæ non sunt emissa in fauorem tertij, numquam solet excipere aliqua iuramenta, sicuti excipit aliqua vota, dum concedit posse omnia vota commutari. tertiò, quia reseruatio est odiosa, & restringenda, proinde ex reseruatione votorum non valet inferri reseruatio iuramentorum; vt sic enim fieret extensio contra regulam iuris in 6.

Eius rationes.

Distinctio inter iuramentū includēs promissionem, & illud quod simplicem affirmationem de proposito, quam ponit Sanchez.

55 Tertia sententia videtur esse illa, quam ponit *Sanchez lib* 8. *De matr. disp.* 13. *n.* 4. supponit enim in iuramento de præstanda re aliqua in honorem Dei interdum includi promissionem; interdum verò esse simplicem assertionem, inquantum iurans caret intentione promittendi, & offerendi Deo rem illam, sed solùm enūtiat id, quod proponit se facturum, & tunc iuramentum inducitur ad confirmandum nudū propositum, & est imperfectè promissorium, & secundùm quid, quatenus contradistinguitur ab illo, quod est de præterito, aut præsenti, & dicitur merè assertorium; proinde in tali casu iurans non obligatur Deo tamquam creditori acceptanti materiam illam, vt rem sibi promissam, sed vt testi exigenti veritatē sui testimonij: huius rei nonnulla exempla ab eodem Sanchez afferuntur V.G. si quis ira percitus erga patrem, vel labore paupertatis oppressus, quasi desperans iurat Religionem se ingressurum, & iuramentum non emittat respiciens Deum, quasi illi aliquid promittat, & offerat; tūc iuramentum istud non includet votum, sed simplicem affirmationem de proposito, quod in ipso iurante reperitur; secus si velit Deo ingressum Religionis promittere. Hac adhibita distinctione procedit *Sanchez num.* 5. ad soluendam quæstionem, & ait, veram esse priorem sententiā regulariter, & vt plurimum, quia regulariter talia iuramenta continent votum: at posteriorem sententiam esse veram in casu raro, quando scilicet in iuramento non includitur votum; atque adeo iuramenta ista, quæ votum non continent, si fiant in triplici illa materia, non comprehendi sub reseruatione, secus si votum inuoluant.

Sententia eiusdem partim affirmans partim negans pro ratione iuramenti.

Dicendum est primò. Si quæstio ista 56

specu-

Opinio Authoris tertiã sententiam admittit speculatiuè loquendo.

speculatiuè sit decidenda, puto esse admittendam hãc tertiam sententiam, quã ponit Sanchez, eamque secundùm vtrãque partem ostendo: & primò quatenus asseritur, iuramenta emissa in tripliciilla materia esse reseruata, dum contineñt promissionem, seu votũ, est omnino euidens; quia cum votum sit reseruatum, non eximitur à reseruatione, dũ inclusum inuenitur in iuramẽto; immò magis cõfirmatur.

57 Dices, posse iuramentum vt præscindens à voto relaxari, aut commutari, relinquendo ipsum votum. Contra est, quia in tali casu iuramentum, & votum non sunt realiter duo vincula, sed vnum vinculum formaliter æquiualens duobus; atque adeo vnum non est ab alio separabile. secundò inquantum dicitur, iuramentum, in quo non includitur votum, esse commutabile per Bullã, aut ab Episcopo, mihi certum videtur, & hoc ex rationib⁹, quibus nituntur Authores secundæ sententiæ superiùs relatis.

58 *Cõtra distinctionẽ à Sanchez positam obiectio à Trullench.*

Sed contra hanc distinctionem, quam ponit Sanchez, & alij, insurgit *Trullench. dub. cit. num. 5.* dicens esse metaphysicam nimis distinctionem, quæ parum, aut nihil ad rem facit, & hoc probat ex *S. Tho. 2. 2. quæst. 89. a. 1.* diuidente omne iuramentũ in assertorium, & promissorium, & cum assertorium nullam inducat obligationẽ: idcirco priuilegium commutationis nequit illud respicere; proinde cum nos loquamur de illo iuramento, quod est capax commutationis, remanet, vt de solo promissorio sit sermo. non est igitur admittendum iuramentum, quod sit commutabile, & non contineat promissionẽ, etiam si dicatur esse imperfectè promissorium, quia, vt tale, cum non sit assertorium, necessariò respiciet futurum, atque adeo includere debet aliquã promissionẽ.

59 *Obiectio à Fagundez.*

Eodem ferè modo impugnat prædictam distinctionem *Fagundez cap. cit. nu. 4. in quarto, & vltimo argumento,* ait enim, non satis percipere quid velit Sanchez, cũ dicit, iuramentum illud cadere supra bonum propositum iurantis, & non super promissionem; nam hoc modo dicendi videtur significare, hoc iuramentum ad nihil obligare, nec teneri ampliùs iurantem, Deum testem verũ efficere rei promissæ, cum nihil promittat, siue verum, siuè falsum iuret: verum quidem, si propositum illud habuit, quod asseruit sub iuramento se habuisse; falsum, si non habuit, cum tamen ipse Sanchez statim addat Deum tamquam testem acquirere ius, ad hoc vt iurans exequatur id, quod iurauit: & verò, si hoc ius acquirit, iuramentum fuit simpliciter promissorium, quia iuramentum promissorium est simpliciter de futuro, quo promittim⁹ nos aliquid alicui in posterum facturos; assertorium est de præterito, aut præsenti, quo scilicet affirmamus, aliquid esse, aut non esse, fecisse, aut non fecisse: quare omnibus perpensis sententia Sancij intelligi non potest. Hæc Fagundez.

Cæterum, quæ hi duo Authores adducunt contra distinctionem datam, non est difficile soluere; nullam enim video impossibilitatem, quare iurans rem futuram nequeat habere formalem, aut saltẽ virtualem intentionem non promittendi, & hoc est adeo verum, vt si quis etiam dicat: Promitto Deo, aut voueo me ingressurum Religionem, aut peregrinandi in terram sactam, si interiùs expresè animũ habeat non promittendi, non censetur vouere, nec tale iuramẽtũ formaliter habere rationem voti, quia votum non pendet ex verbis, sed ex intentione, & cũ iurans habuerit expressam, & formalem intentionem non promittendi; idcirco iuramentum istud non continebit promissionem, sed assertionem non quãcumque, sed de exequutione futura: quod dixi de intentione formali non promittendi, idem dico de virtuali, seu habituali, quãdo videlicet iurans est ita dispositus, vt nullo modo verba prædicta proferret, si cogitasset, se per ea aliquid Deo promittere. Præterea quamuis non vtatur verbis illis, sed simpliciter iuret, se exequuturũ rem, de qua est iuramentum, tunc non oportet in tali iuramẽto includi votum; & dum Authores prædicti contra vrgẽt, dicentes: omne iuramentum esse vel assertorium, vel promissorium, & illud induci ad confirmandam veritatem præteritam, aut præsentem; istud verò ad veritatem de futuro, & cum iuramentum, de quo loquimur, nequeat contineri sub assertorio, erit promissorium: respondeo, iuramentum istud simpliciter esse assertorium, & secundùm quid promissorium; nam quatenus ostenditur propositũ exequendi rem, V. G. ingressum Religionis, erit assertorium, quatenus verò est de re futura, erit promissorium non simpliciter, quia non est animus promittendi, sed secundùm quid, inquãtum est animus exequendi; nulla autem est repugnantia, cur aliquod iuramentum sit simpliciter assertorium, & secundùm quid promissorium; ex hoc autem non sequitur à Deo ius nõ acquiri, vt iurans exequatur id, quod iurauit; neque ex tali iure acquisito benè infertur à Fagundez, iuramentum fuisse simpliciter promissorium, quoniam tunc esset simpliciter promissorium, quando ius istud acquisitum foret Deo vt creditori: at per nos acquiritur Deo tantùm, vt 60

Soluuntur.

Iuramentum aliquod potest esse simpliciter assertorium, & secundũ quid promissorium.

vt creditori: at per nos acquiritur Deo tantùm vt testi exigenti à iurante veritatem Diuini testimonii, quod inuocauit. Maneat igitur tăquam certum, dari posse iuramentum de re futura, quod non sit simpliciter promissorium, & non contineat votum de re, circa quam iuramentum ipsum versatur.

Et potest esse de re futura, quod non sit simpliciter promissorium, & non contineat votum.

61 Dicendum est secundò, practicè, & vt plurimum veram esse primam sententiam, quia ordinariè loquendo, iuramenta de re futura, quæ soli Deo fiunt, promissionem includunt; ac proinde dici possunt vota qualificata, nempè iurata; & ideo si cadant in materiam reseruatam, erunt & ipsa reseruata, non vt iuramenta, vt sic, sed vt includentia votum, & hoc probant argumenta adducta pro hac sententia.

Ordinariè loquendo iuramenta de re futura soli Deo facta promissionem includunt; ideoque tertia sententia practicè est verior.

62 Et ex his patet, nihil ex allatis argumĕtis contra nos probari, quia admittimus omnes prædictas sententias, si modo explicato, videlicet cum limitatione illa, quam ponit tertia sententia, intelligantur: & ideo earum argumenta aut vnam, aut alteram ex nostris conclusionibus confirmant.

SECTIO V.

Deciduntur quædam dubia in ordine ad ista tria vota commmuniter spectata.

63 Circa vota, quæ in Bulla excipiuntur, occurrunt nonnullæ difficultates, quæ eisdem votis communiter conueniunt: eas maioris claritatis gratia distinctè examinabimus.

§. I.

An votum disiunctiuum continens vnam partem reseruatam, aliam verò minimè, per Bullam commutari valeat.

64 Emittatur votum, aut Religionem ingrediendi, aut ieiunandi ter in hebdomada, quærimus, an votum istud sit Summo Pontifici reseruatum ratione vnius partis reseruatæ, ita vt virtute Bullæ Cruciatæ nequeat commutari; an verò oppositum sit asserendum.

65 Dicendum est primò, tale votum esse per Bullam commutabile, non obstante quod inuoluat partem reseruatam. *ita Suarez lib.6. De voto cap.24.nu.1. Sanchez in decal.lib.4. cap.40. nu.44. Lessius lib.2.c. 40.dub.13.num.106. Sayrus in clau.Reg.lib. 6. cap.11. num.62. Diana tract. De Bulla Cruciata resol. 63. Trullench lib.1. in eamdem Bullam §.7.cap.3.dub.14. Fagundez in decal. lib.2. cap. 43. num.8. & alij communiter.* Probatur, quia vouens sub illa forma ad suum beneplacitum eligere potest partem non reseruatam, vt patet ex regulis alternatiuis in sexto, vbi statuitur, in alternatiuis sufficere alterum adimpleri: & confirmat ibi *Glos. loquens de delictis alicui impositis, & alternatiuè expressis*: ait enim esse in exprimentis optione exprimere defectum, quem voluerit, proinde in casu nostro, cum vtraque pars alternatiuè per votum promittatur, licèt vna pars sit in materia reseruata, tamen, quia in libertate vouentis est eligere partem non reseruatam; idcirco tale votum non censebitur reseruatum, & per consequens erit per Bullam hanc commutabile.

Votum disiunctiuum est commutabile, etiamsi includat partem reseruatam.

Ratio dubitandi ex regulis alternatiuis.

66 Dicendum est secundò, si votum disiunctiuum contineat vtramque partem reseruatam, totum erit reseruatum, & per Bullam non poterit commutari. *ita Suarez cap.cit. num.2. Sanchez, & Lessius, vbi supra.* Ratio autem est manifesta, quia quæcumque pars à vouente eligatur, erit reseruata; & ideo votum istud per Bullā non commutatur: voueo ingressum Religionis, aut perpetuam Castitatem.

Disiunctiuum quoad vtramque partem reseruatum non potest commutari.

§. II.

An facta electione partis reseruatæ possit votum per Bullam commutari.

67 Si quis E.G. votum sub hac disiunctione emiserit, voueo perpetuam Castitatem, aut ieiunium perpetuum bis in hebdomada, & postea eligat priorem illā partem, nempè Castitatem, quæritur, an electione hac non obstante poterit Confessarius vi Cruciatæ votum istud in materia Castitatis commutare.

68 Partem negatiuam sustinĕt Sāchez *lib. 8. De matr.disp 9.n.14. & in sum. cap.cit.n. 43. Azor.to.1. lib.11. cap.20.quæst.10. Sayrus in clau. Regia lib.6. cap.11.nu.62. Santarellus De Iubil.quæst.8. sect.1.n.92. ver: (Dixi ante.) Bonac. in secūdum præceptum decal. disp.14. quæst.2. p.7. §.4. ver: (Dixi modo &c. Fagundez ibidem lib.2. cap.43.n. 8. Trull. in decal. lib.2. cap.2. dub.39. nu.14. Citatur etiam Suarez à Sanchez*, sed non rectè, quia ipse oppositum docet, vt mox videbimus. Fundamentum autem huius sententiæ est, quia in alternatiuis quāuis electio vnius partis determinatæ sit debitoris, tamen vbi semel elegit, & electionē creditori notam fecerit, non poterit amplius resilire. & confirmatur ex illa regula Iuris: *Quod semel placuit amplius displicere non potuit*, & sic dum vouens determi-

Votum disiunctiuum facta electione partis reseruatæ nō posse cōmutari censent aliqui.

terminauit se eligendo partem reseruatam, quæ quidē determinatio Deo creditori innotescit, non poterit vouēs resilire; ac proinde cum materia sit reseruata, votum non erit per Bullam commutabile.

69 *Alij cum distinctione affirmant.* Sed partem oppositam affirmantem tuetur *Malderus in 2. 2. S. Tho. tract. 10. cap.5.dub.10.nu.4.cas.4.Suarez cap.24.cit. nu.3.* qui distinguens ait, quod si mutatio fiat per electionem vouentis, quatenus post primum votum emissum voluntariè determinat suam obligationem ad alterā partem voti reseruatam, & hoc per solum propositum exequendi votum in parte materiæ reseruatæ, quamdiu sistitur in solo proposito, votum non mutatur, nec eius obligatio: quia propositum illud non inducit obligationē, vnde & mutari potest sine speciali peccato, & non reddit votum minùs dispensabile, quàm antea erat: si autem mutatio, seu determinatio ista fiat per absolutam voluntatem, qua vouens vult se obligare ad hanc partem reseruatam, tunc emittitur quasi nouum votum, & non poterit vouens resilire; ac proinde votum erit reseruatum. Hæc ex *Suarez.* quam sententiam sequutus est etiam *Filliuccius tom.1.tract.26.cap.10.n. 272.Layman lib.4.tract.4.cap.8.nu.12.Castro Palaus tom.3 disp.2 p.11.nu.6.* Hi tres vltimi Authores absque dubio sūt in hac opinione: & miror quo pacto Filliuccius à quibusdam pro opposita sententia citetur: nam ipsi cum Suario expresè dicunt, quod si vouēs se determinauit ad partem reseruatam, & id non simplici tantùm proposito, sed cum voluntate se obligandi, tunc resilire non potest, & votum erit reseruatum: & sic patet, ab ipsis solum propositum nō censeri sufficiens ad reddendum votum reseruatum, si priùs non fuerit reseruatum, & ad constituendum vouentem sub noua obligatione distincta ab ea, quā pri⁹ habebat. His prehabitis.

Si vouens solùm proponat obligare se ad partem voti reseruatam, & non absolutè velit.

70 *Vtraq; sententia censetur Authori probabilis; sed magis secunda placet.* Dicendum est, hanc secundam sententiam mihi magis placere, quamuis prima sit valdè probabilis; & ratio, quæ me mouet, est, quia solum, & nudum propositū, quo homo determinat aliquod obsequiū Deo præstare, non censetur obligare ad illud obsequium exhibendum, neq; à Deo ius aliquod acquiri ratione illius propositi, si aliunde non est obligatio. igitur in casu nostro vouens eligens partem reseruatā voti disiūctiui, nisi de nouo voueat, nullo alio vinculo deuinctus manet, nisi illo, quod procedit ex ipso voto disiunctiuo; atque adeo maiorem non habet obligationem ea, quæ antea erat, & cum votum non fuerit antea reseruatum, neq; erit postea.

Ad rationem autem pro cōtraria sententia, respondeo cum Maldero, quod etiamsi in alternatiuis fiat electio à debitore, eamque creditori manifestetur, si debitor per talem declarationem nolit noua obligatione se deuincire, sed solū velit aperire merū, & simplex propositū, quod tunc habet, non est iudicandus se obligare ad exequendam partem illam determinatam: & ideo poterit ad sui libitum resilire, & sic licèt Deum non lateat intentio ipsius vouentis, & determinatio præsens; tamen per hoc vouens non censebitur de nouo obligari; quia propositū non est promissio, neque per internum propositū cēsemur cū Deo loqui, vt rectè Malderus adnotauit. Ad auctoritatem verò illam ex regulis iuris, videlicet, *quod semel placuit, &c.* respondeo, regulam illam plures pati exceptiones, quæ à Glossa ibidem explicātur, & inter alia ponit exceptionem vniuersalem, nempè regulam hanc fallere in omnibus casibus, in quibus à iure permittitur pœnitere, vel variare, &c. at in iure permittitur recessus à puro, & simplici proposito: quia multa superuenire possunt, ob quæ expedit illud mutare. & licèt interdum alteri manifestetur, nisi id fiat per modum promissionis acceptatæ ab eo, cuius interest, nō habet vim obligandi: quapropter etiamsi Deus videat propositum vouentis in ordine ad materiam reseruatā; nihilominus nudum, & simplex propositum neque est promissio; neque respectu Dei est loquutio, & per consequens nulla resultabit in vouēte obligatio ex eo præcisè, quod absque noua promissione determinet se ad partem illam reseruatam.

71 *Respondetur rationi contrariæ sententiæ.*

Propositum nō est promissio, neque per illud censemur cum Deo loqui.

§. III.

An si pars non reseruata fiat impossibilis adhuc votum circa reseruatam commutari valeat per hanc Bullam.

Fingamus, quod hic, & nunc pars voti non reseruata sit eleemosyna, & reseruata sit peregrinatio hierosolymitana; postea verò contingat, vt vouens, sit fact⁹ omninò impotens ad eleemosynam erogandam; ac proinde teneatur ad peregrinationem: an votum sit, hoc non obstante, per Bullam commutabile; an verò sit, hoc non obstante, per Bullam commutabile; an verò sit Summo Pontifici reseruatum. 72

Dicendum est non esse reseruatum, & per consequens posse vi Bullæ commutari. est contra *Bonacinam in decal. disp.4. quæst.2.p.7. §. 4.num.18.ver. Sed contrarium* 73

Votum disiunctiuum, etiam si pars non reseruata eueniat impossibilis, cōmutari potest.

rium mihi, &c. at nostram sententiam tuentur alij, *Suarez cap. illo 24. nu. 4. Sanchez in sum. lib. 4. cap. 40. num. 44. Diana tract. Bulla resol. 74. Trull. in exposit. Cruciata lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 14. num. 6. Ludouicus à Cruce in eadem Bulla disp. 1. cap. 6. dub. 15. num. 6. Castro Palaus tom. 3. disp. 2. par. 11. num. 6. & alij.* & ratio est, quia votum illud cum nūquam ratione sui obligauerit vouentem ad partem reseruatam; idcirco neque postquam pars non reseruata reddita est impossibilis, obligabit ad partem reseruatam, nisi per accidens ex impossibilitate materiæ, & non ex natura voti secundùm intrinseca spectati.

74 *Obiectio prima.*

Dices cum Bonacina. Materia, circa quam votum istud versatur, verè est reseruata: ergo & votum ipsum erit reseruatum.

75 *Responsio. Tale votum per accidēs ex impossibilitate materiæ, & non intrinsecè, & primò, & per se reseruatum est.*

Respondeo, materiam illam secūdùm se esse reseruatam, quando votum de illa erit primò, & per se emissum, quod non contingit in præsenti: nam intantum est actu materia voti, inquantum altera pars est impossibilis effecta; proinde dici non potest votum primò, & per se de tali materia emissum fuisse.

76 *Obiectio secunda.*

Dices secundo. Votum conditionale circa materiam reseruatam adimpleta conditione efficitur reseruatum, non obstante quod ante conditionis euentū nō adfuerit ex vi voti obligatio, & solùm per accidens resultauerit conditione posita: ergo à pari, licèt obligatio voti disiunctiui circa materiam reseruatam per accidens resultet ex alterius partis non reseruatæ impossibilitate, votum disiunctiuum recidit in reseruatum.

77 *Responsio duplex.*

Respondeo: in nostra sententia, secundùm quam sustinuimus supra, vota conditionalia in materia reseruata, etiam post conditionem adimpletā, non esse reseruata, argumentum nullam habet vim; & quamuis admittamus oppositam opinionem, idem esset dicendum, quia votum conditionale primò, & per se emissum est circa materiam reseruatam, & solùm eius obligatio remanet suspensa expectans conditionis euentum; & ideo iuxta hanc sententiam erit reseruatum: at votum disiunctiuum ex sua natura non est primò, & per se circa materiā reseruatam; ideoque neganda est consequentia, cum non sit eadem paritas.

§. IV.

An per Bullam validè commutetur materia, in quam Pontifex commutauit votum reseruatum.

Emisit quidam votum perpetuæ Castitatis absolutum, & absque conditione aliqua: &, quia votum istud est Pōtifici reseruatum, ab eo vouens commutationem petijt; ideoque Pontifex votum commutauit in ieiunia, preces, in menstruam confessionem, communionem, &c. quærimus, an Confessarius virtute huius Bullæ validè commutet ieiunia prædicta, orationes, &c. Ratio autem dubitandi pro parte negatiua est, quia ieiunia, &c. cum subrogentur loco prioris materiæ, quæ erat reseruata, videntur etiam & ipsa esse reseruata, quia subrogatum sortitur naturam illius, cuius loco substituitur, vt colligunt scribentes *ex l. 1. §. Hac actio ff. si is, qui testam: & l. vnica. C. de rei vxor. ait. §. fuerat, ex cap. Ecclesia 1. vt lite pendente, & ex alijs iuribus apud Barbos. Axiom. 213.* secundò, quia pœna à Superiore imposita nequit per inferiorem commutari: ergo nec materia, in quam votum est à Pontifice commutatum, poterit commutari ab inferiori; videtur enim vtrobique par ratio. Propter hæc, & similia argumenta nonnulli partem negatiuam sustinuerunt; videlicet rē substitutam loco materiæ reseruatæ, de qua fuit votum, non posse, nisi à Pontifice commutari; atque adeo esse reseruatam non per se, sed per accidens ratione prioris voti, quod censetur virtute permanere in hoc secundo voto, in quod fuit mutatum. ita *plures Canonistæ apud Sanchez loco infra citando*, & in hanc sententiam inclinat *Azor. tom. 1. lib. 11. c. 18. quæst. 11. Zanardus apud Ludouicum à Cruce in directorio theol. par. 2. cap. 33.*

78

Ratio dubitandi circa propositū casum, eo quod subrogatū induat naturā eius, cuius locum subit.

Alij partem negantem sequuntur.

Sed contrarium est omnino asserendū; scilicet posse ab inferiori Confessario virtute Bullæ fieri commutationem hanc; & sic sentiunt *Suarez lib. 6. De voto cap. 20. num. 15. Sanchez lib. 8. De matr. disp. 9. nu. 20. Lessius lib. 2. cap. 40. dub. 13. n. 105. Ioannes Sancius in selectis disp. 14. nu. 14. Trull. dub. 14. num. 7. Ludouicus à Cruce in Bull. disp. 1. cap. 6. dub. 12. num. 7. & quamplures alij apud ipsos.* quia per commutationem obligatio, quæ erat in materia reseruata, fuit translata in aliam materiam, quæ sub Pontificia reseruatione minimè continetur; proinde votum substitutum, cum nō sit in materia reseruata, poterit per Bullā commutari.

79 *Affirmatiua est omnino asserenda.*

Materia subrogata non continetur in reseruatione Pontificia.

80

Ad primam rationem pro oppposita sententia respondeo, subrogatum sequi natu-

Respondetur primæ rationi contrariorum. naturam illius, pro quo substituitur secundùm ea, quæ intrinsecè, & per se cōueniunt rei, pro qua fit subrogatio, seu ipsi subrogationi, ad quam intrinsecè, & per se spectat, vt res subrogata sit æqualis, aut proportionalis priori rei, & in casu nostro sit res honesta, & ad Diuinum cultum apta: at non oportet, vt subrogatum sequatur rem, cui subrogatur, quo ad extrinseca, & quæ per accidens eidem rei conueniunt: reseruatio autem valdè extrinsecè, & per accidens se habet materiæ, quæ reseruatur; & ideo res subrogata non sequitur eius naturam quoad reseruationem, & maximè cum sit odiosa, & non amplianda.

Subrogatum, quo in re sequi debeat naturā eius, cui subrogatur.

81 *Secundæ rationi fit satis.* Ad secundam aio, ab aliquibus negari, pœnam à Pontifice impositam relaxari, aut mutari posse ab inferiori, & ita sentit *Gloss. cap. Accedens dist. 90. ver. In tua cap. Tempora 26. quæst. 7. & cap. Latorem 33. quæst. 2. ver. Conuersionē, & alii apud Suarez, & apud Sanchez locis citatis.* Respondeo secundò, quamuis demus mutari non posse, ait tū disparē esse rationem, nam pœna inuoluit præceptum Superioris; commutatio autem tota fit in gratiam ipsius vouentis, à cuius volūtate dependet obligatio, quatenus in eius libertate est, acceptare commutationē; proinde commutatio non sequitur naturam præcepti, sed voti: & licèt in ipsa cōmutatione interueniat Pontificis auctoritas ad designandam materiam subrogandam: tamen obligatio non sequitur imperium voluntatis Pontificis, sed ipsius vouentis.

Cōmutatio fit in gratiam vouētis: adeoque nō sequitur naturam præcepti, sicuti pœna.

§. V.

An reuiuiscat prius votum reseruatum, si vouens commutationem non exequatur.

82 Sistentes in exemplo allato, ponamus, quod vouens transacto longo tempore nihil adimpleuerit ex rebus, in quas pontifex commutauit votum Castitatis, quærimus, an ipsum votum redeat, & reuiuiscat.

Alij affirmāt, votum reseruatum reuiuiscere, si non fuerit adimpleta materia subrogata.

Aliqui affirmant, *vt Rodriquez in addit: ad §. 9. num. 118. & apud eumdem Sotus lib. 7. De iust. quæst. 2. a 1. ad 3. Aragonius in 2. 2. quæst. 88. a. 3. ad 2. Vega in sum: tom. 2. cap. 129. cas. 97. & alij*, id probant ex eo quod votum Castitatis non fuit totaliter remissum, nisi sub conditione rei subrogatæ; & ideo si vouens culpabiliter omittat ieiunia, preces &c. quæ fuerunt subrogata, tenebitur Castitatem seruare ex vi præcedētis voti. dixi si culpabiliter omittat, quia Rodriquez vult, quod si ob impotentiam fit omissio, nō teneatur ad prius votum; & ideo si contra Castitatem peccet, peccatum non erit contra votum, sed contra temperantiam.

Ratio.

84 Alij verò negant, primum votum redire, etiam si vouens culpabiliter non adimpleat materiam subrogatam, & hāc opinionem vt probabiliorem amplectitur *Sanchez disp. ill. 9. De matr. num. 21. Fagundez in decal. lib. 2. cap. 43. num. 20. Azor. tom. 1. lib. 11. cap. 19. quæst. 10. Sayrus in clau. Regia lib. 6. cap. 12. num. 24. Lessius lib. 2. De iust. cap. 40. dub. 11. num. 97. Trullibidem lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 14. num. 9. Barthol. à S. Fausto in Thes. lib. 4. q. 77. Ludouicus à Cruce in Bul. disp. 1. cap. 6. dub. 16. num. 12.* qui hanc opinionem vt probabilem admittit, & alij. Ducuntur autem, quia per commutationem prior obligatio remanet extincta, & translata in aliam materiam; proinde vouens, si culpabiliter omittat, peccabit, sed prius votum non redibit. & hæc secunda sententia longè probabilior mihi videtur, proinde est admittenda, & ducor ex ratione posita.

Alij negant etiam si culpabiliter adipleta nō fuerit.

Obligatio voti in priori materia extinguitur per commutationem, & trāsfertur in aliā.

85 Ad fundamentum autem contrariæ sententiæ respondeo negando prius votum fuisse sub cōditione commutatum, cum hoc nullo iure probari possit; nec, vt suppono, in commutatione talis conditio apposita fuerit; & tunc, vt benè aduerrit Sanchez, siuè culpabiliter, siuè inculpabiliter commutatio exequutioni non mandatur, perinde se habet: nam tali posita conditione siuè explicitè, siuè implicitè teneretur vouens redire ad pristinum votum.

Respond tur fundamento cōtrariæ sententiæ.

Aduertendum hic est, quod si vouens interiùs non acceptauerit commutationem, sed solùm exteriùs eam finxerit acceptare, votum pristinum non erit commutatum, ac proinde ad illud obligabitur vouens: at poterit ipse vouens quandocumque interiùs commutationem illam acceptare; sic *Sanchez, & Ludouicus à Cruce loc. cit.* 86

§. VI.

An vouens valeat omittere commutationē acceptam, & ad prius votum redire.

87 Partem affirmatiuam tuētur *Sāchez vbi supra, & in sum: lib. 4. cap. 55. n. 26. Azor. tom. 1. lib. 11. cap. 19. quæst. 10. Sayrus in clau. Reg. lib. 6. cap. 12. num. 22. Ludouicus à Cruce, dub. 16. cit. num. 5. Trullench. in decal. lib. 2. cap. 1. dub. 49. & in*

Affirmant multi Authores.

in Bull. loco superiùs cit. num. 10. Diana par. 1. tract. 11. resol. 85. Lessius lib. 2. cap. 40. dub. 16. num. 111. Castro Palaus tom. 3. tract. 15. p. 18. num. 10. Bonac. in decalog. disp. 4. q. 2. p. 7. §. 7. num. 20. Malderus in 2. 2. S. Thom. tract. 10. cap. 5. dub. 11. q. 9.

88 *Alij concedunt: si commutatio facta sit in æquale, vel minus; secus, si in melius.*

Sed non omnibus placet hæc opinio absque distinctione, seu limitatione intellecta; nam *Suar. lib. 6. De voto cap. 20. num. 1.* quem postea sequutus est *Filliuc. tom. 2. tract. 26. cap. 10. num. 188. Regin. in praxi tom. 2. lib. 20. num. 362. Raphael de la Torre in 2. 2. q. 88. a. 12. disp. 5. n. 12.* licèt admittant sententiam illam, quando commutatio facta est in minus, aut in æquale; nihilominus eam non amplectũtur, dum facta est commutatio in melius: & probant, quia commutatio vim habet noui voti, quo vouens Deo se obligat exhibere aliquid melius, quàm antea promiserat: proinde non poterit redire ad pristinum votum, quia vt sic esset commutare melius votum in minus; & ideo si quis priùs vouerit Castitatem, & postea commutauerit in votum Religionis, aut Presbyteratus, non poterit retrocedere, quia posterius votum est perfectius. & confirmatur à pari: nam in humanis contractibus quando ex partium consensu obligatio melioratur in fauorem creditoris, non poterit debitor resilire ab hac postrema obligatione; sic proportionaliter est asserendum in hac præsenti materia. Præterea nisi ponatur talis obligatio ex parte vouentis, nulla fieret commutatio in melius, & probatur, quia facultas faciendi id, quod est melius loco minoris boni, includitur in omni voto, præscindendo à commutatione obtenta à Prælato, aut Confessario; igitur dum vi ecclesiasticæ auctoritatis votũ aliquod commutatur in melius, resultat obligatio in vouente in ordine ad illud bonũ melius, sic discurrit Pater Suarius.

89 *Eligitur ab Authore prima sententia, & probatur. Commutatio includit implicitè conditionem, vt si voluerit vouens, possit redire ad priorem materiã.*

Sed hæc opinio non placet; & ideo priorem sententiam puto esse amplectẽdam, quam sic probo: commutatio voti, cum sit dependenter à voluntate, & beneplacito vouentis, fit in eius gratiam, & & vtilitatem, vt faciliùs votũ adimpleat; proinde implicitè inest conditio, vt integrum sit ipsi vouenti eligere aut materiam subrogatam, aut pristinam; aliter non esset fauor, sed potiùs onus.

90 *Obiectum.*

Dices, Si commutatio fit cum tacita conditione, vt vouens ad sui libitum possit variare rediens ad priorem materiam, sequeretur, quod sub eadem conditione etiam fiat, casu, quo culpabiliter omitteret adimplere materiam subrogatam, quod tamen supra negauimus; videtur enim vtrobique par ratio.

Respondeo non esse eamdem paritatem, quia commutatio, cum tota fit in vtilitatem, & gratiam vouentis, illam cõditionem tacitè inuoluit, quæ respectu eiusdem vouentis se habet vt fauor, & non vt onus: quapropter conditio illa cũ faueat libertati, censetur tacitè inesse; at conditio ista cum sit grauamen, non intelligitur inesse. 91 *Responsio.*

Ad primam rationem pro opposita sententia nego, commutationem vim habere noui voti; id enim nullo iure probari poterit, cum solùm sit quædam trãslatio voti ex vna in aliam materiam siuè æqualem, siuè meliorem. 92 *Respondetur rationi oppositæ sententiæ. Commutatio nõ habet vim noui voti.*

Ad confirmationem respondeo esse disparitatem, quia in contractibus humanis melior obligatio tota fit in gratiã creditoris, & non in vtilitatem debitoris; & ideo dum à creditore acceptatur, fit nouus contractus, à quo debitor retrocedere non potest; vt commutatio etiã in melius non fit primò, & per se in fauorem creditoris, nempè Dei, sed in fauorem ipsius vouentis; & ideo remanet in eius libertate regressus ad priorem materiam. si autem fingamus, quod vouens renuntiet iuri suo, scilicet prædicto fauori, & accepiet commutationem ad Diuinũm cultum augendum, tunc *Ludouicus à Cruce, & Sanchez in sum: cap. cit. num. 27.* aiunt, non posse vouentem redire ad pristinam materiam, si habeat rationem minoris boni; horum autem sententiæ adhæreo, si ipse vouens post acceptationem commutationis & renuntiet suo fauori, & iterum voueat explicitè, aut saltem implicitè: at si non habeat intentionem se obligandi, puto integrum sibi esse redire ad priorem materiam. neque hæc duo sunt incompossibilia: poterit enim contingere, vt vouens velit cedere dicto fauori non se obligando, sed solùm proponendo hoc præstare in Dei honorem: tunc enim non video, cur nequeat mutando propositum regredi ad priorem materiam: attamen quia renuntiatio huius fauoris ordinariè loquendo in hac materia implicitè saltem continet obligationem; idcirco per se loquendo censeo, quod vouens non valeat omittere materiam subrogatam, & redire ad pristinam. 93 *Respondetur Confirmationi. Disparitas inter contract. humanos, & voti materiam.*

Quæres quando adest dubium, an vouens per commutationem prioris voti in melius renuntiauerit fauori suo, nec ne, pro quo sit præsumptio. 94

Respondeo esse pro libertate vouentis. *ita Ludouicus à Cruce dub. cit. numero septimo, & Sanchez cap. 55. citato, num. 27. remissiuè.* Et ratio est, quia præsũptio ista desumitur à cõmuniter cõtingẽtib⁹; per 95 *Quando dubitatur, an vouens renuntiauerit fauori suo, nec ne, præsumptio est pro libertate ipsius.*

per se autem loquendo solent commutationes istæ fieri in gratiam, & leuamen ipsius vouentis; proinde nisi aliud habeatur, ita erit præsumendum.

Respondetur secundæ rationi.

96 Ad secundam rationem aio, falsum esse nullam poni commutationem, nisi in ipso vouente ponatur obligatio non recedendi à materia substituta. neque probatio est efficax, quia licèt absque auctoritate Superioris facultatem habeat vouens mutare suum votum in melius: tamen ex hoc non sequitur, quin etiam possit fieri ab habēte spiritualem iurisdictionem, sicuti in sententia eorum, qui volunt commutationem in æquale fieri posse ab ipso vouente, non infertur fieri non posse à Prælato, vel à Confessario virtute alicuius priuilegij: vna enim potestas alteram non tollit.

Commutatio in melius fieri potest non solũ ab ipso vouente, sed etiã à Superiore spirituali ipsi.

97 Quæ dicta sunt de facultate vouentis in ordine ad regrediendum, & exequendum votum in priori materia, intelligenda sunt fieri posse quamuis pluries idem votum commutatum fuerit. E. C. si quis habebat votum Peregrinationis Vltramarinæ, & hoc commutatum fuit in eleemosynas, & postea eleemosynæ in ieiunia, & ieiunia per aliam commutationem in menstruas confessiones, &c. & sic pluries, erit semper in libertate vouentis redire ad quamlibet maluerit ex his materijs, in quas effecta fuit commutatio: & hoc non tantùm semel, sed toties quoties sibi libuerit nunc ad vnam, nũc ad aliam materiam. sic *Sanchez in decal. cap. illo, num. 28. & apud ipsum Azorius, Lessius, & Sayrus*, & nouissimè *Fagundez in decal. lib. 2. cap. 50. num. 19.*

Vouẽs potest redire ad quãlibet materiã, in quã votum bis, terue cõmutatũ fuerit.

98 Quæres an vouens, si redeat ad prius votum nolens commutatione vti, possit iterum ad materiam subrogatam regredi.

99 Aliqui negatiuam partem tuētur absolutè, & absque vlla distinctione, quos nomine suppresso refert *Suarez cap. 20. cit. n. 13.* At partem affirmatiuam sustineat *Castro Palaus p. 18. cit num. 11. in fine. Suarez autem, & Sanchez in summa lib. 4. c. 55. nu. 19.* hoc pacto distinguunt: si votum fuerit commutatum in minus, aut æquale, & vouens redierit ad prius votum, aiunt, non posse regredi ad materiam subrogatã, quia renuntiando commutationi implicitè, & virtualiter videtur emittere nouũ votũ circa priorem materiam cõmutatã; proinde cum iterum voto sit ligatus, non potest ab illo propria auctoritate recedere: si verò commutatio fuerit in melius, concedunt hunc iteratum regressum: hoc autem, quod hi Authores asserunt de renuntiatione, per quam credunt virtualiter emitti nouum votum,

Si vouẽs redeat ad primũ votum nolens cõmutatione vti aliqui negant absolutè posse redire ad materiã subrogatam.
Alij affirmãt.
Alij distinguunt.

si ita esset, illis omnino adhærerem, sed non video, cur in tali renuntiatione includatur implicitè nouum votum circa priorem materiam. & ideo dico, renuntiationem hanc neque explicitè, vt patet, neque implicitè, seu virtualiter continere voti emissionē, vt rectè docet, & optimè in terminis id probat *Merolla in moral. Theol. tom. 2. disp. 4. cap. 6. dub. 30. n. 483. Villalob. in sum. tom. 1. tract. 27. claus. 9. §. 2. num. 34.* Et probatur: renuntiatio, vt supra innuimus poterit importare simplex dumtaxat propositum non vtendi tali commutatione; atque adeo sine intentione se obligandi. immo numquam præsumitur obligatio, nisi de illa constet, vel ex coniecturis cogamur illam præsumere; in casu autem isto præsumptio stat pro ipso vouente, quia non præsumitur aliquem velle se sua libertate priuare, ne iterum vtatur commutatione, & præsertim in odiosis, vt est voti vinculum, quod strictè est interpretandum, & in dubio minimè præsumendum.

Renuntiatio cõmutationis implicitè non continet noui voti emissionem.

Potest enim esse ex simplici proposito.

§. VII.

An virtute Cruciatæ aliquod votum ex tribus reseruatis possit commutari in opus euidenter melius, & Deo gratius.

Svpponimus primò, vota, quorum commutatio Summo Pontifici est reseruata, esse quinque; nempè tres illas Peregrinationes ad Sanctũ Iacobum Cõpostellæ, ad limina Apostolorum Petri, & Pauli in Vrbe, & Hierosolymam; & rursus votum perpetuæ Castitatis, & Religionis. Hanc autem reseruationem Doctores communiter colligunt *ex Extrauag. Sixti IV.* quæ incipit: *Et si Dominici 2. De Pœnit. & Remiss. & ex cap. multa De voto*, & licèt ibi Pontifex loquatur potiùs supponendo, quàm primò faciendo reseruationem hanc; tamen eadem reseruatio deducitur ex antiqua consuetudine, & stylo Curiæ, & ex varijs constitutionibus, per quas Pontifices solent ista quinque vota excipere in facultatibus, quas concedere solent ad commutanda vota, vt patet *ex Compendio Priuil. nostræ Societatis ver. commutatio §. 1. & ex priuilegijs aliarum Religionum.* In hac verò Bulla tria tantùm, vt diximus supra, excipit vota, scilicet Vltramarinum, Castitatis perpetuæ, & Religionis. 100

Vota Summo Pontifici reseruata quot, & quæ sint.

Supponimus secundò, vnum votum reseruatum esse alio reseruato præstātius. 101

Vnum votũ reseruatum est alio præstantius.

Ccc 2 nobi-

nobilius enim est votum Castitatis, quàm Peregrinationis, & votum Religionis oobilius, quam Castitatis; immo iouenire posse aliqua opera pia, quæ sint tam magni momenti, & ratione numeri, & aliarũ circumstantiarum, vt præpondereot voto reseruato. His positis, quærimus, an vi huius Bullæ aliquod votum reseruatum ex tribus exceptis possit commutari vel in aliud votum reseruatum, vel io aliud opus; quod pensatis omnibus existimetur melius, Deoque gratius.

Votum reseruatum posse commutari in aliud præstantius virtute Bullæ tenent aliqui.

102 Partem affirmatiuam exemplificans in voto Vltramarino tuetur *Caietanus in sum. verb. votum cap. vlt. & Aragon. in 2.2. S. Thom. quæst. 88. a. 12. in explicatione articuli.* nam etsi loquatur de Peregrinatione hierosolymitana, & priùs dixerat in voto Castitatis, & Religionis nunquam posse fieri commutationem sine auctoritate Prælati, quia nihil his votis potest esse melius: tameo postea voiuersaliter concludendo ait, (*cæterum veriùs est dicere, quod si constat, rem, in quam fit commutatio, esse meliorem, non esse necessariam Prælati auctoritatem, quia Papa quando sibi reseruat alicuius voti commutationem, intelligendus est, dummodo res sit dubia, nam si certum est esse meliorem, benè poterit fieri commutatio priuata auctoritate*) Hæc Aragonius. quam opinionem sequutus est *Sayrus in clau. Regia lib. 6. cap. 12. num. 14. & Valent. in 2.2. disp. 6. quæst. 6. p. 7. ver. Hac ipsa ratione.*

Alij communiter negant.

103 Partem verò negatiuam amplectuntur alii commuoiter: eam autem docet *Sotus lib. 7. De iust. quæst. 4. a. 3. ad tertium ver. At verò quando. Tabiena verb. Dispensatio. quæst. 9. nu. 11. Suarez lib. 6. De voto c. 21. nu. 17. Sanchez in decalog. lib. 4. cap. 52. à num 4. Azor. tom. 1. lib. 11. cap. 18. quæst. 4. Ludouicus à Cruce in Bull. disp. 1. c. 8. dub. 2. num. 21.* His præmissis.

Secunda sententia omnino certa, & admittenda.

104 Dicendum est primò, hanc secundam sententiam tamquam certam esse omnino admittendam: tum quia est communis, tum quia praxis ita docet; numquam enim audiui, vota ista de facto commutari ab inferioribus Prælatis, & Confessarijs sine priuilegio Pontificis: at si in opera meliora essent commutabilia, aliquando id fieret etiam propria auctoritate ipsius vouentis; & sic habens votũ Peregrinandi in aliquem ex locis enumeratis, vel perpetuæ Castitatis posset illud commutare in alia opera pia, videlicet in eleemosynas, in ieiunia, in frequeorem Sacramentorum receptionem, &c. quæ peosatis omnibus arbitrio boni viri existimentur quid melius, & secũdùm se absolutè Deo gratius: hoc autem est cootra praxim, & consuetudinem fidelium, qui

Praxis, & consuetudo fideliũ non admittit huiusmodi mutationem.

dum sunt aliquo ex prædictis votis ligati, & ab illo se eximere volunt, ad Summum Pontificem recurrunt, vt dispenset, aut commutet. Conclusio autem ista non solùm procedit de commutatione voti reseruati in materiam non reseruatam, quãuis meliorem, sed etiam in materiam reseruatam, licèt præstantiorem; & sic votum Peregrinandi Compostellam nequit absque licentia, aut priuilegio Pontificis, commutari in Peregrioationem Romanam ad limina Apostolorum, & neque hæc in Peregrinationem hierosolymitanam, neque hæc in votum Castitatis perpetuæ: deniq; neque votũ Castitatis perpetuæ in votum Religionis, quod sit taotùm promissiuũ, vt infra explicabo; & vti docent *Suarez, & Sanchez locis citatis.*

Nequeunt commutari neq; in materiam nõ reseruatã, quamuis meliorem, neq; in reseruatam.

Ratio autem fuodamentalis huius nostræ cooclusionis desumitur ex supradicta Extrauag: *Etsi Dominici*, per quam Pontifex expresse statuit, quod nemo, quacũque etiam Episcopali, aut maiori fulgeat dignitate, prædicta quinque vota commutare præsumat, & hoc ipsum confirmat *caput ex multa* superiùs citatum: & sic ex illis iuribus patet, facultatem commutãdi vota ista ablaram esse ab inferioribus persoois, & Pootifici dumtaxat esse reseruatam; reseruatio enim hoc facit, nempè demere potestatem cõmutandi, quæ in inferioribus reperiebatur.

Ratio fundamentalis.

Dices. Ex hoc sequitur impediri exequutionem maioris boni, quod est rectæ rationi dissentaneum, & repugnat naturæ voti, quod est de meliori bono, & nequit esse maioris boni impeditiuum. 105

Obiectio.

Respondeo negando antecedens, quia per hanc reseruatiooem non prohibetur, aut simpliciter impeditur melius bonum, sed solùm præscribitur modus, quo eligi debet loco materiæ promissæ per votum. 106

Responsio.

Diceodum est secundò, neque per votum promissiuum Religionis propriè loquendo commutari possunt alia vota reseruata, vt docet *Suarez loco cit. num. 18.* probatur conclusio, quia votum promissiuum Religionis non est illud, quod statũ Religionis formaliter constituit, sed illud, per quod vouẽs promittit se Religionem ingressurum, seu assumpturum statũ Regularem; & ideo per tale votum, nequaquam extinguũtur vota præcedentia, sed ad summum eorum exequutio differtur; ideoque si contingat, quod vouens ob aliquod impedimẽtum nequeat iogredi Religionem, vel dispensationem à Pontifice obtioeat, obligabitur ad exequenda priora vota. igitur propriè loqueodo nequeũt vota emissa commutari in votum promissiuũ Religionis, cũ non extinguantur, sed solũ differantur quoad exequutionẽ. 107

Non possunt commutari in votum promissiuum Religionis alia vota reseruata.

Dicen-

Per votum constitutiuum Religionis omnia priora vota reseruata, vel non reseruata extinguūtur.

108 Dicendum est tertiò, Per votum constitutiuum Religionis, quo mediante vouens fit formaliter Religiosus emittens solemnem professionem, omnia priora vota tum non reseruata, tum reseruata, totaliter extinguuntur, ita vt nūquam reuiuiscere queant; proinde simpliciter, & propriè loquendo commutantur. Est communis sententia, quam fusè examinat *Sanchez in decalog. lib. 5. cap. 5. à nu. 36.* & apertè statuitur *in cap. scriptura De voto his verbis: Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur Religionis obseruantiam commutare.* Quod autem textus loquatur de voto, per quod formaliter vouens fit Religiosus, & non de simplici voto Religionis, quod promissiuum appellauimus, manifestè colligitur, vt rectè notauit *Suarez*; quia promissio assumendi statum Religionis nequit vocari perpetua Religionis obseruantia, in quā vouens commutat alia vota, quæ in dicto textu nūcupantur temporalia obsequia. Patet igitur per votum constitutiuum hominis Religiosi, verè, & propriè commutari omnia præcedentia vota, & totaliter extingui, dum fit solemne votum professionis. In Societate autem Iesu per vota illa simplicia, quæ emittuntur post elapsum biennium Nouitiatus, vota præcedentia non extinguūtur, sed solùm suspenduntur, vt habetur *ex Canon. 22. primæ Congregationis*, & aduertit *Sanchez in sum: lib. 5. cap. 5. num. 54.* proinde si quis postea non perseueret, & egrediatur è Societate, vota illa redeunt, & reuiuiscunt.

Per vota simplicia Soc. Iesu præcedentia vota non extinguūtur, sed suspenduntur.

Conclusiones duæ ex dictis in hoc paragr.

109 Ex his omnibus colligimus duo: primò nullum votum Summo Pontifici reseruatum commutari posse à quocumq; alio, qui sit Pontifice inferior, sine priuilegio ipsius Pontificis, siuè id, in quod fit commutatio sit materia non reseruata, siue reseruata, & præstantior: secundò, quod per votum constitutiuum status Religiosi omnia vota siuè in sæculo, siuè in Religione emissa antè professionem, propriè commutantur, & extinguūtur, aut saltem suspenduntur, vt euenit in nostra Societate per emissionem trium votorum simplicium trāsacto biennio Nouitiatus, vt declarauimus. Multa autem circa extinctionem, aut suspensionem horum votorum videri possunt apud *Sanch. c. illo 5.* & apud alios, quorum examen non pertinet ad subiectam materiam.

§. VIII.

An si quis emittat aliquod ex prædictis votis cum expressa intentione se obligandi sub onere tantùm peccati venialis, valeat votum per Bullam commutari.

110 QVamuis aliqui, inter quos est *Basil. de Leon lib. 5. De matr. cap. 9. in fine.* sustineant, non esse in potestate vouentis obligari sub veniali, aut mortali; quam opinionem fusè examinat *Suarez lib. 4. De voto cap. 4.* & aliqui sentiant, tale votum esse inualidum: nihilomin⁹ posita alia sententia, quam sequitur *Suarez*, quæ vult, validum esse tale votum, & nō obligare, nisi sub veniali,

Vota emissa cum intentione obligandi se ad veniale quamuis in materia reseruata possunt dispensari virtute Bullæ.

111 Est sententia, quam sequitur *Pater Sanchez in sum: lib. 4. cap. 40. num. 47.* concludens votum istud non esse reseruatum Pontifici, sed posse ab Episcopo dispensari; proinde cum Bullæ Cruciatæ priuilegium se extendat ad commutanda omnia vota, ad quæ extēditur potestas ordinaria Episcopi; idcirco tale votū poterit per Bullam commutari. eādem sententiam defendit *Bonac. in decalog. disp. 4. quæst. 2. p. 17. §. 4. nu. 20. Diana p. 1. tract. 11. resol. 72. Trull. in Bull. lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 5. num. 14. Castro Palaus to. 3. tract. 15. disp. 2. p. 12. n. 2. Bossius de triplici iubil. sect. 2. cas. 16. num. 3.* Et ratio est, quia dum vouens cum tali intentione emittit votum, V. G. Hierosolymitanum, votum ipsum erit imperfectum, & deficiens à perfectione voti, quod suapte natura, dum est de materia graui, vim habet obligandi vouentē sub onere peccati mortalis, & licèt quantitas, seu qualitas obligationis sit quid consequens ad essentiam voti, & veluti eius accidens: nihilominus dum promissio procedit ex supradicta intentione, veluti deprimitur efficacia ipsius voti; atque adeo erit imperfectum, & ratione talis imperfectionis censebitur quid leue, ac proinde non reseruatum, quia sub reseruatione de facto solùm continentur vota, quæ sunt magni momenti.

Ratio desumitur ex imperfectione voti.

§. IX.

§. IX.

An vota in materia reſeruata ex metu leui emiſſa per Bullam commutari valeant.

112 *Dubitatio eur de metu leui proponatur.* LOquimur de metu leui: nam vota emiſſa ob grauem metum ſiuè iuſte, ſiuè iniuſtè ab extrinſeco incuſſum gratia extorquendi votum non cenſentur reſeruata, quia cum apud Doctores in controuerſia ſit poſitum, an ipſo facto talia vota ſint irrita, nec ne, & reſeruatio ſit odioſa, debet reſtringi ad caſus certos, & non moraliter dubios, vt rectè oſtendit *Suar. lib. 6. De voto cap. 26. nu. 6. Sanchez in ſum: lib. 1. cap. 10. num. 24. & lib. 4. cap. 40. num. 26.*

113 *Et de metu incuſſo ad extorquendum votum.* Rurſus ſupponendum eſt, ſermonem eſſe de metu incuſſo ad votũ extorquendum: nam ſi ad alium finem metus, quicumque ſit ſiuè leuis, ſiuè grauis, incutiatur, certum eſt, votum eſſe validum, & in tali materia reſeruatum. loquimur ergo de metu leui incuſſo gratia extorquendi votum, vt ſi quis metum incutiat Petro in hunc finem, vt voueat Peregrinationem hieroſolymitanam, ingreſſum Religionis, &c. tale votum eſſe reſeruatũ cenſuit *Pater Suar. cap. cit. num. 4.* & ad hoc aſſerendum mouetur, tum quia nullo iure oppoſitum cauetur, tum etiam quia nulla ratione fundari poteſt: nã talis metus ad ſummum cauſat inuoluntarium ſecundùm quid, quod non eſt ſatis ad eximendum illud à reſeruatione: nam hoc non obſtante emiſſio voti erit voluntaria ſimpliciter, atque adeo votũ erit validum. Et confirmatur ex eo, quod aliàs excipienda eſſent vota emiſſa ob periculum mortis, vel naufragij, quæ ſæpè ſunt magis inuoluntaria ſecundùm quid, & parum refert hæc nõ eſſe ex metu directè immiſſo ad votum extorquendum, quoniam per hoc ſolùm additur ratio iniuriæ, quæ eſt impertinens ad votum, & nihil refert ad reſeruationẽ eiuſdem voti, & præſertim ſi metus ſit leuis. ſic diſcurrit *Suar.* ad ſuam probandam ſententiam.

Opinio Suar. affirmatiua; & eius diſcurſus.

114 At oppoſitum alij defendunt, nimirũ tale votum non eſſe reſeruatum. ſic *Angelus verb. Votum 4. nu. 9. Sanchez cap. cit. num. 30. 31. Nauarrus in ſum. cap. 12 num. 61. Henriq. lib. 11. cap. 15. Leſſius lib. 2. c. 40. dub 18. num. 127.* huic opinioni adhæret, & expreſſè eam defendit *Alphonſus de Leone tract. de iubil. quæſt. 8. ſect. 1. num. 97. Reginald. in praxi lib. 18. num. 388. Bonac. in decal. diſp. 4. q. 2. p. 7. S. 4. num. 17. Ludouicus à Cruce in Bul. diſp. 1. c. 6. dub. 3. n. 16. Trull. ibidem lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 15. in fine. Caſtro Pala° tom. 3. tract. 15. diſp. 2. par. 12. nu. 11. Boſſius ſect. cit. caſ. 14. numero tertio.*

Dicendum eſt cum hac ſecunda ſententia, quæ optima ratione ſuaderi poteſt ſuperiùs tacta: nam reſeruatio cum ſit odioſa, coarctanda eſt; ac proinde vota illa exiſtimari debent contineri ſub Põtificia reſeruatione, quæ eliciuntur ſponte ab ipſomet vouente, & non vt impulſo à cauſſa extrinſeca extorquente ipſũ votum. 115 *Sententia Authoris cõmunis cum alijs multis votũ emiſſum ex metu leui nõ eſſe reſeruatũ. Eius ratio.*

Ad rationem in contrarium reſpondeo. quamuis hæc ſecunda ſententia in iure minimè habeatur, ſicuti neque habetur contraria, quam tuetur Suarez: nihilominus ſufficit, vt congrua ratione ſuadeatur; proinde negamus, nulla ratione fundari, neque eam nos fundamus in hoc, quod emiſſio voti ſit inuoluntaria ſecundùm quid vt ſic, ſed in eo, quod ſit inuoluntaria per iniuriam ab extrinſeca cauſſa illatam impellente ad votum, ratione cuius iniuriæ votum erit deficiens ab illa perfectione, quæ requiritur à reſeruatione, ſub qua nullo pacto eſt præſumendum à Pontifice velle comprehẽdi vota per iniuriam extorta, dum illa ſibi reſeruat, ſed ſolùm vota, quæ ex pio animi affectu à vouente procedunt. & ex hoc patet diſparitas inter vota facta ob metum incuſſum à cauſſa intrinſeca in periculo mortis, naufragij, &c. & inter vota elicita ob metum incuſſum per iniriam à cauſſa extrinſeca: nam in primo caſu vouens à nemine impellitur ad votum faciendum, ſed ſua voluntate eligit votum tamquam medium, ad hoc vt ab illo periculo liberetur: ſecus in ſecundo caſu, in quo iniuria interuenit. & cauſſa primò, & per ſe mouens non eſt voluntas vouentis, ſed voluntas extrinſeca impellens ad votum: & ſic patet reſponſio ad argumentum, quod affertur in confirmatione. 116 *Reſpondetur rationi ſententiæ oppoſitæ.*

Votũ extortũ per iniuriam ab extrinſeco illatam deficit à perfectione voti; atque adeo à reſeruatione.

§. X.

An votum in materia reſeruata, ſi ſolũ obliget vt præſumptum, poſſit per Bullam commutari.

SIt exemplum, V. G. Titius eſt certus ſe votum Peregrinationis in Terrã Sanctam emiſiſſe, aut eſt certus emiſiſſe votum perpetuæ Caſtitatis, ſed dubitat, an habuerit animum ſe obligandi: in tali caſu conueniunt Doctores, Titium teneri ad votum illud exequendum, quia poſſeſſio ſtat pro voto, & non pro libertate, vt oſtendimus in tractatu de conſcientia dubia. nam pro eo ſtat, poſſeſſio, pro 117 *Explicatur quæſtio; & ratio dubitãdi.*

pro quo stat iuris præsumptio; & ideo cũ verba sint signa eorum, quæ sunt in ipsius loquentis animo, vt docet *Aristoteles 1. Periherm. cap. 1.* Ius non præsumit, quod quis aliud sentiat in corde, & aliud exteriùs proferat, vt asseritur *in l. Labeo ver. id Iubeo ff. De supell. leg.* proinde cum Titius votum emiserit, præsumitur habuisse animum se obligandi: quapropter in casu, qui proponitur, videtur dicendum, tale votum esse reseruatum, & consequẽter per Bullam commutari non posse. & hanc opinionem defendit in simili loquẽs de peccatorum reseruatione *Pater Sanchez in sum lib. 1. cap. 10. num. 74. Bonac. lib. 2. in decal. disp. 4. quæst. 7. p. 5. §. 4. ver. secus dicendum. Alphonsus de Leone De offic. & potest. Confess. recollec. 17. nu. 25.*

Votũ obligãs, vt præsumptũ nõ esse commutabile tenent aliqui.

118 Sed oppositum tuentur alij, inter quos est *Suarez lib. 6. De voto cap. 26. n. 6. in fine.* vbi dicit, dubium posse esse tale, vt non obliget, & tunc non esse necessariam dispensationem ad illud tollendum: at quãdo dubium non sufficit ad excusandum vouentem ab obligatione voti, tamen in his votis, inquit, esse restringendam reseruationem, vt solùm vota omnino certa comprehendat, eamdem sententiam tuẽtur *Merolla tom. 1. disp. 3. cap. 3. dub. 2. num. 101. & 370. Cardinalis de Lugo De pœnit. disp. 20. sect. 2. nu. 18.* immo *& ipse Sanchez in eadem summa lib. 4. cap. 40. n. 26. & cap. 44. num. 3. exemplificans in voto Castitatis,* aitque, quod quamuis dubium non sufficiat ad excusandum vouentem à voti obligatione, erit satis ad eximendum illud à reseruatione: quia reseruatio, cum sit odiosa, est restringenda ad casus certos, & dubia non comprehenduntur sub reseruatione. & in *secundo loco citato*, ait, quod licèt possessio sufficiat ad iudicandum votũ fuisse de plena Castitatis obligatione, non sufficit tamen, vt votum iudicetur reseruatum. Hæc doctrina, vt notant *Merolla, & Delugo*, non videtur cohærere cum illa tradita in primo libro eiusdem summæ, quia non minùs odiosa est reseruatio absolutionis à peccatis, quã sit reseruatio voti.

Aliĩ oppositũ tuentur.

119 Dicendum est primò, vtramque sententiam esse probabilem. solùm difficultatem mihi facit hæc posterior: quoniam cum obligatio proueniens à voto sit etiã odiosa, vt fatentur communiter Authores, ac proinde restringenda, si hoc non obstante interdum præsumptio est pro voto, & obligat vouẽtem, videtur eadem præsumptio esse sufficiens ad reseruationem; & ideo in exemplo posito si quis ex eo quod votum exterius emittens protulerit verba significantia perfectam Castitatem, & dubium sit de intentione, præsumptio facit, vt votum possideat, & per consequens vouens obligetur ad seruandam plenam Castitatem; non video cur non sit satis eadem præsumptio ad constituendum votum reseruatum, cum odiũ versetur tum circa reseruationem, tum etiam circa obligationem.

Authori vtraq; sentẽtia probabilis censetur. Proponitur difficultas circa secũdã sententiã.

Possent autem sectatores secundæ sententiæ respondere ad hanc difficultatem, reseruationem esse magis odiosam, quàm obligationem; proinde sub reseruatione votorum non comprehendi nisi vota, quæ sunt omnino certa, & non fundata in sola iuris præsumptione; & hãc esse mentem Superioris vota sibi reseruantis. & idem est pariter asserendum de peccatis reseruatis; nisi in ipsa reseruatione extensio fiat ad casum dubium. At si vlteriùs quæras, vnde nam habeamus magis odiosam esse reseruationem, quàm obligationem. respondeo id colligi, quia obligatio est omnino intrinseca voto, immo essentia voti in obligatione Deo facta consistit; proinde si præsumptio, & possessio est pro voto, erit etiam pro obligatione; ac proinde vouens erit obligandus: at reseruatio est accidens omnino extrinsecũ voto adueniens dependenter à voluntate aliena; proinde præsumptio pro obligatione non est amplianda ad reseruationem: & hoc pacto declarata hæc secunda sententia mihi magis placet; atque adeo illam amplector. 120

Solutio.

Obligatio est intrinseca voto; reseruatio extrinseca; adeoq; non est par ratio, vtraque restringenda.

Dicendum igitur est secundò. Votum in materia reseruata, si obliget solùm ex Iuris præsumptione, posset per Bullam commutari, & etiam ad Episcopo, quatenus ratione illius incertitudinis, quam includit, non comprehenditur sub reseruatione, vt explicuimus. Ad fundamentũ verò contrariæ sententiæ patet solutio ex dictis. 121

Cõclusio amplectens secũdam sententiam benè explicatam.

§. IX.

An vota prædicta emissa in gratiam alterius sint reseruata.

MOuet dubium hoc *Basilius Pontius lib. 8. De matr. cap. 8. §. 1. num. 16.* & ponit exemplum in voto Religionis V. G. si quis promittat Petro se ingressurum in Religionem, & promissionem hanc confirmet voto, vel iuramento, quærit idem Author, an promissio ista censeatur facta Deo, an homini: ex hoc enim dependet, an votum istud, seu iuramentum sit reseruatum Pontifici; an verò possint Prælati inferiores in illo dispensare, aut illud commutare. quod si ita erit, per Bullam Cruciatæ absque dubio votum, aut iuramentum erit commutabile. hac posita dubita- 122

Dubitatio à Basilio Põtio proposita explicatur.

Decisio eiusdem Pontij cum distinctione.

dubitatione eam cum distinctione decidit *Basilius*,& ait,si ex tali promissione, & ingressu in Religionem aliqua temporalis vtilitas Petro accrescat, tunc de dispensatione huius voti, aut iuramenti remittit se ad doctrinam traditam de votis, aut iuramentis emissis in fauorem tertiæ personæ, de quibus *num. 9.* dixerat, non posse: & meritò, quia cum obligatione voti est coniuncta obligatio iustitiæ: at si nullũ commodum erit Petro obuenturum ex illo ingressu, tunc concludit posse in illo voto, aut iuramento ab Episcopo dispensari, & per consequens iuxta hanc sententiam poterit virtute Bullæ Cruciatæ commutari.

Conclusio Authoris.

Promissio firmata iuramento ingrediẽdi Religionem in vtilitatem alterius non est reseruata.

123 Dicendum est primò, si quis promittat alteri se ingressurum Religionem,& promissionem firmet iuramento, & hoc in vtilitatem ipsius promissarij, quia per talem ingressum succedit E. C. in aliquam hæreditatẽ,&c. iuramentũ non erit reseruatũ;ac proĩde si promissarius præmittit promissionẽ, iuramẽtũ absq;alia relaxatione statim cessabit, quia erat accessorium promissioni. est cõmunis sententia, quam rectè proponit, & declarat *Sãchez in sum. lib. 3. c. 20. n. 4. & seq.* si autem promissarius nolit remittere, sed ex parte ipsius est turpitudo ad recipiendã rem promissam, & contra iurantẽ est iniuria; tunc locum habet dispensatio facienda à Prælato ecclesiastico: at per Bullam talis relaxatio fieri nequit, quia priuilegiũ Cruciatæ solũ ad vota, & iuramenta cõmutanda, & non dispẽsanda extẽditur, vt sæpe adnotauimus.

124 Dicendum est secundò. Si iuramentum fiat principaliter in Dei honorẽ, quamuis res promissa redũdet in vtilitatẽ promissarij, est difficultas, an tale iuramẽtum remitti possit à Petro promissario; vel an valeat cõmutari per Episcopum, aut per Bullã: & ratio dubitãdi oritur ex eo ꝙ est de materia Summo Pontifici reseruata.

Iuramẽtum, aut votum factum principaliter in honorem Dei, sed redundans in vtilitatem alterius probabile est posse commutari.

125 Dicendum est tertiò, valde probabile mihi videri, tale iuramentũ, aut votum commutari posse per Bullam: quia licèt sit emissum in Dei honorem principaliter, tamen Deus recipit illud in ordine ad vtilitatem; & commodum alterius; proinde dum hic cedit iuri suo, vel nullum commodum sperat sibi obuẽturum de ingressũ promittentis Religionem; tũc Deus etiam cõdonat sibi debitum ortum ex tali iuramento, aut voto. & hãc opinionem colligo ex eodem *Basilio*, qui tamẽ, si attentè legatur, absq; dubio docet: immò iuxta principia; quæ à *Sanchez* ponuntur *c. cit. nu. 5. lib. 1. de matr. d. 52. nu. 7 & lib. 7. disp. 9. n. 12.* videtur iuramentum illud cessare absque alia dispensatione, & cõmutatione, dum tertia persona cedit iuri suo.

126 Quæ diximus de iuramento, aut voto versante circa Religionem, intelligenda sunt etiam quando fiunt in alijs materijs reseruatis.

Obiectio.

127 Sed obijcies S. *Thomam 2. 2. quæst. 89. a. 9. ad secũdũ*, qui asserit, iuramẽtũ hominis præstitum in gratiam, & vtilitatem ipsius posse remitti ab ipso, in cuius cõmodum fuit emissũ: at si promissio iuramento firmata est de re, quæ pertinet ad honorem Dei, vt est ingressus in Religionem, &c. tunc tale iuramentum non posse remitti à promissario, quia promissio non est ipsi, sed Deo principaliter facta.

Solutio.

128 Respondeo, S. Thomam loqui de reb⁹, quæ non cedũt in vtilitatem promissarij, sed solius Dei, aut aliorum; & ideo rectè ait, non posse à promissario remitti: at nos loquuti sumus de rebus, quæ cedunt in vtilitatem ipsius promissarij, licèt totum hoc in honorẽ Dei ordinetur, vt euenit, quando quis iuramento promittit pauperi determinato eleemosynam, & hoc faciat in honorem Dei, tunc si pauper ille promissionem remittat, vel cessabit iuramentum tamquam quid accessoriũ, vel erit dispẽsabile: sic in casu nostro, si Petrus remittit ius suum, tunc iuramentum de ingressu Religionis vel cessabit, vel erit per Episcopum, aut per Bullam cõmutabile.

§. XII.

Vtrum vota reseruata facta ab eo, qui est sub alterius potestate, sint per Bullam commutabilia.

129 PErsonæ, quæ manere dicuntur sub alterius potestate, sunt vxor, filij impuberes, & serui. quærimus autem, an si aliquis ex his emittat votum in materia reseruata, quod irritari potest ab eo, cui subditur, possit etiam petere commutationem virtute Bullæ Cruciatæ, aut dispensationem ab Episcopo.

130 Partem affirmatiuam tuetur *Guttier. in suis qq. can. lib. 2 cap. 22. num. 49.* & mouetur ad hoc asserendum, quia si vota ista sunt irritabilia à Viro, Patre, aut Domino, erunt à fortiori dispensabilia ab Episcopo: quod si ita dicatur, asserere etiam debemus, posse per hanc Bullam commutari.

Non est par potestas irritandi vota & dispensandi, aut commutandi.

Ratio disparitatis.

131 Sed opinio ista omnino est reijcienda: quia non valet argumentum à potestate irritandi ad potestatem dispensandi, vel commutandi. nã illa est fundata in dominio, quod habet Vir supra vxorẽ, Pater supra filios, & Dominus supra seruos; quod quidẽ dominium vel est supra voluntatẽ vouẽtiũ, vel supra materiam promissam; ista verò in iurisdictione spirituali, quam

habent

Potestas irritandi fundatur in dominio; dispensandi, aut commutandi in iurisdictione: illam nō aufert Pontifex vota sibi reservando, sed istam.

habent Prælati in suos subditos. Summus autem Pontifex, dum sibi vota reservat, non tollit potestatem dominatiuam, quā habent aliqui supra subditos, sed iurisdictionem aufert à quocumque alio inferiori Prælato, ne dispenset, aut cōmutet vota illa. igitur quāuis pater possit arbitrio suo irritare vota filiorum impuberū, & vir aliqua vota vxoris. sicuti Dominus aliqua vota seruorum, quæ sunt ipsi viro, seu Domino præiudicialia, & contraria iuri, quod habet: nihilominus ex hoc nō rectè infertur, posse talia vota ab Episcopo dispensari, & per Bullam commutari. & ideo hanc sententiam, quæ est certissima docet *Suar. lib. 6. De voto cap. 26. n. 3. Sanchez lib. 8. De matr. disp. 9 nu. 4. et in sum: lib. 4. cap. 40. num. 27. 28. Castro Palaus tom. 3. tract. 15. disp. 2. p. 12. num. 11. Barthol. à S. Fausto in Thes. lib. 3. quæst. 57. Bossius sect. illa 2. c. 15. nu. 2. & alij,*

§. XIII.

An per Bullam validè commutentur ista tria vota reseruata, quando Episcopus ob vrgentem aliquam necessitatem in eis dispensare valet.

132 *In quibus casibus Episcopi possunt dispēsare tria vota reseruata.*

NOnnulli à Doctoribus approbātur casus, in quibus Episcopus facultatem habet dispensandi in aliquo ex his votis, vt rectè animaduertit *Sanchez lib. 8. De matr. disp. 9. num. 22. & 23. & ferè omnes communiter.* V. G. si quis votum perpetuæ Castitatis emiserit, & postea immineat vehemens incontinentiæ periculum, & aditus non pateat ad Summum Pontificem, vel ob paupertatem, aut ægritudinem sit impotens recurrendi ad Pontificem; tunc ad maius malum vitandum poterit Episcopus dispensare, vt vonens matrimoniū contrahat: similiter aliquis sisit ligatus voto Religionis; attamen nisi aliquam, quam deflorauit, in vxorem ducat, timeantur grauia scādala, rixæ, &c. poterit Episcopus dispensare; & sic in alijs similibus, qua doctrina vt satis communi posita, quærimus, an in his casibus Confessarius poterit votum reseruatum, nempè Castitatis, vel Religionis validè commutare per Bullam Cruciatæ.

An possit in his casibus Cōfessarius virtute Bullæ.

133 *Ratio pro parte affirmatiua.*

Pro parte affirmatiua videtur facere, quod vt sæpè diximus, per Cruciatam omnia illa vota commutari possunt, ad quæ se extendit auctoritas Episcopi.

134 Neque dicas in his casibus posse dispensari ab Episcopo non iure ordinario, & proprio, sed ex præsumpta voluntate Pontificis, qui in talibus circumstantijs non censetur voluisse sibi reseruare vota ista: & ideo remanet, vt Episcopus in eisdem dispenset per facultatem illā, quam secundùm ius antiquum habebat ante reseruationem Pontificiam, quæ nō videtur auferre iurisdictionem, & potestatem ab Episcopis in casibus prædictis.

135 *Authores eā sustinentes.*

Et hanc sententiam sustinent aliqui, quos tacito nomine refert *Rodriq. in §. 9. Cruciata, n. 118. & expressè eā tenet Crousers in reg. S. Francisci cap. 7. lect. 29. apud Dianam par. 6. tract. 6. resol. 50.* eamq; videtur aliquo modo approbare *Bossius tract. De trip. iubil. sect. 2. cas. 20. num. 25.* dum ipse contrariam tenens solum veriorem appellat.

136 *Contrariam tuetur Authorum aliq.*

Dicendum est cum alia sententia, quæ asserit, non posse vota per Bullam commutari. ita *Rodriq. l. c. & in qq. regul. Tom. 1. quæst. 63. a. 6. Bossius l. c. Sanchez lib. 8. De matr. disp. 15. num. 10. & remissiuè ad alia loca. Suar. lib. 6. cap. 26. num. 18. Basilius Pontius lib. 8. De matr. cap. 10. num. 11. & omnes illi, qui ab eodem Bossio laudantur.* Ratio autem, qua solet conclusio probari, deducitur ex eo, quod in Bulla Cruciatæ, quamuis concedatur potestas ad commutanda omnia vota, in quibus potest Episcopus: tamen id est intelligēdum de illis votis, ad quæ extenditur facultas, quam habet Episcopus iure ordinario, & non quam habet ex tacita, & præsumpta mente Pontificis, & per quamdam ordinariam interpretationem.

Ratio.

137 *Non probat efficaciter, cū eo quod potestas commutādi cōcessa per Bullam est ad omnia vota simpliciter, tribus exceptis.*

Sed ratio ista efficaciter intentū probaret, si in Bulla concederetur potestas ad vota Episcopalia: tunc enim esset explicanda in ordine ad illa tantùm vota, ad quæ Episcopus iure ordinario potestatem habet: at potestas, quæ datur in Bulla, est ad omnia vota simpliciter dicta, & solùm excipiuntur illa tria. igitur, vt benè notat *Suarez*, latitudo huius priuilegij non debet mensurari limitatè per ordinem ad casus Episcopales, sed absolutè per generalitatem concessionis, sub qua continentur omnia, exceptis reseruatis: at illa tria in casu posito, cum non censeantur Pontifici reseruata, cōprehenduntur sub hoc priuilegio.

138 *Ratio efficacior ex diuersitate inter potestatem ordinariam, & delegatā.*

Meliùs igitur, & efficaciùs probaretur conclusio ex diuersitate, quæ reperitur inter potestatem ordinariam, & delegatam: potestas enim delegata non extenditur vltra casus illos, qui sunt concessi, quamuis ponatur summa necessitas in casibus non concessis; nā adæquatum obiectum talis potestatis, cum sint casus concessi, nequit ipsa ampliari ad

ad casus nõ concessos; vt sic enim egrederetur limites sui adęquati obiecti, quod est impossibile. sed quoad potestatẽ ordinariã res non ita se habet, quia ipsa cũ ex sua natura ad omnes illos casus extẽderetur, nisi fuisset limitata; seu nisi fuisset à sua efficacia impedita: idcirco quando tales circumstantiæ concurrerint, in quibus limitatio illa redundaret in detrimẽtum spirituale proximorum; tunc in illis circumstãtijs casus, circa quem versabatur limitatio, seu reseruatio, relinquitur sub ordinaria potestate Episcopi, & hoc per quamdam explicitam, seu tacitam voluntatem Summi Pontificis. Ex quo nõ valet inferre in illis circumstantijs absolutè, & simpliciter casum non esse reseruatum; quia tunc etiam manet sub reseruatione, & solùm est sub potestate Episcopi ex quadam benigna interpretatione voluntatis ipsius Pontificis reseruantis, qui cum sit vniuersalis Pastor, præsumitur intentionẽ habere subueniẽdi quibus, quando necessitas occurrit. & quia hic, & nunc occurrit necessitas dispensandi in tali voto; & dispensatio fieri nequit ab ipsomet Pontifice, ne fideles remedio sint destituti, conueniens fuit, vt in his circumstantijs Pontifex non reseruaret sibi votum in ordine ad Episcopum, sed illud relinqueret sub potestate ordinaria Episcopi, manente tamen reseruatione quoad alios inferiores, cum nulla sit moralis necessitas, vt in prædictis circumstantijs reseruatio etiam tollatur respectu inferiorum.

139 Et ex his, quæ dicta sunt, patet solutio ad rationem initio positam pro contraria sententia. nam ex præsumpta voluntate Pontificis censetur ablata per accidens reseruatio in ordine ad Episcopũ, & hoc vt subueniatur necessitati fidelium: at nõ censetur ablata in ordine ad alios Prælatos inferiores; aut in ordine ad priuilegia, per quæ conceditur facultas commutandi omnia vota quibusdam exceptis.

Respondetur argumẽto cõtrariæ sententiæ. Reseruatio, q̃ ex præsũpta voluntate Põtificis cẽsetur ablata in ordine ad Episcopos ob necessitatẽ fidelium, nõ auferatur in ordine ad inferiores Prælatos, siue priuilegio.

140 Si verò contra urgeas, per Bullam dari potestatem commutandi omnia vota exceptis illis tribus, dum manent sub reseruatione Pontificia; at in casu posito ex benigna interpretatione voluntatis Pontificis non manent sub reseruatione, & in Bulla excipiuntur pro eo statu, pro quo stant sub reseruatione Pontificis, & non pro alio statu: ergo &c.

141 Respondeo, per Bullam dari potestatem commutandi omnia vota, quæ absolutè, & per se non sunt reseruata Pontifici: non autem illa, quæ per accidens, & quantum sufficit ad subueniendum necessitati fidelium non sunt Episcopo reseruata.

Quæres, an si occurrat prædicta necessitas, & aditus neque ad Episcopum pateat, possit Parochus dispensare præsũpta Pontificis voluntate. 142

Respondeo negatiuè contra *Gabrielem in 4. dist. 38. quæst. 1. ar. 5. concl. 2. & contra Rodriq. loco infra adducendo*, quia in Parocho nulla est potestas ordinaria ad dispẽsandum in votis etiam non reseruatis, neque ad illa commutanda, vt latè probat *Sanchez l. 8. De matr. d. 9. num. 27. ratione, & auctoritate*; nemo enim potest vota commutare, nisi habeat iurisdictionem vel Episcopalem, vel quasi Episcopalem in foro externo, vel habeat priuilegium, vt contra *Rodriq. tom. 2. qq. regul. ar. 9. probat Sanchez loco citato.* 143

Parochus potest a[n] Episcopi. Cur?

SECTIO VI.

Expenduntur difficultates circa tria vota reseruata secundùm eorum speciales rationes.

IN superiore sectione multa determinauimus, quæ spectabant ad prædicta tria vota, prout conueniebant in ratione Pontificiæ reseruationis: nunc verò difficultates examinabimus, quæ pertinent ad illa secundùm proprias, & specificas rationes, quæ in sequentibus paragraphis præstabimus discurrentes per varia quæsita. 144

§. I.

De Voto Vltramarino.

QVæres primò, Quid in hac Bulla significet votum Vltramarinũ. Respondeo significare Peregrinationem in terrã sanctam, seu Hierosolymam: appellari autem solet Vltramarinũ, quia Vrbs Hierosolyma, quæ est Ciuitas Iudeæ in Asia, est vltra totum nostrum mare Mediterraneum, & inter Vltramarinas Peregrinationes hæc est potissima; proinde Authores consueuerunt communiter per votum, seu Peregrinationem Vltramarinam intelligere eam, quæ fit pertrãseundo totum mare Mediterraneum. Aliæ autem Peregrinationes celebres Summo Pontifici reseruatæ, vt Peregrinatio ad limina Apostolorum, & Compostellam, non solent venire, quando absolutè dicitur votum Vltramarinum. quia prima Peregrinatio nempè ad limina non est vltra mare: alia autem, quæ est ad S. Iacobum Compostellæ, licèt sit vltra nostrum mare Mediterraneum, tamen non fit maritima, sed terrena Peregrinatione; in Bulla autem 145

Votũ Vltramarinũ quid sit?

Crucia-

Cruciatæ dum excipitur votū Vltramarinū, intelligitur Peregrinatio hierosolymitana, vt communiter dicunt Authores.

146 Quæres secundò. Votum Vltramarinū, quod in hoc diplomate reseruatur, an intelligi debet solùm de eo, quod fit in subsidium terræ sanctæ; an verò de eo etiam, quod emittitur deuotionis caussa, nempè ad visitanda loca illa sancta.

147 *Aliqui censent, votu Vltramarinum esse reseruatum, solum quando fit in subsidium terræ sanctæ.*

Respondeo esse duas sententias, quarū prima vult, esse reseruatū, quando solùm fit in subsidium. sic *Abbas Panorm. cap. ex multa De voto num. 4. Vivaldus in candelabro sacram. 3. p. cap. 14. num. 63. Graf. in decis. aur. par. 1. lib. 2. cap. 31. num. 21. Emmanuel Sa: verb. votum nu. 11. & alij.*

Ratio. Fundamentum autem huius opinionis esse potest, quia in iure votum Peregrinationis hierosolymitanæ reseruatur, dum emittitur in subsidium, seu redemptionem illorum locorum, vt patet *ex capit. Quod super his, & ex cap. ex multa De voto*. igitur dum fit non in subsidium, sed caussa inuisendi loca illa sancta, votum non erit reseruatum. Cæterum communiter alij vtroquo modo putant, votum hoc esse reseruatum. ita *Syluest. verb. votum 4. quæst. 3. dicto 4. & 1. Nauarr. cap. 12. num 75. Azorius tom 1. instit. moral. cap. 20. quæst. 3. 4. Sayrus in clau. Reg. lib. 6. cap. 11. num. 35. 36. Lessius lib. 2. cap. 40. dub. 13. n. 104. Suarez lib. 6. De voto cap. 21. nu. 4. 5. Sanchez in decal. lib. 4. cap. 40. n. 6. Ludouicus à Cruce in Bull. disp. 1. cap. 6. dub. 15. num. 4. Trull. in decal. lib. 2. cap. 1. dub. 49. num. 2. 27. & in Bull. lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 17. nu. 1. Bossius De tripl. Iubil sec. 2. cas. 8. nu. 10. & alij*, cum quibus est dicendum, quia licèt in iure expresse non habeatur reseruatio huius voti, dum fit deuotionis caussa, sed solùm caussa subsidii: tamen consuetudo vniuersalis Ecclesiæ extendit reseruationem hanc, etiam si votū fiat deuotionis caussa: & hoc ipsum dicendum erit de alijs duabus peregrinationibus Summo Pontifici reseruatis.

Sententia Authoris, & communis sēper esse reseruatum.

Ratio desūpta ex consuetudine vniuersalis Ecclesiæ.

148 Quæres tertiò. Si quis voueat applicare debita incerta in subsidium terræ sanctæ; an tale votum sit reseruatum.

149 Respondeo negatiuè cum *Suarez cap. 21. cit. nu. 13. Sanchez vbi supra n. 8. Trull. & alij cōtra Angelum, Rosellam, Syluestrū, & alios apud Sanchez*. Probatur, quia id nullo iure, aut consuetudine ostendi potest. neque *in cap. magna deuotionis* oppositum huic nostræ sententiæ statuitur, vt putant aduersarij, cum ibi sit sermo de voto Peregrinationis in subsidium, vt patet legenti

150 Quæres quartò. An per Bullā cōmutari valeat qualitas aliqua adiuncta voto hierosolymitano, vt si votū sit pedestri itinere peregrinandi, aut in ipso itinere eleemosynas petendi, &c.

Respondeo affirmatiuè ex communi sententia, quam docet *Aegidius Trull. in decalog. & in exposit. Bullæ l. c. & Ludouicus à Cruce in Bull. disp. 1. cap. 6. dub. 15. n. 1.* & plures apud ipsum, quam sententiam consequenter defendere debent omnes, qui dicunt in circumstantijs istis, quæ sūt adnexæ accidentaliter votis reseruatis, posse dispensari ab Episcopo potestate ordinaria; atque adeo per Bullam commutari, quæ extēditur ad omnia vota, ad quæ potest Episcop⁹ iure ordinario. Ratio huius cōclusionis est manifesta, quia reseruatio solùm cadit supra substātiam huius voti: non antē supra qualitates illas, quæ sunt omnino extrinsecæ, & merè per accidēs se habent ad ipsum votum, sine quibus substantia ipsius voti cōsistere potest. 151

Circūstantiæ adnexæ votis reseruatis possunt per Bullam commutari.

Quæres quintò. Si quis voueat Peregrinationē hanc reseruatam, non ob finē visendi loca illa sacra, sed ob aliū finē honestum, & piū V.G. ad visitādam aliquā Ecclesiam, aut imaginē; an sit votū reseruatum. 152

Respondeo negatiuè, quia *in Extrauag. illa: Et si Dominici*. Doctores restringūt votum huius Peregrinationis ad visitāda loca illa sancta: *Sic Sanchez in decalog. l. 4. cap. 40. num. 77. Castro Palaus tom. 3. tract. 15. disp. 2. p. 11. num. 3. Fagundez in decalog. lib. 2. disp 43. num. 14. Barbos. à S. Faustto in Thes. lib. 3. q. 101.* proinde cū reseruatio sit odiosa, non comprehendit, Peregrinationem hanc in alium finem præter expressum, & idem asserimus cū eisdem Authoribus de voto circa alias duas peregrinationes, nēpè circa limina Apostolorum, & S. Iacobum in Compostella in ordine ad potestatem Episcopi. 153

Si votū peregrinandi sit ob alium finē, quā visitandi loca sancta, non est reseruatum.

Quæres sextò. An votum assumendi Crucem in quacumque expeditione facienda à Pontifice, sit reseruatum? 154

Neq; votū assumēdi Crucē in quacūq; expeditione facienda.

Respondeo negatiuè contra *Hostiēsem, Henrıcum, & Abulensem apud Sanchez lib. 4. summa: cap. 40. num. 9.* qui negatiuam partem tuetur sicuti & *Suarez lib. 6. cit. cap 21. n. 12 & Bossius in tract. De tripl. iub. sect. 2. cas. 8. n. 12.* & ratio huius negationis est, quia nullo iure, aut consuetudine talis reseruatio ostendi potest; proinde non est admittenda. 155

§. II.

De Voto Castitatis.

Quæres primò. An quando diuersis votis veluti partialib⁹ aliquis omnimodā, & perfectam vouit Castitatem; an hæc omnia vota commutari valeant per Bullam? E. C. voueat hodie 156

Votū perpetuæ Castitatis cōflatū ex pluribus votis partialibus an sit reseruatum.

 se

se non peccaturum in perpetum peccato externo contra Castitatem; postea addat votum non peccandi etiam interiùs contra eamdem virtutem; & demum votum emittat etiam Castitatis coniugalis. ex his omnibus votis completur obligatio omnimodæ, & perpetuæ Castitatis. quærimus, an vi Cruciatæ hæc omnia commutari queant.

157 *Si vouens in vltimo voto intendat se ligare simul cum alijs ad perpetuam, & integram Castitatem, erit reseruatum; secus nõ erit.*

Respondeo cum distinctione: si enim emittēs vltimum votum id faciat ex intentione, vt ipse vouens ligatus maneat ad perfectam, & integram Castitatem, non poterunt hæc vota per Bullam commutari, quia posita intentione prædicta, vota illa, quæ priùs ante vltimum votum erant commutabilia per hanc Bullam, connectuntur ad complendam perfectā Castitatem; proinde efficiunt vnum votum ex pluribus veluti partialibus Summo Pontifici reseruatum; si verò emittens vltimum votum id non faciat ex tali intentione, tunc omnia per Bullam commutari poterunt, quia cum non habeant aliquid, per quod vniantur ad vnū perfectum votum Castitatis integrandū, manebit vnumquodque per se sine relatione ad aliud; atque adeo cum nullum sit perfectæ Castitatis, omnia erunt dispensabilia ab Episcopo, & per consequēs commutabilia per Cruciatam. & hanc opinionem admittit *Sanchez lib. 4. Sum: cap 40. num. 63. Ludouicus à Cruce in expošit. Bullæ disp. 1. cap 6. dub. 13. num. 2. Trullench. ibidem lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 15. num. 25. Alphonsus de Leone De iubil q. 8. sect. 2. num. 4. Bossius De tripl. iubil. sect. 2. cas. 20. nu. 7. 8. Castro Palaus tom. 3. tractat. 15. disp. 2. p. 11. Diana in Bullam tract. 11. resol. 67.* & de hac resolutione nō videtur esse posse controuersia: difficultas autem est, si quis faciens vltimum votū, quamuis non habeat intentionem illam se obligandi voto perpetuæ Castitatis, sed memor præcedentium votorum agnoscat se ligare per illud vltimum votum ad integram Castitatem, an in casu isto, vota prædicta sint reseruata? de hoc pūcto neminem vidi loquētem. Aio igitur, in casu prædicto loquendo de reseruatione probabile esse, sic vouentem ligari solùm veluti materialiter voto integræ Castitatis, non autem formaliter, videlicet, quoad effectum perindè se habere, ac si integram, & plenam vouisset Castitatem: at quia vota ista partialis Castitatis inter se merè per accidens se habeant, & non copulentur inuicem; idcirco formaliter, & quoad obligationem non concurrunt ad vnum votum componendū; & ideo cum eorum obligatio sit quoad

Si nō habeat eam intētionem, sed memor præcedētium votorū agnoscat se ligari ad perpetuā, & integram Castitatem non cadit sub reseruationē?

partem Castitatis, erunt consequenter commutabilia per Bullam, & non reseruata.

Contra quæ diximus, fieri potest argumentum à pari in hunc modum. Si quis diuersis vicibus pauca furatus est, quādo peruenit ad vltimum furtum, quod complet notabilem quantitatem, quæ grauiter lædat proximum in bonis, peccabit mortaliter, si committat hoc postremum furtum præuidēdo damnum; etiam si dānum cōtra proximum directè, & formaliter non intendat. ita dum quis diuersis votis partem Castitatis Deo promisit, & vltimum votum complēs omnimodam, & totalem Castitatem emittat præuidendo obligationem integræ, & totalis Castitatis; etiam si vouēs non habeat intentionem vouendi omnimodam Castitatem; satis erit si præuideat integrā materiam Castitatis per illud vltimum votū cadere sub promissionem Deo factam; atque adeo omnia ista vota partialia cōflabunt per æquiualentiam vnum votum integræ Castitatis, & per consequens erit reseruatum. 158 *Obiectio contra hanc opinionem.*

Respondeo negando paritatē; est enim disparitas inter peccata, quæ sunt contra iustitiam, & tendunt suapte natura ad damnificandum proximum, & inter obligationes, quæ oriuntur ex voto. adhoc enim vt quis censeatur committere peccatum iniustitiæ, sufficit præuidere damnum, quod ex sua iniusta actione contra proximum sequitur; licèt illud directè nō intendat; vt communiter Theologi asserunt in materia de iustitia. obligatio verò ex voto totaliter dependet ab intentione ipsius vouentis tanquam à mensura; & ideo intētionem ipsam excedere nequit. & proinde quamuis plura vota partialia Castitatis simul sumpta sint circa omnimodam Castitatem; nihilominus hoc dupliciter fieri cōtingit. primò, si vnum votum emittatur cum habitudine ad aliud, secundò sine tali habitudine. Quibus positis, dū vouēs emittit vltimū votū; in sua libera volūtate est emittere illud cū respectu ad alia vota antecedentia, seu vt faciens vnū integrale cū alijs, vel illud emittere sine tali respectu, sed vt seorsim acceptum, & independens à præcedētibus; idcirco etiam si præuideat vi illius vltimi voti se obligare ad omnimodam Castitatem; tamen obligatio ista, cum non oriatur ex vno simplici voto, vel ex pluribus vt integrantibus vnum votum veluti compositum; proinde licèt quantum pertinet ad obseruationem Castitatis hęc omnia vota partialia æquiualeant vni voto versanti circa integram Castitatem; at quoad reseruationem non æquiualent; 159 *Respondetur ex disparitate inter peccata contra iustitiam, & inter obligationes, quæ oriuntur ex voto.*

quia

Vota partialia quoad obseruationem aequiualent vni voto integræ Castitatis, & sunt vnum materialiter, quoad reseruationem verò, & formaliter nō aequiualent.

quia totius integræ Castitatis obseruatio, cum non proueniat neque ab vno voto; neque à pluribus inter se connexis; seu vt facientibus vnum votum compositū ex pluribus, quia connexio deberet esse à voluntate ipsius vouentis; sed proueniat à pluribus votis nullam inter se habentibus connexionem,& nullum ex ipsis sit reseruatum; consequens erit, vt dicamus vnumquodque esse commutabile per Bullam.

160 Quæres secundò: an votum perfectæ Castitatis emissum à coniuge sit reseruatum Pontifici, ita vt nequeat per Bullam commutari?

161 *Votum perfectæ Castitatis factum ante initum matrimonium est incommutabile etiam post initum.*

Respondeo iuxta varios casus, qui poni possunt: & primò certum est, votum istud factum ante initum matrimonium esse reseruatum, & non posse per Bullam commutari, vt rectè aduertit *Sanchez in sum: lib.4. cap. 40. num. 62. & Trullencb. dub.15. cit. num.* 20. sicuti enim antea erat reseruatum, & per Bullam incommutabile; sic etiam erit post matrimonium initum, quamuis secundùm probabiliorem sententiam possit Episcopus dispensare ad petendum debitū, & etiam Mendicantes per priuilegia, quæ habent, vt patet ex nostro *Cōpendio priuilegiorū verb. Dispensatio*, S.9. secūdò potest votū prædictū emitti post matrimonium initum,& contractū,& hoc quinq; modis contingere poterit: primò si vnus tantùm coniux votum perpetuæ Castitatis emittat absque alterius coniugis licentia. secundò cum licentia. tertiò ab vtroque sine licentia. quartò ab vtroque cùm licentia, sed non per modum contractus, seu cōuentionis. quintò ab vtroque cum pacto, & conuentione. His præsuppositis, aio, si votum emittatur aliquo ex primis quatuor modis non esse reseruatum: loquor autem quando cum tali voto non miscetur votum Religionis, vt medium ad seruandam Castitatem promissam: dico igitur, tale votum posse per Bullam commutari. ratio autem est, quia in quatuor illis modis non cōtinetur votum omnimodæ Castitatis, vt patet discurrendo per singulos. Est contra *Lessiū lib.2. De iust. cap.40. dub.18. num. 125. & 126.* vbi solùm concedit posse in his casibus ab Episcopo dispensari ad petendū debitum, nō autem ad votum tollendū: proinde mortuo altero coniuge vouens tenebitur votum Castitatis seruare: est etiam contra *Sayrum in clau. Reg. lib. 6. cap. 11. n.52.* sed nostram sententiam tuetur *Aragonius in 2.2. q.88. a 8. in fine. Sanchez lib.8. De matr. disp.11. num. 4. & sequent. & remissiuè in decalog. & alij apud ipsos*: In his autem quatuor modis non

Post initum, quibus modis factum non sit reseruatū.

contineri votum omnimodæ Castitatis, patet, quia coniux vouens siuè absque licentia alterius coniugis, siuè cum illa, sed non per modum cōtractus, tenetur reddere debitum alteri cōiugi petēti; proinde non erit votū integræ, & plenæ Castitatis,& licèt ante cōsummatū matrimonium per bimestre posset iure suo cōiux, qui vouit, debitum non reddere, tamen quia eo transacto tenebitur: idcirco votum non erit integræ Castitatis, neque tenetur in illo bimestri Religionem ingredi ad seruandum votū, si Religionem non vouerit: & ideo non erit votum integræ Castitatis; neque placet, quod docet Sanchez limitando hanc sententiam in eo casu, quo coniux vouens tempore voti habuerit animum ingrediendi Religionem, sciens non alio modo posse se omnimodam seruare Castitatem, in quo casu Sanchez vult, votum esse reseruatū, & ab Episcopo dispensari non posse; non placet, inquam, quia nō obstante tali animo, si verè non fuerit simul votum ingrediendi, poterit iure suo vouens mutare animum, vt rectè asserit *Basilius Pōtius lib. cit. cap. 9. num.* 3. & non erit obligandus ad seruandam Castitatem assumere medium longè difficiliùs; quod optimè confirmatur ex eo, quod si ipse vouens petat à Summo Pontifice dispensationem in voto Castitatis, nullo pacto tenebitur petere dispensationem circa ingressum Religionis, etiam si tēpore emissi voti animum ingrediendi habuerit. Cæterum si votum perpetuæ Castitatis fuerit emissum ab vtroque coniuge cum licentia reciproca, & per modum contractus, licèt aliqui sentiant in hoc etiam euentu posse in tali voto Episcopum dispensare, & per cōsequens posse per Bullā commutari, inter quos est *Maior in 4. dist. 32. q.2. in solut. ad secundum contra secundam conclusionem*, & idem debeant fateri Authores, qui putant, tale votum non esse omnimodæ Castitatis, quos citat *Sanchez lib.9. De matr. disp.37. num. 9. Fagundez in decal. lib.2. cap. 42. num.* 19. tamen alij negant in voto isto dispensare posse Episcopum, aiuntque esse reseruatum; proinde nō esse per Bullam cōmutabile. *Sic Aegidius Trull. in Bull. l.c. & in decal. lib. 2. cap. 49. num. 18. Sanchez lib. 8. De matr. disp. 11. num. 10. in sum: lib. 4. cap. 40. num. 57. & apud ipsos plures alij.*

Factum ab vtroque cōiuge cum licētia reciproca, & per modū conuentionis non esse reseruatum tenēt aliqui.

Dicendum est primò, ex his opinionibus hanc secundam esse tenendam. Ratio autem conclusionis fundatur in eo quod votum istud est integræ, & plenæ Castitatis; proinde Summo Pontifici preseruatum, licèt sit valdè probabile, si sit periculum incontinentiæ, & facilis non pa- 162

Aliorum, & Authoris opinio censet reseruatū esse. Ratio desumta ex eo, quod sit integræ, & plenæ Castitatis.

pateat ad Pontificem aditus, posse ab Episcopo dispensari ad petendum debitum, vt probat *Sanchez loco cit. De matrimonio.*

163 *Si cöiuges sibi remittãt cessionem iuris quamuis illicitè, erit dispensabile, & commutabile.*

Dicendum est secundò. Si coniuges mutuò sibi remittant cessionem illam iuris petendi, & reddendi debitum, dum votum emiserunt; tunc poterit Episcopus dispensare in voto illo, quia incipit esse non integræ Castitatis. nam posita remissione statim reuiuiscit illud ius, quod vnus coniux habebat ratione matrimonij ad petendum debitũ, & alter ad reddendum, & è conuerso: sic docet *Sãchez limitando nostram sententiam disp. cit. De matr. num. 13. Ludouicus à Cruce in expos. Bullæ disp. p. cap. 26. dub. 14. num. 9. Trull. l. 1. Castro Palaus tom 3. tract. 15. disp. 2. p. 12. num. 10. Lessius lib. 2. cap. 40. dub. 18. num. 126. circa finem*: at in tali remissione coniuges, vt aduertunt Authores prædicti, peccant grauiter contra votum, & Sanchez id aduertit *in sum: l. c. n. 61.* posita autem, & acceptata remissione ista sequitur posse etiã per Bullam tale votum commutari, quia priuilegium Bullæ quoad votorum commutationem amplius est, quam potestas ordinaria Episcoporum.

164 *Obijcitur cõtra primam cõclusionem.*

Sed contra primam conclusionem posset quis vrgere probando votum illud non esse integræ Castitatis, quia posita reciproca coniugum remissione vnus ex ipsis de nouo acquirit ius petendi debitũ in alterum coniugem, & iste tenebitur illud reddere; proinde cum omnimoda Castitas dependeat à voluntate ipsorum vouentium, idcirco votum istud non erit vndequaque firmum; atq; adeo erit deficiens, & sic poterit per Bullam commutari.

165 *Respondetur obiecto.*

Hoc argumentum debet esse potissimum pro prima sententia, eidemque dat aliqualem probabilitatem: at respondeo, si integritas Castitatis dependeret à beneplacito licito, & honesto ipsorum cõiugum, ratio adducta efficaciter probaret intentum; sed cum nequeat dependere à tali voluntate, sed ab illicita, & sacrilega, qualis est remissio illa; proinde existimatur votum integræ Castitatis.

166 *Obicitur cõtra secundam.*

Vrgeri etiam potest contra secundam conclusionem hoc pacto. mutua illa remissio est sacrilega; vt diximus cum cedat contra votum ab ipsis coniugibus emissum: ergo non potest tollere reseruationem. consequentia probatur: quoniam videtur absurdũ asserere, per actũ peccaminosum auferri reseruationem à peccato. Sic contra hanc sententiam obiecit mihi quidam sacræ Theologiæ professor.

Respõdeo absolutè, & simpliciter negandum esse per actum peccaminosum tolli reseruationem voti: nam valdè per accidens, & remotè ablatio reseruationis dicitur caussari à peccato: per se enim tollitur, inquantũ subtrahitur materia voti reseruati; quia Castitas Deo promissa, stante illa iuris remissione, non remanet ampliùs in sua integritate, & totalitate; sed fit partialis: quoniam vi illius remissionis incipiunt coniuges habere ius petendi, & reddendi debitum coniugale; ex quo sequitur votum cadere supra materiam partialem Castitatis. Ad probationem verò consequentiæ, nego esse absurdum auferri reseruationẽ voti mediante actu peccaminoso, si hoc fiat per accidens modo explicato: sicuti enim nõ debet censeri absurdum, & inconueniẽs tolli interdum substantiam ipsius voti per accidens, & remotè per actum malum: ita multò magis nõ debet existimari absurdum, si eodem modo tollatur reseruatio, quæ se habet veluti accidens superueniens substãtiæ voti, quod autem quandoque tollatur per actum malum ipsamet voti substantia, patet in multis: V. G. si quis vouerit ingressum in aliquã Religionem, vel ieiunium tali die exhibendum: & postea, vt se eximat ab obligatione voti, ponat impedimentum, quo posito, votum nequeat adimpleri; tunc posito tali impedimento cessabit votum obligare, & tamen ponens impedimentũ, per quod se reddat ineptum ad ingrediẽdam Religionem, ad ieiunandum, &c. grauiter peccabit, saltem si in hunc finẽ impedimentum ponat: & hoc non obstãte votum non poterit neque quoad substantiam adimpleri. idcirco potiori ratione id erit dicendum de qualitate aliqua voti, qualis est reseruatio, & si quis vellet etiam exemplum aliquod immediatè versans circa reseruationem, possumus illi satisfacere adducentes Bullas cœnæ, quæ antiquitùs promulgari solebant ante Pium V. quæ, vt notat *Suar. De censuris disp. 21. sect. 1.* initio non erant per modũ statuti, seu legis, vt nunc sunt; sed per modũ sententiæ; atq; adeo mortuo Pontifice, à quo emanabant, ipsæ etiã expirabant secundùm omnes censuras, & reseruationes, quæ in ipsis continebantur. Hoc autem posito, possumus exemplificare fingẽtes casum, in quo perditissimus homo interficeret Pontificem in hunc finem, vt cessent censuræ, & reseruationes illæ; quia sibi in ordine ad aliquod patrandum iuuat, aliquem casum in ea Bulla comprehensum non subiacere excommunicationi; in tali autem casu reseruatio cessaret per actum pecca-

167 *Respondetur.*

Reseruatio aufertur à voto per actũ peccaminosũ per accidens: quod non est absurdum.

Etiã substãtia voti potest tolli per accidens, & remotè per actum malũ.

Confirmatur exemplo.

mino-

caminosum, & sacrilegum; eo modo, quo nos loquuti sumus de cessatione reseruationis in voto Castitatis: ergo non est absurdum, reseruationem auferri dependēter ab actu malo; quod erat nobis demonstrandum.

168 Quæres tertiò, an votum Castitatis ad tempus sit Pontifici reseruatum? Respondeo per se loquendo nō esse reseruatum, sed posse per Bullam commutari. *Ita Sāchez disp. 15. cit. num. 4. Acosta in Bull. q. 43. Trullench dub. 15. cit. num. 9. & quamplures alij, quos laudat, & sequitur Diana in Bull. resol. 57.* & ratio est, quia Castitas solùm ad tempus non est integra, & perfecta. dixi per se loquendo, quia si vouens emitteret votum Castitatis seruandæ vsq; ad tantum tempus, ad quod non præsumitur vita hominis peruentura, vt si fieret votum seruandæ Castitatis per cētum annos, tunc votum censebitur perpetuū, adeoque reseruatum. sic docet *Lessius lib. 2. De iust. cap. 40. dub. 18. num. 123. Sanchez cap. illo 40. nu. 49.* & non solùm votum ad centum annos existimabitur perpetuum, sed etiam ad breui⁹ tempus, quia vita humana rarò est tam diuturna, & ius non præsumit quæ rarissimè contingunt; idcirco breuius tempus sufficit ad iudicandum votum istud esse perpetuum: similiter censebitur perpetuum, si vouens sit quinquaginta, aut sexaginta annorum, & voueat integram Castitatem, vsque dum perueniat ad centesimum annum, quia non præsumitur peruenturus ad talem ætatem.

Votū Castitatis ad tempus nō est reseruatum.

Ratio desūpta ex imperfectione Castitatis.

§. III.

De Voto Religionis.

169 Quæres primò, an votum perseuerantiæ in Religione sit reseruatum; an verò sit commutabile per Bullam. Respondeo posse per Bullam commutari. *sic Sanchez De matr. l. 8. disp. 15. num. 4. Malderus in 2. 2. S. Thom. tract. 10. cap. 5. Trull. cap. 3. cit. dub. 15. num. 7. & sermonem habens De Iubil. id asserit Bossius sect. 2. cas. 19. nu. 2. Santarellus in tract. De Iubel. cap. 10. dub. 4. Castro Palaus tom 3. tract. 15. p. 5. num. 10. Fagundez in decal. lib. 2. cap. 43. num. 9. & alij, quos sequitur Diana vbi supra resol. 79.* Ratio autem est, quia votum perseuerantiæ addit aliquid plus supra votum Religionis vt sic; ppinde non comprehēditur sub reseruatione, quæ est odiosa, atque adeo non amplianda, sed restringēda: immo aliqui apud Dianam volunt, nullam esse necessitatem cōmutationis, aut dispensationis, quia posita caussa rationabili vouens potest absq; fractione voti egredi, si bona fide est ingressus. Sed, an ista opinio sit vera, in Decalogo est decidendum.

Votum perseuerantiæ in Religione est cōmutabile per Bullam.

Commutatio autem ista per Bullam, seu dispensatio facienda ab Episcopo habebit locum, siuè votum ingrediendi, & perseuerādi sit per modū vnius, siuè per modum plurium V. G. si emissum fuerit hoc pacto: voueo me in tali Religione perseueraturū; tunc enim votum istud æquiualens erit duobus, nempè & voto ingressus, & voto perseuerantiæ, & in isto secundo est primum virtualiter inclusum: at commutatio, & dispensatio non tollūt votum prout virtute est votum ingress⁹, quia vt sic est reseruatum, sed prout terminatur ad perseuerantiam; erit autem per modum plurium, quando distinctis actibus quis promittit & ingressum, & perseuerantiam, & tunc illud non tollitur, quia reseruatum; istud verò tollitur. 170

Quæres secundò. Votum arctoris Religionis an valeat cōmutari in laxiorem virtute Cruciatæ. 171

Respondeo affirmatiuè. ita expresse *Sanchez lib. 8. De matr. disp. 15. nu. 5. Trull. dub. 16. eiusdem capitis superiùs citati nu. 7. Ludouicus à Cruce cap. 6. cit. dub. 11. nu. 9. Diana resol. 55. in Bullam*, & in eadem sententia debent esse omnes, qui censent, votum istud quoad qualitatem Religionis esse dispensabile ab Episcopo, & non reseruatum Pontifici. hos laudat *Trull. ibidem.* Ratio est quia commutatio ista non est in substantia ipsius Religionis vt sic, sed solùm in aliqua qualitate accidentali adnexa ipsi substantiæ; proinde non continetur secundùm hanc qualitatem sub reseruatione Pontificia. oppositum autem censuit *Lopez par. 2. instruct. cap. 9. De clautibus.* Sed hanc sententiam affirmatiuam, quam sequimur, est intelligenda, si in Religione illa laxior vigeat obseruantia Regularis. 172

Idem votū arctioris Religionis in laxiorem.

Limitatio assertionis.

Dices. Commutatio, quæ fit per Bullam, est in temporale belli subsidium; ergo nequit votū strictioris Religionis commutari in laxiorem Religionem. 173

Respondeo. Commutatio, quæ fit per Bullam non oportet, vt tota sit in subsidium temporale; poterit enim, sicuti superiùs ostendimus, partim esse in temporale, partim verò in spirituale; & ideo in casu isto excessus ille Religionis strictioris poterit suppleri per erogationem eleemosynæ in subsidium belli, vt optimè respondet Sanchez. 174

Quæres tertiò, an per Bullam possit cōmutari votum Religionis quoad tempus præfixum à vouente, videlicet differendo exequutionem. 175

Respondeo esse duas sententias; negatiuam 176

tiuam à *Suarez lib.6. De voto c.26.n.11.12.* qui solùm admittit, quando est impotentia ex parte vouentis adeundi Põtificem, posse dispensari ab Episcopo: & in eadem opinione videtur esse *Angles in floribus p. 2. quæst. De voto a.8. diff.9. concl.4. Sayrus cap. cit num. 65.* dum solùm concedunt Episcopo potestatē declarandi voti exequutionem ob aliquam iustam caussam esse differendam; & non concedunt potestatem dispensandi. Alteram verò partem affirmatiuam, quæ est communior, & tenenda, defendi ab alijs; nempè posse per Cruciatam commutari votum Religionis quoad circumstantiam temporis. sic *Sanchez lib. cit. disp.9. nu.19. & in sum. lib.4. cap.40. num.76. Trull. nu.9. Ludouicus à Cruce dub.12. cit. n.6. & plures apud ipsos,* quibus addo *Castro Palaum tom.3. trac.15. d.3. p.11. n.4. Fagund c.43. cit. n.13. Barth. à S. Fausto l.3. in thes. quæst.99. Bossium De triplici Iubil. sec.2. cas.19. num.4.* qui omnes

Sententiā affirmantē votū Religionis esse cõmutabile quoad dilationē tēporis sequitur Author vt cõmuniorem.

dicunt, tale votum non esse Pontifici reseruatum quoad dilationem; proinde posse per Episcopum dispensari, atque adeo commutari per Bullam. Ducor ad hanc opinionem amplectēdam ob rationem superiùs assignatam; nam tempus se habet vt circumstãtia extrinseca ad substantiam ingressus in Religionem, proinde dilatio non est reseruata.

177 *Obiectio triplicem continens rationē.*

Sed vrgebis. Circumstantia temporis multùm attingit substantiam huius voti: ergo videtur contineri sub reseruatione. secundò probatur ab inconueniente, quia si Episcopus, aut alius inferior per Bullam posset dispēsare in hoc voto exequutionem differendo, vel ipsum votum quoad hãc circumstantiam commutare, poterit multiplicando successiuè dispēsationes, seu cõmutationes, totū votum frustrari, quia si prima fuit per annū valida, erit etiā valida secūda, & tertia, & sic per totā vitā ipsius vouētis. tertiò, vsus, & praxis oppositū ostendit: nā vouentes dum volunt differre exequutionem, seu ingressum, recurrunt ad Summum Pontificem pro dispensatione.

178 *Respondetur primæ.*

Ad primam rationem respondeo: trãseat quod circumstantia temporis multùm attingat substantiam huius voti, sufficit tamen, quod dispensatio, seu commutatio non fiat in ipsamet voti substantia, sicuti non minùs, sed forsitan magis, attingitur substantia voti, dum dispensatio, aut commutatio fit in voto strictioris Religionis in laxiorem, & tamen Authores citati pro prima sententia negatiua fatentur, votum quoad illam circumstantiam non esse reseruatum.

179 *Secundæ.*

Ad secundam aio. Si dilatio sit tanta; vt vouens periculo exponatur non adimplendi votum, tunc neque Episcopus posset in illo dispensare, neque Confessarius per Bullam mediante commutatione differre exequutionem voti. est autem ponderanda in hac commutatione ætas, & complexio vouentis, diuturnitas temporis, &c. ad hoc vt prudens Confessarius agnoscat, an sit periculum impotentiæ.

Dilatio non debet esse tanta, vt vouens exponatur periculo non adimplendi.

180 *Tertiæ.*

Ad tertiam dico, non constare vsum illum, & praxim: & etiam si admitteretur, id fieret non ob necessitatem, sed ob maiorem conscientiæ securitatem.

181

Quæres quartò, an votum assumendi aliquem Ordinem ex Militaribus sit reseruatum?

182 *Votum assumendi Ordinē Sācti Ioannis Hierosol. est reseruatum.*

Respondeo, si sermo erit de Ordine S. Ioannis Hierosolymitani certum est, votum esse reseruatum; & per Bullam commutari non posse, quia Ordo ille est vera Religio approbata cum tribus votis substantialibus à Summo Pontifice; si verò loquatur de voto assumendi alios Ordines militares, aio, non esse reseruatum, & posse per Bullam commutari, & tales sunt Ordines Calatrauæ, Alcantaræ, S. Iacobi, &c. quia licèt apud Doctores sit in controuersia positum, an Ordines isti sint veræ Religiones, & pro vtraque parte sint Authores, tamen hoc dubium satis est, vt votum ingrediendi hos Ordines non sit Pontifici reseruatum: nam dubitatio illa tollit votum à reseruatione, sub qua comprehenduntur tantùm vota Ordinum, qui simpliciter sine addito, & absque dubio sunt Religiones: at Ordines isti non sunt Religiones perfectæ, sed secundùm quid, nempè Religiones militares, & votum Castitatis, quod profitentur non est de omnimoda Castitate, sed solùm de coniugali, & sub opinione manet, an sint Religiones propriè dictæ. ita *Sanchez libr. 8. De matr. disp. 9. num. 16. & lib.4. in decal. cap.40. num.73. Ludouicus à Cruce in Bull. disp. 1. cap. 6. dub.11. num. 6. 8. Trullench ibidem cap. 3. nu.6. Barth à S Fausto in thes. lib.3. quæst. 97. Bossius De tripl. Iubil. sec.2. cas.19. num. 9. 12. & alij,* qui dicunt, hoc votum non esse Romano Pontifici reseruatum; & ideo poterit in illo dispensare Episcopus, & Confessarius illud commutare per Bullam Cruciatæ.

Non autem alios Ordines militares.

Dubitatio an Ordines militares, excepto Hierosolym. sint Religiones propriè dictæ, quod dubium satis est ad tollēdā reseruationem.

183 *Votū ingressus Religionis non approbatæ à Pont. non est reseruatū.*

Ex ista decisione infertur non esse reseruatum votum ingredīēdi Religionem à Summo Pontifice non approbatam; sic *Lessius loc. cit. & Sanchez cap. cit. nu. 71. & libr. 8. De matr. disp. 9. num. 15. Sayrus in clau. Reg. l. 7. cap. 11. num. 64. Suarez lib.6. De voto c 15. n.8. Castro Palaus to.3. tract.15. disp.2. p.11. n.2. Barthol. à S. Fausto lib. cit. q.69. & alij.* Ratio autem est, quia

Religio

Religio non approbata non est propriè Religio, cuius votum est à Pontifice sibi reseruatum.

184 Infertur etiam votum assumendi habitum feminarum, quæ vulgò Beatæ appellantur, non esse reseruatum, & posse per Bullam commutari. & idem dico de voto quorumdam Conuersorum eligentium statum aliquem perpetuum, etiam si omnes votū emittant, & simul aggregatim habitent; nam Congregationes istæ non sunt propriè Religiones, ideoq; votum in illas ingrediendi, non erit reseruatum. *Sic Authores prædicti, & alij apud ipsos.*

Idem assumendi habitū feminarum beatarum, vel Conuersorum.

CAPVT III.

De Praxi commutandi vota virtute Bullæ.

1 DE hac materia fusè, & ex professo tractant *Sanchez in sum: lib. 4. cap. vlt. Ludouicus à Cruce in explicat: eiusdē Bullæ disp. 1. cap. 7. per totum. Trullecah. ibidem lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 18. Bossius De tripl. Iubil. sect. 2. cas. 27.* Nos verò breuiter colligentes, quæ in hac materia sunt maioris momenti, & necessaria, diuidemus caput in duas sectiones, in quarum prima agemus de quibusdam principijs, seu regulis communibus in ordine ad quamlibet commutationem: in secūda descendentes ad particularia normā tradem us ad commutationem rectè faciendam adducendo aliqua exempla.

SECTIO I.

De principijs, quæ in votorum commutatione attendi debent.

2 QVæ per diuersas regulas ab Auctoribus prædictis proponuntur, facilè reduci possunt ad pauciores. quapropter omnia tribus dumtaxat vniuersalioribus principijs claudemus, quæ sunt; finis, natura voti emissi, & onera, quæ sustinere debet vouens in executione voti, vt mox declarabimus.

Tria principia vniuersaliora ad cōmutationem ritè faciendā.

3 Finis autem ille est, quē habet vouēs, dum votum emittit: nam interdum fit ad corporis castigationem; interdum ad cultum Dei, & Sanctorum; interdum verò ad exercēda opera pietatis erga proximum: idcircò prudens Confessarius in commutatione debet hunc finem attēdere, & subrogare materiam similem priori materiæ, & quantum fieri poterit aptam ad eumdem finem assequendum; V. G. si quis vouit ieiunium ad macerādam carnē non debet Confessarius commutare votum in preces Deo fundēdas: nam licèt oratio sit actus præstantioris virtutis, quàm sit abstinentia à cibis: nihilominus in ordine ad finem, quem habuit vouens, oratio non est materia ita proportionata, nempè ad macerationē carnis, sicuti ieiunium: Præterea si ad auaritiam comprimendam quis voueat eleemosynam, non rectè commutatur in orationem, quæ licèt sit actus Religionis, atque adeo excellentioris virtutis, tamen non est ita proportionata ad vouētis finem, & per consequens non censetur commutatio ista facta in melius considerat is omnibus, sed in minus, neque in maius obsequium Dei, quia, vt notant prædicti Authores, non est semper Deo gratius opus, quod ex parte obiecti est excellentius, sed quod hic, & nunc pro tempore, & loco magis conuenit saluti spirituali vouentis. & doctrina ista colligitur ex *cap. 1. De voto, & voti redemptione*, vbi statuitur ad diiudicandam meliorem compensationem pro materia per votum promissa diligenter considerāda esse tempus, locum, qualitatem personæ, &c. deberet igitur Confessarius commutare ieiunium, quantum fieri potest, in alia opera pœnitētiæ, vt sunt, V. G. cilicio se macerare, flagris se cedere, aut preces genibus flexis Deo fundere, & similia. Et votum erogandi eleemosynam in illum finem, quem diximus, congruentiùs mutatur in opera misericordiæ corporalis, vti sunt V. G. inseruire hospitali, visitare infirmos, vel eos, qui carceribus detinentur: aut frequentare Sacramenta in eumdem finem directa.

Primū: considerādus finis vouenti propositus.

Opus ex obiecto excellētius non est sēper Deo gratius, sed quod magis cōgruit saluti spirituali, & fini vouentis.

Cæterum aduertunt Authores, hæc non esse ita rigorosè, & strictè intelligenda, vt necessariò teneatur Confessarius commutare opera pœnalia sub voto promissa in alia opera pœualia. nam hoc diximus tamquam quid magis congruum, & conueniens, quia potest, si ipsi videbitur, commutationem facere in alia opera pia, & non pœnalia: quæ, & si carnem non macerant, nihilominus valdè iuuant ad finem vouentis obtinendum, & talia sunt Sacramenta; proinde mutare opera promissa in Sacramentorum frequētiam ab omnibus commendatur; per gratiam enim specialem, quæ est proprius Sacramenti effectus, & præsertim Eucharistiæ, adiuuatur homo ad reprimendas inordinatas passiones, motusque sensualitatis, & hoc erit vnum ex vniuersalibus principijs spectandis in votorum cōmutatione; proinde materia subrogata vel debet esse similis in eo genere cū priori materia, vel saltē quātū fieri 4

fieri potest illi affinis, vel denique talis, vt alia ratione conducat ad finem vouentis assequendum iuxta prudentis Confessarij arbitrium. & hæc de primo.

5 *Secundum: attendenda natura ipsius voti in indiuiduo.* Secundum autem principium, quod cogitare debemus, est natura, seu substantia ipsius voti in indiuiduo spectati: nam vel est absolutum, vel conditionatum, sub quo pœnale comprehendimus: rursus ipsum conditionale attendi debet vel ante, vel post adimpletam cōditionem: si erit absolutum, materia subroganda debet etiam esse absoluta; aliter euenire posset, vt pro voto commutato nullum præstetur opus, quod accideret, si conditio, sub qua materia substituitur, non purificaretur: & ideo de hac re nulla est difficultas: si verò votum erit conditionale, & ante adimpletam conditionem, poterit materia etiam sub conditione subrogari. neque obstat, quod cōditio possit non purificari, quia hoc ipsū contingere poterat nulla facta commutatione, sistendo in priori materia. Præterea poterit votum conditionale commutari in aliquod opus absolutum; si primo modo fiat commutatio, tunc debet esse æqualitas, sicuti supra explicuimus, inter vnam, & alteram materiam: si verò secundo modo fiat, poterit commutatio fieri in aliquo, quod secundùm se sit minus comparatum cū materia priori præcisè spectata; moraliter autem debet esse æquale cū illa nō præcisè, sed prout stat sub conditione, quia excessus ille, qui reperitur in priori materia sub conditione promissa, compensabitur cum absoluta obligatione, quæ vouēti imponitur; proinde est considerandum, an absoluta obligatio compenset obligationem conditionalem prioris materiæ: rursus est diligenter considerandus gradus dubietatis de euentu conditionis; quāto enim maior erit incertitudo euentus, eo minor, & leuior debet esse commutatio, & quanto minor illa, eo maior ista esse debet.

6 At si votum cōmutabitur post adimpletam conditionem, tunc commutatio debet fieri in æquale eo modo, quo commutandum esset votū, quod fuit ab initio absolutum; & quamuis obligatio in materia subrogata procedat à voto, inuoluente aliquam imperfectionem ratione conditionis adnexæ, tamen imperfectio ista, vt animaduertit *Sanchez*, solū operatur, vt leuior caussa requiratur ad commutationem ipsam faciendam, quàm exigitur ad commutandum votū absolutum, quod non includit hanc imperfectionem.

7 Est etiā spectādū, an materia per votū promissa sit præcepta independenter à voto, & si talis erit, tunc minor expostulabitur cōmutatio, quia vouens per cōmutationē non eximitur ab obligatione circa materiā illā, V.G. si quis voueat nō furari, & postea huius voti cōmutationē petat, leuior erit ipsi imponenda cōmutatio, cæteris paribus, quàm sit cōmutatio voti de materia non præcepta; quando igitur cōmutatur materia aliūde cadens sub præceptum, oportet arbitrio prudentis Confessarij recompensari Diuinum illud obsequium, quod resultabat ex vinculo voti supra eādem materiam: rursus est attendendum, an vouens reprimatur per votum emissum à lapsu in illud peccatum, an verò nihil, aut parū reprimatur: si primū longè maior erit necessaria cōmutatio, quia obligatio voti tunc redūdabit in maius Dei obsequiū, quàm redundet negatio talis obligationis: si autem vouens nō arceatur à peccato illo, immo potius in illud sæpè labatur, tunc commutatio erit minor.

Spectanda materia sit præcepta independenter à voto.

An vouens reprimatur à lapsu in illud peccatum, circa quod est factum votum.

8 Demū, si circa eādē materiā plura cōcurrūt vota, aut iuramēta, cōmutatio debet esse maior proportionata pluribus illis votis, aut iuramentis; proinde si quis non solū emisit votū de re aliqua, sed addit aliud votū nō petendi cōmutationē, aut dispēsationē, oportet respectū habere ad duo ista vota, vt commutatio sit recta, & æquiualens.

9 Deniq; vltimum principiū, quod cōsiderandū proposuimus, sunt onera, quæ vouens passurus est in exequutione voti, & in his oneribus aliquæ sunt difficultates, & controuersiæ apud Doctores, an de omnibus sit habenda ratio in cōmutatione voti. pro qua re supponendū est, onera ista esse in duplici differentia: nam aliqua consistunt in labore, & corporis afflictione, vt peregrinationibus, cæterisq; pœnalitatibus; alia verò consistunt in sumptibus faciendis, siue in detrimento bonorū externorū. onera primi generis certū est esse attendenda quoad intentionē, & durationē, quia sunt per se intrinsecè imbibita in ipso opere promisso: onera verò secundi generis possunt spectari secundū varias habitudines, & de illis est dubitatio. Hæ autem sunt expensæ, quas vouens facturus esset in Peregrinatione eundo ad locum destinatum, & ab eo recedendo ad pristinum domicilium: rursus expēsæ cū latitudinē habeant, possunt considerari in ordine ad ipsū vouentē, nempè ad eius conditionē, & decentiā status; nā plures sūptus fieri solēt à nobili, & diuite, quā ab ignobili, & paupere. Præterea sūt pericula, quibus sæpè exponitur vouens in

Tertium: attendenda onera, quæ vouens subit in exequendo voto.

Distinguitur, & numerantur.

in itinere, & tributa, quæ soluenda interdum sunt infidelibus pro obtinendo trāsitu, vt euenit iu Peregrinatione hierosolymitana. demum est detrimentum, quod aliquando accidit rebus ipsius vouentis ex eius absentia.

10 *Omnia onera esse circumspicienda in commutando voto senent aliqui.*

Hæc autem suut onera, de quibus nō est idem gradus certitudinis, an sint omnia attendenda in voti commutatione, nec ne? nam *Sanchez cap. 56. cit. incipiēs à num. 11.* de his omnibus vult, habendā esse rationem, & idem tenēt *Suarez capillo 19. num. 20. Barth. à S Fausto in Thes. lib. 4. q. 89. Moneta in com. ult. vol. cap. 7. num. 415. ver. Quarta regula*: Communis autem ratio huius opinionis est, quia licèt hæc in rigore à vouente promissa per se minimè fuerint; nihilominus consequenter, & accessoriè in voto inclusa cēsentur; augent enim eius pondus, & æstimationem, & quod attinet ad expensas faciendas non solū in eundo, verùm etiā morando in loco Peregrinationis, & redeundo; qnemadmodum quod ad laborem itineris videtur apertè definitum *in cap. Magna De voto, & voti redemptione. vbi Innocen. III. Sūmus Pontifex disposuit*, vt votum Peregrinationis hierosolymitanæ, attentis prædictis, commutetur Episcopo Trecensi: hoc autem non præscripsisset Pontifex, nisi implicitè illa omnia in voto comprehensa fuissent. Et confirmatur, quoniam is, qui alteri se obligat ire in aliquem locum, pro iusta itineris mercede computat etiam expēsas faciendas in regressu, licèt minimè redire teneatur, & mittenti prorsus inutilis sit regressus: dicunt tamen hi Authores deducendas esse expensas, quas vouens domi esset facturus: & Sanchez, & alij addunt aliam limitationem, nempè si vouens animum habeat non redeundi, non esse computandas expensas pro reditu, vel si votum emisisset mendicandi, & pedestre iter faciendi, cū nullæ, aut paucissimæ futuræ essent expensæ; idcirco in in commutatione non esset habenda ratio de sumptibus iuxta conditionem personæ, & decentiam status.

Expensas in reditu à Peregrinatione faciendas esse computandas in voti cōmutatione. Alij censent.

11 *Alij negant.*

At alij Authores, *vt Henriquez in sum. lib. 7. cap. 30. num. 5. Graff. lib. 2. decis. cap. 30. num. 10. Angles in floribus par. 2. q. vnica De voto a. 8. diff. 6. propos. 4.* negāt esse habendam rationem expensarum, quæ in reditu faciendæ sunt, quia votum fuit de eundo, & non de redeundo; proinde sicuti reditus per accidens se habet ad votum, sic etiam expēsæ eiusdem reditus. & ad textum *in cap. Magna* respondere possent, ibi non tradi vniuersalem doctrinam, sed particularem commutationem illius voti. neque valet impugnatio, quam adducit *Suarez, & alij* contra hanc responsionem, nimirum non esse verisimile fuisse impositum à Pontifice onus non inclusum in voto; nō valet, inquam, quia non oportet, vt materia subrogata sit inclusa in voto; nam commutans poterit substituere vel aliquid inclusum in voto, vel aliquid non inclusum, vt si pro Peregrinatione subrogaret ieiunia, frequentiam Sacramentorum, &c. sed quia commutatio Peregrinationis conuenientiùs fit substituendo loco illius eleemosynas; idcirco potuit Pōtifex in cōmutatione illius voti attendens ad maiorem proportionem commutare votum hierosolymitanum in tot pecunias erogandas, quot erant insumendæ in eundo, morando, & redeundo, & non tradens per hoc generalem doctrinam.

Sunt etiam alij Authores partim conuenientes cum Authoribus primæ sententiæ; partim cum sectatoribus secundæ. nam *Sayrus in clau. Reg. lib. 6. cap. 12. num. 20. ver Item consideranda est. Aragonius in 2. 2. quæst. 88. a 12. dub. 1. coroll. 2. Petrus de Ledesma in sum: tom. 3. tract. 12. cap. 8. ad finem*, asserunt non esse habendam rationem expensarum, quas homo diues facturus esset in comitatu equorū, & famulorum; nā hæc per accidens se habent, sed earum tantùm expensarū, quas vouēs faceret solus, aut cum vno, ant altero socio; & sic discrepant in hoc ab Authoribus primæ sententiæ: & conueniūt cum eisdem circa expensas reditus, quas volunt esse considerandas, & sic recedūt ab Authoribus secūdæ opinionis, & huic sententiæ tamquam benigniori, & scrupulis minùs obnoxiæ adhæret *Bossius sect. illa 2. cas: 27. num. 22.* 12

Alij partim cum primis, partim cōueniūt cum secundis.

Hæ sunt opiniones, quæ circa hanc materiam circumferuntur, vt autē quid probabiliùs mihi dicendum videatur, in medium afferam, 13

Supponendum est primò, in hac re præcipuè esse diligenter attendendam vouentis intentionem, à qua votum valorem, & efficaciam habet: præterea cōsideranda sunt onera operi promisso cōiuncta, quorum aliqua sunt ab exequutione vel physicè, vel saltem moraliter inseparabilia: aliqua verò sunt separabilia, & merè per accidens exequutionem comitantur. His positis, controuersiam istam per subsequētes conclusiones dirimam. 14

Dicendum est de illis oneribus esse habendam rationem in commutatione, quæ exequutionem voti æstimabiliorē, gratioremque Deo reddunt; debent tamē tempore emissionis voti præuideri, & expli- 15

Decisio Authoris.

Considerãda onera, quæ votum æstimabilius, & gratius Deo reddunt. explicitè, aut implicitè esse volita ab ipso vouente. Conclusio duas continet partes, & prima quoad æstimabilitatem est certa, quia cum in commutatione, vt diximus, sit spectanda voti substantia in individuo, oportet, vt eius pondus, & æstimabilitas, quam apud Deum habet, diligenter consideretur, ad hoc vt substituatur materia æquè æstimabilis: Secunda verò pars quatenus asserit, onera huiusmodi debere esse præuisa, & aliquo modo volita, &c. probatur: quoniam si nullo modo præuideantur, neque sint volita, merè peraccidens se habebunt ad exequutionem voti: idcirco in commutatione de illis non esset habenda ratio; perinde enim se haberent, ac si non essent. *Et quæ sint præuisa, & aliquo modo volita.*

16 Ex hac conclusione nonnulla sunt deducenda pro prædictarum controuersiarum decisione.

17 *Corollarium primũ ex conclusione posita de oneribus in particulari consideratis.* Infertur ergo primò, hæc esse ponderanda, videlicet laborem itineris, molestiam, qua hic, & nunc vouens afficiendus erit, dum cogitur discedere à proprio domicilio, ab amicis, cõsanguineis, &c. priuationem illarum commoditatum, quibus in sua patria, & domo viebatur: hæc autem sunt onera intrinseca, & per se connexa exequutioni huius voti in individuo.

18 *Secundum.* Infertur secundò. Sumptus tum in eũdo, tum in redeundo, quos rationabiliter iuxta conditionem personæ, & decentiã status vouens decreuit se esse facturum, debent in commutatione spectari: dixi rationabiliter, nam si statuerit quadam vana ostentatione plures facere expẽsas in comitatu equorum, famulorum, in ornatu vestimentorum, in lautis conuiuiis, &c. tunc de his non esset habenda ratio, cum non augeant æstimabilitatem voti coram Deo; immo potiùs illam minuant: nam sumptus isti Deo nequaquã placent, & non sunt rectæ rationi cõsentanei: & cum hac limitatione admitto opinionem primo loco relatam.

19 *Tertium.* Infertur tertiò. Pericula itineris, tributa soluenda pro transitu, damna, quæ vouens passurus est ob absentiam à propria domo, si præuisa fuerint tempore emissionis voti, debent spectari in commutatione, quia augẽt dignitatem, & æstimabilitatem voti; secus, si non fuerint præuisa, & consequenter neque volita, quia cum non sint onera per se, & inseparabiliter connexa cum exequutione voti, & merè per accidens ad votum se habeãt, debent esse præuisa, ad hoc vt volita votum æstimabilius reddant.

20 *Obiectio contra prædicta.* Sed contra posset quis in hunc modũ vrgere. Quæ diximus de expensis, non sunt necessaria ad votum adimplẽdum: ergo de illis non est habenda ratio in commutatione. patet consequentia, quia illa tantùm sunt in commutatione attẽdenda, sine quibus votum seruari non potest: at si illa non ponantur necessaria ad votum adimplendum, poterit absque illis votum seruari. antecedens autem sic probatur: fingamus, quod vouens velit peregrinari sine socijs, in itinere parcè viuere, non redire, &c. tunc tota voti substantia subsistit absque eo, quod fiant expensæ; ergo ea, quæ diximus de expensis, non sunt necessaria ad votum adimplendum.

Respondeo, hæc duo inter se esse valde diuersa, scilicet aliqua esse necessaria ad votum adimplendum; & esse necessaria ad eiusdem voti commutationem: & ideo dico, quod quamuis expensæ illæ non sint necessariæ, vt votum seruetur; sicuti probatio antecedentis ostẽdit: tñ cũ vouens, vt supponimus, non statuerit excludere expensas ordinarias; idcirco dũ eius votum commutatur, debet Confessarius attendere ad expensas illas, quas moraliter vouens facturus fuisset peregrinando: & ratio fundamentalis est; quia dum vouens non determinat exequi votum modo extraordinario, præsumendũ est illud adimplere velle modo consueto, & ordinario; proinde talis modus est spectandus in commutatione, ad hoc vt Cõfessario innotescat eiusdem voti æstimabilitas. 21 *Responsio.*

SECTIO II.

Nonnulla pro recta votorum commutatione proponuntur exempla.

Occasione accepta ex priuilegio cõmutandi vota concesso per hanc Bullam, placet ad ampliorem doctrinã de commutatione facienda virtute cuiuscumq; facultatis fusiùs agere: & ideo aliqua particularium votorum in mediũ afferemus exempla, vt videatur, quo pacto rectè commutentur, & ex illis, quantum fieri poterit, agnoscatur modus, quo in alijs votis commutandis Confessarius se gerere debeat prudenter attendens ad qualitatem, & quantitatem materiæ subrogatæ. nam, vt benè notant Authores, inter quos *Medina in sum. lib. 1. cap. 14. §. 7. regul. 3. Trullench. in Bull. lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 18. in fine.* vt Confessarius sine errore procedat in cõmutatione, oportet non mediocri doctrina, & prudentia pollere; aliter ad hoc munus se ingerens grauiter peccabit. ponenda igitur sunt exem- 22

exempla quædam principaliora, vt intellectus manuduci possit ad reliqua.

§. I.

Quo pacto commutandum sit votum Peregrinationis.

23 *Praxis commutandi voti peregrinationis Hierosolym.* Forma commutandi talia vota partim habetur ex sacris Canonibus, *vt ex cap. vouentis, cap. magnæ deuotionis, De voto, & voti redemptione*; partim verò ex Authoribus. sit igitur votum peregrinandi ad sanctum Sepulchrum. in hoc voto sunt considerandæ expensæ, labor, molestia itineris, &c. expensæ sunt applicandæ vel loco illi pio, ad quem dirigebatur Peregrinatio, vel alteri loco pio, & indigenti, vel pauperibus in eleemosynam, deductis expensis, quas vouens facturus fuisset domi: & sic si ipse in itinere expendat vnum aureum quolibet die, & domi solitus fuerat insumere medietatē aurei, tunc pro commutatione erunt eroganda in eleemosynam tot medietates vnius aurei, quot erunt dies Peregrinationis: labor verò, & molestia itineris commutentur in ieiunia, & preces, ita vt si iter pedestre facturus erat, labor vnius diei commutabitur in vnum ieiunium, & labor duorum dierum in duo ieiunia, & sic successiuè: si verò erat equestre, labor quattuor, aut quinque dierum, in vnum ieiunium. Rursus fiat commutatio in Sacramentum confessionis, & receptionem Sacræ Eucharistiæ pro vnoquoque mense pro toto eo tempore, quo Peregrinatio duratura erat, & in qualibet hebdomada eiusdem temporis recitetur integrum Rosarium, aut officium B. Virginis. sic colligitur *ex cap. illo magna*. vbi votum Hierosolymitanum fuit commutatum in hoc, vt expensæ, quas facturus fuerat vouens in eundo, morando, & redeundo, applicentur in vsus necessarios illius loci sacri, & labor in hoc, vt vouens solliciti⁹ instet vigilijs, deuotiùs vacet orationibus, & in ieiunijs fortiùs se exerceat. hoc etiam asseritur *ab Azorio* loquente de commutatione laboris, *tom. 1. lib. 11. cap. 18. dub. 13. à Sayro in clau. Reg. lib. 6. cap. 11. num. 20. Sanchez in decalog. lib. 4. cap. vlt. num. 40.* Si verò Peregrinatio promissa fuerit vicinior, eodem modo proportionaliter est diminuenda cōmutatio: proinde si fuerit conficienda infra quindecim dies, tunc satis erit vltra expensas applicandas semel fateri sacramentaliter, & Eucharistiam sumere, bis recitare Rosarium, & ieiunia erunt regulanda secundū labores illorum dierum, in quibus vouēs erat peregrinaturus: si autem eueniret casus, in quo vouens deueniat ad tantam paupertatem, vt sit impotens pro commutatione expensarum eleemosynam erogare, tunc vel ex toto, vel ex parte iuxta quantitatem inopiæ, & impotentiæ pro expensis fieri posset commutatio in alias preces, aut in frequētiorē Sacramentorum receptionem arbitrio Confessarij.

Attamen si Peregrinatio promissa non erit Hierosolymitana, sed quæcumque alia, quæ potest per Cruciatam commutari, tunc sequendo probabilem sententiam, quam supra amplexi sumus, & quæ asserit, commutationem per hāc Bullam fieri posse miscendo subsidium temporale cum spirituali, modus assignatus commutationis videtur posse procedere etiā virtute huius diplomatis, quia fieri poterit exhibendo subsidium temporale in pecunijs, & miscetur etiam spirituale in precibus, ieiunijs, receptione Sacramentorum, &c. 24 *Si non sit Hierosolym. quo pacto cōmutanda.*

§. II.

Formæ Commutationis pro voto Castitatis.

Pvtauit *Sotus lib. 7. De iust. quæst. 5. ar. 3. ver: At verò.* votum Castitatis non posse per meram commutationem tolli, quia nihil illa melius, idemque dixit *Arag. 2. 2. quæst. 88. à 12. dub. 1. in 1. Corall. ex dicto 4.* quos sequutus est postea *Sanchez* loquens de voto absoluto Castitatis, & Religionis *cap. vlt. cit. num. 41.* proinde putant, admiscēdā esse dispensationem aliquam ab eo, qui potestatē habet dispensandi. 25

Dico igitur, quamuis tutiùs sit in commutatione voti perpetuæ, & integræ Castitatis dispensationem miscere: tamen si Confessarius virtute delegata à Summo Pontifice, cui hoc votum reseruatur, procedat ad commutationem, sic erit faciēda commutatio, vt vouens teneatur sub voto reseruare Castitatem coniugalem. rursus vt singulis mensibus confiteatur sacramentaliter, & communicet, eroget stipem ad celebranda decem sacrificia singulis annis, recitet quotidie aut tertiā partem Rosarij, aut septem Psalmos pœnitentiales cum Litanijs, & precibus sequentibus, ieiunet singulis sextis ferijs, & quid simile: si autem vouens velit, vt sibi absolutè commutetur totum votum Castitatis, ita vt non teneatur sub voto non accedere ad alienam mulierem, vel ad non committendum peccatum contra virtutem Castitatis, deberet Confessarius id commutare addendo aliud ieiunium, & frequentiorem receptionem Sacramētorum 26 *Praxis commutandi voti perpetuæ, et integræ Castitatis.*

torum

torum Cõfeſſionis, & Euchariſtiæ, attentis cõditionibus ipſius vouentis. Hæc ferè aſſignant pro commutatione huius voti *Ludouicus à Cruce in expoſit. Bullæ diſp. 1. cap. 7. dub. 5. num. 2. Trull. vbi ſupra nu. 27. in fine.*

27 Sed Dices *in Eccleſiaſt. cap. 26. dicitur: Omnis ponderatio non eſt digna continentis animæ*; loquitur enim de Caſtitate, vt patet ex textu, quaſi dicat nullum opus bonum condignum eſſe Caſtitati, ſeu cum illa comparari poſſe. Reſpondeo, ſenſum illorum verborum eſſe, multa auri talenta non eſſe comparabilia cum Caſtitate, ſeu nihil eſſe in opibus, & theſauris huius mundi, quod cum anima pura, & caſta cõparari poſſit. ita explicat hunc locum *Cornelius à Lapide ibidem.*

§. III.

De voto ſolius Caſtitatis coniugalis, vel non ineundi matrimonium.

28 Circa votum ſolius coniugalis Caſtitatis forma commutationis in præcedenti paragrapho à nobis tacta eſt; debet enim cõmutari in aliquod ieiunium ſemel in qualibet hebdomada, & in confeſſionem, & communionem faciendam ſingulis menſibus perpetuò, aut quid ſimile, attenta conditione vouentis.

29 *Praxis commutandi votum non ineundi matrimonium.*

At votum non contrahendi matrimonium poterit commutari in confeſſionẽ, & communionem ſingulis menſibus faciendam, & hoc per triennium, & in aliqua Sacra per idem tempus facienda, quæ *Sanchez num. 41. determinat* ad nouem, quod intelligo, nouem pro vnoquoque anno ex tribus; ſed quia in ſacra Pœnitentiaria in commutatione huius voti conſuetum eſt imponi aliquod opus perpetuum, vt teſtatur *Ludouicus à Cruce dub. 5. cit. num 4.* ideo eſt commutationi addendum aliquid aliud arbitrio Confeſſarij V.G. vt vouens ſingulis hebdomadis recitet integrum Roſarium, vel quotidie dicat ſeptem Pater, & Aue, aut quid ſimile.

(.·.)

§. IV.

De voto aſſumendi Ordinem ſacrum, aut Sacerdotium.

Votum iſtud poterit commutari in Caſtitatem ſeruandam, in quotidianam recitationem Pſalmorum pœnitentialium cum Litanijs, & precibus, aut in officium B. Virginis, aut in tertiam partem Roſarij, in coronam Chriſti Domini, in confeſſionem, & communionem faciẽdam quintodecimo quoq; die, & demum in erogandam ſtipem ad celebrandum Sacrũ ſingulis quibuſcumque menſibus. ſic *Sanchez nu. 43.* qui duo aduertit, videlicet, ſi votum Caſtitatis nolit vouens ſeruare, illud mutet in ieiunium in omnibus ſextis ferijs. Rurſus aduertit meliùs eſſe in his votis grauibus diſpenſationem aliquã miſceri ab habente poteſtatem: & poſita cauſſa ſufficiẽti ad diſpenſandum ſine diſpenſatione non audet prædictam commutationem iudicare æqualem: proinde dico, vt ſecuriùs Confeſſarius procedat, poſſe loco ſeptem Pſalmorum, vel officij B. Virginis, &c. imponi vouenti onus recitandi quotidie horas canonicas, vel addi frequentiorem Sacramentorum receptionem E. G. quintodecimo quoque die, & aliquot ſacrificiorum celebrationem ſuo ſumptu faciendam. 30 *In quæ commutandum votum aſſumendi Ordinis ſacri, aut Sacerdotium.*

Sed Dices. In ſtatu Ordinis ſacri eſt obligatio ſeruãdi omnimodam Caſtitatem, & recitandi quotidie horas canonicas, & præter hæc duo, habetur etiam immobilitas illius ſtatus, qui Deo eſt gratiſſimus, & ſi erit ſtatus Sacerdotalis, habebitur obligatio ad celebrandum aliquando ſingulis annis; ergo ſi in commutatione voti addatur ſolum penſum Diuini officij, nõ erit æqualitas, quia iam in ſtatu illo erit talis obligatio, & conſequenter alia obſequia, quæ includuntur in aſſumptione Ordinis ſacri, & Sacerdotij, non compenſantur. 31 *Obiectio.*

Reſpondeo, immobilitatem ſtatus cõpenſari cum obligatione perpetua confitendi, & communicandi ſingulis menſibus, vel quintodecimo quoque die, & cũ Sacris celebrandis & hoc, quia immobilitas iſta, cum ſit per modum habitus, erit Deo grata per habitudinem ad functiones ſacras, quæ ex officio, & vi Ordinis ſacri exercentur: proinde cum in voto aſſumptionis Ordinum, ſeu Sacerdotij non inuoluantur tales functiones, idcirco videtur immobilitas iſta compenſari poſſe cum obligatione perpetua recipiẽdi prędicta Sacramenta, erogandæ eleemoſynæ ad celebranda ſacrificia. Ad illud verò, quod additur de obligatione Sacerdotis 32 *Reſponſio.*

ad

ad celebrandum, &c. dico, non esse certum, sed controuersum: nam aliqui existimant, simplicem Sacerdotem, secluso contemptu, & scandalo, non peccare mortaliter, si numquam celebret, dummodo in Paschate communicet; alij verò obligant illum vt ter, aut quater in anno celebret, & præsertim festis solemnioribus. Vide *Dianam p. 2. tract. 14. resol. 19.* cum igitur non sit certum, simplicem Sacerdotem sub mortali esse obligādum ad has sacras functiones procedentes ex vi Ordinis Sacerdotalis, proinde videtur in commutatione prædicta reperiri æqualitas.

Sacerdos an possit sine mortali numquā celebrare.

§. X.

An votum Religionis sit commutabile, & quo pacto.

33 QVoad primam partem quæsiti se offert opinio, quam docet *Sanchez loco cit. num. 41.* scilicet non esse commutabile, quando votum Religionis est absolutū: & idem tenet *Trullench dub. illo nu. 18.* & ratio est, quia quæcumque opera pia præscribantur, semper, & eadē, & excellentiora inuenientur in Religione, vt sunt abstinentiæ, macerationes carnis, paupertas, perpetua obedientia, oratio, aliæque preces, vigiliæ nocturnæ, &c.

Esse commutabile negāt alij, si sit absolutum.

34 At *Ludouicus à Cruce in exposit. Bullæ disp. 1. cap. 7. dub. 14. nu. 3 in fine.* docet, votum Religionis absolutum commutari posse; & idem asserit *Pater Suarez loco infra citādo.* pro hac igitur re *Ludouicus notat num. 12.* in commutatione huius voti non esse attendendam æqualitatem obseruantiarū Religionis promissæ; qui enim Religionem vouit, nō vouit absolutè obseruantias regulares; & ideo non venit ea, quæ Professi eiusdem Religionis obseruare tenentur, sed solùm venit ingressus ad experiendum ipsum statum regularē, ita vt si post ingressum vouens agnoscat nō esse sibi proportionatum modum illum viuendi, poterit tuta conscientia egredi, & censebitur voto satisfecisse, vt docet *Sanchez lib. 4. summa cap. 16.* igitur Confessarius dum vult commutare votum Religionis, primò, & per se attendere debet ad æstimabilitatem, quam inuoluit ingressus ad talem determinatam Religionem, in qua tales sunt regulæ, cōstitutiones, &c. quæ non primò, & per se sunt æstimandæ, sed solùm remotè: quia vouens ad illarum obseruantiam non tenetur, nisi posito ingressu; & neque sunt. inclusæ in voto tanquam res promissæ, sicuti habens votum Religionis, si committat peccatum contra Castitatem, non peccabit contra votum: nam Castitas nō fuit promissa, sed tantùm Religio, & facta professione obligatio seruandi Castitatem erit promissa sub voto nouiter emisso in ipsa professione. His positis, non videtur impossibile inueniri æqualitatem in commutatione huius voti; quamuis, vt aduertit idem *Ludouicus nu. 13.* securiùs erit recurrere ad potentem dispensare, & simul cum commutatione dispensationem miscere. Et hæc de prima parte quæsiti.

Alij affirmāt.

Quid sit in eius commutatione attendendum.

Circa secūdam, nempè circa modum, 35
quo in praxi fieri debeat cōmutatio ista, videnda sunt, quæ adnotantur *à Patre Suarez tom. 3. De relig. lib. 4. cap. 9.* nam licèt *n. 1.* dicat difficile esse attingere æqualitatem, & ideo esse miscendam dispensationem; tamen addit, id non esse simpliciter impossibile; proinde ad illud etiam extendi posse potestatem purè commutandi. vt autem ad praxim descendamus. tria in hoc voto spectanda sunt. videlicet professio ipsa religiosa medijs tribus votis substantialibus, onera per se adnexa cum tali statu distincta à votis prædictis, vt est obligatio ad horas canonicas quotidie recitandas, & denique asperitates, quæ esse solent in Religione ipsa. rursus est aduertendum, an votum sit de Religione in indiuiduo; an verò de illa in genere. si autem sit primum, commutatio debet fieri vel in statum Sacerdotalem, vel in perpetuam Castitatem: & si hoc à vouente non acceptetur, saltem imponatur onus Castitatis coniugalis: præterea imponatur obligatio recitandi quotidie horas canonicas, vel Rosarium integrum B. V. & addēda sunt ieiunia pro illis temporibus, in quibus seruantur in Religione, de qua est votum, obligatur etiam vouēs ad frequentem confessionem, & communionem ad minùs decimoquinto quoq; die, & pro alijs asperitatibus, quæ sunt in Religione, fiant singulis annis eleemosynæ in honorem, & cultum illius, qui fuit primus Institutor talis Religionis, si fuerit Sanctus, aut Beatus. Quantitas autem eleemosynarū sit arbitrio prudentis Confessarij iuxta mensuram facultatum ipsius vouentis: si verò secundùm dicatur, scilicet esse votū de Religione in genere, putant aliqui, excusandum esse vouentem ab obligatione horarum canonicarum, quia votum illud indeterminatum poterat adimpleri suscipiendo statum Religiosorum laicorum, vel ingrediendo Religionem, in qua non est tale onus. sed primum ait *Suarez*, non carere scrupulo, quando vouens à principio talem animū non habuit, & sit moralis certitudo, si Religionem ingrederetur, non fore à vouente assumendum statum illum consideratis qualitatibus, & conditionibus personæ.

Praxis eius commutandi.

de

de ſecundo autem inquit idem *Suarez cap. cit. n.9.* quod cum obligatio ad horas regulariter ſit ſtatui Religioſo adnexa, & ſi in vna, aut altera Religione non reperiatur tale onus, id eſſe ob particulares cauſſas; & alias obligationes inueniri huic obligationi æquiualentes: proinde de his omnibus in commutatione habenda eſt ratio, & ſic imponendum eſt vouenti vel penſum Diuini officij, vel recitatio ſalutationum Angelicarum, aut quid ſimile quotidie exequendum. Quoad ieiunia verò, & aſperitates, quarum aliquæ plures, aliquæ verò pauciores inueniuntur in ipſis Ordinibus Regularibus, certum eſt, aliqua onera eſſe imponenda: & ideo crederem eſſe iniungendum ieiunium qualibet ſexta feria per totam vitam, & tempore Aduentus addendas quaſdam alias auſterirates, vt eſt geſtatio cilicij, verberatio corporis, & has ter in qualibet hebdomada. Denique aliæ aſperitates, & onera Religionis compẽſari poſſunt eleemoſynis iuxta vires vouentis, & arbitrio Confeſſarij. & hæc, aut ferè ſimilis commutatio, probabiliter loquendo, mihi videtur ſufficiens ad commutandum votũ ingrediendi Religionem. quamuis, vt notant *Sanchez, & Suarez*, tutiùs ſit recurrere ad eum, qui poteſtatem habet diſpenſandi, & ſimul miſcere diſpenſationem cum permutatione huius voti in opera prædicta.

§. VI.

Vtrum votum ingrediendi Religionem arctiorem æqualiter commutetur in votum profitendi, & perſeuerandi, in laxiori.

36 COmmutationem hanc fieri poſſe per Bullam Cruciatæ, & etiam diſpenſari ab Epiſcopo, determinauimus ſupra capite præcedente §. 3. *quæſit.* 2. nunc verò inquirimus non poteſtatem commutandi, ſed æqualitatem, an ſcilicet inueniatur in commutatione, quæ in titulo proponitur inueſtiganda. Partem negatiuam amplexus eſt *Suarez tom. 3. De Relig. cap. 9. cit. nu. 2.* vult enim aliunde eſſe ſupplendum exceſſum illum, quem habet ſtrictior Religio ſupra laxiorem, vel eſſe diſpenſandum; aliter exiſtimat non eſſe licitam talem commutationem.

Opinio negatiua Suarez.

37 At alij oppoſitum exiſtimant, vt *S. Antoninus 2. par. tit. 11. c. 2. §. 8. Paludanus in 4. diſt. 38. quæſt. 3. a. 1. Syluest. verb. votum 4. quæſt. 7. Ludouicus à Cruce in Bull. diſp. 1. cap. 6. dub. 12. nu. 4. Trull. in decalog. lib. 2. cap. 2. dub. 18. nu. 6. Sanchez in ſum. lib. 4. cap. 16. num. 17. in fine. & ſequen. Barth. à S. Fauſto in theſ. lib. 4. quæſt. 37.*

Aliorũ multorum affirmatiua.

Dicendum eſt cum hac ſecunda ſentẽtia, quam vt probabiliorem admitto, & moueor, quia, vt notant Authores huius ſententiæ, meliùs eſt profiteri in laxiori, quàm ſimpliciter ingredi in ſtrictiorem; proinde commutatio huius in illud non ſolùm erit in æquale, verùm etiam in melius, & ſic exceſſus ille, quem habet vna Religio ſupra aliam quoad ſtrictiores obſeruantias, rectè compenſatur per talem commutationem. 38

Quibus adhæret Author.

Aduertere tamen debemus, concluſionem eſſe intelligendam, ſi in Religione illa, quæ eſt laxior, & in quam ſit commutatio, vigeat regularis obſeruantia; aliter, ſi erit collapſa, commutatio in illam non erit neque licita, neque valida.

Limitatio opinionis.

Cæterum ſi poſtea vouens non profiteatur in laxiori Religione, & reddatur impotens ad ibi profitendum, vel quia expellatur, vel ob aliam cauſam, & ideo deficiat ab ea Religione, non tenebitur ingredi priorem Religionem, quia per commutationem votum prioris Religionis fuit omnino extinctum, & hoc intelligo ſiuè abſque culpa, ſiuè cum culpa effectus fuerit impotens, vt loquentes de voto in communi docent *Suarez, & Sanchez locis citatis.*

Si vouens nõ profiteatur in laxiori Religione, in quã eſt commutatum votum, nõ tenetur ingredi priorẽ.

Dices *c. Qui poſt votum, De Regul. in 6.* imponitur pœnitentia illi, qui habens votum ingrediendi ſtrictiorem Religionem poſtea profeſſus eſt in laxiori. ex quo colligitur illum ſic profitentem peccaſſe, aliter non erat illi iniungenda pœnitentia; proinde talem commutationem non eſſe licitam. 39

Obiectio.

Reſpondet *Sanchez num. 16. & 20.* textum intelligendum eſſe de voto non ſolùm ingrediendi, ſed etiam profitendi in ſtrictiori Religione, idcirco impoſita fuit pœnitentia, nam talis profeſſio fuit peccaminoſa, vtpotè repugnans priori voto, quod erat de meliori bono: at factum tenet, quia profeſſionis votum emiſſum in ſecunda Religione fuit ſolemne, & per illud acquiſitum fuit ius huic poſteriori Religioni, & per conſequens extinctum prius votum, quod erat ſimplex, vt declarat ibi Pontifex. ſic reſpondet *Sanchez num. illo 16. ex S. Anton. Palud. & Silueſt.* 40

Reſponſio.

Neque dicas, in textu ſolùm mentionem fieri de voto ingreſſus in priorẽ Religionem, & non de voto emittendi profeſſionem, aut perſeuerandi.

Inſtãtia prima.

Reſpõden enim, quamuis explicitè de ſolo ingreſſu ſit ſermo, tamẽ implicitè intelligi debet de voto profitendi; aliter cogeremur aſſerere, votum de ingrediendo impedire maius bonum, quod eſt profeſſionem emittere in alia Religione etiam laxiori; hoc autem eſt contra intrinſecam 41

Reſponſio.

naturam

naturam voti, quod semper debet esse de meliori bono, & non esse impeditiuum maioris boni.

42 *Instantia secunda.* Sed iterum vrgebis. Sequela non videtur vera, quia pœnitẽtia poterat iniungi nõ propter cõmutationem, sed propter aliquem defectum commissum in ipsa commutatione v.g. quia vouens imprudenter commutauerit absq; consultatione, matura discussione, vel ob aliquẽ alium defectum; vnde non potest inferri, ex pœnitentia iniuncta includi in primo voto ingressum, & professionem.

43 *Responsio.* Respõdeo, quamuis verè potuerit cõtingere, tamen quia neq; textus, neque Glossa, neq; scribentes hoc asserunt; idcirco probabiliter amplexi sumus responsionem Sanchez.

§. VII.

An hoc ipsum dici possit de voto profitendi in aliqua ex Religionibus militaribus.

44 *De professione in Religione Canonicorum Regularium affirmatur.* Dico primò. Si quis voueat profiteri in Religione Canonicorum Regularium, idem foret asserendum, quia hi in communi viuunt, & regularem vitam in Monasterijs ducunt, vt notat *Sanchez cap. 16. cit nu. 12. Barth. à S. Fausto in thes. lib. p. quæst. 187. Trull. in decalog. lib. 2 cap. 2. dub. 19. nu. p. Bonacina in præcept. decalogi disp. 4. qu. 2. p. 5. §. 6. nu. 15.* & licèt hi Authores expresè non ponãt conclusionem nostram: nihilominus ex eorum principijs manifestè sequitur; dum enim cõcedunt, votum perseuerãdi, & profitendi in laxiore Religione esse quid maius, quàm sit votum ingrediendi strictiorem, nulla apparet ratio, ob quam excipi debeat hæc Religio: & idem dicerem, si mihi certum foret, quod supponit *Sanchez, & alij*, scilicet dari Congregationem in aliquo Ordine militari, vbi viuant in communi, & immobiliter profiteantur, quod tamen saltem in Italia, quod ego sciam, nõ datur talis Cõgregatio, neq; etiã Melitæ, vbi flos hui⁹ Ordinis militaris viget.

45 *Non item de militaribus S. Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ.* Dico secundò. Professio in Religione militari S. Iacobi, Alcantaræ, Calatrauæ, & similium non est sufficiens ad rectè commutandum votum ingrediẽdi strictiorem Religionem. conclusio est certa, & ferè ab omnibus admittitur, licèt *Barthol. à S. Fausto. in thes. lib. p. quæst. 186.* citet pro contraria opinione *Nauar. lib. p. cõsil. De regul. cõs. 10. & De reddit. qu. p. n. 95. Michaelẽ Medinã lib. 4. De sacrorũ hominũ continentia cap. 39. & apud Dianã par. 2. tract. 16. resol. 38. in fine sit Basilius Põtius De impedim. matr. caus. 27. q. 2. Franc. Bard. in Bull. Cruc.*

§. 4. at nostram sententiam defendunt alij, *vt Sanchez lib. 4. cap. 16. n. 11. Barthol. à S. Fausto loc. cit Sotus lib. 7. De iust. q. 5. a. 3. Arag. 2. 2. q. 88. a. 11. Molina De iust. tom. p. disp. 141. Azor. tom. p. lib. 13. cap. 3. qu. 2. & alij*, qui dicunt, habentem votum ingrediendi Religionem non satisfacere assumendo horum militum Ordinem, & per consequens asserere debent, non sufficienter commutari votum ingressus in Religionem cum voto profitendi in his Ordinibus militaribus: ratio autẽ, quare voto nõ satisfaciat, nõ alia esse potest, nisi quia Religiones istæ militares nõ intelliguntur cõprehensæ sub voto Religionis in communi ob rationẽ nunc assignandam; nam aliqui dicunt, ideo esse, quoniã Equites horũ Ordinũ nõ sunt rigorosè, & propriè Religiosi: efficaciùs autem suadetur conclusio cũ alijs, qui asserunt, ideo esse, quia ille, qui Religionẽm vouit, cõmuniter intẽdit Religionẽ claustralẽ, & alienãm à fausto, & curis sæcularibus.

Dico tertiò, longè probabiliùs esse, 46 neq; satisfacere professionẽ emittendo in Ordine S. Ioãnis Herosolymitani, quia licèt Ordo iste sit propriè Religio, vt cõmunitèr dicunt Doctores, confirmata à Sede Apostolica, & qui illam profitentur, emittant tria vota substantialia: Paupertatem, Castitatẽ omnimodã, & perpetuã Obediẽtiã; nihilominus per se loquendo ob rationem assignatam nemo vouens Religionem explicitè, aut implicitè intendit aliam Religionẽ, nisi eam, quæ est remota à pompis sæculi. cõtrarium existimarunt *Arag. quæst. cit. a. 11. Azor. tom. p. lib. 13. cap. 4. quæst. 4. & quidam alij apud Dianam par. 2. tract. 16. resol. 38.* qui æque probabilem putat hanc sententiam cum illa, quam nos sequimur. Sed oppositum sentiunt alij, inter quos *Sanchez l. c. Cordub. in sum. quæst. 14. Barth. à S. Fausto loc. cit. Portel. in addit. ad dub. regul. ver. Religiosus nu. 4. & quam plures alij apud Dianam, vt supra.* *Et neque de Ordine S. Iacobi Hierosolym.*

Dices. Cum Ordo iste S. Ioannis sit vera Religio, sicut cæteræ, & votum sit strictè interpretandum, nulla videtur sufficiens ratio ad interpretandam mentem vouentis Religionem, esse excludere Ordinem hunc militarem. 47 *Obiectio.*

Respondeo. Sufficienti ratione ad exclusionem hanc asserendam ducimur attendẽdo finem, quẽ habere solent cõmuniter vouẽtes Religionẽ; finis autẽ illorũ est, agere pœnitẽtiã, manere in statu humili, instare vigilijs, orationibus, &c. quæ nõ inueniũtur in Ordine illo militari: proinde præsumptio, quæ ex communiter accidentibus est fortissima, vt rectè probat *Menochius lib. p. De præsump.* 48 *Responsio ex fine cõmuniter proposito vouenti Religionem.* *Præsumptio ex communiter accidentibus est fortissima.*

 qu.

quæst. 18. *num. p.* est pro exclusione horum ordinum in voto Religionis, nisi ex mente vouentis aliud colligatur.

§. VIII.

An votum ingrediendi Religionem obseruantem sufficienter commutetur in votum profitendi in Religione collapsa.

48 Dicendum est primò. Si Religio, in qua fieri debet professio, est quoad substantialia collapsa sine spe proximæ reformationis, certum est, votum illud prius nō sufficienter commutari in votum profitendi in hac Religione. Ducor adhoc asserendum, tum quia Authores dicunt voto Religionis non satisfieri per ingressum in talem Religionem. sic *Sanchez cap. illo. 16. num. 13. & 14. Nauar. in sum. cap. 12. num. 46. Rodriq. in sum. par. 2. cap. 95. nu. 3. & plures apud eumdem Sanchez*, ergo à fortiori non erit sufficiens commutatio illius prioris voti in istud; tum etiam quia illicitus est ingressus in talem Religionem, vt communiter notant Authores: proinde tantum abest, vt votum ingrediendi Religionem obseruantem sufficienter commutetur in votum emittendi professionem in hac Religione, vt votum istud sit omnino irritum, & nullum, quia est de re mala. Dixi sine spe, &c. quia si de proximo speratur, & sit moralis certitudo de reformatione, tūc eadem erit ratio de hac Religione, ac de reliquis.

Voto Religionis non satisfit per ingressum in Religionē quoad substantialia collapsam.

Votum profitēdi in huiusmodi Religione non solum non est æquiualens alteri, sed est irritū.

49 Dicendum est secundò. Si seruentur substantialia, & primaria, quamuis professores huius Religionis defecerint à primo feruore instituti, commutatio erit sufficiens; moueor, quia Authores prædicti loquentes de voto Religionis dicunt, vouentem satisfacere debito suo per ingressum in hanc Religionem: igitur votum profitendi in illa erit quid melius, quàm sit votum ingrediendi in aliam.

§. IX.

Vtrum per assumptionem ad Episcopatum valeat commutari ad æqualitatem votum ingrediendi Religionem.

50 Affirmarunt *Abbas, & quidam alij Canonistæ apud Suarez tom. 3. De Relig. lib. p. cap. 19. num. 1. & ex Theol. idem docent Rodriquez in sum. tom. 2. cap. 6. num. 6. Henriquez lib. 10. de Sacram. Ordinis cap. 32. num. 5. Viualdus in suo candelabro aureo par. prima De matrim. titul. De impedim. voti, nu. 89. & sequens.* quam opinionem approbauit *Emmanuel Sa in aphorismis verb. Episcopus. num. 2. tum in antiqua, tum in correcta editione*, dum ait, ibi probari opinionem illam, quæ vult, *qui ante Episcopatum fecit votum Religionis, non teneri Religionem ingredi*, respondens *ad cap. Per tuas De voto.* vbi oppositum statuitur, inquit, *casum illum, de quo ibi agitur, fuisse particularem, & cæteros non obligare*. Fundamentum autem huius sententiæ est, quia status Episcopalis cum sit perfectior statu religioso, vt statuitur *cap. licet De regul. cap. veniens De Iure iur*: idcirco votum de hoc secundo sufficienter, immò excedenter commutatur in votum de illo.

Probatur in maiori perfectione status Episcop:

51 Rursus confirmatur à pari, quia votum ingrediendi strictiorem Religionem tollitur per votum emittendi professionem in laxiori Religione, vt supra ostendimus: ergo votum illud ingrediendi multò magis dissolui debet per assumptionem ad Episcopatum, qui est maius, & perfectius vinculum.

Confirmatur.

52 Sed opinio contraria negatiua tamquam verissima est amplectenda, videlicet per assumptionem ad Episcopatum non dissolui obligationem ingrediendi Religionem: proinde habentem tale votum commutationem vnius in aliud facere non posse. Hanc sententiam docet *S. Thom. 2. 2. quæst. 189. a. 3. ad p. & Caietanus ibi. Suarez cap. cit. nu. 3. Sanchez lib. 4. in decal. cap. 17. num. 5. Lessius lib. 2. cap. 40. dub. 10. num. 103. Fagundez in præcep. decal. lib. 2. cap. 49. num. 21. Layman in sum. lib. 4. tract. 5. cap. 6. quæst. vltima. Castropalaus tom. 3. tract. 16. disp. 1. p. 6. num. 2. Azor. tom. p. lib. 11. cap. 16. quæst. 2. & cap. 22. quæst. vltima, & alij quamplures Canonistæ, & Theologi apud Suarez.* probatur primò cōclusio *ex cap. cit. per tuas*, vbi Innocentius III. consultus ab Episcopo Grationopolitano, qui ante susceptum Episcopatum votum emisit ingrediendi Religionem, respondet, *Si tuam desideras sanare conscientiam, regimen resignes Ecclesiæ, & reddas Altissimo vota tua*. ex decisione autem huius textus apertè colligitur veritas nostræ cōclusionis, videlicèt per assumptionem ad Episcopatum non satisfieri voto Religionis; nam Pontifex declarauit, vt Episcopus ille adimpleret votū, debuisse resignare Episcopatum ingrediēdo Religionem; si enim potuisset votum illud in Episcopatum commutare, Summus Pontifex non ita respondisset.

Authoris sententia negatiua, eiquidem

Probatur ex decisione Innocen. III.

53 Ad hunc textum variæ traditæ sunt ab Authoribus contrarijs explicationes, sed nullius momēti: breuiter eas referā.

Variæ textus explicationes referuntur, & refutantur.

54 Prima enim ait, Pōtificē loqui de cōsilio, nō aūt de præcepto, & hæc interpretatio

ratio colligitur ex verbis, quibus vtitur Pontifex dicens: *Nos autem tuæ discretioni consulimus*, sed inanis expositio, nam consilium erat de re præcepta, & quia Pontifex non procedebat vt Iudex, sed vt Consultus; ideo vti voluit verbo illo, *consulimus*, & patet manifestè, quia decisio ista supponebat conscientiam Episcopi læsam, & curatione indigentem: aliter non dixisset Pontifex, *si desideras conscientiam sanare*.

55 Secunda interpretatio est, ab Episcopo emissum fuisse votum non solùm in Ecclesia Grationopolitana, sed etiam in manu Prælati infra menses duos votum se adimpleturum: & votum solemne appellatur; proinde cum votum incluserit promissionem homini factam, idcirco nō poterat in Episcopatum commutari. Nō valet hæc interpretatio primò, quia licèt in manibus Prælati promissio facta fuisset; tamen subintelligi debebat cōditio, nisi vouens statum meliorem, & perfectiorem eligeret, nūcupatum autem fuit votum illud solemne nō in eo sensu, quo solemne dicitur votum Professorum in Religione, sed quia corā Abbate, & alijs emissum fuit, & constat ex ipso textu, vbi dicitur, *votum istud fuisse de habitu suscipiendo infra menses duos*, cum igitur votum fuerit de futura susceptione habitus, non potuit esse solemne, sed simplex.

56 Tertia explicatio est, Pontificem consuluisse dimissionem regiminis Ecclesiæ, quia Episcopus erat in peccato mortali ob voti transgressionem, quando fuit assumptus, & ex ambitione Episcopatum recepit.

57 Sed contra: quia hoc gratis affirmatur, immo, & temerè absq; vllo fundamento: Præterea; quia esto Episcopus ille transgressor fuerit voti, & ambitione ductus Episcopatum sumpserit, tamen ad sanationē suæ conscientiæ satis illi fuisset pœnitentiam agere de peccato commisso, & non oportuisset dimittere Episcopatū: quemadmodū si quis V. G. voueat Religionē laxiorē infra mensē ingredi; & trāsacto tēpore præfixo votū nō adimpleat, & peccet; si postea Religionē strictiorem ingrediatur, sufficeret pœnitere peccati illius, & non esset necessarium relinquere arctiorē hanc Religionē, cū sit perfectior: sic in casu nostro, si ponatur, assumptionem Episcopatus esse quid perfectius, quamuis vouens non adimplendo votū tēpore præscripto peccauerit; nihilominus propter hoc non erat necessarium Episcopatum dimittere, sed tantùm pœnitere peccati illius.

58 Quarta expositio vult, consiliū datum fuisse à Pontifice ob conscientiam erroneam, qua Episcopus ille laborabat putās teneri Episcopatum dimittere, & Religionem ingredi ad vitandum scandalum, &c.

Hæc explicatio nullius est ponderis, quia ad tollendam conscientiā erroneā satis fuisset manifestatio veritatis; neque poterat scādalū generari, si assumptio ad Episcopatum fuisset opus perfectius, quia vt sic abundantiùs adimpletum fuisset votum, & consequenter nullum extitisset fundamentum scandali. 59

Maneat igitur firmum esse argumentum desumptum *ex cap. per tuas*, ex quo efficaciter nostra sententia suadetur. 60

Secundò probatur ratione: nam licèt status Episcopalis sit perfectior statu religioso, quia est status perfectionis exercendæ, seu alienæ; iste verò perfectionis acquirēdæ, seu propriæ, vt loquitur *Suar. tom. 3. De relig. lib. 1. cap. 18. numer. 9. & cap. 19. n. 21. Lessius lib. 2. De iust. cap. 40. num. 103. & alij*, ac proinde perfectiones vtriusque status sunt diuersarum rationum; nihilominus in ordine ad propriam personam vtilior, & securior est status Religionis, vt notauit idem *Suar. cap. 18. cit. num. 12.* quoniam status Episcopalis multa inuoluit pericula, & excitamenta ad malum ratione honorū, diuitiarum, &c. quorum occasione facilè homo potest allici ad ambitionem, nimiam pecuniarum auiditatem, &c. At status religiosus est liber ab his, & similibus occasionibus, immo habet excitamenta ad oppositas virtutes, videlicet ad humilitatem, contemptum mundi, paupertatem, &c. proinde optimè *Lessius loc. cit.* asserit, statum Episcopalem appellari perfectiorem, non quia ipse efficiat hominem perfectiorē, & Deo gratiorem, sed ideo vocari perfectiorem, quoniam supponit, & postulat eum, qui est in tali statu, esse perfectum: requiruntur enim in Episcopo excellētes virtutes, animiq; præparatio ad ponēdam animam suam, scilicet vitam pro ouibus: Cum autem in statu Episcopali adnexa sint varia pericula peccandi, non est ita desiderabilis, neque est per se ita proportionata materia voti, sicuti est status religiosus: quapropter nequit votum Religionis commutari in assumptionem Episcopatus. 61

Probatur ratione desumpta ex diuersitate perfectionis vtriusq; status.

Status Religionis vtilior, & securior primatæ personæ, & liber ab occasionibus mali.

Status Episcopalis quo ratione perfectior dicatur.

Ex his patet responsio ad primam rationem pro cōtraria sententia, & in quo sensu status Episcopalis dicatur perfectior statu religioso. 62

Responsio ad rationem cōtrariæ sententiæ.

Ad confirmationem nego paritatem: nam ideo votum ingrediendi arctiorem Religionem sufficienter commutatur in votū profitendi in laxiori, quia sumus in sta- 63

Confirmatio diluitur.

ſtatibus eiuſdem rationis, & vterque eſt eſt aptus ad perfectionem inducendam; & ideo exceſſus, qui reperitur in ſtrictiori Religione, rectè compenſatur cum voto profitēdi in alia laxiori; at ſtatus Epiſcopalis eſt diuerſæ rationis, & non eſt ſtatus perfectionis acquirendæ, ſed perfectionis acquiſitæ, vel vt benè loquitur *Caietanus, & Suarez ſupra relatus*, ſtatus Religionis eſt propriæ perfectionis; ſtatus verò Epiſcopalis alienæ perfectionis: idcirco in ordine ad propriam ſalutem longè melius eſt aſſumere illum ſtatum, quàm iſtum, quod rectè animaduertit *Suarez l. c. n. 21.*

Status Epiſcopalis nō eſt perfectionis acquirendæ, ſed acquiſitæ.

64 *Corollarium ex doctrina poſita.*

Ex hac doctrina colligunt Doctores, ſi quis habeat votum Religionis grauiter delinquere, ſi Epiſcopatum aſſumat, quia vt ſic redditur impotens ad votum adimplendum, & ſuæ obligationi non ſatisfacit per aſſumptionem ad Epiſcopatum.

§. X.

De forma commutandi ieiunia, proprij corporis verberationes, preces, aliaque opera pia.

65 *Praxis commutandorum piorum operum.*

IN his operibus commutandis ſunt diligenter attendenda principia, quæ in præcedenti ſectione præmiſimus, & præſertim finis vouentis, difficultas, quam habet in exequenda re promiſſa, &c. ſi quis igitur votum emiſerit ieiunandi vno die, attendatur finis, & ſi fuit ad macerandam carnem, poterit commutari in geſtationem cilicij, vel in verberationem corporis duraturam pro eo tēpore, quod prudens Confeſſarius iudicauerit conueniens attēta difficultate, quam habet vouens in ieiunio explendo, vel illud commutet in preces aliquas recitandas flexis genibus, vt caro aliquo modo ſic maceretur: ſi autem votum ieiunij fuerit emiſſum in Dei, aut Sanctorum cultum, congruētiùs commutabitur in eleemoſynas, vel in preces fundendas arbitrio ipſius Confeſſarij.

Ieiunij vnius diei.

66 *Ieiunij perpetui.*

Similiter ſi ieiunium ſit perpetuum, V. G. ſingulis ſextis ferijs, aut die Sabbato, tunc commutabitur vel in Roſarium B. V. genibus flexis recitandum, vel in recitandos ſeptem Pſalmos pœnitentiales cum Litanijs, & ſubſequentibus precibus eadem feria ſexta, Sabbato, aut qualibet alia die hebdomadæ; & ſi tale ieiunium fuit promiſſum pro anima alicuius defūcti, commutatio poterit fieri in recitandum officium defunctorum, vel in confeſſionem, & communionem, aut quid ſimile, vel in eleemoſynas erogandas pro anima illius defuncti. Et idem è conuerſo eſt aſſerendum, ſi votum fuerit de his operibus, & commutandum ſit in ieiunia, aut eleemoſynas, &c. ſi verò ieiunium promiſſum ſit ſolo pane, & aqua obſeruandum: commutatio mihi videtur eſſe facienda in recitationem integri Roſarij genibus flexis, addita etiam verberatione corporis, aut in eleemoſynas, ſeu in confeſſionem, & communionem. votum de erogandis eleemoſynis poterit commutari in obſequium inſeruiēdi Xenodochio tot diebus, quot erāt ſufficientes ad compenſandam quātitatem eleemoſynarum, & pariter obſequium in Xenodochio cōmutabitur in eleemoſynas erogādas iuxta menſuram, & proportionem obſequij præſtandi.

Ieiunij in pane, et aqua.

Erogādæ eleemoſynæ. Seruiendi Xenodochio.

Confeſſio autèm ſacramentalis, & ſūptio Euchariſtiæ pro aliquo die facienda, commutabitur in eliciendum actum cōtritionis, aut amoris Dei ſuper omnia, addita recitatione Roſarij, aut Coronæ B. V. & in vnicum ieiunium. 67

Confeſſionis, & cōmunionis.

Celebratio Miſſæ debet commutari in communionem, in recitationem Roſarij, aut officij B. V. ſi autem communio nequeat fieri, vel illam acceptare renuat vouens, loco illius commutatio fiat in eleemoſynas, aut in ieiunium. 68

Celebrationis Miſſæ.

Ex his, quæ hactenus dicta ſunt, poterit prudens Confeſſarius agnoſcere, quo pacto debeat ſe gerere in votis commutandis attendendo regulas ſuperiùs poſitas: Aduertendum tamen eſt, opera illa, quæ à nobis aſſignata ſunt in ſingulis commutationibus, non eſſe ita ſtrictè accipienda, vt Confeſſarius nequeat variare; data enim ſunt grātia exempli, & vt congrua, ad hoc vt commutatio in talia, aut ſimilia opera quoad quantitatem, & qualitatem fiat. 69

TRA-

TRACTATVS VIII.

DE RECEPTIONE, ET CONSERVATIONE BVLLÆ VT IN PARAGRAPHO XVII.

POST concessionem plenariæ indulgentiæ, Pontifex in paragrapho decimo septimo præcipit, vt omnes, qui eleemosynam in fauorem sacræ expeditionis contribuunt, debeant recipere, & conseruare huius Diplomatis Summarium, & declarat tres fines, quibus ad ita disponendum mouetur, his verbis (ne sibi circa concessas gratias errare; neue alij illas vsurpare possint, & vnusquisque, qua facultate eisdem gratijs vtatur, docere valeat) debemus igitur explanare, quid circa ipsam receptionem, & conseruationem in praxi occurrere possit: quibus nonnulla circa nominis, & cognominis inscriptionem sunt addenda.

CAPVT I.

De Acceptione Cruciatæ.

1 CVM omnia, quæ consideranda proposuimus, supponant gratias istas in scripturam esse redactas, occasio nobis se offert vt aliquantò altiùs prędictarum rerum tractandarum exordium desumamus, antequam particularia circa ipsam receptionem, & conseruationem discutiamus.

SECTIO I.

An ad huius Bullæ valorem scriptura requiratur.

2 DEcisionem quæsiti habebimus attẽdentes ea, quæ Authores scribunt loquẽtes de priuilegio in communi, dum inquirunt, an ad substantiam priuilegij scriptura sit opus; ex determinatione autem huius rei, quid sit de re nostra statuẽdum, inferremus.

3 *Priuilegium vim habet in foro conscientiæ, etiam si non sit scriptum.*

Dicendum est primo, vt priuilegium vim habeat saltem in foro conscientiæ, non erit necessarium, vt concessio fiat in scriptis, sed statim ac conceditur per verbum, aut aliquod externum signum, incipit valorem habere. sic *Sanchez lib. 8. De matr. disp. 29. nu. 20.* & in fauorem huius sententiæ quinquaginta duos laudat Auctores Canonistas, & Theologos, quibus addo *Suarez lib. 8. De legib. cap. 2. num. 2. Azorium tom. 2. lib. 5. cap. 23. quæst. 11. Bonacinam De leg. disp. 1. quæst. 1. p. 4. versus finem, Castro Palaum tom. 1. tract. 3. disp. 4. p. 3. §. 1. num. 1 Merollam tom. 3. disp. 6. cap. 5. dub. 2.* probatur conclusio *p. ex Iure canonico* nam *in Clem: Dudum ver. (In quibus per ipsos) De sepulturis ibi (vniuersa priuilegia)* diuiduntur in ea, quæ sunt verbo, & scripto, & *cap. institutionis 25. quæst. 2. ibi (siue quæ scripto decreuimus, siue quæ in nostra præsentia videntur esse disposita)* ex his autem verbis *Glos. verb: Præsentia*, colligit, priuilegium Principis posse esse sine scripto. probatur etiam conclusio argumento negatiuo, quia neque est ius naturale, aut Diuinum, neque signari potest ius positiuum, quod expostulet ad substantiam, & valorem priuilegij scripturam.

Præterea suadetur, quia valor priuilegij adæquatè dependet à voluntate Principis concedentis: igitur si Princeps dans priuilegium non coarctat eius valorem ad scripturam, poterit priuilegiatus frui eo priuilegio sine scriptura concesso. demum priuilegij concessio se habet ad instar donationis, quæ poterit esse perfecta, & valida absque scripto. 4

Dicendum est secundo. Ad hoc, vt priuilegium prosit in foro externo, indiget scriptura. sic *Sanchez loco citato*, & ratio est manifesta, quia vt priuilegiatus probet gratiam sibi à Principe concessam, oportet publicum, & authẽticum instrumentum ostendere: Cæterum hæ conclusiones pati possunt exceptiones aliquas; nam ius positiuum ob aliquem finem honestum potest disponere, vt gratia, seu priuilegium nõ sortiatur effectum, antequam litteræ concessionis expediantur, & tunc standum est tali dispositioni. 5

Scriptura indiget ad forum externum.

Exceptiones conclusionum.

siquis

si quis autem desiderat has exceptiones, seu limitationes scire, legat *Sanchez*, & *Castropalaum locis cit.* nobis autem satis erit probasse de ratione priuilegij in cõmuni non esse, vt in scripta sit redactum.

6 *Obiecta soluuntur.* Sed obijci possunt nonnulla contra primam conclusionem: & primò *Glos. cap. 1. De censib. in 6. ver. in scriptis*, vbi ponit priuilegia inter ea, quæ scripturam ad sui valorem exigunt. Respondeo loqui quoad probationem pro foro externo. Secundò afferri possunt aliquæ Regulæ Cancellariæ, in quibus videtur disponi ad valorem gratiarum requiri expeditionem litterarum, & ante litteras expeditas gratiam esse imperfectam, & informẽ, &c. Respondeo id esse dictum in ordine ad iudiciũ externũ. vide *Castropalaum loco citato* rectè satisfacientem his, & alijs similibus difficultatibus.

7 Et hæc sufficiant loquendo de natura priuilegij in communi, deuenientes autem ad nostram Bullam instituimus sequentes conclusiones.

8 *Priuilegia Cruciatæ an indigeant scriptura.* Dicendũ est tertiò, vt priuilegia Cruciatæ habeant valorem, non est necessaria scriptura, per quam ostendatur concessio facta Regi Catholico à Summo Pontifice; concessio ista deduci poterit ex principijs vniuersalibus superiùs positis, per quæ dicimus, ad valorem priuilegij in communi non requiri scripturam; & cum in hoc particulari priuilegio nihil sit, per quod cogamur limitare vniuersalia principia, rectè inferimus priuilegia huius Cruciatæ, ad hoc vt habeant valorem, non indigere scriptura, per quam ostendatur concessio Regi Hispaniarum facta.

9 *Summarium Bullæ est necessarium ad gratias consequendas.* Dicendũ est quartò. Summarium huius Diplomatis, quod est veluti Rubrica quædam ipsius concessionis, est necessarium ad valorem gratiarum, quæ per ipsum Diploma conceduntur; probatur quia ita declaratur in ipsa Bulla plumbea latina in fine post illum versum, *Præinsertas Apostolicas litteras, &c.* his verbis *Qui eleemosynam obtulerint, &c. receperint, receptumq; penes se retinuerint præfatum typis excusum Bullæ Summarium, &c.* quamuis igitur præscindendo à quacunque alia dispositione, secũdùm ius commune, priuilegia huius Bullæ nõ indigeãt scripto; tamẽ stante dispositione facta à Cõmissario, eos, qui eleemosynam taxatam erogabunt, vt gaudeant his gratijs, oportet scripturam recipere, in qua enumerentur gratiæ concessæ. Fines autem, ob quos de facto sit ita dispositum, superiùs tacti à nobis fuerunt: hi autem sunt tres: nam in eadem Bulla dicitur, ideo à contribuentibus esse hanc scripturam summariam recipiendam, ne errent circa gratias collatas, & ne alij illas vsurpare possint. Duplex autem personarum genus sub hac voce *Alij*, intelligi poterit: primũ est illarum, quæ sunt huius priuilegij capaces, & sibi vsurpãtes Bullam alterius, possunt fraudulenter ea vti in foro externo reddentes rationem de vsu quarumdam gratiarum, quæ ad idem forũ pertinere etiam possunt, vt sunt indulta pro tempore interdicti, & alia: secundum verò genus respicit ipsos Depositarios, seu Bullarum Distributores, qui, vt maiorem pecuniarum quantitatem lucrẽtur, possent Bullam vni consignatam iterum sibi repetere, & alteri consignare accepta noua stipe; & sic continuantes paucissimis Bullis non paruam pecuniæ summam consequerentur. Contra hos autem Depositarios tale delictum committentes in instructione *num. 12. apud Perez fol. 222.* imponitur pœna excomunicationis maioris latæ sententiæ, & triginta ducatorum pro quibusq; singulis Bullis, quas reassumunt; & ex pecunijs prædictis tertia pars præscribitur applicanda in subsidium expeditionis contra infideles; reliquæ verò duæ partes Denuntiatori, & Iudici ferenti sententiam adiudicantur: & demum sub pœna inhabilitatis ad officia huius Cruciatæ. Alius finis assignatus est, vt ipse priuilegiatus sciat rationem reddere, qua potestate vtatur gratijs, & facultatibus concessis.

Quibus causis id dispositum.

Hoc ipsum, quod disponitur circa Bullæ receptionem in Bulla latina, statutum etiam est in Bulla italica illis verbis: *Dichiariamo, che quelli, che la piglieranno, habbiano da riceuere, e conseruarsi questo Sommario, e Bolla, che è stampata, sigillata, e firmata di nostro nome, e sigillo, perche d'altra maniera non guadagnano detta Bolla, ne le gratie di quella.* 10

Dicendum est quintò. Summarium istud consignandũ erogantibus eleemosynam debet esse typis excusum: sic statuitur in Bulla plumbea post versum illum, *Præinsertas, &c.* & in Bulla italica, vt vidimus, additur, debere esse munitum sigillo ipsius Commissarij generalis, & in eodem Summario debet esse inscriptum nomen ipsius Commissarij. 11

SE-

SECTIO II.

An in aliquo casu sit obligatio sumendi Bullam.

12 Locutio est restricta ad aliquem casum, & nō procedit vniuersaliter, quia certum, & indubitatum apud omnes habetur, nullam per se loquendo obligationem esse ad hanc Bullam sumendam. cum limitatione igitur quæstum instituitur; videlicet, an fingi possit casus obligans sub mortali hominem ad Cruciatam capiendam. solet proponi vnus, aut alter casus verbi gratia, si quis constitutus sit in articulo mortis, habeatque peccata reseruata, & quamuis adsit Sacerdos approbatus, tamen non habeat iurisdictionem circa casus reseruatos, & sit opportunitas sumendi Bullam, an infirmus ille morti proximus teneatur Bullam accipere, vt vi illius absoluatur à reseruatis. Alter casus esset, si in aliquo Oppido non sit alius Confessarius, nisi Parochus habens potestatem circa peccata Episcopo reseruata, & alius Confessarius approbatus sed absq; potestate in reseruata, & pœnitens caussam rationabilem, & sufficiētem habeat non aperiendi suo Parocho peccatum aliquod reseruatum, vrgeatq; communicandi præceptum, vel scandalum, si à cōmunione abstineat, an data commoditate Bullam sumendi, per quam ipse pœnitens posset directè absolui ab illo alio Sacerdote, teneatur Bullam accipere.

Casus duo in quibus quæstio posset habere locum.

13 In his, aut similibus casibus videtur esse obligatio ad Bullam sumendam, quia cum vrgeat præceptum communicandi, & peccata sacramentaliter aperiendi, tenetur vnusquisque non solùm adhoc præstandum, verùm etiam ad adhibenda media necessaria ad præcepta prædicta adimplenda, & præsertim quando medium est tale, vt facilè adhiberi valeat; & tale medium censendum erit sumptio Bullæ, per quam Confessarius acquirens iurisdictionem in reseruata, poterit ab illis pœnitentem directè absoluere.

14 Sed dicendum est, in neutro casu obligandum esse pœnitentem ad Bullam sumendam; & quod attinet ad primum, solutio est clara, quia in articulo mortis Sacerdos, quicunque sit, potestatem habet etiam circa reseruata, & maximè si nullus alius adsit, qui extra talem articulum iurisdictionem habeat: proinde infirmus non erit obligandus Bullam accipere, quia etiam sine isto, aut alio priuilegio est copia legitimi Cōfessarij, à quo ipse infirmus directè absolui poterit, in eo enim casu Ecclesia cuicunque simplici Sacerdoti dat potestatem, & nulla est reseruatio, vt determinatur in *Tridentino sess. 14. cap. 7.*

In neutro est obligatio sumendæ Bullæ.

Dices, sistendo in terminis illius opinionis, quæ forsitan est probabilior, magisque communiter recepta, videlicet in articulo mortis præsente Cōfessario habente iurisdictionē non posse infirmum cōfiteri simplici Sacerdoti: posita inquā tali sententia, sic videtur vrgeri posse contra nostram conclusionem, argumētando à pari in hunc modum: præsente legitimo Confessario nequit infirmus confiteri simplici Sacerdoti; ergo in eodem articulo data opportunitate sumendi Bullam non poterit idem infirmus confiteri reseruata Sacerdoti non habenti iurisdictionem, & omittere receptionē Bullæ; par enim est ratio, nam Confessarius supponens Bullam in illo ægroto æquiualet in iurisdictione Sacerdoti legitimo, qui extra talem articulum sufficientem habet potestatem, & cōtra, non supponens Bullam æquiualet simplici Sacerdoti; igitur ex hypothesi illius opinionis; sicuti constitutus in articulo mortis, si est præsens legitimus Confessarius, vel fieri potest præsens, si vocabitur, non potest ægrotus alteri non legitimo confiteri: sic in casu posito, cum per Bullam possit constituendo legitimum Cōfessarium facere illum sibi præsentem, non poterit omittere sumptionem Bullæ, quia vt sic perinde esset, ac si confiteretur simplici Sacerdoti, dum est præsens legitimus. 15

Obiectio.

Respondeo negando paritatem inter vnum, & alterum casum; quia aliud est in hac re seruare ordinem ab Ecclesia constitutum; aliud verò inquirere priuilegium, vt talis ordo seruetur: in primò autē casu fateor iuxta illam sententiam, teneri ægrotum sacramentaliter cōfiteri Sacerdoti legitimo, qui ab Ordinario iam est approbatus absque priuilegio ipsius pœnitentis: at in secundo casu non est obligandus pœnitens inquirere priuilegium ad hoc vt Sacerdos ille sit approbatus, cum præsciudendo à tali priuilegio ille approbationē, & iurisdictionem habeat ab Ecclesia: & sic docet *Sāchez tom. p. in decal. lib. 2. cap. 13. nu. 14. in fine* dans hanc doctrinam, quando ægrotus nequit Superiorem adire, vt absoluatur à reseruatis, & concludit non teneri Bullam accipere. 16

Responsio.

Pœnitens nō est obligandus inquirere priuilegium, ad hoc ut Sacerdos sit approbatus.

Quod verò spectat ad secundum casum, licèt non desit, qui obliget pœnitentem ad Bullam capiendam, tamen melius cum *Hēriquez lib. 7. cap. 13. n. 1. Trullench* 17

lench in expositione Bullæ lib.1.§.p. dub.2. num.2. oppositum censeo esse admittẽdum, quia in hoc secundo casu pœnitens poterit ordinario beneficio iuris vti, alterutro ex his modis videlicet, vel confiteri Parocho tacendo peccatum illud reseruatum, vel omnia aperiendo Sacerdoti non habenti iurisdictionem circa reseruata, sed solùm circa alia, & cum onere se præsentandi coram Superiore, quam primum dabitur opportunitas: & sic pœnitens censebitur satisfacere suæ obligationi.

Quibus modis possit vti pœnitens in secundo casu.

Præter hos casus, de quibus locuti sumus, non video alium, qui se offerat, in quo sit dubitatio, an obligari possint fideles ad hanc Bullam capiendam.

SECTIO III.

An sola intentio recipiendi Bullam sufficiat ad eius priuilegia obtinenda.

18 *Explicatur quæstio per varios casus.*

POssumus quæsitum exagitare iuxta varium modum, quo potest casus cõtingere: & primò, si cum intentione capiendi Bullam sit coniuncta impotẽtia ex parte ipsius, qui talem habet intẽtionem: secundò, vt non adsit impotẽtia, sed Titius verbi gratia proponat quã primum illam accipere, licèt nunc possit, si vellet: tertiò, possumus alium fingere casum non ita frequenter contingentem, qui cum sit affinis prædictis, placet illum proponere. ponamus Titium habere intentionem hanc efficacem, & ex vi illius adeat Depositarium, à quo soluta stipe consueta petat Bullam, & Depositarius loco Bullæ consignet Titio aliam scripturam similem, vel Bullam veterem, siue hoc ex errore, siue ex malitia ipsius Depositarij eueniat. in hoc autem casu verè in Titio nõ est nisi efficax illa voluntas, quæ cum à parte rei non sit coniuncta cum suo effectu, remanebit solitaria, videlicet absque reali receptione. quærimus ergo, an in his omnibus casibus, vel saltem in aliquo ex illis Titius lucrari valeat huius Bullæ priuilegia.

19 *Intentio sumendæ Bullæ non sufficit ad eius valorem cõsequendum.*

Dicendum est primò. Sola intentio sumendæ Bullæ non est sufficiens ad eius valorem absq; actuali receptione, siue receptionis negatio oriatur ex negligentia, siue ex impotentia subiecti: sic *Henriquez lib.7.cap.20.ver. (Nunc verò, vt fruatur) Emmanuel Rodriquez §.5. num.1. Aegidius Trullench lib.p.§.p. dub.2. num.3.* probatur manifeste, quia ita disponitur in ipsomet textu tum latino, tum italico, quem attulimus in prima sectione huius capitis; & hoc satis esset ad probandam conclusionem. sed potest etiam confirmari, quia priuilegia nequeunt sortiri effectum, nisi ab ipsomet priuilegiato acceptentur: at sola intentio non est acceptatio, vt de se patet, ergo non sufficit. & hæc quoad prĩmum, & secundum modum, quo ponitur casus euenire.

Sola intentio non est acceptatio priuilegij.

Dicendũ est secũdò, quoad tertiũ esse aliquã dubitationem provtraq; parte, & pro negatiua facit, quia re vera iste talis caret priuilegio, proinde non habet ius ad ea, quæ in Bulla cõcedũtur, & præsertim quoad indulgentias, quæ non acquiruntur, nisi cum effectu ponantur omnes conditiones, quæ in forma concessionis postulantur, sed ad consecutionem gratiarum in hac Bulla contentarum inter alia exigitur receptio ipsius Bullæ, vt vidimus, igitur, nisi sit vera receptio, nequeunt gratiæ istæ obtineri. pro parte verò affirmatiua facit, quod iste talis adimpleuit omnia, quæ ab ipso erant præstanda dando consuetam eleemosynam cum efficaci intentione lucrandi priuilegia Cruciatæ, & accepit scripturam, quamuis inuincibiliter putauerit fuisse Summarium Cruciatæ, proinde præsumendum est, voluntatem Summi Pontificis esse, vt iste talis non maneat defraudatus ab adeptione harum gratiarum. & ideo hanc sententiam, vt probabilem ex quibusdam recẽtioribus admittit *Trullench dub.cit. nu.3.* & hoc fundat in præsumpta Pontificis intentione, & addit, errore comperto teneri hunc talẽ accipere veram Bullã, quin etiam addit, quod si apud Depositariũ nullum inueniat Summariũ, adhuc poterit vti priuilegijs Bullæ, ac si eam accepisset, nã censetur moraliter accepisse. *Hæc Trullench.* 20

Argumenta pro vtraque parte dubitandi in tertio casu.

Dicendum est tertiò. Vt hæc opinio reddatur probabilis, oportet eam meliùs cõfirmare, & efficaciùs suadere, hãc esse Pontificis mentem; quapropter supponendum est, receptionem Bullæ, & stipis solutionem se habere per modum contractus, *Do, vt Des*, proinde si vnus ex contrahentibus adimpleuit omnia, quæ ab ipso erant ponenda; alter contrahens remanebit obligatus ad adimpleudum promissum ex sui parte, & ad faciẽdum quantum in se est, vt illi alteri satisfiat; igitur cum ille, qui dat eleemosynam, iam posuerit id, quod debebat, remanet Pontifex debitor ad ponendum, quod promisit, nempe concessionem gratiarum, & quia in supradictis circumstantijs nequit priuilegia huius Cruciatæ concedere per consignationem veri Summarij, censebitur velle ea cou- 21

Efficacius suadetur pars affirmatiua ex præsumpta mẽte Pontif.

concedere mediante illa receptione externa, per quam, qui eleemosynam erogauit, acceptat Bullam non physicè, & materialiter, sed moraliter. cum igitur talis sit obligatio in Pontifice, præsumendū est de supremo Pastore totius Ecclesiæ, nolle recedere à sua obligatione.

Acceptatio Bullæ moralis in hoc casu videtur satis.

22 Ad illud, quod dicitur de indulgentijs, nego paritatem, quia in casu nostro error caussatur ab ijs, qui sunt ministri ex parte Pontificis, videlicet ex parte Depositarij, qui est minister Commissarij, & hic Delegatus Pontificis; proinde hi omnes faciunt veluti vnum: at in casu indulgentiæ error non prouenit ex parte Pontificis, seu alterius eius ministri, sed ex parte ipsius, qui vult, & existimat esse indulgētiam affixam alicui grano benedicto, &c. vel alicui Ecclesiæ, &c. cum reuera non sit; proinde Pontifex in tali casu non tenetur supplere defectum, sicuti tenetur in primo casu, nimirum in consignatione falsæ Bullæ.

23 Dico quarto, olim satisfuisse inscriptionem nominis in libro Depositarij, vt aduertit *Henriq. lib. 7. cap. 20. num. 5. lit. B.* at iuxta tenorem Bullæ *Pij V. & Gregorij XIII.* quæ hodie viget, non esse satis, quia in ipsomet textu ad lucrandas has gratias prærequiritur actualis receptio; inscriptio autem nominis in libro Depositarij non est receptio, sed testificatio stipis solutæ, & iuris acquisiti ab eo, qui Bullam debet recipere.

Inscriptio nominis acceptātis Bullam vbi sit apponenda.

24 Dices, ipsamet solutio, & inscriptio nominis licèt non sint, neque realiter importent actualem receptionem, nihilominus possunt illam moraliter importare, neque enim ad verificandum me recipere rem aliquam à Titio, oportet, vt materialiter eam recipiam, sed sufficit ciuiliter. & hoc cōfirmari potest quotidiana consuetudine in contractibus, qui stipulantur. videmus autem aliquem per instrumētum publicum à Tabellione cōfectum fateri, se recepisse à suo debitore centum, cum tamen materialiter eos nō recipiat, sed solùm ciuiliter: igitur eodē modo, quamuis erogans eleemosynam non recipiat materialiter, & physicè Bullam, satis erit ciuiliter eam recipere ostendendo per aliquem actum sensibilē, & externum mentem ipsius recipientis.

25 Respondeo, in ciuili receptione esse latitudinem, variisque modis contingere posse: & sic V.G. si Caius Bullam suscepturus soluat pecuniam, eiusque nomen à Depositario in libro authentico notetur, & rursus signetur Bulla, quam Caius recepturus est, quamuis materialiter eam non accipiat, sed illam relinquat penes Depositarium, receptio ista erit ciuilis, & erit sufficiens ad Bullæ fruitionem, quia perinde est, ac si Caius eam conseruaret apud alium, & per accidens erit, vt conseruator sit Depositarius. cæterum si inscribatur nomen Caij in libro, Caius verò non curet, vt Bulla designetur, quemadmodum curare debet, ne defectus in ipsum refundatur, tunc censeo, Caium non posse priuilegijs gaudere, quia, etsi receptio ista aliquo modo vocari possit ciuilis; nihilominus non erit satis ad Pōtificis intentioni satisfaciendum, quia inter alios fines, vt supra vidimus, ad disponendū, vt Bulla recipiatur, vnus fuit, ne alij Simmarium harum gratiarum sibi vsurpare valeant. si igitur Bulla nō designetur, vel ita designetur, vt fraudes nō impediātur, non haberetur finis intentus, ac proinde Caius non posset priuilegia ista lucrifacere. neque tollet difficultatem, si Depositarius sit talis, vt nulla timeatur fraus, nam hoc erit per accidens in casu aliquo particulari: & ideo non destruit vim legis vniuersalis, & maximè, quando finis legis est periculum fraudum, quæ frequenter possent accidere, nisi impediantur, tunc enim licèt in aliquo casu per accidens nullum sit morale periculum fraudis, tamen, quia tale periculum vniuersaliter manet, subsistet finis legis, seu dispositionis; atque adeo perseuerabit ipsa lex, seu dispositio. & hoc in materia legis fusè exagitatur, sufficit in præsentia hoc tantùm tetigisse.

Ciuilis acceptio Bullæ quādo sit satis.

26 Dico quinto. Præter prædicta ad lucrandas has gratias requiritur applicatio, videlicet vt ipse sumēs sibi applicet Bullam. *sic Trullenchlib. 1. §. 1. dub. 2. num. 5. Henriq. cap. cit. num. 3. initio. Suar. in 3. p. tom. 4. disp. 52. sect. 7. num. 5.* & licèt *ipse Suarez* pro opposita sententia *Sotum* citet, tamen Sotus non docet oppositum, neque hoc punctum ibi examinat: probatur autem conclusio à pari. donatio, & beneficium, antequam acceptentur, non sunt efficacia: ergo neque Bulla antequā acceptetur, seu sibi applicetur; par enim est ratio.

Applicatio Bullæ necessaria est sumenti.

27 Ex his conclusionibus deduco, quod si Distributor ad mai⁹ lucrum acquirendū offerat fidelibus Bullas, eosque cogat ad illas sumendas, & ad stipem soluendam, peccaret grauiter, & Bulla inutiliter sumeretur, quia deesset libera acceptatio, & applicatio.

Corollarium ex dictis.

28 Nonnulla superessent dicenda circa receptionem, quæ fit per alium, sed de re hac sufficienter egimus par. 1. loquentes de extensione Bullæ quoad locum, eòque remitto lectorem.

(?)

Franc. Bard. in Bull. Cruc. Ggg C A-

CAPVT II.

De nominis inscriptione, & Bulla conseruatione.

1 QVæsitum cum duas contineat partes, in totidem etiam sectiones diuidendum erit.

SECTIO I.

An sumens Bullam absque inscriptione proprij nominis frustra eam accipiat.

2 RAtio dubitandi habetur ex verbis ipsius textus, quoniam in fine Bullæ plumbeæ post versum, *P anseratas*, sub eodem tenore, sub quo præcipitur, Bullā esse recipiendam, & retinendam, dicitur, vniuscuiusque nomen esse describendū; postquam enim dictum fuit, esse erogandam eleemosynam, habentur hæc verba: *Receperint, receptumq; penes se retinuerint, præfatum typis exensum Bulla Summarium descripto ibidem vniuscuiusque nomine proprio, &c.* & idem etiam monetur in Summario italico. cū igitur ad lucrādas has gratias, vt probauimus, necesse sit recipere, & retinere præsens diplomatis Summarium, erit etiam necessariū inscribere nomen ipsius sumentis, aliter frustra Bulla caperetur, non enim videtur maior ratio vnius, quàm alterius. rursus hoc ipsum habetur in instructione pro administratione, & prædicatione ipsius Bullæ *num.* 12. & refertur à *Perez de Lara in libro illo trium gratiarum, fol.* 222.

3 *Nomē sumētis Bullam inscribere non est vigore necessariū.* Sed dicendum est, ad acquirenda priuilegia huius Bullæ non esse necessariam nominis inscriptionem in ipsamet Bulla. ita docet *Henriquez lib. 7. cap. 20. num. 5. in fine lit. l. Emmanuel Rodriq. §. 12. num.* 16. *Ludouicus à Cruce l. 1. cap. 1. dub. 1. nu.* 4. *Trullench. lib. 1. §. 1. dub. 4. num. 3. Villalob. tract. 27. clauf. 12. num.* 23. probatur autem conclusio, quia inscriptio nominis proprij non videtur præcipi cum tanto rigore, vt per eius omissionē, qui Bullam accepit, soluta stipe, amittat tot gratias, quot sibi per ipsam Bullam conceduntur. & ita est communis existimatio Doctorum, qui verba illa disponentia circa nominis inscriptionem numquam intellexerunt, nisi ex quadam conueniētia, vt mox dicemus. neque potest assignari finis adeo necessarius, tantique momenti, vt deducere possimus dispositionē hanc esse formam, qua deficiente cesset priuilegium, & ideo, vt notat *Villalobos,* sæpè occurrit, vt Depositarius pro vna familia cōgnet viginti, aut triginta Summaria sine nominis inscriptione; & hoc etiam aduertit *Henriquez l. c. in com: lit. K.*

Dicendum est secundò. Expediens est inscribere proprium nomen, & cognomen in ipsomet Summario. ita Authores citati, & hoc ad vitanda incommoda, quæ interdum contingerent: nam quandoque possent duo contendere, Bullam illam esse suam, aut suo nomine captam, & præsertim si in eadem domo morētur, immo poterit quandoque amitti, & ab alio vsurpari in proprium commodum, vt supra adnotauimus. rursus proderit inscriptio ista ipsi sumenti, qui si forsitan in morbum aliquem incidens loquelam amittat, agnoscatur Bullam habere, vt possit illi indulgentia applicari, sepultura ecclesiastica tempore interdicti dari, &c. 4 *Est expediens nomen inscribi.*

Ad rationem verò dubitandi respondeo, quod quamuis tria ista, nimirum Receptio, Retentio, Inscriptio sub eodem verborum tenore nobis proponantur, nihilominus cum sint diuersa, & nō eiusdem ponderis, sunt intelligenda secundùm distributionem accomodam, hoc est dispositionem factam esse iuxta subiectam rei materiam, & vt aduertit *Trull.* verba illa, quibus Commissarius statuit, nomen esse scribendum, consilium, & nō præceptum important. 5 *Receptio, Retentio, Inscriptio non eodem modo vigore sunt accipiendæ.*

Ex his colligitur primò, quod si per errorem nomen, aut cognomen falsum inscribatur, poterit deleri, & scribi nomē verū: neque hoc est mutare, & falsificare Breuia Apostolica, vt asserit *Nauarr. in summa cap. 27. in fine numeri 62. Henriquez in commen. cit. lit. K. Rodriquez in addit. ad §. 12. num. 9. ver. (Secondo si dee notare) Trullench lib. 1. in Bull. §. 1. dub. 2. in fine. & alii.* & ratio est tum quia Sūmaria ista non sunt litteræ Apostolicæ, quas aliquis falsificans incurrit in excommunicationem Bullæ coenæ, sed sunt transumpta litterarum; tum quia, vt benè notauit *Henriquez*, etiam si quis mutet litteram in Bullis Apostolicis ad correctionem ignorantiæ, non committeret culpam falsitatis. 6 *Corollarium ex dictis primū.*

Colligitur secundò, satis esse exprimere nomen appellatiuum, & præsertim si proprium ignoretur, vt habetur ex doctrina *Abb. cap. eum dilectus, num.* 49. *De ord: cogn.* vt si dicas V. G. *Prior talis Monasterij, Arcbiepiscopus Neapolitanus, Panormitanus, Dux, Marchio talis Oppidi, &c.* 7 *Secundum.*

Colligitur tertiò. Si Petrus velit, vt alij ignorent se Bullam accepisse poterit inscri- 8 *Tertium.*

inscribere, Paulus, Fräcíscus, &c. vel aliud cognomen apponere.

9 Colligitur quartò. Si Titius soluta stipe sumat Bullam pro Caio inscio, eiusque nomen in ipso Diplomate inscribat, antequam hoc Caio innotescat, poterit Titius deleto nomine Caij alterum inscribere, & cui, ipse voluerit, Bullã applicare.

SECTIO II.

Vtrum ad acquirendas gratias Bullæ sit necesse secum illam ferre.

10 Existimarunt nonnulli, ad acquirenda priuilegia Bullæ oportere eam secum deferre, quos tacito nomine refert *Ludouicus à Cruce disp.* 1. *cap.* 1. *dub.* 2. *num.* 7. & ipsemet proprijs oculis vidi Sacerdotem quemdam, qui absoluens quamdam mulierem supra eius caput, dũ verba formæ proferebat, erectam tenebat Bullam; sed hæc, & similia ex simplicitate proueniunt.

11 *Satis est Bullam habere domi, etiam in loco dissito.* Dico igitur, ad lucranda huius Bullæ dona satis esse Bullam ipsam domi retinere, & non oportet eam secum gestare, & multò minus manu tangere. est communis opinio, eamque docent *Ludouicus l. c. Henriquez lib.* 7. *cap.* 20. *n.* 4. *Rodriq. in addit. ad* §. 12. *num.* 9. etiam si domus illa sit in alio Regno, & in loco disitissimo, vt notauit *Ludouicus*: sicuti enim dicimus habere domum, prædiũ, &c. quãuis ea sint in alio loco valdè remoto: ita & pariter verificabitur nos habere hoc Summarium, licet illud alibi habeamus.

12 *Obiectio ex paritate lucrandi indulgentias.* Sed contra vrgere quis posset nolesto argumento à pari: nam ad lucrandas indulgẽtias, quæ impositæ sunt granis, imaginibus, coronis benedictis, &c. oportet ea secum gestare: ergo & similiter Bullã; par enim videtur ratio.

13 *Respondetur ex duplici forma concedẽdi indulgentias.* Respondeo dupliciter, iuxta duplicem formam, sub qua concedi possent indulgentiæ rebus prædictis. si enim in cõcessione dicatur, *qui res illas secum defert, vel secum habet, indulgentiã acquirat, &c.* Tunc cessabit difficultas, & paritas, quia dum præscribitur, vt lucraturus indulgẽtiam, imaginem illam, icunculam, &c. secum deferat, simul declaratur modus necessarius ad acquirendam indulgentiam, nempè per veram, & realem earũ rerum gestationem: hoc enim significãt verba illa secum ferre, secum habere, &c. & multò magis id fieri deberet, si in concessione dicatur, qui coronam hanc dicet, quia nequit eam dicere, nisi secum eam ferendo, immo etiam & tangendo. at in nostra Bulla non habetur talis clausula, seu conditio, proinde non est par ratio. maior foret difficultas, si in concessione illius indulgentiæ dicatur, eam lucrari, qui coronam, aut icunculam habeat, & tunc non apponendo particulã illam, secum, decisio erit difficilior, quia verba non indicant apertè realem gestationem, idcirco aliqui censuerunt, in tali casu posse acquiri indulgentiam, quamuis res illa, cui est indulgẽtia affixa, non feratur, sed alibi conseruetur. & hãc opinionem refert *Barthol. à S. Fausto, lib.* 2. *De indulg. q.* 115. sed Authores nõ nominat. oppositam verò sententiã ibidẽ sustinet ipse *Barthol. & apud ipsum Pinellus De indulg. cap.* 11. *quibus addo Vincentium Riccio in addit. ad* §. 12. *num.* 16. *in fine. Ludouicum à Cruce dub. cit. n.* 6. *Henriquez in eodem capite, num.* 4. aio igitur, disparem esse rationem de granis, & similibus indulgentiam habentibus, & de Bulla: & inter res illas, & Bullam disparitatem affert *Ludouicus* inquiens, gratias esse quodammodo per benedictiones affixas granis, seu figuris benedictis, & ideo, nisi quis penes se habeat huiusmodi grana, seu figuras, non consequitur indulgentias: at Summario Bullæ non sunt affixa priuilegia, vt constat, cum ipsum Summarium dumtaxat requiratur ob rationes dictas. *Si dicatur concedi indulgẽtias habẽtibus imagines, &c. an sit par ratio.* *Disparitas allata à Ludouico a Cruce.*

Cæterum responsio ista Ludouici non videtur sufficiens, quia aduersarijs relinquitur locus vlterius vrgendi, probando paritatem, quia verbum illud, Habere, quod dicitur tum de granis, tũ de Bulla, vniformem, respectu vtriusque, habere videtur significationem, & ideo sicuti respectu Bullæ non exponitur strictè, videlicet, vt oporteat priuilegiatus illam secum ferre, sed verificari poterit etiamsi priuilegiatus in quocumque loco illam retineat: ita à pari hoc ipsum verbum, Habere, applicatum granis intelligi potest per hoc, quod grana ipsa in quocunque loco, sub dominio tamen priuilegiati retineantur, & si hoc non erit satis respectu granorum, neque erit satis respectu Bullæ; atque adeo paritas manebit in suo vigore. quapropter opus est, vt efficaciorem disparitatem assignemus ad argumẽtum diluendum. 14 *Non videtur sufficiens.*

Supponenda igitur est triplex illa indulgentiæ species, nempè Localis, Realis, Personalis, de qua *Suarez tom.* 4. *disp.* 52. *sect.* 1. *num.* 3. *& Barthol. à S. Fausto lib.* 2. *De indulg. q.* 4. omnes autem hæ tres indulgentiæ conueniũt in hoc, vt vnaquæque ex ipsis censeatur moraliter inhærere illi subiecto, cui immediatè imponitur: idcirco si erit Localis adhærebit loco, v.g. tali Templo, Ecclesiæ, Altari, Imagini; si verò Realis intelligetur veluti informare res ipsas, eas aliquo modo sacrando, 15 *Triplex indulgẽtiæ species explicatur.* *Localis.* *Realis.*

& sanctificando, & talis est indulgentia concessa granis, calculis, numismatis, &c. demum Personalis inhærebit ipsi personæ, cui est concessa, & tunc ipsamet persona non solùm comparabitur ad indulgentiam tamquam subiectum capax respectu ipsius indulgentiæ, verùm etiam vt subiectum recipiens indulgentiam veluti in actu primo, seu vt caussatiuam effectus remissionis in ipso homine: per illã verò primam habitudinem homo discriminatur ab alijs rebus siue immobilibus, siue mobilibus, quibus indulgentia affigitur: nulla enim res ratione carens comparari potest vt subiectum capax effectus indulgentiæ, vt de se est euidens.

Personalis.

16 *Ad obtinendum fructum cui⁹uis ex ijs indulgentiæ requiritur vsus subiecti, cui inhæreat.*

Rursus supponendum est, ad obtinendum fructũ alicuius indulgentiæ ex enumeratis, necessariò requiri vsum illius subiecti, cui intelligitur inhærere indulgentia, & nõ quemcumque vsum esse ad hoc sufficientem, sed talem determinatum, nempè proportionatum naturæ subiecti, & aptum ad Diuinum cultum augendũ: & ideo quando indulgentia est localis, non acquiritur nisi medio vsu proprio loci consistente in visitatione pia ipsius loci sacri, aut talis imaginis, &c. nam vsus proprius loci sacri nequit esse alius, nisi actio pia pertinens ad Religionem exercita in tali loco: si verò indulgentia erit Realis, videlicet affixa rebus mobilibus, vt sunt grana benedicta, globuli, &c. vsus, per quem indulgentia lucrifit, erit deprecatio, quæ fit per grana, aut globulos illos, quia non potest consistere in visitatione, aut oratione directa ad ipsa grana, & calculos, quoniam non dicimus visitare grana benedicta, adorare Rosarium ex calculis confectum, &c. sed per talia grana, talesque calculos dicimus, Deum, aut Sãctos adorare, vel orare: deniq; si indulgentia erit Personalis, postulabitur vsus ipsius personæ, nimirum actiones aliquæ determinatæ spectantes ad Dei cultum, exercitæ ab ipsamet persona.

Quis hic vs⁹ explicatur.

17 *Habere, tam de granis benedictis, quã de Bulla dictum, iuxta subiecti diuersitatem accipiendum.*

Ex his sequitur verbum illud, Habere, quod in casu nostro affirmatur tum de granis, tum de Bulla, non posse quoad suum significatum vniformiter sumi, sed iuxta diuersitatem subiectorũ, de quibus prædicatur: proinde, si sermo erit de granis benedictis, calculis, &c. sumitur inquantum importat proximam aptitudinem rei in ordine ad vsum propriũ eiusdem rei, de qua ipsum prædicatur; nã per talem vsum, vt asseruimus, indulgentia erit acquirenda; aptitudo autem ista residet in coniunctione quadã ipsius grani cum homine significata per verbum, Habere, & erit diuersa secundùm concessionis diuersitatem, proinde si in forma concessionis præscribatur, V.G. recitatio Rosarij per tales calculos exercenda, oportet recitando percurrere calculos illos, & consequenter eos manu tangere, si verò absolutè dicatur, indulgẽtiã concedi habentibus tales globulos, grana, &c. tunc satis erit quæcunque coniunctio, seu quicunque contactus inter ipsum granum, seu calculum, & hominem, & non oportebit manu, aut digito rem illam tangere. Cæterum dum verbum, Habere, dicitur de Bulla Cruciatæ, importabit solã possessionem, atque adeo in quocunque loco Bulla reperiatur, verificabitur, quod homo illam habeat, & quia lucrum indulgentiæ, & reliquarum gratiarum, quæ in Bulla continentur, non expostulat vsũ Summarij, videlicet materialem vsum illius chartæ, in qua conscripta sunt priuilegia, charta enim illa nullam habet benedictionem, neque illi sunt affixæ indulgentiæ, idcirco verbũ, Habere, quod explicandum est per ordinem ad vsum, quo gratiæ acquiruntur, dum prædicatur de Bulla, non significabit coniunctionem aliquam veram, & realem cum homine, sed solam possessionem, & sic patet disparitas quoad hoc, inter grana benedicta, calculos, imagines, &c. & inter Bullam, et quare sufficiat Bullam habere in quocũque loco, non autem res illas, quibus est indulgentia affixa.

Habere, cum de Bulla dicitur, importat solã possessionẽ in quocunq; loco

18 *Duæ aliæ differentiæ inter indulgentias consequẽdas per Bullã, & per globulos, & icones.*

Ex his apertè colligim⁹ duas alias differentias inter grana habentia indulgentiam, & inter Bullam, nam si quis inueniat coronam benedictã, in cuius vsu cõcessa est indulgentia, eamque recitando percurrat, lucrabitur indulgentiam, vt asserit *Hiron. Gratian. De Iubil. p. 1. ca. 15. apud Perum lib. cit. De indul. q. 114.* quam opinionem ipse amplectitur, & addit *ex Pinello De indul. cap. 11.* eamdem indulgentiam quis adepturus, si habeat iconẽ benedictam ab alio mutuo acceptã; sed ad lucrandas indulgentias Bullæ, cæteraque eius dona non est satis sibi applicare Bullam aduuẽtam, vel illam sub mutuo recipere, quia acceptio, & retentio Bullæ esse debet per possessionem, quæ possessio non habetur per inuentionem, & mutuum; at in granis, iconibus, & similibus satis erit coniunctio supradicta, & ex intentione lucrandi indulgentiã, orare, &c. quoniam non requiritur possessio in rebus istis.

SECTIO

SECTIO III.

Vtrumsi Bulla deperdatur, aliam de nouo oporteat sumere ad eius dona lucranda.

19 *Amissa Bulla absq; culpa eò habentis priuilegia non amittuntur.*

DIcendum est, si Bulla absque culpa ipsius priuilegiati amittatur, comburatur, vel laceretur &c. hoc non obstante ipse priuilegiatus eius donis fruetur. est contra quemdam virum doctum, qui legens hanc materiam putauit per quamcumque Bullæ amissionem extingui eius priuilegia, quæ quidem opinio nouissimè placuit cuidam recentiori, cuius argumenta infra soluemus; attamen nostram sententiam docet *Henriquez lib. 7. cap. 10. nu. 3. lit. z. Emmanuel in addit. §. 12. num. 9. Sebastianus Acosta quæst. 12. ver(secundo requiritur) Gomez clausula 11. num. 13. Villalobos claus. 12. num. 24. Ludouicus à Cruce disp. p. cap. 2. dub. 2. Riccius in addit. ad §. 12 num. 15. 16. Diana parte p. tract. 11. resol. 95. ver. (& ideo)* probatur conclusio, quia cum ex vna parte non sit de substantia priuilegij in communi, vt in scriptis ponatur, & ex alia parte licèt hoc priuilegium in particulari scripturam exigat ex mente Pontificis, vt hæc omnia supra ostendimus, non debet sub alijs oneribus intelligi concessum, nisi sub illis tantùm, sub quibus emanat ab ipso Pontifice: sed nullibi extat conditio ista, vt si deperdatur, expirent eius priuilegia: ergo si Bulla absque culpa amittatur &c. priuilegiatus eius donis fruetur: tota autem difficultas residet in probanda negatione prædictæ conditionis, quæ nullo alio meliori modo demonstrabitur, nisi percurrendo & latinam, & vulgarem Bullam, in quibus, si qua foret dubitatio de opposito, maximè in illis verbis, per quæ dicitur, quod Bullæ Summarium debeat recipi, & retineri, seu conseruari, quod clariùs exprimitur in Summario italico versus finem, vbi hæc verba de ipsa Bulla habentur à Commissario(*Dichiariamo, che quelli, che la piglieranno, habbiano da riceuere, e conseruarsi questo Sommario, e Bolla, che è stampata, sigillata, e firmata di nostro nome, e sigillo, perche d'altra maniera non guadagnano la detta Bolla, ne le gratie di quella*) sed ex his locis non colligitur efficax argumentum contra nos: quia ista duo sunt valde diuersa, nempe conseruare Summarium, & illud inculpabiliter amittere: in Bulla autem statuitur primum, & nihil contra hoc secundum, & cum res sit valde odiosa, scilicet vt quis post solutam stipem, post receptum Summarium, & diligenter custoditum, si casu seu fortuito deperdatur, amittat eius priuilegia, cum inquam hoc sit adeo odiosum, & non requiratur neque à Pontifice, neque à Commissario, conditio illa conseruationis purificabitur, dum Bulla morali diligētia custoditur, & ex his corruit præcipuum aduersariorum fundamentum, quod desumebatur ex verbis ipsius Bullæ. dixi si deperdatur absq; culpa, quia si ex negligentia ipsius sumentis deperdatur, tunc expirabunt priuilegia, & ad illa lucranda opus erit alia Bulla. ita sentiunt Authores prædicti: & ratio huius videtur esse, quia materia conseruationis perit ex culpa ipsius priuilegiati, proinde negatio conseruationis erit in causa culpabili: & sic non videtur priuilegiatus dignus his gratijs, cum nō adimpleat conditionem retentionis, seu conseruationis, & per ipsum steterit, eam non adimpleri, dum diligentiam requisitam ad seruandum Summarium nō adhibuit.

Conseruari Bulla cēsetur, cū morali diligentia custoditur.

Secus, si amittatur ex negligentia.

Dices, perinde videri quoad hunc effectum fruendi priuilegijs amittere inculpabiliter, ac culpabiliter: ergo vel in vtroque casu dicendum erit, extingui priuilegia Bullæ, vel in neutro. 20 *Obiectio prima.*

Respondeo negando antecedens, quia cum sumēs Bullam teneatur tractu successiuo hanc seruare conditionem; nempè retinere Summariū, dū propria culpa se impotentem reddit ad illud conseruandum, non censetur conditionem ponere, secus, quando amissio erit inculpabilis. 21 *Soluitur.*

Dices secundò. Etiam si amissio sit inculpabilis, nihilominus eo ipso quod Bulla amittitur, Pontifex nequit consequi finem, saltem adæquate, ob quem præcepit, vt Summarium accipiatur, & conseruetur; finis autem inter alios erat, ne quis eam sibi vsurpare valeat: at finis iste eodem modo redditur impossibilis, siuè amissio procedat culpabiliter, siue inculpabiliter. 22 *Secunda.*

Respondeo, materialiter ita esse, sed Pontifex noluit priuare aliquem his priuilegijs sine culpa priuilegiati, etiam si inconueniens illud vtroque modo euenire possit. 23 *Soluitur.*

Maneat igitur ex dictis verbum illud, retinere, aut conseruare non esse sumendum cum tanto rigore, vt semper postulet priuationem priuilegiorum in amittente.

Quæres, an quælibet negligentia etiam leuis sufficiens sit ad extinctionem horum priuilegiorum, si Bulla ob illam negligentiam amittatur. 24

Respondeo, debere esse crassam, & ideo si negligētia erit tantùm leuis, puto, priuilegiatum non amissurum ius suum 25

ad

ad fruendum priuilegijs Bullæ amissæ: & ducor ad hoc, quia non est præsumendum, quod pia mens Pontificis sit talis, vt velit priuare fideles tot priuilegijs ob minimam, seu leuem negligentiam ad rectè custodiendum hoc Summarium: & confirmari hoc potest per argumentum deductum ex fortioribus terminis: nam in materia de iustitia negligentia leuis non transcendens culpam venialem nō obligat hominem ad restitutionem, immo, vt probabilior vult opinio, nō obest præscriptioni: dicendum igitur est, si quis non adhibeat diligentiam sufficientem ad Bullam custodiendam, sed negligentia, arbitrio prudentum, censeatur leuis, poterit priuilegiatus vti gratijs Summarij deperditi, & hæc sufficiant pro intelligentia Bullæ, quæ viuorum vocatur.

Negligentia leuis prudentum iudicio in conseruanda Bulla nō obstat, quin si amittatur, possit prodesse ad priuilegia.

26 Pro complemento autem huius tractationis addo clausulam, quæ reperitur immediatè post paragraphum vltimum, in qua refertur concessio Gregorij XIII. nempè hanc Bullam sumi posse bis eodem anno, & ideo bis sumentem cōsequi posse omnia indulta, & priuilegia Bullæ. litteræ huius concessionis datæ fuerunt Romæ die V. Martij 1572. anno secundo Pnotificatus eiusdem Gregorij.

IN PARAGRAPHVM 18. & 19.

27 Declarauit Pontifex in præcedentibus paragraphis dona fidelibus intuitu huius Cruciatæ concessa: & hoc vsque ad paragraphum decimum septimum inclusiuè; nunc verò in paragrapho decimo octauo fit mentio de reuocatione facta à Pio V. in ordine ad quasdam litteras à se ipso editas sub VIII. Kalendas Iannarij, anno tertio sui Pontificatus, quæ quidem litteræ pertinebant ad vsum huius Bullæ, & circa reuocationem istam nihil quod ad nos faciat, occurit dicendum.

Quid cōtineatur in Paragr. decimo octauo.

28 In Paragrapho autem decimo nono præcipit Pontifex in virtute sanctæ obedientiæ omnibus Ordinarijs, Episcopis, Archiepiscopis illorum Regnorum, Insularum, Terrarum, Oppidorum, & Dominiorum, in quibus Cruciata viget, vt applicent huic sacræ expeditioni omnes pœnas pecuniarias, etiam loco corporalium, durante anno publicationis Bullæ, imponendas, & exigendas. & quoad quātitatem harum pecuniarum decernit Pontifex standum esse assertioni dictorum Ordinariorum, quorum conscientias onerare voluit. Hæc, & quædam alia continentur in hoc decimo nono paragrapho: de hoc autem præcepto pauca dicit *Roariquez in fine Bullæ viuorum*, & *Villalobos tract. 27. clauf. 14. num. 23.* sed fusè de illo agit *Sebastianus Acosta in expositione Bullæ incipiens à quæst. 82. vsq; ad 90. exclusiuè.*

Quid in decimo nono.

Circa hoc præceptum nonnulla veniunt consideranda: & primò possumus inquirere, quid veniat sub nomine Ordinarij. 29

Ordinarij nomine quid cōtineatur.

Respondeo, venire non solùm Episcopos, sed Prælatos superiores, vel inferiores Episcopo, qui habent ordinariam iurisdictionem iuxta materiam sibi proportionabilem. sic *Barbosa De appell. verb. appel. 176. num. p.* quod & Iuribus, & Doctoribus confirmat. ex hac descriptione Ordinarij deduco eos, qui huic Pontificio præcepto subduntur. 30

Et primo, obligantur applicare pœnas prædictas Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi: neq; obstant huic decisioni verba huius paragraphi, per quæ Episcopi, & Archiepiscopi tantùm specificātur, quia hi nominantur demonstratiuè, non taxatiuè: nam antea appositum fuit verbum vniuersale, *omnes Ordinarij.* 31

Secundo, veniunt Legati Apostolici, Nuntius Pontificis, nam hi habent iurisdictionem in se radicatam sub forma officij per se stantis pro tempore legationis. sic *Acosta quæst. 83.* 32

Tertio, venit Magister Ordinis militaris, Conseruatores Religionum nō quicunque, sed illi tantum, qui dati sunt iuxta priuilegia Mendicantium, nam hi amplam habēt iurisdictionem in Regulares; proinde excluduntur Conseruatores instituti per quinquennium, iuxta formam *Concil. Trid. sess. 14. cap. 5. De reformat: sic Acosta quæst. 87.* 33

Quarto, veniunt Abbates, qui habent iurisdictionem quasi Episcopalem, nam hi continentur sub nomine Ordinarij. 34

Quinto, non comprehendi Iudices delegatos sustinet *Acosta quæst. 82.* id probat, quia in Bulla de Ordinarijs est sermo, nō autem de Delegatis, licèt non desit aliquis, qui etiam hos Iudices includat, sed puto esse admittendum id, quod tenet *Acosta.* 35

Sexto, venit etiam Capitulum sede vacante, quia est loco Ordinarij habens potestatem eamdem, quā habebat Episcopus de iure ordinario; & vt aliqui aiunt, venit etiam Vicarius Generalis. 36

Septimò, venit etiam Archimandrita Messanensis, quia habet ordinariam iurisdictionem, & demum quicunque alius similis. 37

Dubitatio autem est, an sub hoc præcepto comprehendatur ipse Commissarius Generalis Cruciatæ. Respondet *Acosta* 38

sta quæst. 85. in rigore non esse obligandum, quia Commissarius est Iudex Apostolicus delegatus, Bulla autem loquitur de Ordinarijs locorum; tamen postea addit ex consuetudine, & conuenientia debere has pœnas applicare, & hoc ipsum debere iniungere Commissarijs subdelegatis.

39 Secundo quærere possumus, an Ordinarij teneantur vi huius præcepti mutare pœnas corporales in pecuniarias, vt hæ applicentur thesauro Cruciatæ.

40 Respondeo negatiuè, quia talis permutatio foret in perniciem Reipublicæ, si malefactores sibi persuaderent à delictis patratis posse medijs pecunijs se liberare: loquitur igitur Pōtifex in hoc præcepto, dū inquit, *omnes pœnas pecuniarias, etiam loco corporalium*, de illis pœnis corporalibus, quæ rationabili causa commutatæ sunt in pœnam pecuniariam.

Ordinarijs [illegible] mutare pœnas corporales in pecuniarias.

41 Aduertendum hic est, quandam emanasse cedulam à Rege Philippo III. pro Prælatis Indiarum, & Insularum adiacētium: per hanc autem cedulam concessit gratiosè Prælatis, vt solùm medietatem harum pœnarum in fauorem ipsius Regis applicent. cedula ista data fuit Segouiæ die 29. Augusti anno domini 1609. & refertur ab *Alonzo Perez Delara in lib. p. trium gratiarum in instructione pro Indijs fol.* 263. *num.* 18. & vlteriùs *num.* 20 dat facultatem Commissario subdelegato, vt valeat conuenire cum prædictis Prælatis, vt ipsis soluentibus certam pecuniarum quantitatem relaxetur medietas illa pœnarum; debet autem pars harum pœnarum applicari accusatori, qui Cōmissario denuntiat, ab Ordinarijs applicationem hanc omissam fuisse. *sic Acosta quæst.* 89.

Tertio quærere possumus, an Prælati nō applicantes pœnas istas modo explicato non solùm grauiter peccent, sed etiam teneantur ad restitutionem. 42

Respondeo affirmatiuè: ratio est, quia Pontifex in hoc eodem paragrapho expressè statuit, vt nunc pro tunc pœnæ prædictæ sint applicatæ thesauro eiusdē expeditionis, proinde Ordinarij, qui non applicant, lædentes ius quæsitum thesauro tenentur illud resarcire restituentes pecuniam à se ipsis retentam, & non applicatam, & hanc opinionem docet *Acosta quæst. cit. & Rodriq. vbi supra.* 43

Hæc autem, quæ à nobis discussa sunt circa præceptum impositum Prælatis à Pontifice, locum habent iuxta tenorem Cruciatæ. vtrum autem ista applicatio sit in vsu, & an oppositum sit à Prælatis legitimè præscriptum sciente, & tacitè approbante Rege, & Summo Pontifice, remitto me iudicio prudentum. 44

PARS

PARS TERTIA

DE HIS, QVAE SVB GENERALIS COMMISSARII POTESTATE CONTINENTVR.

A Paragrapho vigesimo vsque ad trigesimum primum inclusiuè, qui est omnium postremus, dirigit Summus Pontifex sermonem ad Commissarium Cruciatæ, quamplures illi elargiendo facultates, de quibus in hac tertia Parte acturi sumus: omittimus autem, quæ habentur in §. 20. quia cõtinent materiam spectantem ad Bullam Compositionis, de qua infra loquimur, & incipimus à §. 21. vsq; ad finem.

TRACTATVS I.

IN QVO COMMISSARII MVNIA pro foro externo declarantur.

Duplex residet in Commissario iurisdictio, spiritualis, & temporalis, illa à Christi Vicario; ista verò à Rege Hispaniarum cõmunicatur: proinde aliqua, in qua ipse Cõmissarius suam exercet potestatem, pertinent ad forum contentiosum; aliqua verò ad forum conscientiæ, & ad iurisdictionẽ gratiosam, seu voluntariã, vt vocãt: sicuti in progressu huius Partis videbimus.

CAPVT I.

De Iurisdictione in ea, quæ promouent, aut impediunt vsum Cruciatæ.

SECTIO I.

Quare Præses Tribunalis Cruciatæ vocetur Commissarius, & de eius Subdelegatis, & ministris.

1 POsset quis à nobis huius Bullæ tenorem explanantibus studiosè inquirere, cur supremus Iudex Tribunalis Cruciatæ non vocetur nomine, quod dignitatem præsefert, sed potius nomine, quod humilitatem sonat, & cum ipse in tribunali isto primum locum habeat, & reliqui eiusdem tribunalis eidem sint subiecti, & ob hoc potuerit appellari Præses, qui dignitatẽ, & excellentiã importat, tamen appellari voluerit Commissarius: huius rei rationem solùm apud *Alphonsum Perez De Lara in compẽdio trium gratiarum lib. 1. fol. 17.* explanatam reperio: inquit enim ipse, ita factum fuisse,

quo-

...missarius vocetur ... Tri... Cru...

quoniam sic videbat conuenire statui ecclesiastico, cuius professores quæ humilia, & non quæ mundi huius fastum redolent, sectari debent: proinde Commissarius cum dicatur ab eo, quod illi aliquid exequendum imponitur, atque adeo subordinationem significet, idcirco noluit supremus iste noster Officialis nominari Præses à præminẽtia, seu præsidentia, quam habet in Tribunali Cruciatæ, sed Commissarius à commissione sibi imposita. confirmat hoc idem *Perez* triplici exemplo: & primo ex Apostolis, qui cum in Ecclesia obtinuerint dignitatem adeo sublimem, nũcupati sunt Apostoli, idest nuntij, quod significat subiectionem ad illum, à quo mittuntur tanquam nuntij. secundo Summus Pontifex vocat se Episcopum, qui dicitur speculator, & addit, se esse seruum seruorum Dei. tertio supremus Inquisitor Generalis contra hæreticam prauitatem sumpsit nomen ab officio humili, quale est inquirere: & sic in alijs ostendi posset. Sed hæc quoad nominis etymologiam sufficiant: deueniendo autem ad secundam huius quæsiti partem

2 *...testas subdelegandi in Commissario.* Dico, posse Cõmissarium Generalem subdelegare alios Commissarios in illis Regnis, aut Prouincijs, in quibus ipse iudicabit ita expedire: rursus posse instituere plures ministros sibi subordinatos, videlicet Assessores, Secretarios, Fiscalẽ, Notarium, Executores, Perceptores earum pecuniarum, quæ in fauorem huius Cruciatæ sunt applicandæ. præterea Porterios, Sollicitatores, & alios Officiales, quos enumerat *Perez loc. cit. fol. 19.* & ideo ex multis his ministris adiuncto ipso Cõmissario tamquam capite integratur totum Concilium Cruciatæ.

SECTIO II.

De eius auctoritate in Ordinarios locorum, & in indulgentias, & facultates extra Bullam.

3 *...testas ... ... Ordinarios ... ...rum.* CONcedit Pontifex in hoc eodem paragrapho plenam potestatem Cõmissario, vt inquirat, an Ordinarij locorum omittant applicare pecunias illas perceptas ex pœnis huic sacræ expeditioni, vt supra declarauimus, & reperiens Prælatos negligentes esse, eos compellat ad executionem adhibendo, si opus erit, etiam monitoria, & censuras.

4 *Procedendi contra delinquentes in Cruciatam.* Rursus imponitur ipsi Commissario, vt procedat contra patrantes aliquid in præiudicium huius Cruciatæ. & hæc de prima parte quæsiti: circa secundam verò partem fusè erunt multa examinãda, sed priusquam descendamus ad particularia, est præmittenda facultas ipsi Commissario in alias indulgentias extra Bullam concessa.

In paragrapho igitur vigesimo primo dat Pontifex Commissario facultatem suspendendi durante anno publicationis omnes indulgentias, & gratias extra hãc Bullam siue similes, siue dissimiles, & iterum easdem reualidãdi pro ijs, qui Summarium Cruciatæ accipiunt. 5 *Suspendendi indulgẽtias, et gratias extra Bullã, & eas reuocandi.*

Finis autem, quo ductus fuit Pontifex ad hanc potestatem concedendam, fuit promotio ipsius Cruciatæ: nam si aliqui haberent priuilegia, per quæ concederẽtur gratiæ aliquæ similes, aut aliquo modo dissimiles ijs, quæ continentur in hac Bulla, tunc priuilegiati abstinerẽt à sumptione Cruciatæ; contra verò, si eorum priuilegia suspensa remanent, & debent reualidari per receptionem Cruciatæ, libentiùs, & faciliùs mouerentur ad eam capiendam. 6 *Cur concessa hæc potestas.*

Potestas autem ista, quam Summus Pontifex dat Commissario in ordine ad suspendendas has indulgẽtias, est amplissima, quia extenditur ad Breuia, etiam si includant clausulas aliquas facientes contra hanc suspensionem, attamen non est hoc ita rigidè sentiendum, vt nulla reperiri valeat clausula, contra quam suspensio ista nihil faciat. ex hoc enim sequeretur, quod Pontifex non posset concedere indulgentiam ita firmam, vt nequeat per Cruciatam suspẽdi: hoc autem asserere, esset error, quia omnia ista priuilegia, sicuti & ipsa Cruciata depẽdent totaliter à libera Summi Pastoris auctoritate, ita vt ad sui beneplacitum possit & omnia, & aliqua ex illis reuocare, aut modificare, &c. sed hoc est intelligendum de clausulis ordinarijs, quæ secundùm verborum corticem videntur aliquo modo repugnare potestati Commissario concessæ; & ideo non sine caussa Pontifex appouere voluit in cõcessione huius potestatis particulam illam, *aliquas*, non enim absolute dixit, *etiamsi includãt clausulas, &c.* sed locutus est veluti limitatè, dicens, *clausulas aliquas.* particula enim ista videtur in subiecta materia esse diminuens. dico igitur, in hac re esse attendẽdas clausulas derogatorias tum Bullæ suspendentis, tum alterius Breuis, & põderare, an in Breui isto reperiantur derogationes tales, quæ afficiant ipsam Cruciatam, & suspensionem faciendam à Commissario; an verò reperiantur clausulæ ordinario modo derogantes, seu speciales, aut non attingentes vim Cruciatæ. alia regula certior dari nequit, quia Breuia à Pontifice emanantia sunt varia, & 7 *Quam sit ampla.*

& ideo sufficit, generaliter loquẽdo, prædictam regulam proposuisse: in casibus verò particularibus vnumquodq; breue est considerandum modo explicato.

8 *Quæ sit vniuersalis quoad loca.* Præterea est attendenda vniuersalitas huius facultatis tum quoad loca, tum quoad gratias ipsas. si autem respiciamus eius amplitudinem localem, aio, se extẽdere ad quascunque Ecclesias, Monasteria, Hospitalia, aut alia pia loca, & pariter ad Vniuersitates, Confraternitates, & singulares personas, in omnibus Regnis, Dominijs, Oppidis, &c. in quibus Cruciata promulgatur: sic habetur in hoc eodem paragrapho vigesimo primo. amplitudo verò huius potestatis quoad gratias ipsas suspendendas in particulari declarabitur in capite sequente.

9 *Quãdo intelligantur suspensa indulgẽtia per potestatẽ Commissarij.* Cæterum ex vi huius concessionis non statim suspendentur gratiæ suspendendæ, quia in hoc paragrapho Pontifex nullum habet verbum, per quod gratias ipsas suspendat, cum aliud non faciat, nisi conferre Commissario potestatem suspendendi, ideoque, si de facto Commissarius non procederet ad actum secundum, gratiæ illæ remanerent in sua efficacia, & robore; idcirco Commissarius expressè in fine Bullæ plãbeæ latinæ declarat, se vi potestatis traditæ à Sũmo Pontifice suspendere durante anno prædicationis, & publicationis huius Cruciatæ omnes similes, & dissimiles gratias, indulta, & facultates, quæ à Summis Pontificibus concessæ sunt in locis prædictis. incipit suspensio ista ab illis verbis: *prointe Nos Præfatus D. Franciscus à Soto, &c.* & sortitur effectum à die, qua promulgatur Cruciata.

CAPVT II.

Declarantur gratiæ, quæ huic suspensioni subiacent, & quæ ab illa eximuntur.

1 QVamuis potestas, quam Pontifex Cõmissario tribuit ad prædictam su[...]ionem peragendam, sit valdè vniuersalis, nihilominus nonnullas admittit exceptiones, vt in sequentibus exponemus: in hoc autem capite solùm attendimus suspensionem istam in ordine ad sæculares; postea verò considerabimus illam in ordine ad Regulares.

SECTIO I.

De gratijs in particulari, quæ suspenduntur.

DVæ sunt præmittendæ regulæ, veluti duo principia, ex quibus deduci possunt vtriusque generis gratiæ: ex his autem duabus regulis illam, ex qua inferimus gratias suspendendas, ponimus in hac sectione; de alia verò regula, ex qua colligimus gratias, quæ suspensioni non subduntur, erit sermo in sequente sectione. 2

Dicendum est igitur. Omnes gratiæ, quæ impediunt vsum intentum per Cruciatam, suspenduntur sic expresse colligitur ex litteris suspensionis, quæ sunt in fine Bullæ, in quibus Commissarius Generalis declarans motiuum huius suspensionis sic inquit: *Eadem auctoritate Apostolica nobis per præfatas litteras concessa, ne adeo pium, & sanctum opus disturbetur, & impediatur per alias indulgentias, gratias, facultates, & concessiones suspendimus durante anno prædicationis, & publicationis huius Cruciatæ omnes similes, & dissimiles gratias, &c.* & sic patet, gratias illas suspendi, quæ impediunt pium Cruciatæ opus, & ideo 3 *Regula pro cognoscendo quæ gratiæ suspendantur à Commissario.*

Colligimus primo, suspendi facultatem assistendi Diuinis, aut celebrandi tempore interdicti, nisi in casibus permissis. secundo, priuilegium sepeliendi defunctos in loco sacro eodem interdicto durante. tertio, priuilegium ad absoluendum à reseruatis. quarto, facultatem comedendi carnes, & lacticinia debus prohibitis. quinto, indulgentias concessas locis sacris, & pijs, & personis particularibus. sexto, potestatem se componendi pro incertis, & turpiter acquisitis. septimo, priuilegia huic Bullæ contraria, licèt sint in corpore iuris inserta, si qualificata non sint, nempè si clausulam non habeant, per quam dicatur in reuocatione esse de illis faciendam specialem mentionem: si autem non sint ita qualificata, quamuis de illis mentio non fiat, intelliguntur suspensa, quia cum sint in corpore iuris, censentur non ignorari à Principe, immo censentur conseruari in scrinio pectoris Principis, vt dicitur *cap. 1. De constit. in 6.* & sic docent Authores de his priuilegijs non qualificatis *Io. Andr. cap. ex parte 1. de Decimis. Panorm. & alij scribentes in cap. 1. De Rescrip. Ripa ibi. Menoch. De præsumpt. lib. 6. De priuil. cap. 1. num. 43.* secus autem erit dicendum de priuilegijs in corpore iuris, sed qualificatis, quæ vltra dispositionem habent clausulam derogatoriam, & resistentem. intelligitur etiam suspendi confue-

4 *Explicatur in particulari.* *Priuilegia qualificata quæ dicantur.*

suetudinem Cruciatæ contrariam: nam consuetudo cum se habeat tamquam communis lex, quæ per posteriorem legem contrariam abrogatur, sic etiam & consuetudo, quæ se habet vt lex, suspẽdetur per Cruciatam. Hæc autem omnia indulta obtenta per aliquod priuilegium particulare à Pontifice cum impediant, seu retardent vsum Cruciatæ, suspendũtur à Cõmissario, siue priuilegium istud particulare sit omnino simile, siue aliquo pacto dissimile ipsi Cruciatæ: dicitur autem simile inquantum cõtinet eamdem gratiam: appellaretur verò dissimile, si modus executionis esset diuersus E. C. conceditur per Bullam facultas sepeliẽdi in loco sacro cum pompa moderata tẽpore interdicti, si Pontifex alicui daret priuilegium, vt ipse, sui consanguinei, familiares, &c. eadem gratia fruantur, sed sine vlla pompa, priuilegium istud diceretur aliquo pacto dissimile, quatenus per ipsum non permittitur sepeliri cum pompa moderata, sicuti conceditur per Bullam, si verò adderetur etiam cum pompa, tunc foret omnino simile: & sic discurrere possemus per alia dona, & indulta, quæ in hac Bulla clauduntur: & de his non est controuersia: dubitatio autem est, an indulgentiæ concessæ granis benedictis, calculis, imaginibus, &c. suspendantur per Cruciatam? negat *Ludouicus à Cruce in expositione Bullæ disp. p. cap. 9. dub. p. num.* 13. & assignat rationem inquiens, huiusmodi indulgentias non concedi singularibus personis, nec Monasterijs, Ecclesijs, &c. sed toti populo christiano, seu cunctis fidelibus, proindenon comprehendi sub illis, quæ per Bullam suspenduntur; & hanc eamdem sententiam sequitur *Vincentius Riccius in addit. ad* §. 12. *num.* 2. *vbi citat aliquos, sed Rodriquez* §. 12. *in Bull. num.* 11. *Trullench lib.* 1. §. 9. *dub. p. num.* 2. contrarium sustinent, videlicet has indulgentias suspendi, quia Commissarius Generalis loquitur de omnibus indulgentijs concessis locis, aut personis.

Indulgentias concessas granis benedictis & similibus suspendi negant alij.

Alij affirmant.

5 *Alij distinguunt.*

Possumus referre aliam mediam sententiam: nam aliqui distinguunt indulgentias istas vt concessas ad instantiam, & petitionem alicuius, & vt concessas Motu proprio ab ipsomet Pontifice, loquendo de primis aiunt, suspẽdi per Bullam, non autem suspendi secundas.

6 *Sententia affirmans omnes suspendi conformior menti Põtif. atq; ita probabilior.*

Has autem sententias existimo probabiles, sed censeo intentioni Pontificis conformiorem esse eam, quæ asserit, per publicationem Cruciatæ suspendi omnes istas indulgentias: & ratio, quæ me mouet, est, quia ex vna parte hæ indulgẽtiæ impediunt aliquo modo vsum Cruciatæ; ex alia verò parte videntur contineri sub indulgentijs, quæ singularibus personis conceduntur, atque adeo suspẽduntur. neque valet id, quod pro se adducit *Ludouicus*, videlicet esse concessas populo christiano, quia populus christianus ex personis constat, proinde esse concessas personis, & esse cõcessas populo christiano idem importat. Rursus illa opinio, quæ distinguens affirmat de illis, quæ ad instãtiam alicuius, & negat de ijs, quæ Motu proprio sunt concessæ, mihi videtur non habere solidum fundamentum: nam concessio ex Motu proprio non excludit ea, quæ sunt necessaria ad lucrandum indulgentias: & quoniam ponimus vt quid necessariò prærequisitũ sumptionem Bullæ, idcirco concessio facta Motu proprio non videtur excludere sumptionem Bullæ.

SECTIO II.

De Gratijs, quæ per Cruciatam minimè suspenduntur.

Hactenus locuti sumus de priuilegijs, & indultis, quæ per huius Bullæ publicationem suspenduntur; nunc conueniens est, vt declaremus illa, quæ prædictæ sumptioni nequaquam subduntur. 7

Dico primò. Priuilegia, quæ sunt per modum contractus non suspenduntur per hanc Bullam, quia clausulæ generales etiam expressæ, nisi dicant reuocari ipsa priuilegia, etiam per modum contractus, non erunt sufficientes ad hoc vt reuocent talia priuilegia. cum autem per Bullam Cruciatæ nullũ priuilegium concessum per modum cõtractus reuocetur; ergo neque suspenditur, quia adstringitur Princeps ad pacta seruanda, nisi talis adsit causa, vt non obstante pacto debeat reuocare, aut suspendere priuilegium. idem puto dicendum de priuilegio concesso intuitu meritorum, & per modum remunerationis; quia hoc reducitur ad priuilegium per modum contractus. Vide de hac re *Suarez lib.* 8. *De matr. disp.* 33. *à nu.* 3. *& Merollam De priuil. disp.* 6. *cap* 7. *num.* 166. 213. 214. loquentes de horum priuilegiorum natura. 8

Regula secũda cognoscẽdi quæ priuilegia nõ suspẽduntur.

Dico secundò. Si aliquod priuilegium cõtinet clausulam, vt nequeat reuocari, nisi de illo fiat specialis mentio, non suspenditur per hãc Bullam. probatur quia in hac Bulla dum conceditur facultas suspendendi omnia indulta contraria, non habetur clausula resistens illi speciali clausulæ. 9

Dico tertiò, per Cruciatam non suspẽ- 10

di quæcunque alia priuilegia circa materias diuersas ab illis, quæ in ipsa Cruciata continentur. sic *Henriq. lib. 7. cap. 21. nu. 1. 2. Rodriq. in §. 12. num. 1. Trullench lib. 1. §. 9. dub. p. num. 3.* & ratio est in promptu: nam talia priuilegia cum diuersam claudant materiam, nequeunt vsum Bullæ impedire, & ideo non suspenditur priuilegium alienandi bona ecclesiastica, testandi, neque priuilegium circa recitationem horarum canonicarum, quoad substantiam, & modum, neque priuilegium retinendi plura beneficia ecclesiastica, aut dispensandi in irregularitatibus, aut in votis reseruatis commutandis, ad quæ huius Bullæ efficacia non extenditur, & sic in multis alijs, quæ excogitari possunt: hæc autem à nobis allata in exemplum deducta sunt: semper autem præ oculis haberi debent prædictæ duæ regulæ, ex quibus vtrumque gratiarum genus illatum fuit.

SECTIO III.

Declaratur potestas Commissarij ad reualidandas gratias suspensas.

11 IN paragrapho vigesimo secundo conceditur Commissario facultas reualidandi gratias suspensas ab ipsomet Commissario his verbis: *Item dicto Commissario etiam conceditur facultas, vt ipse per se, vel per alium, seu alios, quando, & quoties sibi videbitur, indulgentias, & alias gratias per eum suspensas, in fauorem illorum, qui præsentium gratiarum in hanc caussam pro Religionis defensione concessarum, participes effecti fuerint reualidare absq; alio præmio possit.* in hac communicatione potestatis aliqua breuiter sunt ponderanda: & primo, à Pontifice concedi hanc facultatem Commissario, vt possit ipse Commissarius etiam per alios pristinum valorem conferre indulgentijs, & gratijs concessis: & sic Commissarius ad hoc munus exequendum potest subdelegare potestatem hanc vni, aut pluribus, prout sibi placuerit: expedit tamen, vt id faciat in singulis Prouincijs, in quibus promulgatur Bulla, & hoc per Commissarium subdelegatum, qui gerit vicem Commissarij Generalis in tota aliqua Prouincia. secundo notandum est, reualidationem hanc non tantùm semel, sed toties quoties fieri posse à Commissario Generali, prout sibi videbitur, hoc est iuxta ipsius prudens arbitrium. tertio, facultatem reualidandi solùm se extêdere ad gratias suspensas non à quocunq; sed ab ipso Commissario, vt patet per illa verba, *per eum suspensas.* quarto, reualidandæ sunt gratiæ

Quibus in recepta sit potestas reualidandi gratias suspensas Commissario communicata.

istæ in fauorem tantùm eorum, qui effecti sunt participes indultorũ huius Cruciatæ, hoc enim genus personarum, & non aliud exprimitur: hi autem participes facti sunt gratiarum Cruciatæ, qui vel immediatè per se ipsos, aut per alios, aut deniq; eleemosynã erogando subsidium huic sacræ expeditioni præstiterũt. quinto admonetur Cõmissarius, vt reualidet absq; alio præmio, seu mercede: proinde si ipse aliquod munus recipiat, grauiter peccabit, si munus erit in quantitate sufficiente ad peccatum mortale, immo simoniam cõtra ius Diuinum committet: nam actus reualidandi est quid spirituale, sicuti est cõcessio ipsarum gratiarum; idcirco pro tali actu nequit recipi aliquod temporale. proinde vltra peccatum erit obligatio restituendi acceptum: & si dicas, receptionem muneris non esse simoniam contra ius Diuinum, quia Pontifex neque posset pro concessione Bullæ aliquid temporale postulare, si inquam hoc dicas, respondeo, nullam esse paritatem, quia Pontifex, vt diximus parte præcedente, eleemosynam, quæ datur applicat, & dirigit in finem spiritualem, nimirum in subsidium belli contra infideles pro cõmuni bono Christianæ Religionis, & sic erit quid spirituale, quod permutari potest pro alio spirituali accedente consensu Pontificis absque simonia. Et hæc dicta sunt pro intelligentia huius paragraphi.

Habita autem tali potestate Commissarius procedit ad eius executionem; ideoq; valorem restituit gratijs priùs suspensis, vt patet in declaratione facta ab ipsomet, & extat in fine Bullæ plumbeæ his verbis: *Insuper in fauorem huius præsentis concessionis, & Cruciatæ declaramus, vt quicunque Summarium huiusmodi Bullæ, sermone, & idiomate vulgari cõscriptum acceperint, omnes fruantur, potiantur, & gaudeant omnibus gratijs, indulgentijs, iubileis, peccatorum remissionibus, ipsis, tam per S. D. N. Gregorium XIII. quã per alios Summos Pontifices, aut sedem Apostolicam cõcessis, quæ scilicet omnia Nos idẽ Cõmissarius Generalis, vigore facultatis, & Commissionis Apostolicæ per varias, & diuersas litteras nobis attributæ, & concessæ, damus, & in pristinũ statũ reducimus, & restituimus.* post hæc statim ipse Cõmissari⁹ subdit aduertẽs nõ esse suæ intẽtionis reualidare priuilegia, facultates, & indulta, quæ sunt Cruciatæ cõtraria, & quæ in eadem Cruciata exprimuntur; nam reualidare has facultates Bullæ oppositas, foret destruere ipsam Cruciatam, proinde ea omnia, quibus per clausulas derogatorias in hoc Diploma te cõtentas derogatũ est, 12

Executio huius potestatis.

ma-

manent derogata. & contra, priuilegia Bullæ nullum habent valorem, V. G. si quis facultatem habet eligendi Confessarium non approbatum ab Ordinario, tali priuilegio, seu facultate non poterit vti priuilegiatus ex vi reualidationis, quia continet aliquid contra ea, quæ in Cruciata exprimuntur, in qua præscribitur eligendum esse Confessarium ab Ordinario loci approbatum. dixi ex vi reualidationis, quia ex vi concessionis poterit validus esse vsus talis facultatis.

SECTIO IV.

De indultis, quæ reualidantur.

13 Circa dona, quæ in pristinum valorē reduci possunt, aliqua est inter Authores dubitatio, nunc à nobis proponēda. & vt firmiùs in hac re discurramus, sequens regula erit semper attendenda.

14 *Quid sit reualidare indulta, & de quibus dicatur.* Dico igitur primò. Illa tantùm indulta reualidantur à Commissario, quæ ab eodem fuerunt suspensa. conclusio, seu regula ista certissima est. nam, vt nomen ipsum indicat, reualidare nihil aliud importat, nisi rem in pristinum valorem restituere: at res non dicitur restitui in pristinum valorem, nisi inquantum in suo valore, & efficacia fuit suspensa. propriè enī loquendo, si res, V. G. priuilegiū aliquod fuit omnino extinctum, si iterum concedatur, non dicitur propriè reualidari, sed aliud simile iterum concedi: & quamuis interdum priuilegia dicantur reuiuiscere, locutio est impropria, sumendo reuiuiscentiam pro noua, & iterata concessione similis priuilegij. in casu autem nostro res clarior est, quia reualidatio illa respectum habet ad gratias illas, quæ immediatè ante à fuerunt suspensæ, vt manifestè apparet ex verbis appositis in executione huius potestatis. nam in fine Bullæ latinæ, *post versū illū (proinde Nos præfatus, &c.)* ponitur suspensio vniuersalis, & postea immediatè fit reualidatio gratiarum priùs suspensarum. igitur illa tantùm indulta à Cōmissario reualidantur, quæ ab eodem priùs suspensa fuere. ex hac autem regula nonnulla erunt deducenda, à nobis explananda per subsequentes cōclusiones.

15 *Bullas veteres suspendi per nouā, & postea reualidari censent aliqui.* Dico secundò, Bullas Cruciatæ præcedentium annorum non reualidari. est cōtra nonnullos, quos supprello nomine refert *Emmanuel* §. 12. *num.* 1. qui voluerūt Bullas veteres suspendi per nouam, & postea pristinum valorem recipere, dum Commissarius reualidat suspensa. fundamentum, cui nititur hæc opinio, inferiùs ponemus. nostra autem conclusio est cōmunis, eamque docent *Rodriq. l. c. Ludouicus à Cruce disp.* 1. *cap.* 9. *dub.* 3 *num.* 2. *& seq. Trullench lib.* 1. §. 9. *dub.* 2. *per totū.* & probatur hac ratione. non possunt reualidari nisi ea, quæ possunt suspendi; at Bullæ Cruciatæ præteritæ nequeunt, trāsacto anno promulgationis, suspendi: igitur nequeunt reualidari. maior est euidēs ex ipsamet verborū proprietate; minor, in qua residet difficultas, suadetur manifestè, quia elapso anno Bulla expirat, vt statuitur *in paragrapho* 29. cum autem omnino extinguatur, respectu ipsius neq; suspensio, quæ versari non potest circa rem omnino peremptam, neque consequenter restitutio in pristinum valorem poterit locum habere. & confirmatur ex concessione facta *à Gregorio XIII.* qui dispósuit posse bis lucrifieri indulta, & gratias Cruciatæ eodem anno, si alia Bulla sumatur: ergo sensit, non posse lucrum istud haberi per Bullas præcedentium annorum, quia vt sic nihil ipse concederet. rursus confirmari potest ex praxi, quæ est omnino contraria; nemo enim solet vti Bullis præteritis, quæ decem, aut viginti retro annis promulgatæ fuerunt. *Contraria sententia communis probatur*

Sed dices. Bullæ præteritæ per nouam Cruciatam suspenduntur: ergo reualidātur, nam illa in pristinum valorem restituuntur, quæ sunt suspensa, vt patet ex regula à nobis superiùs tradita. antecedēs verò probatur ex verbis ipsius Bullæ *in paragrapho* 21. *suspensionis*, vbi sic dicitur: *vel alterius similis Cruciatæ.* & repetitur in ipsamet suspensione. altera autem similis Cruciata non est nisi præterita. hac ratione nituntur aduersarij ad suam astruendam sententiam. 16 *Argumentum contrariæ sententiæ.*

Respondeo tamen ex doctrina *Rodriquez loco citato* ante Pium V. Bullæ Cruciatæ transacto anno non spirabant, quia ad plures annos erant concessæ; quibus elapsis non amittebant vigorem, proinde poterant per nouam Bullam suspēdi, & in fauorem eorum, qui nouam accipiebant Bullam, reualidari. at Pius postea decreuit, Bullas in posterum, finito anno prorsus extingui: idcirco post ipsum neque suspenduntur, neque iterum validātur. sed quia in quibusdā locis potuit adhuc perseuerare consuetudo illa de validitate Bullarum ante Pium V. ideo Pontifex ponit illam cōditionalem post prædicta verba, quæ sic habet: *Si quæ in Regnis, Insulis, Terris, Locis, & Dominijs præfatis receptæ adhuc durent.* igitur. vt rectè animaduertit *Trullench* §. *illo nono dub.* 2. *num.* 3. in Bulla non suspenduntur absolutè, & simpliciter gratiæ alterius similis Cruciatæ, sed cum limitatione scilicet, si adhuc durent, & valeant, hæc autem 17 *Soluitur.*

verba

verbà referuntur non ad Bullas nostras, quas certum est, elapso anno omnino extingui, sed ad Bullas illas ante Pium V.

18 *Sententia Nauarri, eiusque ratio.* Contra hoc vltimum dictum sentit *Nauarrus consil. 17. lib. 5. De priuilegijs* docens Bullam præteritam reualidari per Bullam posteriorem acceptam: & sic qui in præsenti anno Bullam sumit, frui poterit indulgentijs, & gratijs per Bullam præcedentis anni concessis, huiusque rei rationem assignat, quia gratia semel concessa durat vsque dum reuocetur, vel suspendatur, ideoque sublata suspensione manebit cum eadem efficacia, sicuti antea: per Bullam autem posteriorem aufertur suspensio prioris Bullæ, igitur prior remanebit cum suo vigore.

19 *Reijcitur.* Verùm hæc opinio Nauarri non est admittenda, quia licèt fateamur, gratiam semel factam durare vsque dum reuocetur, &c. nihilominus asserimus, id veritatem habere, quando concedens non limitat gratiam duraturam vsque ad determinatum tempus, eoque elapso decernit illam expiraturam, vt euenit in subiecta materia. nam, vt supra vidimus, Pôtifex expressè statuit, gratias huius Bullæ elapso anno omnes expirare, atque adeo corruit sententia Nauarri, & aliorum, qui fundant suam sententiam in illo principio, nempè in perpetuitate gratiæ factæ.

Gratia semel facta durat vsque dũ reuocetur, quãdo verum sit.

20 Dico tertio. Qui hanc Bullam accipit, frui poterit quibusdam alijs Bullis continentibus quasdam gratias, vt est in Hispania Bulla, quam Hispani vocant *de la Hermandad*: id est, Confraternitatis, & Bulla, quæ ab eisdem appellatur *Bulla de los dolores de nuestra Señora*, quæ concessa fuit cappellæ eiusdem Virginis in Monasterio Sancti Spiritus extante in Ciuitate Maioricæ, & hæ Bullæ referuntur *à Perez de Lara in compendio trium gratiarum lib. 1. à fol. 81.* & idem dico de alijs similibus Bullis.

21 *Reualidatio gratiarũ suspensarũ quãdo incipiat.* Dico quarto. Gratiæ suspensæ, quæ per Bullam Cruciatæ in pristinum vigorem redigi possunt, incipiunt reualidari à momento, quo quis Bullã hanc recipit. probatur, quia à Commissario reualidantur, vt vidimus, in fauorem sumentium hanc Bullam, proinde acceptio Bullæ est conditio necessariò prærequisita ad reualidationem prædictarum gratiarum, & remonet prohibens, seu impedimentum suspensionis.

CAPVT III.

An suspensio ista aliquid operetur circa facultates Religionibus concessas in ordine ad ipsos Regulares.

Egimus de facultate, quæ residet in Cõmissario ad suspendendas, & reualidandas gratias in ordine ad sæculares. 1
nunc verò considerationem dirigimus ad indulta Regularium, inquirentes quo pacto se habeãt ad potestatem prædictã. & vt hoc perfectè assequamur, oportet sub duplici respectu indulta ipsa spectare. primò per habitudinem ad ipsos Regulares: secundò per habitudinem ad sæculares. primo modo examinantur in hoc capite, secundo autem modo in sequenti. sed tamquam basim, & fundamentum subsequentium difficultatum præmittere debemus verba, quæ in hoc Diplomate habentur, quibus tum Pontifex in concessione facultatis ad suspendendas gratias extra Bullam similes, aut dissimiles, tũ Commissarius in decreto suspensionis excipiunt facultates Mendicantium, verba autem hæc sunt: *exceptis tamen concessis Ordinum Mendicantium Superioribus, quoad eorum fratres tantùm*. Hac autem exceptione præmissa deuenimus ad difficultates.

SECTIO I.

Quæ nam sint priuilegia in hac suspensione pro Mendicantibus excepta.

Pvtauit *Sebastianus Acosta in explicatione Cruciatæ, quæst. 105. & 108.* suspendi indulgentias Superioribus Mẽdicantium cõcessas in ordine ad fratres, nõ autem suspendi facultates, vt est V. G. illa, quæ est ad dispensandum in votis, aut ea commutanda, & ad comedendas carnes, seu lacticinia diebus vetitis. ratio, qua ducitur ad non excludendas indulgentias à suspensione, ista est, primo, quia Pontifex dum in clausula reuocatoria excipit facultates Mendicantium, sub nomine facultatum in iure non veniunt indulgentiæ, & id probat *ex duplici Extrau:* quarum vna edita fuit *à Sixto IV. De pænit. & Remis:* altera verò *à Gregorio XIII.* in his autem Extrauagantibus Pontifices isti suspendentes in anno sancto iubilei varias facultates, postea suspenderunt indulgentias tamquam res à facultatibus specialiter distinctas, quod rectè aduertit *Nauarrus De iub. notab. 24. & 33.* secundo probat ex tenore nostræ Bullæ, per quam Pontifex postquam suspendit om-

2 *Indulgentias suspendi, nõ autẽ facultates Mendicantiũ putat Acosta.*

Prima ratio huius sententiæ.

Secunda.

Tertia. omnes indulgentias, & facultates, postea excepit non quidem indulgentias Mendicātium, sed facultates Superioribus eorumdē concessas. tertio denique probat ex *Breui Romæ dato die* 28. *August.* 1591. per quod Pontifex cōmisit Alberto Cardinali Archiduci Austriæ, vt inter alias personas definiret quantum eleemosynæ à Mendicantibus esset erogandum pro lucrifacienda indulgentia Cruciatæ; vnde videtur supponere, indulgentias eorūdem Mendicantium esse suspensas, quia, nisi essent suspensæ, non indiguissent susceptione Cruciatæ, cum eorum indulgētiæ sint amplissimæ.

3 *Sententia Authoris.* Dicendum tamen est, nō solùm facultates, verùm etiam indulgentias, & alia priuilegia concessa Superioribus Mendicantium manere illæsa in ordine ad Fratres. conclusio, quæ, vt iacet, est contra Acostā, defenditur ab alijs, et tamen expressis terminis docet *Villalobos tract.* 27. *clauf.* 12. *num.* 10. *Ludouicus à Cruce disp.* 1. *cap.* 9. *dub.* 1. *num.* 6. *Nuñus in* 3. *p. tom.* 2. *tract. De Bulla* §. 4. *Trullench. lib.* 1. §. 9. *dub.* 3. *num.* 2. & ratio est: primo, quia exceptio illa dum dicitur, *exceptis tamen concessis*, se extendit ad omnia præcedentia, supra quæ cadit suspensio, inter quæ sunt indulgentiæ. secundo, quia non video, cur sub nomine facultatis non comprehendatur indulgentia, nempè facultas ad indulgentias lucrandas. neque *Nauarrus* docet id, quod affert *Acosta* pro confirmatione suæ opinionis, & à nobis supra relatum est: & ideo si daremus per particulam illam exceptiuam coarctari sermonem ad facultates, nihilominus diceremus excipi etiam indulgentias, vtpote venientes sub nomine facultatis. neque refert, quod *in paragrapho isto* 21. Pontifex enumeret indulgentias vt contradistinctas à facultatibus, quia non est nouum in Decretis, & Breuibus Apostolicis enumerare plura, quorum aliqua, vel vnum ex illis est quid vniuersalius continens sub se aliud vt particulare. id autē fit ad maiorem claritatem; & sic de facto Cōmissarius in Decreto suspensionis enumerat hæc omnia, scilicet indulgentias, gratias, facultates, & concessiones; & tamē certum est, sub nomine gratiæ contineri & indulgentias, & quæcumque priuilegia: id tamen, vt dixi, fit ad maiorem intelligētiam, & claritatem. & ex hoc solùm potest instantia desumpta ex verbis Bullæ originalis, in qua dum fit exceptio in fauorem Mendicantium, de solis facultatibus fit mentio; sub facultatibus enim omnia priuilegia clauduntur.

Sub nomine facultatis cōprehendi possunt etiam indulgentiæ.

4 Ad rationes autem allatas à *Sebastiano Acosta* pro sua sententia solutio ex dictis apertè colligitur. & ad primam est dicendum ab illis Pontificibus per illas Extrauagantes contradistingui indulgentias à facultatibus ad tollendam omnem dubitationem, vel si verè in re indulgentia non continetur sub facultate, nihil contra nos, quia in Bulla latina exceptio, vt diximus, se extendit ad omnia præcedentia.

Respondetur primo rationi contrariæ.

5 *Secunda.* Ad secundam fundatam in verbis nostræ Bullæ enumerantis illa omnia vt distincta sufficienter responsum est.

6 *Tertia.* Ad tertiam dico, quod quamuis indulgentiæ Mendicantium sint amplissimæ: tamen ex hoc non benè infertur, superfluas, & inutiles esse eas, quas ipsi Mendicantes per Bullam acquirere possent. nā, vt rectè ponderat *Ludouicus à Cruce dub. cit. num.* 12. idem foret dicendum de indulgentijs stationū Romæ respectu Mendicantium, qui ibi commorantur. sicuti enim amplitudo indulgentiarum, quibus ipsi fruuntur, non facit, vt sint inutiles pro ipsis indulgentiæ stationum, ita etiam & indulgentiæ Bullæ. & addo, nos latere motiuum proprium, & per se, quod habuit *Clem. VIII.* ad commissionem illā datam Archiduci Austriæ, quamuis enim locutus fuerit de quantitate pecuniæ eroganda à Mendicātibus pro consecutione indulgentiarum Cruciatæ, nihilominus poterat notitiam talis quantitatis in alium finem non pro ipsis Mendicantibus postulare.

7 *Facultates priuatim cōcessæ Religiosis non sunt exceptæ.* Ex his, quæ dicta sunt, colligimus, priuilegia, seu facultates similes, aut aliquātulum dissimiles modo explicatoijs, quæ continentur in Cruciata, si concessæ sint alicui religioso independenter à suo Superiore suspendi per Bullam, quia solùm excipiuntur facultates concessæ Superioribus, hoc est Religioni. *ita Trullench.* §. 9. *cit. dub.* 3. *num.* 3.

SECTIO II.

Vtrum Ordines non Mendicantes exceptione prædicta fruantur?

8 Supponimus *ex cap. vnico De relig. Dom. in* 6. quatuor apud sacros Canones enumerari Ordines Mendicantes, videlicet S. *Dominici*, S. *Francisci*, *Carmelitarum*, & S. *Augustini*, quib⁹ postea plures alij sunt additi, inter quos est *nostra Societas*, vt declarauit *Pius V. in Bulla, quæ incipit* (*Dū indefessè*) *anno* 1571. His positis deuenimus ad decisionem quæsiti, & dicimus, quod pars negatiua vera videtur, quia ipsamet Bulla solùm de Ordinibus Mendicantibus loquitur, dum addit exceptionem; proinde non Mendicātes tali ex-

exceptione minimè gaudere videntur, exceptio enim firmat regulam in oppositum: & ideo hanc sententiam negatiuã tuetur *Henriquez l. 7. cap. 22. num. 4. lit. V. Ioannes Valerus in diff. vtriusque fori ver. Absolutio num. 45.* citatur etiam *Rodriq. in Bullam §. 12. num. 5. dub. 1.* ipse verò nihil ibi determinat, sed solùm pro vtraque parte ponit rationes; nouissimè autẽ amplectitur eamdem opinionem *Trull. lib. 1. §. 9. dub. 3. num. 2.*

Sententiam negatiuã tuentur alij.

9 At partem affirmantem admittũt alij, vt *Sebastianus Acosta in exposit. Bullæ q. 105. in fine. Villalobos tract. 27. clauſ. 12. num. 11.* qui fundant hanc suam opinionem in priuilegio, quod habent Ordines non Mendicantes ad communicanda priuilegia cum Mendicantibus, verùm hanc rationem impugnat *Trullench* dicens sequi ex illa, suspensionem esse frustratoriam quoad Ordines non Mendicantes.

Alij affirmatiuam.

10 Dicendum est cum hac secunda sententia, quæ fauorabilior, & quotidianæ praxi est conformior, & eius fundamentalis ratio tacta est, licèt enim vi Cruciatæ excipientis facultates, seu priuilegia concessa Superioribus Mendicantium, nequeant Religiosi non Mendicantes includi in supradicta exceptione, quia solũ Mendicantes excluduntur, & exceptio firmet regulam in contrarium, vt rectè notatum est; nihilominus ista non inclusio non impedit, quin ex alio titulo Religiosi non Mendicantes valeant frui prædicta exceptione. titulus autem est communicatio omnium gratiarum, & priuilegiorum aliorum Ordinum, inter quæ exceptio ista est enumeranda, & nulla apparet ratio, quare possint participare in alijs priuilegijs, non autem in isto.

Illã sequitur Author.

Eius fundamentũ sumptum ex communicatione gratiarum.

11 Ad argumenta autem contraria respondeo concedendo, quod exceptio firmet regulam in oppositum. proinde dico, ex hoc nihil aliud inferri, nisi ex vi Cruciatæ Ordines non Mendicantes esse exclusos ab illa exceptione, qua gaudent Mendicantes: attamen non inferri non posse eadem exceptione frui vi alterius priuilegij. neque instantia *Aegidij Trull.* aliquid probat contra hanc rationem, negamus enim, ex eo quod beneficio cõmunicationis non Mendicantes communicant in hoc priuilegio, sequi, suspensionem factam à Commissario esse frustratoriam quoad Ordines non Mendicantes, quia effectum sortiretur, si non Mendicantes non haberent priuilegium communicandi.

Satisfit argumentis oppositæ sententiæ.

SECTIO III.

Quid veniat in hoc paragrapho sub nomine Fratrum?

CVm Pontifex, & pariter Commissarius in Decreto suspensionis excipiant priuilegia concessa Superioribus Mendicantium, & apponant limitationẽ dicentes, *in Ordine ad Fratres, &c.* insurgit apud Commentatores dubitatio, ad quos hic se extendat nomẽ Fratris. de quo nomine multa diximus *parte prima huius Operis*, dum expéderemus Constitutionẽ Vrbani Octaui de vsu Bullæ in ordine ad Regulares. 12

Dicendum est primo, vt à certis incipiam, per Fratres venire omnes Religiosos professos, qui Fratres vocantur, vt *parte prima* ostendimus, & comprehendũtur non solùm Regulares solemniter profitentes, vt euidens est, nam si aliqui debent venire sub illa voce, maximè professi esse debent, verùm etiam personæ nostræ Societatis, quæ post biennium nouitiatus tria vota substãtialia simplicia emiserunt. nam hi sunt veri Religiosi, vt declarauit *Gregorius in Bulla illa Ascendẽte, &c.* 13

Nomine Fratrum omnes Religiosi comprehenduntur.

Dicendum est secundo, comprehenduntur etiam Moniales Mendicantium. est contra aliquos. *sic Villal. tract. 27. clauſ. 12. num. 13. Rodriq. in Bullam 12. dub. 3. Acosta in expositione Bullæ quæst. 105. in fine. Ludouicus à Cruce disp. 1. cap. 9. dub. 4. num 3. & alij*, probatur conclusio à principio vniuersaliori, nam priuilegium Monachis concessum intelligitur etiam concessum Monialibus eiusdem Ordinis. sic docet *Panor: cap. fin. not. vlt. De statu Monachorum: Cardinalis in Clem: 1. De regul. quæst. 7. Rodriq. in qq. Regul. tom. 1. quæst. 13. a. 22. Suar. De legib. lib. 8. cap. 10. num. 7. Rebuf. in l. 1. ff. De. verb. signif. Merolla tom. 3. De priuil. disp. 6. cap. 3. dub. 6. num. 27. & alij.* cõfirmatur, quia cum testator imposuit, vt hæres aliquid suis fratribus restituat, intelligitur dispositio ista testamentaria etiam pro sororibus. sic in cap. *Raynutius, verſ. Declaratio, De testam: & in L. Lucius, §. quæsitum. ff. De leg. &c.* 14

Et Moniales Mẽdicantiũ.

Priuilegia concessa Monachis intelliguntur etiam concessa Monialibus eiusdem Ordinis.

Sed contra hanc conclusionem vrgere quis poterit, nam Moniales ex suo instituto habere possunt reditus, & bona stabilia: ergo nõ sunt Mendicãtes, proinde in hac exceptione non comprehenduntur, quia de solis Mendicantibus est sermo. 15

Obiectio.

Respondeo, si Moniales ex vi instituti possidere possunt immobilia in communi, non sunt propriè loquendo Mendicãtes. 16

Responsio.

tes. secus autem si ex regula repugnet possidere immobilia, quãuis ex dispensatione Summi Pontificis ea retineant. tūc enim erunt Mendicantes non obstante tali dispensatione. ita *Sanchez tom. 2. in Decal. lib. 6. cap. 7. num.* 114. 115. qui hoc etiam concedit, etiam si illicitè, & absque dispensatione talia habeant bona, sed quidquid sit, an Moniales ordinum Mēdicantium sint nec ne Mēdicantes, quia quod spectat ad rem nostram, poterunt per communicationem priuilegiorum Mendicantium frui beneficio prædictæ exceptionis, vt notat *Villalobos clausula illa* 12. *num.* 13. *Ludouicus à Cruce dub. cit. num. 6. in fine. Trullench §. illo 9. dub. 3. num.* 5.

17 *Et Nouitij Mendicantium.*

Dicendum est tertio, Nouitios ordinum Mendicantium contineri sub nomine Fratrum. Sic *Emmanuel in illo §. 12. dubio 2. Acosta loc. cit. Villalob. num.* 12. *in eadem clausula, Ludouicus à Cruce dub. 5. num. 2. eiusdem capitis vt supra. Trullench dub. cit. num.* 4. sed omnes prædicti Authores, *excepto Aegidio Trullēch,* admittunt conclusionem hanc cum addito, videlicet si Nouitij voluntatem habeāt perseuerandi in ea Religione Mendicantium; sed quid circa hanc limitationem ipse sentiam, postea dicam. probatur autem conclusio, quia licèt Nouitius strictè loquendo non sit Religiosus, atque adeo nequeat rigorosè Frater appellari, vt communiter asseritur ab Authoribus; nihilominus in fauorabilibus nuncupatur Monachus, vt aduertit *Rebuf. in praxi beneficiali lib. 1. tit. De dispensat. cum Regularibus facta num.* 23. & ideo poterit eadē ratione vocari Frater: quapropter Nouitij gaudent omnibus priuilegijs, quæ Religiosis sunt concessa, nisi aliquod eorum statui repugnet, vel sit cōcessum limitatè, nempe Religiosis professis. frui antē Nouitios priuilegijs prædictis, est satis probabilis sententia, de qua videndus est *Molina tom. 1. De iust. tract. 2. disp. 139. num. 4. Suarez De Relig. tom. 4. lib. 9. c. 1. n. 18. Sanchez lib. 4. Decal. cap. 39. num. 17. Merol. tom. 3. disp. 6. De priuil. cap. 3. dub. 13. num.* 163. quæ omnia satis videntur pro huius conclusionis cōfirmatione. difficultas tamen aliqua mihi facit limitatio illa, quam ponunt Authores in ipsa conclusione citati, quatenus aiunt, hanc sententiam esse veram, si Nouitius voluntatem habeat perseuerandi in Religione. difficultas inquam mihi facit limitatio, quoniam in contrarium videtur instari posse. nam posito legitimo ingressu, & canonica admissione in nouitiatum, sola voluntas recedendi à Religione non videtur sufficiens, vt

Nouitios gaudere omnibus priuilegijs Professorum, probabiliter multi sētiunt.

Franc. Bard. in Bull. Cruc.

eo ipso cesset status nouitiatus, requiritur enim dimissio, vel talis actus ex parte Nouitij, vt censeatur interruptus nouitiatus, qualis foret v. g. abiectio habitus, egressio è Monasterio cum illa voluntate relinquendi Religionem, &c. igitur sola interior voluntas cum non soluat hominem à statu nouitiatus, neque erit sufficiens ad reddendum eumdem inhabilem priuilegiorum, quibus cæteri Nouitij fruuntur: & ideo limitatio illa, vt iacet, mihi non placet, nisi intelligatur negatio voluntatis perseuerandi coniuncta cum effectu, scilicèt vt verè dicatur ille non esse amplius in statu nouitiatus: proinde non obstante voluntate non perseuerandi manet subiectio Nouitij ad Prælatum, sicuti si quis domicilium aliquod acquirens in aliqua Ciuitate, & per consequens manens subiectus Episcopo, in cuius Diœcesi est illa Ciuitas, non erit satis interior voluntas ad eximendum eum, qui domicilium acquisiuit, à iurisdictione illius, & sic tum in foro iudiciali, tum etiam in foro conscientiæ subijcitur eidem Episcopo in omnibus, sicuti reliqui: & poterit tuta conscientia obtinere dispensationem, commutationem in votis, iuramētis, & similibus, quemadmodum alij: & hoc, quia illa sola voluntas sine effectu non est sufficiens ad mutationem domicilij; sic à pari dici poterit in casu nostro.

Limitatio à nonnullis apposita quatenus procedat.

Non sufficit voluntas non perseuerandi, nisi sit coniuncta cum aliquo effectu, vt dicatur Nouitius nō esse in statu nouitiatus.

Dicendum est quarto. Tertiarij, Donati, aut Oblati, quos vocant, siue habitent in propria domo, siue in Conuentu Religiosorum, si professionem non emiserint, neque sint Nouitij, (& idem dico de Tertiarijs fœminis,) non gaudebunt priuilegio huius exceptionis, proinde, vt fruantur indultis similibus, aut dissimilibus ijs, quæ sunt in Bulla, debent illam sumere. secus autem est dicendum de Tertiarijs, qui tria vota Religionis emittunt. sic *Rodriquez dub. cit. Ludouicus, & Villal. vt supra num* 13. qui Authores concedunt Tertiarijs non habentibus vota, neque manentibus in statu nouitiatus frui posse priuilegijs illis, quæ ius commune tribuit familiaribus Fratrum. 18

Tertiarij, & Oblati vtriusq; sexus nisi professione emiserint non comprehenduntur in hac exceptione.

(✝)

CAPVT IV.

De indultis Mendicantium in ordine ad sæculares.

1 Ponderauimus gratias, seu indulta Mendicantium Ordidibus concessa per respectum ad ipsos Regulares, nunc verò superest nobis non minor difficultas de eisdem indultis relatis ad sæculares, de quibus nunc pertractare intendimus, eamque resoluere varia proponentes quæsita.

SECTIO I.

An sæcularis carens Bulla possit à Regularibus virtute priuilegiorum Religionis absolui à reseruatis, & obtinere dispensationem, aut commutationem in votis.

2 *Negant alij.* Respondeo, duas esse sententias, quarum prima est negatiua, eamque sustinet *Rodriq. in explicat. Bullæ §. 12. num. 4. Nauar. lib. 5. consil. in post. edit. tit. De pœnit. consil. 16. nu. 1. Lopez in instruct. par. 2. De clauibus paulò ante versiculum. (Quæritur deinde) & nouissimè Trullench in Bullam lib. 1. §. 9. cap. 3. dub. 1. num. 8.*

Ducuntur ex verbis Bullæ. Ducuntur omnes ex verbis Bullæ, nam Commissarius auctoritate collata à Pontifice suspendit per Cruciatam omnes facultates exceptis ijs, quæ concessæ sunt Superioribus Ordinum Mendicantium in ordine ad suos Fratres tantùm: particula enim, tantùm, est taxatiua, quæ ita includit id, quod exprimitur, vt excludat non expressum: sicuti fusè probat *Barbosa* & iuribus, & auctoritatibus *De Dictione vsu freq. dict.* 401. quapropter ex vi Decreti suspensionis habentis dictionem hanc taxatiuam ita eximuntur facultates, quas habent Prælati Regulares in subditos Religiosos, vt penitùs excludatur vsus earumdem facultatum in ordine ad sæculares; aliter particula illa taxatiua nihil operaretur, quod non est dicendum.

3 *Alij affirmant.* Secunda sententia est affirmatiua: vult enim, posse sæcularem absolui à reseruatis vi priuilegiorum, quæ habent Regulares, etiam si ipsi absoluendi Bulla careant, atque adeo non esse prædicta priuilegia suspensa per Cruciatam. ita *Rodriquez in addit. ad §. 12. à num. 1. & deinceps* mutando opinionem, quam docuerat in explicatione Bullæ loco superiùs citato, *Henriquez lib. 6. cap. 16. num. 7. & lib. 7. cap. 28. num. 7. citans plures in comment. lit. z. Ioannes la Cruz De stat. relig. lib. 2. cap. 3. dub. 7. concl. 3. Ludouicus à Cruce in Bullam disp. 1. cap. 9. dub. 2. num. 6. Villalob. tract. 27. clausi. 12. num. 6. & seq: Riccius in addit. ad §. 12. num. 1. Sanches in summa lib. 4. cap. 54. num 62.* vbi etiam citat *Leonardum Lessium* pro hac sententia. sed error in citatione, quatenus ponitur *cap. 12. pro 41.* in assignanda autem ratione pro hac sententia est aliqualis diuersitas. nam *Sanchez* comprobat ex eo quod priuilegia ista vt pote concessa non vni, aut alteri Monasterio, sed toti Religioni, sunt valdè fauorabilia, ceduntque in bonum cõmune omniũ fidelium, proinde nõ videntur suspendi per verba generalia, sed opus est specifica ipsorum mentione. *Lessius* autem ferè idem asserit parùm mutatis verbis. Cæterum ratio ista non videtur efficax, quia in suspensione ista fit expressa mentio de priuilegijs, seu facultatibus ipsorum Regularium, quæ licèt dicãtur fauorabilia toti populo christiano, tamen super talia priuilegia cadit suspensio cum illa limitatione, nempe vt remaneant illæsa quoad Fratres tantùm.

Variè probatur.

Priuilegia Mendicantiũ sunt valdè fauorabilia, atq; adeo cedunt in bonum totius populi.

4 *Ludouicus à Cruce supponit esse personalia, & varijs rationib⁹ probat nõ esse suspensa.* Sed Ludouicus à Cruce, & alij vt suam probent sententiam, supponũt, priuilegia Bullæ esse personalia: proinde facultates, quæ suspenduntur pariter esse personales. neque obstat, quod dicatur, suspendi gratias, & facultates concessas Monasterijs, Ecclesijs, Hospitalibus, pijs locis, &c. quia suspenduntur indulgentiæ, & facultates istæ, quatenus lucrifiunt à personis particularibus, & vt sic facultates personales appellandæ sunt. cæterum priuilegia Superioribus Regularibus concessa ad absoluendum à reseruatis, ad dispensandum in votis, &c. sunt realia, & non personalia, quin potiùs sunt concessa Ordini Religioso, quàm personis: & patet, nam si Religiosus ex Summi Pontificis licentia, è Religione egrederetur, vel ab ea expelleretur, habitu dimisso, non frueretur talibus priuilegijs, si enim essent personalia, personam sequerentur; sunt igitur realia, vt rectè asserit *Rodriquez in qq. Regular. tom. 1. quæst. 61. a. 14. num. 2.* & si contra discursum factum quis vrgeat probando, quod priuilegia concessa certo personarum generi sine regulariter personalia, vt est v. g. priuilegium Maritis concessum, tamen priuilegium concessum certo personarum generi, quod iurisdictione numquam perit, perpetuum est, & reale, & talia sunt priuilegia concessa Ciuitatibus, vt expresse colligitur *ex L. forma § quamquam ff. De censibus, & L. Ciuibus ff.* De-

De rebus dubiis. sic discurrit Ludouicus, & concludit, per suspensionem Cruciatæ non intelligi suspensas facultates, & priuilegia Religionibus concessa in ordine ad sæculares, vt sunt ea, quæ data sunt ad absoluendum, dispensandum, commutandum, &c. probat, quia priuilegia ista censentur cõcessa Ordinibus, quæ priuilegia nõ suspenduntur per Cruciatam: rursus probat tum quia priuilegia Regularium continentur in corpore iuris, tum etiam quia concessa sunt ob merita: proinde ad eorum reuocationem requiritur expressa mentio, & confirmat hoc ex concessione quadam *Leonis X.* facta Religiosis Ordinis Minorum de obseruantia. indulsit enim illis, vt per generalem reuocationem non intelligantur reuocata eorum priuilegia: præterea iterum probat, quia suspensio est odiosa, atque adeo strictè interpretanda; priuilegia verò Regularium amplè sunt explicanda, & præsertim, quæ toti Ordini conceduntur, cẽsetur enim fauor totius populi christiani, in cuius vtilitatem cedunt.

Supponit esse inserta in corpore iuris.

5 *Quibus modis infirmari possunt ab aduersarijs.*

Verùm hæ rationes adductæ à Ludouico eneruari possunt ab aduersarijs: quia licèt priuilegia Bullæ sint personalia, & priuilegia concessa Ordinibus sint realia, nihilominus in Bulla etiam suspendũtur facultates reales, quales sunt illæ, quæ cõceduntur Ecclesijs, Monasterijs, Vniuersitatibus, locis pijs, &c. sic falsum est, solùm suspendi à Commissario priuilegia personalia: & si respondeas, solùm suspendi quoad indulgentias, quas lucraturi essent, qui Ecclesias, Monasteria, & loca pia visitent, contra est, quia hoc gratis dicitur, nam Pontifex loquitur de indulgentijs, & facultatibus, easque apertè contradistinguit: & in Decreto suspensionis de his omnibus est sermo, nempe de indulgentijs, gratijs, facultatibus, & concessionibus. & confirmari potest, quia omnia ista priuilegia Religionibus concessa cum impediant vsum Bullæ, debent iuxta dispositionem Pontificiam à Commissario suspendi: & non est maior ratio ad suspendendum aliqua, & non reliqua, cũ motiuum suspensionis æquè militet pro omnibus: reliqua verò, quæ à Ludouico adducuntur in confirmationem huius rationis non prosunt, quia nos non negamus, priuilegia Bullæ esse personalia, & illa Religionum esse realia, sed dicimus etiã realia suspendi, quatenus vsum Cruciatæ impediunt, & quod sermo sit etiam de realibus manifestè habetur, inquantum suspenduntur ea, quæ sunt concessa Monasterijs, Vniuersitatibus, &c.

6 Ad aliam verò rationem, per quam dicitur, priuilegia Regularium contineri in corpore iuris communis, esse remuneratoria, &c. proinde esse expressè nominanda. Respondeo primo, à me non inueniri partem aliquam iuris communis, in qua sint inserta priuilegia Regularium, saltem ista de absolutione, commutatione, &c. secundo quamuis demus esse in iure inclusa, & etiam demus, ob talem inclusionem expressa indigere mẽtione, quod tamen non est vniuersaliter verum, vt supra ostendimus, tamen de illis iam habemus manifestam mentionem. tertio dico, priuilegia, seu facultates istas non reuocari à Commissario, sed solùm suspendi, vt iterum redeant pro ijs, qui Bullam sumunt, hoc autem est longe minus, quàm sit reuocatio, proinde posset quis dicere per clausulas adnexas his priuilegijs postulari mentionem specificam, dum ipsa priuilegia reuocantur, non autem dum solùm suspenduntur: rursus aio, neq; omnia ista priuilegia esse remuneratoria, & quamuis essent, & proinde deberent explicitè nominari, iam hoc habemus: & sic patet responsio ad concessionem *Leonis X.* requirẽtis ad reuocationẽ priuilegiorum Minoribus concessorum explicitam mentionem: demum ad illud, quod asseritur, scilicet suspensionem esse odiosam, & strictè interpretandam, priuilegia verò ista fauobilia, & amplè explicanda, transeat: & dico, suspensionem non debere ita explicari, vt verborum sensus destruatur; idcirco verba huius suspensionis cum vniuersaliter sint de omnibus facultatibus Regularium, nequeunt ita coarctari, vt explicata non se extendant ad omnes Regularium facultates.

Alij verò ad fugiendas has difficultates dicunt, priuilegia Religionum confirmari à Pontifice nouiter electo, & pariter dum per sexennium confirmatur Cruciata: & ita non videtur verisimile, à Pontifice confirmari hæc priuilegia, dum scit per Bullam, quam tunc temporis confirmat, esse suspendenda. talis autem cõfirmationis priuilegiorum meminit *Henriquez lib. 7. cap. 22. in com. lit. D. E. 2. loco*, sed in primis incerta est mihi talis cõfirmatio. secundo dico, confirmari eo modo, quo sunt, videlicet cum aptitudine ad suspensionem per Cruciatam. 7

Difficultates supra positas qua ratione aliqui euitare nitantur.

Denique aliqui recentiores fusiùs rem hanc expendẽtes distinguunt duplicem concessionem priuilegiorum à Pontifice emanantium, nam aliqua habet clausulas ordinarias, scilicet nõ obstãtibus quibuscunq; cõtrarijs, & similibus, vel aliquãtulum efficacioribus, aliqua verò continet clau- 8

A recentioribus nonnullis distinguitur priuilegiorum duplex concessio.

clausulas speciales, sicuti est v.g. clausula, vt de priuilegio concesso debeat fieri expressa, & specialis mentio de verbo ad verbum, &c. immo, quod plus est, si habeat clausulam reuiuiscentiæ, hoc est, si Pontifex dicat, quod statim post reuocationem intelligatur priuilegium iterum innouatum, confirmatum, approbatum, vel quid simile, tunc priuilegium sub tali forma concessum quamdam sortitur firmitatem, & perpetuitatem, proinde non solùm non extinguitur per clausulas ordinarias cõtrarias, sed neq; per quascũq; extraordinarias, & talia censeri debent priuilegia nostræ Societatis stante cõfirmatione facta à Gregorio XIII. anno 1581. ad reuocanda autem priuilegia Societatis ita corroborata, & munita nõ sufficiunt derogationes extraordinariæ, nisi Pontifex annullet, & irritet confirmationem istam, quatenus continet vim restituendi priuilegia reuocata in pristinum valorem; & ideo licèt demus per clausulas aliquas efficaces, & contrarias, priuilegia Societatis reuocari, attamen statim reuocata iterum reuiuiscunt vigore prædictæ confirmationis includẽtis nouam concessionem: deberet igitur Pontifex ad impediẽdam hãc reuiuiscẽtiam annullare concessionem ipsam. His præhabitis iuxta hæc principia dici posset, priuilegia primi generis suspendi per Cruciatã, non autem priuilegia secundi generis, & præsertim si modo explicato sint confirmata, ex quibus videtur inferri posse, nullum priuilegiũ Societatis suspẽdi per Cruciatam, quia sunt ita munita, vt statim redeãt; & idem de alijs Ordinibus Regularium dici debere, si cõmunicant in hac cõcessione, de qua re est dubitatio, quia incommunicabiliter data fuit nostræ Societati, & si in hac concessione non communicant, possunt sequẽtes probabilem opinionem alijs principijs superiùs positis firmatam tenere, ipsorum priuilegia habentes clausulas extraordinarias non esse suspensa.

Priuilegia Soc. Iesu habẽt clausulã reuiuiscentiæ.

Ad eam impediendã debet irritari ipsa Pontif. concessio.

9 Sed totus iste discursus, quamuis subtiliter procedat, patitur difficultatem; primo, quia licèt in illo paragrapho, in quo Pontifex dat potestatem suspendendi, & in ipso Decreto suspensionis non sint clausulæ derogantes, neque extraordinariæ, neque ordinariæ, tamen in fine Bullæ originalis appositæ sunt, vt videre est apud *Ludouicum* referentem totam ipsam Bullam originalem. secundo quia in suspensione non solùm priuilegia similia, aut dissimilia, sed etiam eorum concessiones suspenduntur, & sic quamuis ponamus distinctionem inter priuilegiũ, & concessionem, vt aliquibus placuit, iam vtrumque habemus suspensum.

Hæ sunt rationes pro vtraq; opinione; 10
& vt verum fatear pro sententia, quæ asserit, non suspendi facultates prædictas per Decretum vniuersale à Commissario editum, nulla ratio ex enumeratis mihi videtur firma: nihilominus, quia video, praxim esse cõtrariam, & Regulares virtute suorum priuilegiorũ absoluere pœnitentes à reseruatis, & eorum vota cõmutare, &c. absq; eo quod inquirant, an pœnitentes habeant Bullam, proinde.

Praxis est, dict. priuileg. Regularium non suspensa a Comissario.

Dico, probabilem esse sententiam, quæ 11
vult, posse Regulares in Regnis, vbi viget Bulla, vti suis priuilegijs in ordine ad prædictos effectus. probatur conclusio tum auctoritate eorum, qui hanc sentẽtiam tuentur, & nos supra citauimus, tum consuetudine, quæ potest præscribere in fauorem Regularium. neque obstat nouæ Bullæ publicatio, per quam iterum videntur renouari priuilegia Cruciatæ, atq; vi huius nouæ promulgationis suspendi facultates Regularium in ordine ad sæculares, quia hoc ipsum per tot annos praxis contraria videtur præscripsisse, videlicèt vt suspensio Cruciatæ non attingat prædictas facultates. & hæc probabiliter sint dicta, nam contraria opinio est etiam probabilis.

Opinio negãs illa suspẽdi adducitur ab Authoribus cum aliis, tam consuetudine fauore Regularis.

SECTIO II.

De quibusdam alijs indultis Religiosorum in ordine ad sæculares.

Locuti sumus de facultatibus concessis Ordinibus Regularium pro sæcularibus quoad absolutionem à reseruatis, ad commutationem, seu dispẽsationem votorum, &c. nunc verò superest, vt aliqua dicamus de quibusdam alijs indultis relatis ad sæculares. 12

Dico igitur primo. Si in aliqua Ecclesia Regularium, aut in altari existente in eadem Ecclesia sit cõcessa indulgentia pro omnibus illam, aut altare visitantibus, nõ possunt sæculares talem indulgentiam cõsequi in Regnis, & locis, in quibus Bulla promulgatur, nisi priùs Bullam ipsam recipiant, nam talis indulgentia suspẽditur à Cõmissario. ita sentit *Ludouicus à Cruce disp. 1. cap. 9. dub. 2. nu. 10. Trullench lib. 1. §. 9. dub 3. num. 10. Rodriquez §. 12. num. 4. Villalobos clausula illa 12. num. 3.* 13

Indulgentiæ concessæ Ecclesijs Regularium & consequenter sæcularibus sine Bulla.

Dico secundo. Si in aliquo altari Religiosorũ sit indulgẽtia plenaria pro liberãda anima è purgatorio, quoties ibi celebretur, tunc si Sacerdos celebrãs erit Regularis, & eiusdẽ Monasterij vtiliter poterit sacrum, & indulgentiam applicare; si verò sit sæcularis, vel sit Religiosus alterius 14

Nec de liberanda anima purgat. Sacerdotes, qui nõ sunt eius Ordinis, ei concessa.

s Ordinis indigebit Bulla pro indulgẽ- acquirẽda. *sic Rodriquez §.12.n.4.Vil- clauf.12.n.3.Fernãdez in exam. Theol: cap.9.sect. 11.§.19.nu.2.Diana par. 1. tr. 11.resol.* 86. & ratio est, quia indul- ntia ista pro sæcularibus suspenditur à missario,proinde,vt prosit,est necessa- Bulla.conclusio est contra *Aegidium Illench.§.cit. dub.* 4. *num.* 3. qui vult, suspendi indulgentiam istam pro de- ctis,quia Pontifex solùm censetur sus- dere indulgẽtias pro viuis.& hoc pro- primo, quoniam solùm suspẽdit eas ectu eorum, quibus, Bulla accepta, lidantur: at reualidatio respicit vi- & non defunctos, quia viui, & non ncti participare possunt omnia, quæ eualidatione continentur. secundo firmat ex doctrina *Martini Carrillo in icatione Bullæ defunctorum*, vbi ait,in- entias pro animabus purgatorij non endi per suspensiones generales, V.G. promulgationem iubilei in anno Sã- ta etiam indulgentia plenaria in al- priuilegiato eodem anno suspensa manet: & ratio est, quia motiuum uod Pontifex illo anno indulgentias endit, est,vt fideles promptiùs, & fa- s Romam adeant ad indulgentias lu- das,& loca sacra visitanda, hæc autẽ cessat respectu animarum purgato- ideo indulgentiæ pro defunctis, nisi is fiat expressa mentio, non intelli- ur comprehensæ in generali suspen- . tertio Bulla suspendit ea, per quæ us impediri potest: at parùm, vel ni- us vsus impeditur per talẽ indulgẽ- ergo talis indulgentia nõ suspendi- ic ratiocinatur *Trullench.* suam pro- ententiam: & tandem concludit, nõ ri Bullam nec in celebrante, nec in i curat celebrari ad hanc indulgen- pro defunctis comparandam,quam onem *Diana* non minùs probabilẽ, oppositam existimat *in addit: post m partem sui Operis resol.* 22.

l licèt hæc sententia sit pia, tamen non esse à prima recedendum, tum st textui Bullæ, & Decreto huius ionis longè conformior, tum etiã rgumenta adducta à *Trullench* nõ lem habent solutionem.

primam autem concedo, à Pontifi- endi indulgẽtias respectu eorum, reualidantur per Bullam acceptã, o reualidari solùm pro viuis, cum pro mortuis fiat reualidatio non ra exhibẽda ab ipsis defunctis,sed n vtilitatem ipsorũ defunctorum. cundam dico, gratis affirmari in- dulgentias pro defunctis non suspẽdi per suspensionem generalem; deberet autem id probari. rursus aio, quod quando ratio, seu motiuum suspendendi militat tũ pro viuis, tum pro defunctis, suspensio gene- ralis afficit indulgentias & pro viuis, & pro defunctis: in casu autem nostro res ita se habet, quia motiuum est idem, videli- cet ne vsus Cruciatæ impediatur, hoc au- tem motiuum militat tam pro viuis, quã pro mortuis, vt mox dicam.

Ad tertiam assero, posse per indulgen- tiam sic impediri vsum Bullæ pro viuis, sicut & vsum Bullæ pro defunctis; nam fideles viuentes, si aliundè possent adiu- uare animas defunctorum, easque ani- mas à pœnis liberare, nõ sumerent Bullã defunctorum. 18 *Tertio.*

Quæres. Bulla Cruciatæ ad prædictum effectum requiritur in eo, qui curat cele- brari, an in celebrante, an verò in vtro- que? 19

Respondeo, sufficere in alterutro ex illis, quia vnusquisque per hanc Bullam priuilegiatus ius habet ad applicandam indulgentiam, quando est pro defunctis concessa. 20

Dico tertio, suspendi per Bullam pri- uilegium concessum quibusdam Ordini- bus Regularium, per quod possunt in ali- qua solemnitate, non obstãte interdicto, pulsare campanas ad populum in Eccle- siam congregandum, administrare Sacra- menta, & mortuos sepelire. *ita Ludouicus à Cruce cap. illo 9. dub. 2. num.* 14. *Ioannes la Cruz De statu relig. lib. 2. cap. 3. dub. 7. conclus.* 3. probatur conclusio ratione il- la vniuersali, nam suspensio ista est gene- ralis respectu sæcularium, & ideo omnia indulta Bullam impedientia suspẽdit, nisi consuetudo legitimè introducta aliud præscribat. Contrariam sententiam tue- tur *Rodriq. in addit. ad §.12. num* 5. *Villa- lob. clauf.* 12. *num.* 8. ratio, qua mouetur, est, quia vt ipsi inquiunt, per Bullam solũ personalia priuilegia suspendũtur: at pri- uilegium prædictum cum sit concessum toti Ordini, erit reale, & non personale. ergo non suspenditur, sed hoc non obstã- te *Rodriq. in qq. regul. tom.* 1. *quæst.* 61. mutãs opinionem nostram defendit. ad rationem in cõtrarium solutio est ex di- ctis manifesta, quia per Bullam non solũ personalia, verùm etiam realia impediẽ- tia eius vsum suspenduntur, vt supra ostẽ- dimus. & hæc sint satis circa paragraphos XXI. & XXII. omisimus autem declara- re XX. sicuti etiam XXIII. quia pertinent ad explicationem Bullæ Compositionis, de qua infra. 21 *Priuilegium nonnullorum Regularium pro tempore interdicti suspenditur.*

Secundo.

TRA-

TRACTATVS II.

DE FACVLTATE COMMISSARII CIRCA POENAS, ET CENSVRAS ECCLESIASTICAS.

IN paragrapho vigesimo quarto Pontifex concedit Commissario potestatem dispensandi, & componendi super quibusdam irregularitatibus quadam posita limitatione, de qua facultate tractatum hunc instituimus.

CAPVT I.

Examinatur potestas prædicta circa varias irregularitatum species.

1 QVia non omnes, sed tantùm aliquæ sunt irregularitates cadentes sub Commissarij potestatē, debemus distinctè de his omnibus sermonē facere, vt elariùs huius facultatis amplitudo innotescat.

SECTIO I.

Supponuntur aliqua, & declarantur irregularitates, in quas Commissarij dispensatio fertur.

2 ANtequam aggrediamur ad exponēdas irregularitates, in quibus Commissarius virtute collata à Pontifice dispensare valet, oportet, breuissimam quādam præmittere definitionem, & diuisionem irregularitatis. & licèt materia ista ad tractatum de censuris pertineat, nihilominus, quia non possumus perfectam consequi cognitionem de hac facultate Commissarij absque prædictorum notitia, ideirco aio, irregularitatem esse canonicum impedimentum prohibēs promotionem ad Ordines, & eorum vsum. *Irregularitatis definitio.* primo diuiditur in irregularitatem, quæ oritur ex indecētia, seu ex defectu significationis, & in irregularitatem, quæ est ex delicto. *Diuisio.* attamen non ita hæ duæ irregularitatis species contradistinguntur, quin interdum vna, eademque numero irregularitas inuoluat conditiones vtriusque generis, videlicet adnexum habeat defectum, & culpam, vt est illa, quæ resultat ex homicidio, mutilatione culpabili, &c. species autem prioris membri sunt sex, nimirum ex defectu Animi, Corporis, Natalium, Libertatis, Sacramenti, Lenitatis; declaro autem has irregularitates. *Species irregularitatis ex defectu breuiter explicantur.* irregularitas ex defectu Animi est per carentiā vsus rationis, vt sunt amentes, vel per carentiam scientiæ necessariæ ad Ordinem, vel denique per defectum fidei, vt in Neophytis, qui cum professi fuerint aut Iudaismum, aut Paganismū, &c. nouiter ad fidem conuersi vsque ad certum tempus censentur irregulares. irregularitas alia ex defectu Corporis est, dū quis caret aliquo membro, & eius priuatione causatur deformitas, vel habet aliquā monstruositatem. ex defectu Natalium sunt omnes illegitimi. ex defectu Libertatis, serui sunt irregulares. ex defectu Sacramenti, nempè matrimonij Bigami sunt irregulares. demum ex defectu Lenitatis sunt irregulares ministri iustitiæ, & omnes, qui aliquo modo cooperati sūt ad mortem alterius absque peccato, alij autem addunt defectum ætatis, quamdiu defectus iste durat.

Irregularitas verò, quæ oritur ex delicto, est etiā multiplex, nam alia est ex homicidio volūtario, alia ex casuali, ex mutilatione membri, ex apostasia à fide catholica, ex hæresi, ex iteratione Baptismi, ex illicita susceptione, vel vsu Ordinis, ex violatione censuræ exercendo actum Ordinis sacri, ex infamia, &c. 3 *Et quæ ex delicto.*

His igitur breuiter præmissis, quærimus irregularitates, in quibus Commissarius potestatem habet dispensandi.

Dico igitur. Potest Cōmissarius dispēsare vi Bullæ in irregularitate contracta ab eo, qui cum fuerit ligatus aliqua censura, nempe excommunicatione maiori, aut suspensione, aut interdicto se Diuinis immiscuit actum Ordinis exercens v. g. celebrando, aut cum fuerit interdictus 4 *In qua possit Commissarius dispensare.*

in

celebratione officiorum ſacrorum cã-
uit in choro, tamquam Hebdomada-
ꝯ,vel ſi fuerit excommunicatus, & ac-
pit, non obſtante excommunicatione,
quem ordinem ſacrum, vel erit Diaco-
s canens Euangelium, aut Subdiacon⁹
m manipulo,& ſolemniter Epiſtolam,
l Sacerdos baptizans ſolemniter, aut
cipiens confeſſiones ſacramentaliter,
ı benedicens ſponſos. in his autem, &
ilibus caſibus, in quibus incurritur ir-
ſularitas ex delicto, poterit Commiſ-
ius diſpenſare. ſic colligitur *ex ipſa*
lla in §. 24. dum dicitur: *Item concedi-*
facultas dicto Commiſſario diſpenſan-
& componendi ſuper irregularitate cum
,qui quibuſuis eccleſiaſticis cenſuris li-
Miſſas, et alia Diuina officia celebraue-
,ſeu aliàs ſe immiſcuerint,&c. ſub cele-
tione autem Diuinorum comprehen-
itur omnes caſus illi, quos enumeraui-
s.

Præter enumeratas irregularitates
uenientes ex violatione cenſuræ per
rcitium alicuius actus ordinis ſacri, in
ꝯs ſtatuimus, Commiſſarium diſpē-
poſſe, eſt dubitatio apud Doctores,
acultas prædicta diſpenſandi exten-
ır ad quamlibet aliam irregularitatẽ
uocumque alio delicto, ſublatis illis,
expreſsè in Bulla excipiuntur, de
us infra,& pariter, an extendatur ad
las, quæ oriũtur ex defectu. pro qua-
quentem inſtituimus ſectionem.

SECTIO II.

:ommiſſarij poteſtas ſe extendat ad alias irregularitates.

Ationem dubitandi nobis exhibet
ipſamet Bulla, quæ poſt irregula-
s præcedente ſectione relatas, ſub-
ec verba, *& ſuper alia ex illis qualibet*
elarit ate contracta. interponit autem
ılaritates, quarum diſpenſationem
ſe x ſibi reſeruat. ex prædictis igitur
s ſuboritur difficultas, an Cõmiſſa-
aleat diſpẽſare in alijs irregularita-
ſiue ex delicto, ſiue ex defectu reſul

ma ſententia reſtrictè loquens vult,
Commiſſarij facultatem ſolùm ver-
rca vnum perſonarum genus, nimi-
irca perſonas illas, quæ per viola-
n cenſuræ mediante exercitio ſacri
s irregularitatem contraxerunt,
: reliquo cenſura, quæ violatur, ſit
icto, ſiue ex defectu, & ſic opinio
ponit verba illa Bullæ, ſcilicet *&*
uacumque alia irregularitate, hoc
n quibuſuis perſonis, quæ quacum-
que innodati irregularitate ſe Diuinis in-
terpoſuerint, & ita refert verba iſta non
ad irregularitates diſpenſabiles, ſed ad
perſonas illas, de quibus antecedenter
fuerat ſermo, & non quomodocunque
acceptas, ſed vt ſe immiſcentes in Diui-
nis non obſtante cenſura. hanc ſententiã
ſecutus eſt *quidam doctus Recẽtior*, & pro
ea citat *Rodriquez in addit: Bullæ* §. 13. *n.*
9. *& Villalobos clauſ.* 53. *num.* 10. *ſed Vi-*
llalobos eſt in oppoſita ſententia, vt vide-
bimus. *Rodriquez* autem non fauet huic
opinioni, ſi attentè legatur: probari po-
teſt hæc ſententia, quia textus de vno tã-
tum perſonarum genere loqui videtur,
nempè de illo, qui cenſura ligatus in Di-
uinis miniſtrauit, proinde verba illa,
& ſuper quacumque alia irregularitate,
congruè referũtur ad perſonas ipſas vio-
lantes cenſuram modo explicato, & con-
firmatur *ex Bulla Luſitana*, quam tranſ-
cribit *Acoſta*, in qua de eodem dum-
taxat perſonarum genere expreſsè loqui-
tur.

Secunda opinio cẽſet, poteſtatem hãc 8
ſe extendere ad omnem irregularitatem *Secunda extendẽs ad omnem irregularitatem.*
ſiue ex delicto, ſiue ex defectu, & id colli-
git ex eo quod Bulla vniuerſaliter loqui-
tur ſolùm quinque excipiendo irregula-
ritates ſiue ex delicto, ſiue ex defectu,
& quia niſi hoc dicatur, verba illa, *&*
ſuper quacumque alia, &c. non poſ-
ſent habere congruam interpretationẽ,
quam tamen habent intellecta in eo ſen-
ſu, in quo accipiuntur ab hac ſententia.

Tertia opinio aſſerit, poſſe Commiſſa- 9
rium vi huius Bullæ diſpenſare in qua- *Tertia ad omnes, quæ ſunt ex delicto, nõ ex defectu.*
cumq; irregularitate orta ex delicto præ-
ter exceptas, non autem in illis, quæ pro-
ueniunt ex defectu. & iſta opinio eſt val-
dè communis, eamque docet *Villalobos*
clauſula cit. num. 7. *Ludouicus à Cruce in*
expoſitione Bullæ diſp. 5. *cap.* 9. *dub* 7. *Hẽ-*
riquez lib. 7. *cap.* 13. *num.* 5. *Rodriquez in*
addit. §. 13. *num.* 3. 6. 7. vbi cõcedit, Com-
miſſarium diſpenſare poſſe in irregulari-
tate ex mutilatione, & ex homicidio ca-
ſuali. *Aegidius Trullench lib.* 1. §. 3, *dub.* 1.
initio. & quamuis loquatur indefinitè, &
abſque nota vniuerſali, *& num.* 2. decla-
ret irregularitates iſtas diſpẽſabiles à Cõ-
miſſario per indebitam adminiſtrationẽ
ſacri ordinis, & violationem cenſuræ, ni-
nihilomin⁹ enumerat irregularitates iſtas
non taxatiuè, ſed exemplificatiuè, quia
dub. 2. concedit, poſſe ipſum Commiſſa-
rium diſpenſare in irregularitatibus ex
alio delicto, videlicet ex mutilatione, ho-
micidio caſuali. *& Auila de cenſuris par.*
7. *diſp.* 6. *ſect.* 5. *dub.* 5. *corol* 3. poſt tertiã
concluſionem docet, poſſe Commiſſariũ
diſpenſare in irregularitate ex defectu
Leni-

Lenitatis, quia poteſt ſuper quacumque, quæ non procedit ex homicidio voluntario.

10 *Deciſio Authoris amplectens tertiã ſententiã vt communiorem.*

Dicendum eſt cum hac tertia ſententia, quæ eſt longè communior textui, & praxi conformior, & quoad partem affirmatiuam ſuadetur, quia cum excipiantur tantùm quinque irregularitates ex delicto, exceptio iſta firmat conceſſionẽ pro reliquis. ſi enim Pontifex voluiſſet alias irregularitates ex delicto excipere, non enumeraſſet tantùm quinq; proinde verba illa, *& ſuper quacũq; alia*, intelligi debent ex delicto. quoad partẽ verò negatiuam, nimirum non poſſe Commiſſarium diſpenſare in irregularitate ex defectu, ſeu ex indecentia, probatur, quia praxis ita oſtendit: non enim diſpenſat cum Bigamo, neque cum aliquo habente carentiam alicuius membri, ex qua carentia generatur deformitas, neque diſpenſat cum illegitimo, & ſic de alijs.

11 *Compoſitio pecuniaria neceſſaria ad valorem diſpenſationis quæ, et quãta eſſe debeat.*

Dicendum eſt ſecundo. Vt diſpenſatio iſta facta à Commiſſario vi Cruciatæ ſit valida, oportet intercedere aliquam cõpoſitionem pecuniariam in ſubſidium Cruciatæ taxandam ab ipſo Commiſſario, vel à ſubdelegatis Commiſſarijs in ſingulis Prouincijs. hæc autem taxa non eſt præſcribenda firmiter vna pro omnibus, ſed ſingulis vicibus eſt facienda à Commiſſario, habito reſpectu, ad irregularitatem, in qua diſpenſat, nam quò maior eſt, maiore indigebit compoſitione, attendi etiam debet conditio perſonæ, cũ qua fit diſpenſatio: nam à diuitibꝰ maior, à mediocribus minor, à pauperibus minima petenda erit compẽſatio: & ſi paupertas ſit adeo grauis, vt pauper diſpenſandus neque vnum obolum erogare valeat, tunc ex præſumpta voluntate Pontificis gratis erit facienda; eſſe per ſe loquẽdo neceſſariam compoſitionem, patet ex ipſa Bulla, nam ſic habet, *cõcedidur facultas diſpenſandi, & componendi*, vtrumque enim copulatiuè requiritur, vt adnotauit *Trullench dubio illo* 1. *num.* 4. *in fine*.

12 *Obiectio de Bigamia interpretatiua.*

Sed dices. Aliqua Bigamia interpretatiua eſt ex delicto illius, qui petit diſpenſationem, vt ſi quis contrahat cum duabus, validè cum vna, inualidè cum altera, vel cum vtraque inualidè, erit Bigamia interpretatiua ex delicto Mariti. igitur poterit Commiſſarius in eam exercere ſuam poteſtatẽ diſpenſandi, quia vniuerſaliter ſtatuimus, poſſe diſpenſare in omni irregularitate ex delicto, exceptis quinq; vt dicemus, & idem etiam aſſeritur de Bigamia ſimilitudinaria, vt ſi quis habẽs ordines, vel ſit profeſſus religioſus, & matrimonium contrahat, ſit Bigamus ſimilitudinariè, vt declaratur *in tractatu de irregularitate*: ergo poterit cum iſto tali Commiſſarius diſpenſare.

Reſpondeo eſſe duas ſententias, quarũ prima eſt affirmatiua, & in eam inclinat *Rodriquez in addit. ad* §. 13. *num.* 3. ob rationem illam aſſignatam, nempè hanc irregularitatem videri ex delicto. & ita expreſsè ſentit *Villalobos clauſ.* 13. *num.* 8. *Ludouicus à Cruce dubio illo* 7. *num.* 21. & in eadem opinione videtur eſſe *Diana in Bullam tract.* 21. *reſol.* 115. at oppoſitã vt veriorem tuetur *Trullench dubio illo* 1. *in fine, & citat Henriq. lib.* 7 *cap.* 13. *num.* 5. *ſed in Henriquez nihil de re hac loco ſignato* inuenire potui. mouetur autem *Trullench* ad hanc ſententiam negatiuã, ex eo quod, vt ipſe inquit, poteſtas Commiſſarij fertur in irregularitates, quæ per ſe proueniunt ex delicto, non autem per accidens, ſed Bigamia, quæ eſt talis iuris fictione, ſicuti & ſimilitudinaria primò, & per ſe procedunt ex defectu Sacramenti, & non ex delicto, niſi per accidens, igitue ad talem Bigamiam non ſe extendit poteſtas Commiſſarij; vtraque opinio habet ſuam probabilitatem, & ſuſtineri poteſt; at praxis oſtendit, veriorem eſſe hanc ſecundam, quia tali impedimento detenti, antequã ad ordines promoueãtur, recurrunt ad Papam, vt cum ipſis diſpenſet. 13 *Reſpondetur ex duplici ſententia.* *Vtraq; probabili.*

Dices ſecundo, non videtur Cõmiſſarius poſſe diſpẽſare in irregularitate proueniente ex homicidio caſuali, aut mutilatione, quia licèt irregularitates iſtæ ſint ex delicto, tamen habent adnexum defectum ſignificationis, aut repræſentationis manſuetudinis Chriſti, idcirco cum non ſint ex puro delicto, ſunt extra obiectum huius poteſtatis, & nequit aſſignari, cur potiùs delictum, ex quo irregularitas iſta originatur, trahat ad ſe defectũ reddens irregularitatem ex ipſo ſequentem diſpenſabilem à Commiſſario, & non è contra, defectus trahens ad ſe delictum impediat diſpenſationem. 14 *Obiectio ſecũda de irregularitate in homicidio caſuali, aut mutilatione.*

Reſpondeo, quamuis irregularitas proueniens ex homicidio caſuali, & mutilatione habeat adnexum defectum repræſentationis, & vt ſic conſiderata non appareat maior ratio, cur potius delictum ponat talem irregularitatem intra latitudinem obiecti huius poteſtatis, quàm defectus extrahat eãdem irregularitatẽ à latitudine obiecti, nihilominus cum Summus Pontifex in excipiendis irregularitatibus à poteſtate Commiſſarij non excipiat homicidium vt ſic, ſed homicidium qualificatum, nempè voluntarium, quod à Doctoribus cõmuniter ſumitur vt contradiſtinctum à caſuali, idcirco rectè aſſerimus, non quodcunque homicidium eſſe exceptum, ſed voluntarium. 15 *Reſpondetur, eam etiã cadere ſub poteſtatem Commiſſarij, quatenus eſt ex delicto.*

dici-

cimus ergo, esse extra potestatem Commissarij irregularitatem, quæ dicit puram decentiam, & oritur ex vitio corporis, t animi, sed quando indecentia oritur delicto, tunc quemadmodum irregularitas ex delicto subest facultati Cōmissarij, ita & indecentia resultans ex eodem licto, & ob eamdem, immo & maiorē ionem id fatendū erit de mutilatione. Ad fundamenta autem aliarum opinionum, quatenus faciunt contra nos, fas ex dictis erit solutio: ad primum igi primæ sententiæ respondeo cōcedendo explicitè, & distinctè in textu sermonem esse de vno genere personarum; at implicitè, & confusè de pluribus, & tot, ot sunt irregularitates ex delicto, paucis exceptis, vt habetur in illis verbis, quæ iuntur, postquā textus ipse expressit sonas illas, quæ incurrūt in irregularitatem ob celebrationē Diuinorū nempè dū tur, *& super qualibet alia*, quasi dicat ensare posse cū quolibet habente aliā gularitatem præter enumeratam.

d secundū, quod est cōfirmatio eiusdem sententiæ, respondeo, quicquid sit de a illa Lusitana, nostra amplior est, & tinet verba supradicta vniuersalia, non habentur in Bulla illa.

d argumentum autem pro secunda ione respondeo, per consuetudinē, & im habere nos intelligentiam illorū orum, nempè *& super qualibet alia*, tim supra diximus, numquam vidi ad praxim deductam opinionē illā, licet quod irregularitates, quæ ex ctu immediatè sequuntur, tollantur io, qui sit Summo Pōtifice inferior. Igitur est, verba illa in textu apposita n esse sumenda in tāta amplitudine, tendantur ad omnes irregularitates x defectu. & confirmatur, quia non risimile, voluisse Pontificē excipere as irregularitates ex delicto, & nullā fectu, quarū saltē aliquæ sunt longè ris momēti, quàm sint aliquæ ex de- & præsertim Bigamia, quæ est talis, *tla* meritò dixerit esse grauissimā. *7. disp.* 10. *dub.* 1. cuius grauitas est t aliqui ad illam explicandam aufi cere, esse indispensabilem etiam à ice. sic *Gloss. cap.* 2. *ver. dispensare amis.* non quia verè, & rigorosè in ice non sit talis potestas, nam error oc negare, cū irregularitas ista ortū t à iure canonico, supra quod est ex: dicitur autē indispēsabilis, quia limè in ea dispensatur, sicuti est irritas homicidij volūtarij, quæ etiā idē rationem solet indispensabilis sic *Aula par. 7 disp. 6. sect. 5. dub. Sed contra.*

Dicendum est tertiò. Commissarius renalidare potest titulum beneficij, & fructuum ex illo perceptorum ijs, cum quibus dispensat, sic dicitur *in eodem paragrapho* 14. his verbis, *cum retentione beneficiorum, & fructuū ex eis perceptorum, &c.* erit tamen danda absolutio à censura ecclesiastica, in quam dispensandus incidit, vt notat *Rodriq. in addit: ad §.* 13. *num.* 9. *& alij.* 18 *Titulus beneficij, & fructuū perceptorum reualidari potest à Cōmissario ijs, cū quibus dispensat.*

Dicendum est quartò. Beneficium, cuius titulus validatur à Cōmissario, est beneficium superueniens irregularitati, non autem est beneficiū antecedēs, quia irregularitas, vt ex communi sententia notat *Bonacina De censuris disp. 7. quæst. 1. p. 2. n.* 8. non priuat beneficiarium beneficio, seu pensione ante irregularitatem obtenta, vt ibidem idē Author probat, id circo ne facultas reualidandi sit superuacanea asserere debem⁹, sermonem hic esse de beneficio post irregularitatem superueniēte: & quod diximus de beneficio intelligi etiam debet de iurisdictione, nam irregularis exercere potest actus iurisdictionis non inuolentes exercitium ordinis & validè, & licitè, vt inquit *Bonacina ex multis num.* 15. 19 *Quod beneficiū reualidetur.*

Dicendum est quintò, posse à Cōmissario auferri infamiam prouenientē ex irregularitate, quæ ab eodem tolli potest, sic in eodem textu habetur. *Tolli potest infamia orta ex eadem irregularitate.*

Dicendum est sextò, in nulla irregularitate ex dictis posse Commissarium dispensare, quando delicta, ex quibus oriūtur, patrata sunt in cōtemptum clauium, sic habetur in ipsa Bulla, in qua licèt restrictio ista apponatur contra eos, qui dū aliqua censura sunt innodati, celebrant Sacrum, aut in Diuinis se immiscēt, tamē hoc ipsum est extendendum ad alia delicta ex contemptu commissa, quia motiuum nequè se habet ad omnia. est enim punire eos, qui ex cōtemptu Dei, aut Ecclesiæ operantur: & sic vniuersaliter verba hæc explicantur à *Rodriq. in addit. ad §.* 13. *num.* 5. *& à Trulleuch dubio illo primo n.* 5. contemptus autem iste debet esse formalis, quia non sufficit esse solūm virtualem, seu interpretatiuum, vt est ille, qui includitur in omni peccato, & non est formaliter, & directè volit⁹. talis enim esset, si quis exercens actum ordinis violaret censuram paruipendens pœnas ecclesiasticas, aut directè nolens obedire, & Ecclesiæ iurisdictioni se submittere, aut alio modo simili: secùs autem, si moueretur ad peccandum ex alio motiuo, V. G. ex motiuo concupiscentiæ, iræ, &c. 20 *Si delicta sunt patrata in contemptum Ecclesiæ, non potest in irregularitate ex illis orta dispensari.* *Contemptum oportet esse formalem, nō virtualē solū.*

SECTIO III.

Deciduntur nonnulla difficultates in ordine ad validitatem dispensationis prædictarum irregularitatum.

21 SOlent aliquādo secundùm varias rerum circumstantias plures insurgere dubitationes non circa substantiam ipsius irregularitatis, de qua loquimur, quia certum est talem esse, vt in ea possit Commissarius dispensare, sed quia interdum coniunctam habet aliquam conditionem ex parte subiecti, nempè personæ irregularis, vt merito dubitationem ingerat, vtrum non obstante conditione illa, qua persona afficitur, irregularitas maneat dispēsabilis à Commissario: quapropter ad perfectā huius facultatis notitiam oportet has difficultates, & dubitationes explanare.

22 Quæres igitur primo. An irregularitas ex delicto, quando est publica, eius dispēsatio excedat potestatem Commissarij.

Potest Cōmissarius dispensare in irregularitate ex delicto quādo est publica.

Respondeo negatiuè, quia Papa absq; tali limitatione potestatem hanc confert Commissario: & ita communiter tenent Doctores, quamuis *Rodriq. in §. 13. num. 1.* videatur oppositum sentire, scilicet Commissarium posse dispensare in his irregularitatibus, quando sunt occultæ, si enim ipse putaret, facultatem Commissarij se extendere ad has irregularitates siue publicas, siue occultas, non erat cur apponeret restrictionem illam dicens, posse in occultis: talis enim mod⁹ loquēdi solet apud homines significare, non posse nisi in occultis; sed quicquid sit de mente huius Authoris in eo loco, *in addit. tamen ad eumdem paragraphum n. 1.* nostram sententiam tuetur, quam etiam docet *Henriquez lib. 7. cap. 13. num. 5. Villalobos clauf. 13. num. 6. Trullench. §. illo tertio dub: 1. num. 4. Diana in Bullam tract. 11. resol. 115. ver. igitur ex his.* & ideo facultas Cōmissarij excedit illā, quæ *à Trident. sess. 24. cap. 6. De reform.* conceditur Episcopis, ibi enim Episcopis datur potestas dispensandi, quando hæ irregularitates sunt occultæ.

23 Quæres secundo. An dispensatio Commissarij prosit pro foro externo, an solum pro interno.

Dispensatio Commissarij prodest in vtroque foro.

Respondeo prodesse pro vtroq; foro, ita Authores citati, & hoc ob eādē rationē, quia absoluté cōcessa est facultas ista, proinde in foro externo, & contentioso iuuabit huiusmodi dispensatio, quamuis delinquens ob delictū patratum puniri poterit à Iudice; nam dispensatio nō eximit illū à pœna debita, sed solū tollit irregularitatē, ita vt reus in futurū valeat se gerere non vt irregularis: at vt fidē de hoc faciat, oportet habere scriptū, in quo appareat dispensatio habita à Commissario.

Quæres tertio. Vtrum dispensatio ista fieri possit extra Sacramentum Pœnitentiæ, & cum persona absente. 24

Dispensatio ista fieri potest extra Sacramentum Pœnitentiæ.

Respondeo, vtrumque fieri posse. sic *Rodriq. in addit. prædicta n. 2.* & notat, quod si Cōmissarius sit Sacerdos, & in cōfessione valeat dispensare, non debet id facere gerens se vt Confessariū, quia Cōfessario vt Confessario non est talis facultas concessa; & ideo, si Cōmissarius nō erit Sacerdos, poterit eodē modo eadē vti facultate: sic etiam docet *Trull. loco cit.* ex quo colligimus, dispensationem hanc dari posse etiam personæ absenti, quia si absentia impediret, id esset, quia dispensatio dari deberet in Sacramento Pœnitentiæ: at cum extra illud, vt ostendimus, dari valeat, nulla erit ratio, cur nequeat, sicuti aliæ dispensationes Pontificiæ, fieri cum persona absente.

Quæres quarto. An Cōmissarius validè possit cum Religiosis exemptis prædicta vti potestate. 25

Potest Commissar⁹ dispensare cum Regularibus exēptis etiam sine licentia Prælati.

Respondeo, quæsitū hoc procedere, quando nulla est habita licētia à Superiore, quia, posita tali licentia, omnes conueniunt, id. & validè, & licitè fieri posse procedit igitur, quando Regularis volens dispensationē alicuius irregularitatis obtinere, immediatè recurrit ad Cōmissariū nulla petita licētia à suo legitimo Superiore, & ideo ad quæsitū sic procedēs respōdeo per se loquēdo id fieri posse, atq; adeo assero, posse cū Regulari exēpto, etiā nulla licentia petita à suo Superiore dispēsare Cōmissariū. sic docet *Trull: dub. 1. cit. n. 3.* & ratio est, quia Cōmissarius dispensat vt Delegatus Sūmi Pōntificis, talis autē Delegatus gerēs Papæ vicē habere poterit iurisdictionē in quibusdā casib⁹ in Regulares, & maximè, quādo Regularis spōtè Cōmissarij potestati se submittit. Cōmissariū autē gerere vicē Sūmi Pontificis expressè habetur in sacris Canonibus *in c: Sanè. De offic. Deleg.* dixi per se, nā, vt etiam innuit *Trull.* conclusio hæc intelligenda est casu, quo ex vi alicuius priuilegij Pōtificij oppositū in aliqua Religione nō sit dispositū.

Quæres quinto. An Regulares Societatis IESV possint sine Superiorū suorū licētia obtinere prædictam dispensationem à Commissario. 26

Religiosi Societatis ... [illegible]

Respondeo negatiuè, quia extat Cōstitutio edita à Gregorio XIII. & refertur in *Compendio priuilegiorum nostræ Societatis ver. Gratiarum vsus §. 2.* vbi statuitur, non posse Religiosos Societatis frui priuilegijs, seu facultatibus, quæ continentur in Bulla Cruciatæ, confessionalibus, aut

it alijs quibuſuis Apoſtolicis indultis, ni-
iuxta diſpoſitionem ſuorum Prælatorū,
declarat, poſſe Superiorem, dum huiuſ-
odi licentiam concedit, limitare eam
l vſum vnius, aut alterius facultatis, &
ohibere vſum reliquarum etiam in-
dem Bulla, aut indulto contentarum,
in ſimili ratiocinati ſumus *par. 1. huius
ris*, dū ageremus de priuilegio Bullæ
dine ad perſonas Societatis: ſi quis au-
n quærat, quis ex Superiorib⁹ poſſit hāc
entiā perſonis Societatis concedere,
o, poſſe nō ſolū Præpoſitum Generalē,
rùm etiam & Prouincialem, & Præpo-
s locales, & Rectores, vt ibidem dixi-
s de priuilegijs Cruciatæ.

Quæres ſexto. An poſſit Commiſſarius
penſare cum perſona ignota?

Reſpondeo, aliquando contingere, vt
penſandus vel ob verecundiam, vel
aliam cauſam rationabilem nolit ſe
nifeſtare; tunc quærimus, an valeat per
am petere hanc diſpenſationem taci-
omine ipſius diſpenſandi, & dico, abſ-
dubio id fieri poſſe; nam diſpenſatio
ſua natura non petit, vt diſpenſandus
nitur, ſed ſolùm vt exponatur cau-
& ſic plures diſpenſationes pro ſolo
ſcientiæ foro conceduntur in ſacra
nitentiaria tacitis nominibus eorum,
n quibus diſpenſatur, & etiam à ſor-
i conceditur iuriſdictio abſoluendi
ſonæ ignotæ; igitur cum ex natura diſ-
ſationis talis conditio non habeatur,
ue in caſu noſtro apponatur à Ponti-
, rectè dicimus, poſſe Commiſſarium
enſare cum perſona ignota.

SECTIO IV.

*rregularitatibus ex delicto, ad quas tol-
lendas non extenditur poteſtas
Commiſſarij.*

Vinque irregularitates in hoc para-
grapho excipiuntur à Pontifice, in
quibus non datur poteſtas diſpen-
i ipſi Commiſſario: prima eſt illa, quæ
ur ex homicidio voluntario: ſecunda
monia: tertia ex apoſtaſia à fide, quar
hæreſi: quinta ex mala ordinum
ſceptione: ſed in his quinque irre-
gularitatibus nonnulla ſunt de-
claranda ad pleniorem
earūdem notitiam,
& per diſtinctos
paragra-
phos.

§. I.

*De irregularitate ex homicidio
voluntario.*

INcipiendo à prima irregularitate, quæ 29
eſt per homicidium voluntarium,
aio, per homicidium voluntarium non
intelligi illud, quod diſtinguitur ab eo,
quod nullo pacto eſt voluntarium, & per
conſequens inculpabile, ſed intelligimus
illud, quod eſt formaliter, & directè vo-
luntarium, ſeu directè intentum, & con- *Declaratur homicidium voluntarium.*
tradiſtinguitur ab eo, quod non eſt in ſe
directè volitum, ſed ſolùm in cauſa, licèt
etiam ſit culpabile, vt fusè declarari ſolet,
dum eſt ſermo de cenſuris, & pœnis ec-
cleſiaſticis: ſic etiam ſumitur homicidiū
voluntarium *in Concilio Triden. ſeſſ. 24.
cap. 6. De reformat*: dum Epiſcopis conce-
ditur poteſtas diſpenſandi ſuper qualibet
irregularitate occulta, dummodo non
proueniat ab homicidio voluntario, & nō
ſit deducta in foro contentioſo. Ad hanc
irregularitatem *Ludouicus à Cruce cap.
nono citato* reducit illam, quæ eſt ex
mutilatione; ſed non rectè, quia ſub
homicidio voluntario non comprehen-
ditur mutilatio, vt aſſerit *Nauarrus in
ſumma capit. 27. numero 194. in fine. Ro-
driquez, & alij infra citandi*, quibus ad- *Sub homicidio hic non includitur mutilatio.*
do *Suarez diſp. 44. De cenſ. ſect. 1. num. 4.*
& ratio eſt, quia, cū ſumus in pœnalibus,
verba ſunt ſtrictè interpretanda, & quia
in caſu noſtro ſermo eſt de poteſtate diſ-
pēſandi, amplè eſt interpretādus, vt oſtē-
dimus *parte prima*. & confirmatur hoc,
quia Epiſcopus certum eſt, quod poſſit
diſpenſare in irregularitate cauſata ex
mutilatione, quādo eſt occulta: at nequit
in illa, quæ oritur ex homicidio volunta-
rio: & ſic loquendo de Commiſſario do-
cet *Rodriq. in addit. ad §. 13. Trullench.
lib. 2. §. 3. dub. 2. num. 2. & alij.*

§. II.

De irregularitate ex ſimonia.

CIrca ſecundā irregularitatē, quæ ex 30
ſimonia procedit, ſupponēdæ ſunt
pœnæ, quæ contra Simoniacos in iure ca- *Declaratur ſimonia, cui ipſo facto ſunt in iure pœnæ impoſitæ.*
nonico habentur; ſi autem loquamur de
pœnis ipſo facto incurrēdis, ſolū inuenio,
pœnas iſtas impoſitas eſſe triplici ſimo-
niæ, nempè ſimoniæ ob ingreſſum Reli-
gionis, ob promotionē ordinū, & ob be-
neficiorū adeptionē, & hoc colligitur ex
varijs Decretis Pōtificū, nā contra Simo-
niacos in beneficijs, & in ordine extat *Ex-
trauagans Pauli II. quæ incipit, cū deteſta-
bile ſcelus*. cōtra Simoniacos pro ingreſ-
ſu Religionis habetur *Extrauagās Vrbani
IV. De ſimonia, quæ incipit, ſanè ne in vinea*

 Domi-

Domini, vt ex Syluest. & Nauar. notat Less. lib. 2. De iust. c. 34. dub. 23. initio, & Suar. tom. 1. De relig. lib. 4. De simonia cap. 55. rursus supponendum est, quod quamuis secundùm plures Authores recipiens ordinem simoniacè incurrat irregularitatē, etiam si simonia sit occulta, vt notat *Henriquez lib. 7. cap. 13. num. 6. & Suar. De censuris disp. 43. sect. 4. num. 2.* nihilominus & ipsi, & alij existimant, ob peccatum simoniæ occultæ nullam incurri irregularitatem, quia in iure nō habetur hoc expressum, licèt in alias pœnas, & censuras Simoniacus incurrat, & ipso facto in triplici illa materia. dixi ob simoniam occultam, nam quando est publica ratione infamiæ resultat irregularitas. his præhabitis, dicimus, non posse Commissarium dispensare in irregularitate, quæ oritur ex simonia, quia Pōtifex in hoc paragrapho talem irregularitatem expresse excipit, hoc autem facit iuxta probabilē opinionem, quæ asserit, ex simonia, saltem circa ordines, incurri irregularitatem: at quia oppositum est etiam probabile, immo iuxta meam sententiam probabilius, idcirco Simoniacus non indigebit dispensatione facienda à Commissario in aliqua irregularitate, cum poterit practicè sibi suadere in nullam incurrisse irregularitatem.

Sed ex hoc emergit grauis dubitatio, an Commissarius possit dispensare in irregularitate, quæ oritur ex infamia resultante ex delicto simoniæ.

31 *Quotuplex sit infamia.*

Pro solutione huius difficultatis aduerto, non esse sermonem de infamia facti, sed iuris, nimirū de illa, quæ nascitur post sententiam datam à Iudice condemnatoriam delicti, vt rectè probat *Suar. cap. 56. num. 21.* & id colligit *ex cap. sanè 15. q. 3.* vbi statuitur, debere accusationē præcedere, & cōdemnationem sequi; proinde non incurritur in hanc infamiam ipso facto. sed quia in textu citato locutio solū est de simonia in ordine, & beneficio, idcirco ipse Suarius affert alium textum, in quo vniuersaliùs est sermo de simonia, nempè *cap. si quis præb. quod est vltimum 1. q. 3.* ex verbis autem huius textus, & ex communi consensu Doctorum cōcludit, pœnam hanc non ipso facto, sed post Iudicis condemnationem incurri. hoc posito, difficultas est, an Commissarius possit in hac irregularitate dispensare, & dico, non posse, quia radicaliter, & mediatè irregularitas ista proficiscitur ex simonia, quæ est vnum ex delictis exceptis à Pontifice in hoc paragrapho, & quamuis non desit aliquis doctus recentior existimans, posse Commissarium dispensare, quia solùm videtur exceptæ irregularitates im- mediatè subsequentes quinque illa delicta superiùs recensita; nihilominus hoc sufficienter non probatur, & ideo puto, in nulla irregularitate, quæ procedit ab aliquo ex delictis exceptis siue immediatè, siue mediatè posse Commissarium dispensare, si irregularitas ista necessariam connexionem habeat cum aliquo delicto ex illis.

Nequit Commissarius dispensare in irregularitate orta ex infamia, quæ originem habet ex simonia.

32 Dices, Si doctrina ista vera esset, sequeretur, quod excommunicatus, aut suspēsus per delictum simoniæ violās censurā, & incurrens in irregularitatem non posset in tali irregularitate dispensari à Commissario, quia radicaliter, & mediatè irregularitas ista originē habet à simonia, seu ab aliquo alio delicto ex exceptis: at hoc est contra id, quod supra determinauimus; ergo vel illud erit falsum, vel vtrūque erit verum, cum par sit in vtroque ratio.

33 *Discrimē inter irregularitatem, quæ est ex violatione censuræ, & quæ est ex infamia in ordine ad dispensationem.*

Respondeo negando sequelam, & paritatem, nam irregularitas illa per se, & adæquatè dependet à violatione censuræ, & valdè per accidens à simonia, quia causatur non ab ipsa simonia, sed ab alia actione omnino extranea, qualis est violatio censuræ, quæ nullam connexionem habet cum simonia, secus autem ista irregularitas, quæ sine vlla actione media ipsius rei resultat veluti quædā proprietas ex infamia, quæ per se est connexa cū simonia independenter ab actione delinquentis.

34 *Nequit Cōmissarius reualidare titulum benefi. cū per simoniam accepti.*

Ex hac conclusione cohærenter dicimus, non posse Commissarium reualidare titulum beneficij simoniacè obtenti, vt rectè sētit *Emmanuel in addit. ad §. 13. n. 9.* immo si Pontifex concedat reualidationem tituli, non poterit Commissarius facere compositionem fructuum ab ipso Simoniaco perceptorum, vt inquit *Emmanuel, & Trullench locis citatis*, quia sicuti non potest dispensare in irregularitate proueniente ex simonia, ita neque reualidare titulum beneficij, & compositionē fructuū facere: hæc enim omnia sunt per se cōnexa cum ipso delicto simoniæ modo explicato; & quod dicimus de irregularitate, quæ oritur ex simonia in ordine ad reualidandum beneficium, &c. idem asserimus, si beneficium obtineatur ab eo, qui est irregularis, vel ob homicidiū, vel ob aliud delictum ex exceptis. secus de irregularitatibus prouenientibus ex alijs delictis non exceptis, nam sicuti Cōmissarius potest dispensare in his irregularitatibus, ita & reualidare beneficij titulum, & compositionem in fructibus admittere, vt aduertit *Trullench dub. 3.*

§. I:I.

§. III.

De irregularitate ex apostasia.

35 LOquimur de apostasia, nõ quacunq; sed de ea, quæ est à fide. apostasia, vt nomẽ sonat, est totalis recessus ab aliquo instituto, quod fuit susceptum cum animo permanendi in illo, quia apostatare deficientiam importat, & in malam partem sumi solet, proinde dicit iniquum recessum, & omittendo sermonem de apostasia, quæ in rebus temporalibus etiam inuenitur, vt contingit, dum quis à subiectione proprij Regis se subtrahit, ideoq; dicitur apostatare ab illo, vt loquitur *Decianus in tractatu crim. lib. 5. cap. 7. num. 1.* & sequitur *Suarez De infidelitate disp. 16. sect. 5.* omittendo, inquam, talem apostasiam, quæ ad nos in præsentia non pertinet, restringimur ad illam, quæ est in rebus spiritualibus, & à *S. Thoma 2. 2. quæst. 12. a. 1.* in tres diuiditur species, cum enim priùs dixerat, apostasiam hãc esse retrocessionẽ quamdam à Deo, statim subdit, diuersam esse iuxta diuersum modũ, quo homo Deo coniungitur, modum autem hũc triplicem esse, vel enim coniunctio fit per fidem, vel per debitam subiectionem, & obedientiam, vel deniq; per aliqua specialia, quæ sũt supererogationis. recessus à prima coniunctione est per infidelitatem, dũ quis v. g. à Christianismo transit ad sectam Mahumetanorum, aut Iudæorum, &c. secundus recessus est, dum homo contemnit obedire Summo Pontifici, & dicitur schisma. tertius deniq; est, dum quis eligens statũ clericalem per sacros ordines, vel statũ Religionis ab his statibus recedit cũ animo ad illos numquam redeundi, & dicitur Apostata à Religione ab Ordine, &c. nos verò in præsentia loquimur de prima apostasia, quæ est à fide catholica, per quam contrahitur irregularitas, in qua Commissarius non potest dispensare, vt habetur in hoc paragrapho.

Quotuplex sit apostasia.

§. IV.

De irregularitate ex crimine hæresis.

36 QVartum delictum, cuius irregularitas est à Commissario indispẽsabilis, est hæresis. supponimus enim definitionem hæresis esse errorem pertinacem cõtra veritatem fidei, seu contra id, quod Ecclesia proponit fidelibus credendum tamquam à Deo reuelatum. vide *Farinacium De hæresi q. 178. §. 1. Canum De locis theologicis lib. 12. cap. 8.* quam definitionem expressit *S. Thomas 2. 2. quæst. 11. a. 2.* dum dixit, hæresim esse illam, quæ fidem corrumpit; ex qua definitione colligitur, hæresim esse fidei contrariam, & repugnantem, nihil enim corrumpitur nisi à suo contrario, & quamuis Theologi diuersas assignare soleant definitiones hæresis, tamen omnes in idem recidunt, & solùm in verbis magis, aut minùs expressis est varietas.

Quid sit hæresis.

Ad hoc autem, vt ex hæresi irregularitas sequatur, non sufficit hæresim manere dumtaxat in actu purè interno, quia hæresis interna nõ subiacet pœnis ecclesiasticis, vt cõtra plures ostendit *Sanchez in Decalog. lib. 2. cap. 8. nu. 2. Suarez De fide disp. 21. sect. 2. num. 2. Farinacius De hæresi quæst. 192. §. 1. à num. 4. Barbosa De potest. Epis. allegat. 40. num. 6. & seq.* debet igitur hæresis interior prodire in aliquẽ actum externum, qui pensatis omnibus sit significatiuus erroris intellectualis, ita vt circumstantes valeant ex vi illius externi actus percipere errorem illũ internũ, ad hoc vt ipse Hæretic⁹ incidat in excõmunicationẽ *Bullæ* cœnæ. an verò per quãcũq; hæresim etiã externam resultet irregularitas, est cõtrouersum apud Theologos, & aliqui negant volentes ex sola hæresi externa, & notoria contrahi irregularitatem; alij verò affirmant, & aiunt, ex quacunq; hæresi quamuis occulta, si erit externa, resultare irregularitatem: & hãc sententiam cum multis alijs defendit *Sãchez lib. 2. citato cap. 25. nu. 2.* sed quicquid sit de his duabus sententijs, sufficit nobis in præsentia statuere, nõn posse Commissarium dispẽsare in hac irregularitate, ex quacunq; hæresi oriatur: & ratio est voluntas Pontificis hanc dispensationem sibi reseruantis. 37

Ex hæresi occulta non sequitur irregularitas.

Non potest Commissarius dispensare in irregularitate ex hæresi.

Cæterum circa irregularitatem ortam ex hæresi nonnulla dubia sunt decidẽda; & primo, an qui exteriùs tantùm ostẽdit, se esse hæreticum, interiùs verò fidem retineat, incurrat in irregularitatem, siue spõtè fingat, siue metu graui id faciat: secundo, quid si aliquis non discredat mysteria fidei, sed de illis dubitet, an censendus sit irregularis: tertio, quid de credetib⁹, fautoribus, receptatoribus, & defensoribus Hæreticorum: quarto, quid dicẽdum si quis dissentiat speciali reuelationi, & prodeat in actum externum: quinto, an, qui sunt de hæresi suspecti, incurrant aliquam irregularitatem, in qua Cõmissarius dispensare nequeat. 38

Respondeo ad primum, duas esse sententias; prima vult non incidere in irregularitatem, si crimen sit occultum, & loquendo de Apostata ficto, & manifesto *Azor par. 1. lib. 8. cap. 21. quæst. 8.* ait, non affici irregularitate propria Apo- 39

sta-

ftatarũ, fed alia, quæ eft ex infamia delicti. Secũda sẽtẽtia eft *Sãch. qui lib. 2. in Decal. c. 25. n. 6.* exiftimat veriꝰ effe oppofitũ, nẽpè hos affici irregularitate, fiue fpõtè, fiue graui metu fidẽ negent, vel ab ea apoftatẽt, fed addit, non incurri irregularitatẽ illam propriam hæreticorum, fed aliam huius delicti propriam, & hanc opinionem probat & iure canonico, & quorũdam auctoritate: non affici irregularitate illa, quæ hærefim fequitur probat ex multis idem *Sanchez eadem libro cap. 7. num. 8.* quibus addo *Ferdinandum Caftropalaum tom. 1. tract. 4. difp. 3. p. 2. nu.* 16. Cæterum quæ nam ex his opinionibus fit aõmittẽda, nõ eft noftrum in præfentia determinare; & ideo dicimus, quod fi ex negatione fidei externa, quãdo interiùs nõ eft error, nulla fequitur irregularitas, non eft opus difpẽfatione, quia nulla dabitur materia, circa quam verfari debet facultas ifta Cõmiffarij, fi verò fictè negans fidem contrahit aliquã irregularitatẽ diuerfam ab ea, qua afficitur formalis, & verus Hæreticus, poterit effe dubitatio, an poteftas difpenfandi, quam habet Commiffarius, extendatur ad difpenfandum in hac irregularitate, & non inuenio apud Authores rem hanc exagitatam, folùm reperio quemdam doctum recentiorem, qui in Commentarijs fuper Bullam examinans hoc punctum fuftinet, non poffe Cõmiffarium in hac alia irregularitate difpenfare, quia in foro externo hi reputantur Hæretici: Ecclefia autem non iudicat de internis, fed folùm de externis; proinde dum in hac Bulla excipitur irregularitas cõtracta ob hærefim, vel apoftafiam, &c. intelligi debet tum de hærefi, feu apoftafia vera, tum ficta; verùm ego oppofitum probabilius exiftimo, quia, cum verfemur in pœnalibus, & odiofis, dum excipitur irregularitas orta ex hærefi, verbũ hærefis, non eft ampliandum ad hærefim fictã (& idẽ dico de apoftafia) fed eft reftringendum ad formalem, & veram hærefim iuxta regulam iuris in fexto.

Poteft Commiffarius difpenfare in irregularitate prouenientẽ ex hærefi externũ ficta

40 Ad fecundum dico, quod dubium propriè loquendo eft, dum intellectus manet fufpenfus nullum eliciens affenfum, aut diffenfum, neq; vni neq, alteri parti ex oppofitis, & tunc per talem fufpenfionẽ formaliter loquẽdo dubitans nõ cenfebitur hæreticus, fed fi aduertẽs fufpenfionem, quã habet circa obiecta fidei, iudicet effe dubia, tunc erit formaliter hæreticus, & incidet in irregularitatem propriam Hæreticorum, fi ipfe hoc iudicium exteriùs fignificet; atque adeo irregularitas ifta erit à Commiffario indifpenfabilis.

Nequit Cõmiffarius difpẽfare cum eo, qui exterius oftendit dubium, quod habet circa fidem.

41 Ad tertium dico, fermonem effe de illis quatuor perfonarum generibus, prout contradiftinguntur ab Hæreticis; nam fi aliqui credant dictis Hæreticorum, illifq; animo hæreticali faueant, ita vt exteriùs error internus innotefcere valeat, tunc eadem erit ratio de his, ac de Hæreticis; quia reuera Hæretici funt: fed loquendo de his quatenus non funt formaliter Hæretici, dubium emergit, an incurrant aliquam irregularitatem, & talem, vt in ea nequeat Commiffarius difpenfare.

42 Refpondent aliqui, hos incurrere in irregularitatem, & in ea non poffe Cõmiffarium difpenfare. mouentur ex eo quod iura æquiparent credentes, fautores Hæreticorum cum ipfifmet Hæreticis. igitur quemadmodum Cõmiffarius non poteft difpẽfare in irregularitate fubfequẽte hærefim, neq; poterit in illa, quæ refultat ex actione, qua quis credit, fauet, defendit Hæreticos.

43 Sed quamuis demus ex his actionibus etiam occultis referuari irregularitatem, nihilominus cum nõ fit irregularitas fundata in hærefi, puto, poffe in illa difpenfare Commiffarium, quia, cum verfemur in odiofis, non eft extendenda exceptio ifta ex vna in aliam irregularitatem.

Poteft Commiffarius difpenfare in irregularitate, quæ eft ex delicto cõtinẽte fauorẽ, defenfionem, & c. in Hæreticos.

44 Ad quartum iuxta opinionem multorum, inter quos eft *Sanchez in fumma lib. 2. cap. 7. nu. 32. Coninch. difp. 18. n. 20. & alij* dicendum effet, hunc talem ita diffentiẽtem incidere in excommunicationem, & alias Hæreticorũ pœnas, fi exeat in actum externum, nam & fi ab Ecclefia non proponatur vt credenda veritas illa fpecialiter reuelata, tamen proponitur vt credẽdum, primam veritatem reuelãtem neq; falli, neq; fallere poffe; huic autem veritati repugnat ille diffenfus, proinde cũ habeat totam hærefis malitiam, & fit deductus in externum, conftituit hominem fic diffentientem hæreticum, & reum pœnarum omnium ab Ecclefia contra Hæreticos impofitarum; fed alij tuentur cõtrarium, hunc talem videlicet nõ incurrere in pœnas Hæreticorum; atque adeo neque in irregularitatem. fic *Corduba in quæft. Theol. lib. 1. q. 17. dub. 2. ver. (Refpõdet Magifter Vega) Azor par. 1. lib. 8. cap. 9. quæft. 4. Suarez De infidel difp. 19. fect. 5. num. 12. Caftropalaus tom. 1. tract. 4. difp. 3. p. 2. num. 15.* & fic ob folum diffenfum fpecialis reuelationis non poffe aliquem puniri pœnis ecclefiafticis: & hæc fecunda fententia mihi videtur probabilior, quia Ecclefia pœnas impofuit contra eos, qui recedunt à fide, quam ipfamet Ecclefia proponit, quæ dicitur fides catholica, nempe vniuerfalis; cum autem reuelatio priuata nõ proponatur ab Ecclefia, pœnæ illæ ecclefiafticæ cõtra Hæreticos, videlicet excõmunicatio, irregularitas, in-

Nequit puniri pœnis Hæreticorũ diffentiens reuelationi Di[...]næ, quæ perfona [...] uata.

famia

famia, &c. de facto non sunt impositæ nisi cõtra eos, qui discredũt Ecclesiæ tãquã regulæ proponenti vt credẽdam rem aliquam, vt à Deo ipsi Ecclesiæ reuelatam.

45 Præterea si quis proferat propositionẽ cõtrariam ei, quam priuata reuelatione à Deo habuit V.G. reuelet Deus Petro, animam Titij esse beatam, & Petrus nõ credẽs reuelatione m hãc sufficiẽter sibi propositam doceat exteriùs, animã Titij esse damnatam, aut non beatam, certũ est, Petrũ apud Deum esse hæreticũ: at Ecclesia non potest illum vt talem iudicare, & punire, quia non constat ipsi Ecclesiæ reuelatio illa specialis. maneat igitur eum, qui dissentit priuatæ reuelationi, nõ esse irregularem, neq; ab Ecclesia vt hæreticum punibilem. secùs autem foret dicendum, si quis exteriùs doceret, Deum mẽtiri posse per priuatam reuelationem, seu reuelationẽ priuatam esse, aut posse esse falsam, &c. tunc enim delinqueret errando cõtra doctrinã catholicam, secundùm quam nobis propositum est, Deũ mentiri non posse, proinde iste talis esset ab Ecclesia punibilis, & ipso facto excommunicatus, irregularis, &c.

46 Ad quintũ dico, quod quamuis nõnulli apud *Sanchez lib. 2. in Decal. c. 15. nu. 10.* inter quos est *Maiolus lib. 3. De irregul. cap. 17. Suarez tom. 5. in 3. p. De censf. disp. 43. sect. 2. num. 8.* putent, irregularitatem propriã Hæreticorũ extendi ad suspectos de hæresi; tamen censeo ob delicta inducentia suspicionem de hæresi nõ incurri aliam irregularitatem, nisi eam, quæ oritur ex infamia, quando delictum erit notorium, & ideo ea suspicione, & infamia purgata cessabit irregularitas absque alia dispensatione, vt docet *Sãchez ibidẽ n. 12. in fine.* & hoc verum est, siue suspicio illa oriatur iuris dispositione, quatenꝰ Lex ita statuit, vt ex tali crimine sumatur præsumptio hæresis, siue suspicio proueniat ex facto ipso, inquantum factum tale est, vt absq; alia iuris dispositione aptum sit ad talem suspicionem inducẽdam, vt est pactum explicitum inire cum Dœmone, eum inuocare, colere, responsa ab eo petere, & expectare, insurdescere per annũ animo obdurato in excõmunicatione. & similia, quæ gignunt vehementẽ suspicionem de hæresi, ita vt reus cogatur apud Tribunal Sanctæ Inquisitionis abiurare de vehementi: in his autem irregularitatibus existimo, posse Cõmissarium dispẽsare, non quia oriuntur ex infamia vt sic, atq; adeo non immediatè ex delictis exceptis, quod supra impugnauimus, sed quia oriuntur ex infamia fundata in alio delicto ab hæresi formali diuerso gignẽte suspicionem hæresis.

Ob delicta inducẽtia suspicionẽ de hæresi nõ incurritur irregularitas.

§. V.

De vltima irregularitate, quæ ex mala ordinum sacrorum susceptione procedit.

47 Circa indebitam ordinum susceptionem aduertendum est, plures assignari casus, in quibus irregularitas incurratur, *à Suarez De cens. disp. 42. sect. 3. & à Filliucio tract. 20. cap. 7. nu. 109.* decem & septem enumerari, attamen ferè omnes potiùs ad suspensionẽ, quàm ad irregularitatẽ pertinere determinat idẽ Author; nam ex illis casibus solùm tres, aut quatuor statuit sufficientes esse ad irregularitatem inducẽdam, nempe dum quis furtiuè ordinatur, videlicet dum nõ admissus se ingerit cum alijs ordinandis, siue id faciat alienum vsurpando nomen, siue sub proprio suo nomine alium proponat examinandũ, & postea ipse vocatus proprio nomine accedat ad ordines sumendos: hunc autem esse irregularem probatur *ex cap. veniens, & cap. innotuit, de eo, qui furtiuè. sic Suar. de Cens. disp. cit. sect. 3. n. 5. & Filliucius lib. cit. n. 195.* erit etiam irregularis, qui ministrat in illo ordine, quem non habet, vt habetur *Cap. 1 & 2. De cleric. non ord. ministr. sic Filliucius n. 106. & Bauny De cens. tract. 1. q. 46.* debet autẽ delinquens esse clericus ad hãc irregularitatem incurrẽdam, vt habetur *in Canone citato cap. 1. & 2.* at *Sylucster, Sotus, Suarez, Valẽtia apud Bauny sect. cit. post tertiam assertionem* volunt, laicos etiã cõprehendi, quia turpius delictum videtur, si à laicis ministretur, quàm à clericis. sed respondeo, licèt sit maius delictũ, tamen, quia in iure irregularitas non inuenitur imposita laicis tale delictum cõmittentibus; idcirco argumentum à maiori ad minus delictum in hoc nõ valere: præter hos duos casus non agnoscit Filliucius in alijs pœnam irregularitatis, sed suspensionis, licèt probabile existimet *n. 196.* eum, qui iterum suscipit ordinem, quem recipit, esse irregularem: sed quicquid sit de re hac; satis erit nobis in ea pœna, quæ imponitur ob malam ordinis susceptionem, si erit irregularitas propriè dicta, non posse Cõmissarium dispensare: cum autem sit probabilis vtraq; opinio tum eorum, qui affirmãt, tum eorum, qui negant, poterit Commissarius dispensare non solùm ob illam cõmunem rationem, secundũ quam Doctores dicunt, licitum esse sequi opinionem practicè probabilẽ, verum etiam ob aliam specialem rationem, nẽpe quia exceptio ista est odiosa, proinde nisi constet, aliquam pœnam esse irregularitatem fundatam in aliquo ex deli-

Nequit Commissarius dispensare in irregularitate ex mala ordinũ susceptione.

delictis exceptis poterit Commissarius in illa dispensare.

48 Hæc autem furtiua ordinatio in ordine ad inducendam irregularitatem tunc accidit, quando recipiuntur ordines sacri, non autem minores, vt notauit *Ioannes Prapos. in 3. p. quæst. 5. De irregul. dub. 5. num* 26. 27. & ratio est, quia exercitium ordinum minorum nõ est ita proprium clericorum, vt esse nequeat etiam laicorum; proinde irregularitates, quæ à iure imponuntur contra malam susceptionẽ, afficiunt eos, qui indebitè recipiunt ordines sacros, non autem ordines minores, quia hoc in iure non est expressum, vt aduertit *Bonacina De cens. disp. 7. q. 3. p. 4. num. 1. ver.* (*dixi recipiens*)& hoc cõfirmat *ex Nauar. Syluest. Tabiena, Auila, & alijs.*

SECTIO V.

De quibusdam dubijs circa huius facultatis extensionem.

49 DEterminauimus quæ nam sint irregularitates, in quibus Commissarius vi Cruciatæ dispensare potest, & quæ sint illæ, in quibus non potest, nunc remanet explanandum vnum, aut alterum dubium pertinens ad extensionem facultatis dispensandi, quæ in ipso Commissario reperitur.

50 Quæres igitur primo. Vtrum si quis dubitet, an commiserit homicidium, videlicet an mors iniusta sequuta fuerit ex vi suæ, an verò alterius tantùm actionis, possit in irregularitate proueniente ex tali dubio Commissarius dispensare? & videtur posse, quia reseruatio est odiosa, & peccatum dubium communiter non cẽsetur reseruatum; ex alia verò parte dicendum videtur non posse, quia in *Cap. significasti, & cap. ad audientiam De homicid.* statuitur, qui dubitat de facto, an commiserit homicidium, esse cẽsendum irregularem, quæ quidem irregularitas cum non sit alia, nisi ea, quæ resultat ex homicidio voluntario, consequens est, vt dicamus, nõ posse Commissarium in illa dispensare.

51 Respondeo si vera est opinio quorũdam, inter quos est *Henriquez lib. 14. c. 13. nu. 2.* dubium de homicidio patrato non esse sufficiens, vt dubitans existimetur irregularis; quam sententiam non putat omnino improbabilem *Suarez De cens. disp. 40. sect. 6. num. 10. Salas in p. 2. tom. 1. tract. 8. disp. 1. sect. 6. n. 7. Rebel. De obligat. Iust. par. 2. lib. 1. q. 3. sect. 2. nu. 13.* & ad capita prædicta iuris canonici dicunt, sermonem ibi esse pro foro externo: si vera, inquam esset hæc opinio, quam examinaui in tractatu de conscientia dubia, resolutio quæsiti foret manifesta, nempe nullam esse necessariam dispensationem, quia tali posita sententia, non existimaretur sic dubitans irregularis, sed quia opposita est communior, & longè probabilior, idcirco aio, non posse Cõmissarium in hac irregularitate dispensare, ea enim est irregularitas propria homicidij voluntarij, quæ est vna ex exceptis. *Irregularitas ex homicidio dubio non est dispensabilis a Commissario.*

Ad priorem ergo sententiam, & ad eius rationem non oportet respondere, quia non pertinet ad nos eius veritatem examinare, sed facta suppositione irregularitatis dicimus, ad illam tollendam non se extendere facultatem Commissarij, quia Pontifex eam sibi reseruauit.

Quæres secundo. An quando ob aliquod impedimentum affectus irregularitate prædicta nequit Pontificem adire, valeat Commissarius in tali casu dispensare: & probari sufficienter videtur pars affirmatiua à pari. nam in simili casu, vt in absolutione à censuris, seu à peccatis Pontifici reseruatis, in dispensatione, aut commutatione votorum reseruatorum, & in multis alijs impedimentis ita determinant Authores, Episcopum posse, ergo etiam id erit dicendum de Commissario. 52

Respondeo, non posse Commissarium dispensare in ijs, quæ Summo Pontifici reseruata sunt, quocunq; posito impedimento ad eundi Pontificem, & quacunq; vrgente necessitate, neq; eadem est paritas de Commissario, & de Episcopo, quia Commissarius est purus Delegatus Summi Pontificis, neque habet aliam formalem, aut radicalem potestatẽ præter eã, quã habet vt Delegatus, ideoq; non poterit præterire suã delegationẽ: at Episcopus radicaliter habet ingenitam potestatem in suas oues in ijs, quæ à Pontifice sunt reseruata, proinde reseruatio est ita intelligenda, vt in casibus vrgentibus, quando non patet aditus ad Pontificem, non tollat facultatem, quæ est in Episcopo insita: & hoc exigit rectum ouium regimen. *Nequit Commissarius dispensare in irregularitate illam, qui impeditur adire Pontificem.*

TRA-

TRACTATVS III.

DE FACVLTATE COMMISSARII ad validandum matrimonium irritum, & ad prolem legitimandam.

IN vltima parte huius vigeſimi quarti paragraphi Pontifex aliam elargitur Cõmiſſario poteſtatẽ, quæ eſt ad diſpenſandum in quibuſdam impedimentis matrimonium dirimentibus, & ad prolem legitimandam, nonnullis adhibitis conditionibus. tria enim conceduntur: primo, vt Commiſſarius diſpenſare valeat in impedimento proueniente ex primo, & ſecundo gradu affinitatis inceſtuoſæ poſt matrimonium cum tali impedimento contractum, quibuſdam poſitis conditionibus: ſecundo, prolem ante diſpenſationem vatam legitimam efficeret tertio, ſi matrimonium fueris validè initum, eique ſuperuenerit idem impedimentum cum ipſis coniugibus diſpenſare ad debitum petendum. Hæc autem tria trahunt plures difficultates, quas in hoc tractatu elucidabimus.

CAPVT I.

Examinatur facultas prædicta in ordine ad inceſtuoſam affinitatem, quatenus matrimonij contractionem præcedit.

1 *Quid ſit affinitas.*

SVPPONIMVS ex tractatu de matrimonio, affinitatem, quæ eſt propinquitas perſonarũ ex copula carnali ortum habens, reſultare poſſe tum ex copula licita, nẽpe ex matrimonio, tum ex copula illicita, ſeu fornicaria, inter vtrãq; autem diſcrimen eſſe; nam ſiſtẽdo in iure nouo Concilij Lateranenſis ſub Innocentio III. quod refertur *in cap. Debet. De conſangu. & affin.* affinitas, quæ dirimit matrimonium, & eſt ex copula licita, extenditur vſq; ad quartum gradum incluſiuè, cum priùs fuerit vſq; ad ſeptimum, vt patet ex *cap. nullum, cap. æqualiter 35. q. 3.* affinitas verò, quæ oritur ex copula illicita, *per Concilium Tridentinum ſeſ. 24. c. 4. De matrimonio.* eſt vſq; ad ſecũdũ gradũ incluſiuè: quis autẽ ſit grad⁹, & quomodo cõputetur, vide *Sanch. lib. 7. De matr. diſp. 50. nu. 4. & ſeq.* nam hæc omnia ſunt potiùs ex materia de matrimonio à nobis ſupponenda.

Diſcrimen inter affinitatẽ, quæ eſt in nouo iure, ab ea, quæ eſt in antiqua.

2 *Affinitas datur in linea recta, & collaterali.*

Cæterum primus, & ſecundus iſte gradus, ad quẽ reſtricta eſt affinitas ex copula illicita, iuxta diſpoſitionẽ Tridẽtini poterit eſſe tum in linea recta, tũ in collaterali, videlicet in linea deſcẽdẽtiũ, & aſcẽdentiũ, & in linea earũ perſonarũ, quæ ex tranſuerſo coniunctæ ſunt, inter quas nõ eſt origo. his breuiter præmiſſis.

Franc. Bard. in Bulla Cruc.

3 *Facultas diſpenſandi, quã habet Cõmiſſarius, extenditur ad vtrãq; lineã.*

Dico primo. Facultas iſta Cõmiſſarij nõ eſt ſolùm reſtricta ad affinitatem collateralẽ, ſed extẽditur etiã ad rectã V. G. poteſt diſpenſare cum Titio, qui carnaliter agnoſcẽs Bertã, poſtea in vxorẽ duxit ſororẽ ipſius Bertæ, cum qua cõtraxerat affinitatẽ collateralem, aut ſi poſt copulam cũ Berta ducat eius filiam, aut matrẽ, &c. cum qua cõtraxerat affinitatẽ per lineam rectam: & hãc opinionẽ docet *Emmanuel Rodriq. in addit. ad § 13. n. 16. Sanch. lib. 8. De matr. diſp. 6. n. 23. Trullench. in Bullam lib. 2. § 4. dub. 1. n. 2.* & in ea abſq; dubio iudico, eſſe *Ludouicum à Cruce diſp. 1. cap. 9. dub. 8 n. 3. in fine.* probatur concluſio, quia cum vterq; gradus affinitatis, vt in præſẽtia ſuppono, ſit introductus iure canonico, per cõſequens poterit Sũmus Paſtor in eo diſpenſare, vt fusè oſtendit *Sanchez lib. 7. De matr. diſp. 66*, igitur dum abſolutè in hac Bulla, & abſq; limitatione cõceditur poteſtas diſpẽſandi in primo gradu, non ſunt à nobis verba textus coarctanda ad affinitatem in linea tranſuerſali.

Suadetur ratione.

4 *In alijs impedimẽtis matrimonij Cõmiſſarius nequit diſpenſare.*

Dico ſecũdo. Nequit Cõmiſſari⁹ diſpẽſare in alijs impedimẽtis, ſiue ſint dirimẽtia, ſiue tantũ impediẽtia. ſic *Trullẽch dub. cit. n. 1.* & ratio eſt in prõptu, quia cũ tota iſta poteſtas ſit à Papa delegata, eam habet efficaciam, quam Põtifex illi vult cõcedere: at in textu facultas reſtringitur ad affinitatem ex copula fornicaria in primo, & ſecundo gradu; ergo ad nullum aliud impedimentum ſiue dirimens, ſiue tantùm impediens extenditur.

5 Sed ſi quis poſtulet, cur Põtifex ſignanter mentionẽ fecerit de primo, & ſecũdo gradu affinitatis nihil dicendo de tertio, aut quarto gradu, magis creſcit dubita-

tio, quia vel voluit excludere tertium, & quartum gradum, vel illos etiam comprehendere; primum non videtur verisimile, quia cum concedat maius, nulla apparet ratio, cur negare voluerit quod est minus in eodem prorsus genere; si verò asseratur secundum membrum, nempe voluisse omnes gradus illos includere, nō erat facienda signata mentio de primo, & secundo, sed debuisset dicere, Commissarium posse dispensare in omni affinitatis gradu ex copula illicita.

Redditur ratio quare Pōtifex de primo, & secundo tantum gradu affinitatis mentionē fecerit.

Respondeo, consulto id factum fuisse, quia affinitas ex tertio, & quarto gradu proueniens ex copula fornicaria non est impedimentum dirimēs matrimonium, vt dispositū fuit in *Tridentino sess. 24. cap. 3. cit.* & quamuis nonnulli apud *Ludouicū vt supra nu. 2.* existimauerint, affinitatē istam, licèt non dirimat, impedire tamen matrimoniū, ne absq; dispensatione licitè contrahatur; nihilominus oppositū est dicendū. nam *Pius V. in quodā Motu proprio Anno Domini* 1566. declarauit, nullum ex tali affinitate sequi impedimentū: Motū autem hunc refert quamplures, vt *Nauar. in Summa cap. 22. nu. 43. Rodriquez in explicat. Bullæ §. 13. nu. 6. Medina in Summa cap. 14. §. 18. & alij*, cum igitur ex tertio, & quarto gradu affinitatis ex copula illicita nullum impedimentum emergat, rectè Pontifex de solo primo, & secundo gradu, qui dirimunt, loqui voluit.

CAPVT II.

De conditionibus requisitis ad hoc vt Commissarius in impedimento prædicto validè dispenset.

1 *Quinq; postulantur conditiones, vt Cōmissarius dispenset in impedimēto affinitatis.*

QVinque, aut sex præscribuntur à Pōtifice cōditiones ad hoc vt Commissarius dispensare valeat in impedimento affinitatis ex coitu prohibito contractæ: prima conditio est, vt matrimoniū iam sit celebratum in facie Ecclesiæ iuxta formā Tridentini; secunda, vt illud impedimentū sit occultum; tertia, vt tempore contracti matrimonij saltem alter bona fide contraxerit; quarta, vt coniux innocens certior fiat de nullitate cōsensus, & matrimonij cōtracti: quinta, vt magna sint euentura scandala, si dispensatio negetur, quibus positis.

2 Dicendum est, has conditiones esse adeo necessarias, vt etiam vna ex ipsis deficiente Commissarius nequeat dispensare, proinde omnes indiuisibiliter se habēt veluti forma, cuius defectu actus nullus fiet, vt omnes Doctores fatentur, & rectè probat *Traquellus tract. De iudicio in rebus exiguis n. 12.* & hoc ostendit, quāuis omissio formæ sit in aliquo minimo, nam forma dat esse rei, cuius omissione tollitur substantia rei: at supradictas cōditiones se habere vt formam, probatur ex regula, quam ad hoc agnoscendū tradit, & auctoritate multorum probat *Merolla tom. 2. suæ moralis Theologiæ disp. 4. cap. 5. dub. 19. nu. 269. 270.* videlicet dum legislator, qui formam præscribit, seu solemnitatem in aliquo actu, confert potestatem ad actum illum efficiendum seruata tali forma, talis forma erit de substātia illius actus; quia potestas tunc limitatur iuxta formam præscriptam; proinde quicquid fit omittendo formam, vel minimum ipsius formæ, excedet potestatē collatam, atque adeo erit irritū: & quando supponitur potestas iam data, & præscribitur forma, tunc erit forma non substantialis, sed accidentalis; idcirco actus cum omissione talis formæ validus erit substantialiter, esto illicitè fiat, quia cum forma, quæ præscribitur, supponat independenter ab ipsa potestatem iam collatam, non poterit se habere substantialiter ad actum eiusdem potestatis. Cæterū duæ solent dari limitationes ab Authoribus circa vtramq; partē regulæ, & circa primā limitatio erit, si dū cōceditur potestas, & simul præcipitur forma illa, quæ de iure cōmuni inest accidētaliter, præcipiturq; eo modo, quo inest, omissio nō annullabit actum, nō obstante quod sub illa forma præcipiatur actus, quia nō cēsetur conditio, sed potius admonitio quædā, vt seruetur forma iuris cōmunis eo modo, quo ab ipso iure præscribitur, secunda limitatio pro secunda parte regulæ erit, si apponatur decretū irritās actum, qui fiet absq; tali forma, tūc licèt forma secūdū se spectata in ordine ad actū, cui potestatē supponit iam collatā, erit accidentalis; nihilominus stāte tali decreto omissio hui⁹ formæ actū vitiabit: sic communiter Doctores: legi potest *Suarez lib. 5. De legib. c. 31. Sāchez in sūma lib. 5. c. 4. et alij apud eosdē*, his autē præhabitis erit manifesta veritas nostræ cōclusionis, quia in hoc paragrapho cōceditur Commissario potestas dispēsandi in prædictis gradibus, & simul præscribitur forma, sub qua exercēda erit potestas concessa, nempe sub enumeratis conditionibus, quæ nō procedunt ex iure communi, sed ex speciali dispositione Pontificis; proinde cum non sit maior ratio vnius, quàm alterius in ordine ad hūc effectum, omnes indiuisibiliter se habebunt vt forma, & de substantia dispensationis, & per consequens etiam vna ex illis deficiente irrita erit dispensatio vt pote excedens potestatem Commissarij.

CA-

CAPVT III.

Exponuntur in particulari enumeratæ conditiones.

SECTIO I.

De prima conditione, quæ est matrimonium esse contractum.

1 *Declarantur prædictæ conditiones.*

AD valorem dispẽsationis est, vt matrimoniũ iam sit cõtractum, & non quomodocunq; sed seruata forma Tridẽtini, q̃ in tribus cõsistit, scilicet vt initũ sit corã proprio Parocho, testibus, præmissis debitis denũtiationibus; & ideo, si matrimoniũ adhuc nõ sit cõtractum, vel nõ sit cõtractũ cum solẽnitate, quæ ab Ecclesia requiritur, nẽpe coram Parocho, &c. vt dictũ est, nõ diceretur seruata forma Tridẽtini, & Cõmissarius ex defectu hui⁹ primæ conditionis non posset dispẽsare: quis autem sit proprius Parochus, & quænam qualitates esse debẽt in testibus, non pertinet ad nos in præsentia declarare, sed supponere ex tractatu de matrimonio. videri poterit *Sãch. lib. 3. De matr. per totũ.*

2 Quæres primo. An, si omnes, vel aliqua ex denuntiationibus ex licentia Episcopi omittatur, omissio ista impediat dispensationem à Commissario faciendam.

Omissio denũtiationũ non impedit dispẽsationem Cõmissarij, si erit ex licentia Episcopi.

Respõdeo nõ impedire, quia posita legitima licẽtia matrimoniũ cẽsebitur legitimè cõtractũ iuxta formam Tridẽtini, vt loquẽdo de dispẽsatione faciẽda ab Episcopo docet *Sãch. lib. 2. De matr. disp. 40. n. 4*

3 Quæres secundo. Quid dicendũ, si vna dũtaxat absq; caussa omittatur denuntiatio, an absolute, & simpliciter censebitur seruata forma Cõcilij quoad hũc effectũ.

Probabile est, per omissionẽ vnius tãtum denuntiationes non tolli formam Tridẽtini, & validã esse dispensationem, etiã si omissio sit absque caussa.

Respõdeo. De hoc puncto neminẽ differẽtẽ inueni, sed cõsideratis omnib⁹, puto, simpliciter, & absolutè dici posse seruatã formã Tridẽtini. moueor ad hoc, qa omissio vnius denũtiationis, dũmodo Paroch⁹ sit moraliter cert⁹, nullũ adesse impedimẽtũ, est leuis omissio nõ pertingens ad peccatũ mortale, vt benè asserit *Sãch. lib. 3. De matr. disp. 5. nu. 8. ex Io. Veracruz, Petro Ledesma, &c.* igitur dicendũ est, absolutè seruatã esse; denominatio enim ista nõ deperditur ex omissione alicui⁹ rei leuis momẽti; si autẽ vna denũtiatione deficiẽte habem⁹ simpliciter dispositionem Cõcilij, quãuis cum aliquo defectu, ex isto capite non erit existimãdũ, deesse formã à Põtifice in hoc paragrapho præscriptam, quia Põtifex præscribẽs nõ dicit, formam Tridẽtini esse seruandã absq; vllo defectu, quamuis leuissimo, sed absolutè requirit seruãdã esse formã; hoc autẽ verificabitur, licèt sit omissio vni⁹ tantũ denũtiationis, dummodo Paroch⁹, vt dixi, sit moraliter cert⁹ de negatione impedimẽti; si. n. cert⁹ nõ esset, tũc omissio vni⁹ tãtũ denũtiationis foret graue peccatũ, & per cõsequens nõ haberem⁹ seruatam formã Tridẽtini.

4 Sed posset quis cõtra nos ad hominẽ argumẽtari ex præcedẽtibus; asserimus. n. formã, quæ est de substantia actus ad vnguẽ esse seruãdã, & si in minimo deficiat, actũ vitiaret illũ irritũ reddẽs; ergo quãuis secũdũ se omissio vni⁹ denuntiationis sit res parui momẽti, tamẽ qa denũtiationes pertinẽt ad formã, ideo deficiẽte vna denũtiatione actus dispẽsationis depẽdẽs à denũtiationib⁹ tãquã à forma erit irrit⁹.

Respõdeo cõcedendo, formã ad vnguẽ esse seruãdã & per eius defectũ etiã in minimo actũ vitiari, nego tamen, omnes denuntiationes essentialiter spectare ad formam huius dispensationis, nam forma in hoc paragrapho requisita est adimpletio ritus à Tridentino præscripti: at essẽtialis ratio talis ritus saluatur, quãuis desit vna denuntiatio, si adest prædicta certitudo in Parocho; igitur nihil cõtra nos inferri poterit.

Tres denuntiationes nõ spectant ad formam dispensationis.

5 Quæres tertio. Si Episcop⁹ absq; caussa iusta, & rationabili dispẽnset in omnibus denuntiationibus, & ex vi talis dispensationis contrahatur matrimoniũ absq; denuntiationibus, an diceretur seruari forma Tridẽtini? Videtur negatiuè respõdẽdũ, quia Conciliũ *sess. illa 24. c. 1.* licèt relinquat potestati Episcopi dispensare in denũtiationibus; nihilominus nõ relinquit facultatẽ hãc volũtati, & beneplacito, sed iudicio prudenti ipsius Episcopi: idcirco, si Episcop⁹ malitiosè, vel ex ignorãtia vincibili det licentiã omittẽdi denuntiationes sine caussa sufficiẽti, nõ haberem⁹ formã Tridentini; & ideo Cõmissarius ex defectu conditionis requisitæ non poterit, vti sua potestate ad dispẽsandũ: & sic oretenus quidam Professor nostræ Societatis à me consultus respondit ductus ex eo qnod per formam, quam Pontifex postulat, intelligatur etiam ritus accidentalis, & cõsuetus, qui in Ecclesia seruatur. Cæterum probabilius mihi videtur, posse Commissarium dispẽsare, quamuis Episcopus absque legitima caussa licentiam dederit omittendi denuntiationes, & probo, quia ritus Ecclesiæ ad contrahendum licitè matrimonium non exigit essentialiter denuntiationes, sed vel denuntiationes, vel licentiam Episcopi ad illas omittendas, siue licentia fundetur in caussa rationabili, siue non: Concilium autem, dum se remittit ad prudentiam Episcopi, non irritat factum, si Episcopus imprudẽter se gerat, vt accidit in alijs humanis iudicijs, in quibus licèt Iudex imprudẽter ferat sententiam, non sequitur ex hoc præcisè, sententiam datã esse irritã; &

Etiã si Episcopus absque caussa det licẽtiam omittendi omnes denuntiationes, probabilius est, validam esse Cõmissarij dispẽsationem.

 pos-

possumus hoc confirmare à simili. nam Concilium ad hoc vt aliquis Sacerdos legitimè confessiones fideliū excipiat, requirit, vt ab Episcopo iudicetur idoneus, & approbetur, vt statuitur *sess.* 23. *cap.* 15. si autē Episcopus interiùs iudicet, Sacerdotem illum nō esse idoneum, & hoc non obstante illum approbet, censetur Sacerdos ille legitime approbatus, vt rectè probat *Suarez tom.* 4. *in* 3. *p. disp.* 28. *sect.* 5. *num.* 7. quem sequitur *Cardinalis De Lugo disp.* 21. *sect.* 1. *n.* 25. contra Bonacinam, vt adnotauimus *par.* 1. dum ageremus de approbatione Confessarij: sic in casu præsenti Cōcilium relinquit iudicio Episcopi remissionem denuntiationum, & licèt ipsum Cōcilium nolit, vt prædicta licentia imprudenter detur, nihilominus non irritat matrimonium initum vi talis licentiæ.

SECTIO II.

De secunda conditione.

6 QVod secundo loco requiritur, est, vt impedimentum huius affinitatis sit occultum: sic habetur in textu. cum autem in iure occultum varijs modis sumi soleat, idcirco nata est dubitatio apud Authores, quo pacto in præsentia intelligi debeat.

Occultū dupliciter in iure sumitur.

Pro qua re supponendum est, occultum interdum accipi prout cōtradistinguitur ab eo, quod est probabile; interdum verò ab eo, quod est publicum: probabile autem dicitur, quando saltem à duobus scitur, qui fidem facere possunt in foro iudiciali, & si testes sunt oculati omniq; exceptione maiores, delictum diceretur plenè probabile, vt docet *Sanchez lib.* 2. *De matr. disp.* 37. *num.* 11. *Mascardus De probation. tom.* 1. *quæst.* 6. *nu.* 47. quando igitur impedimentum est plenè probabile, tunc non dicitur occultum in prima acceptione, quamuis esse possit occultum in secunda acceptione, vt mox patebit. publicum autem dicitur, quando scitur non solùm in Ciuitate, sed etiam in maiori parte viciniæ, Collegij, Monasterij, dummodo saltem in ea vicinia, vel in eo Collegio, aut Monasterio inueniatur decem personæ. ita *Sanchez lib.* 8. *De matrim. disp.* 34. *num.* 55. loquens de clausulis litterarum, quæ pro dispensatione in impedimentis ad ineundum matrimonium expediuntur in Pœnitentiaria, in quibus apponitur similis clausula, vt impedimentum sit occultum. eodem pacto sumitur occultum *in Tridentino sess.* 24. *cap.* 6. *de Reform.* dum conceditur Episcopis facultas dispensandi in irregularitatibus prouenientibus ex delicto occulto, vt notat *idem Sanchez ex multis lib.* 2. *De matr. disp.* 37. *nu.* 11. *& lib.* 8. *disp.* 34. *nu.* 55.

Dico igitur primo, occultum in præsentia sumi prout distinguitur à publico, & non à probabili. sic affirmant Doctores *Rodriquez* §. 13. *nu.* 6. *Villalobos clauf.* 13. *num.* 5. *Sanchez locis supra citatis. Diana par.* 1. *tract.* 11. *resol.* 118. *Trullēch lib.* 2. §. 4. *dub.* 1. *nu.* 7. & huic sententiæ fauent omnes illi, qui examinantes similem clausulam in Tridentino positam accipiunt occultum prout distinguitur à publico. hos Authores, qui plures sunt, adducit *Diana ibidem contra Graffium, Garziam, & Armendariz*, sumentes occultū prout opponitur probabili; ratio autem, quare occultū in hac, & non in alia acceptione intelligendum sit, est deducenda ex fine, quem Pontifex in hac occultatione intendit, nempe vitare publica scandala; vitantur autem huiusmodi scandala, dūmodo impedimenta ista nō laborant publica infamia. sic notat *Sanchez disp. illa* 34. *num.* 55. *ex Nauarro in summa cap.* 27. *num.* 254. 255. *& Henriq. lib.* 14. *cap.* 20. *n.* 4.

7 *Occultū sumitur vt distinctum à publico, nō à probabili.*

Dico secundo. Impedimentum censetur occultum, licèt delictū sit publicum, at non formaliter vt impedimentum, V. G. publicè sciatur, à Titio carnaliter cognitam fuisse Bertam, & postea à Titio ductam fuisse in vxorem filiam, aut sororem ipsius Bertæ, attamen ignoretur publicè ex tali delicto, nempe ex copula illa resultare impedimentum ad tale matrimonium contrahendum, tunc delictum in ordine ad hunc effectum diceretur occultum. sic *Sanchez disp.* 34 *cit. num.* 56. & optimè probat ex iure ciuili, in quo habemus, quod qualitas adiuncta verbo intelligenda sit iuxta eiusdē verbi qualitatē, vt habetur. *L. in Delictis.* §. 1. *ff. De Noxal. act.* non enim sufficit ad hoc vt aliquod delictum dicatur publicum, si actus materialiter sit publicus, non autem formaliter in ratione delicti; & ita docet *Nauar. loc. cit. & apud Sanchez Sayrus, Rodriquez, Emmanuel Sa, & alij.*

8 *Si delictū sit publicum ratione delicti, & non ratione impedimenti, dicitur occultū in hac materia.*

Dico tertio. Si delictum deductum sit ad iudicium in foro contentioso, & reus fuit citatus, tunc cessabit esse occultum, eritque publicum, proinde non poterit Commissarius dispensare validando matrimonium. est communis opinio, & expressè colligitur ex textu requirente occultationem delicti. sic *Rodriquez, Villalobos, Trullench locis citatis, Sāchez disp. illa* 34. *nu.* 57. loquens in simili. dixi si reus sit citatus, quia si solùm causa sit ab accusatore delata ad Iudicem, & Iudex apud se caussam illam retineat non intimando reum, delictum diceretur occultum, vt benè

9 *Per solam citationem rei videtur delictum cessare esse occult.*

benè docet *Sanchez n. 58.* et ratio est clara, quia in foro iudiciali primus actus iudicij est citatio, proinde ea nō facta propriè non diceretur caussa deducta ad forum externum.

10 Dico quarto. Delatio caussæ, siue inflè siue iniustè fiat, erit sufficiēs ad hoc vt posita citatione delictū sit publicum, vt aduertit *Suarez De censf. disp. 41. sect. 2.* quem sequitur *Sanchez superiùs relatus.* nam vtroque modo semper verum erit dicere, dum lis pendet, delictum esse in foro externo.

Delatio caussæ siue iusta, siue iniusta post citationem facit, vt delictū non sit occultum.

11 Dico quinto, Si causa sit expedita, & reus absolutus, etiam si falsis testibus sententiam liberatoriam obtinuerit, delictū redibit ad pristinum, eritque occultum, sic *Henriquez lib. 14. cap. 20. n. 4. Sanchez lib. 2. De matr. disp. 37. num. 12.* & apud ipsum *Emmanuel, Viualdus, & alij*: sed *Suarez loco citato* limitat conclusionem hanc, & vult habere locum, quando reus est ita in foro iudiciali absolutus, vt delictum nullo modo fuerit probatum, nam si fuit aliqua probatio non sufficiens ad condemnationem, quia fuit semiplena, delictum non erit occultum, quoniam ex tali probatione gignitur publica fama, & publica notitia: hanc autem limitationem non approbat *Sanchez lib. 8. De matrim. disp. 34. num. 67.* & defendit, delictū illud remanere occultum, quia si reus fuit definitiuè absolutus, iam infamia erit abolita; & ideo delictum, ex quo infamia resultabat: erit occultum, si verò per solā interlocutoriam pronuntiata fuit sententia in fauorem rei, idem etiam erit dicendum, quia licèt possit de nouo causa ad forum externum deferri, tamen id fieri deberet per noua iudicia, nouasque probationes; nam prius iudicium per sententiam interlocutoriam fuit terminatum: igitur licèt vtroq; modo proferatur sententia, semper iudicium erit finitum, atque adeo infamia subsequens extinguetur; & sic non poterit delictum nō remanere occultum, impossibile enim est, delictum esse publicum, & infamiam non extare, quando delictum est tale, vt adnexam habeat infamiam.

12 Dico sexto. Dispensatio ista non prodest nisi pro foro tantùm conscientiæ. sic dicitur in ipso textu, & affirmant communiter Doctores.

Dispensatio ista prodest solùm pro foro conscientiæ.

13 Dico septimo. Non debet fieri publicè cum Notario, & testibus, nec in supplicatione, seu petitione debent exprimi nomina eorum, cum quibus Commissarius est dispensaturus, aliter impedimentum fieret publicum, sed debent litteræ expediri tacitis nominibus. sic *Corduba in quæstionario lib. 5. quæst. 43. dub. 6. punct. 124. Rodriquez in Bullam §. 13. n. 6. Sāchez lib. 8. De matr. disp. 6. num. 27.*

Nō debet publicè fieri.

Dico octauo. Si post dispensationem à Commissario obtentam pro foro conscientiæ publicabitur impedimentum illud affinitatis, tunc coniuges tenētur recurrere ad Pontificem, vt ab eodem dispensatio illa confirmetur. sic *Rodriquez S. 13. nu. 6. in explicatione tertiæ conditionis. Villalobos clausf. 13. nu. 19. Trullench. dub. illo 1. num. 7.* aduertunt autem hi vltimi Authores, quod si timeatur impedimentum fore publicandum, deberent coniuges ad euitanda incommoda contrahere de nouo coram Parocho, & testibus. 14

Si post dispēsationem publicetur impedimentum, coniuges debent habere recursum ad Papā.

Aduertentia

SECTIO III.

Declaratur tertia conditio.

Equirit Pontifex ad huius dispensationis valorem, vt tempore contracti matrimonij, saltem alter contrahētium impedimentum ignoret, seu quod in idem recidit, sit bona fides ex parte vnius: quapropter, si vterque coniux sciat impedimentum, & hoc non obstante cōtrahat, non potest Commissarius dispensare: & de hoc non est controuersia, cum expressè habeatur in ipsomet textu. declarandum autem est melius, in quo cōsistat bona fides, quam Pōtifex in hac materia expostulat. 15

Dico primo, non esse satis ad tollendā bonam fidem scientiam, qua coniux agnoscat, se accessisse ad consanguineam in primo, aut secundo gradu cum ea, quā in vxorem duxit, nisi simul sciat, inde impedimentum oriri ad contrahendum matrimonium. sic docet *Sanchez lib. 2. De matr. disp. 40. num. 4. ver. Rogabis.* & ratio est, quia cum à Pontifice requiratur bona fides in ordine ad matrimonium ineundum, si ignoretur impedimentum ad contrahendum, manebit bona fides in contractione matrimonij: neque cognitio illius copulæ cū cōsanguinea vxoris opponitur huic bonæ fidei, nisi simul cognoscatur ex tali copula resultare impedimentum, proinde cognitio illa erit tantùm speculatiua, & non practica, & merè per accidens se habebit ad contractionem matrimonij, & in hoc puncto nullam video esse difficultatem: at dubitatio est, an ignorantia vincibilis talis impedimenti sit satis ad tollendam bonam fidem requisitam in hoc paragrapho. 16

Respondeo, ignorantiam vincibilem, quæ sit culpa mortalis, sufficere ad tollēdam bonam fidem in hoc casu requisitā, quia dum omittitur diligentia, ad quam sub mortali aliquis tenetur, vt veritatem re-

Ignorantia mortaliter vincibilis de impedimento tollit bonam fidem.

reperiat, constituitur veluti iniquus possessor, proinde verè, & realiter diceretur esse in mala, & non in bona fide; atque adeo Commissarius non poterit dispensare in gradu illo affinitatis.

Instantia contraria desumpta a paritate casus, quem ponit Sanchez.

17 Sed vrgebis contra ex doctrina *Thomę Sanchez disp.* 40. *cit. vbi num.* 3. cũ sequutus fuerit opinionem illam, quæ vult, posse Episcopum dispẽsare in matrimonio iam contracto cum impedimẽto dirimente occulto, vt iterum celebretur; *num* 4. *sequente* quærit, an desideretur bona fides in contrahentibus, vt Episcopus dispensare valeat, & referens hinc inde varias sententias concludit, eam requiri, postea *ver: Rogabis,* quærens quando dicatur mala fides, inter alia docet, bonam fidem non excludi, quamuis procedat ex lata culpa, & ignorantia culpabili, idque probat *ex Bar. & alijs,* & confirmat auctoritate *Tridentini sess.* 24. *De matr. c.* 5. igitur à pari poterit Commissarius virtute Cruciatæ dispensare, licèt alter coniux culpabiliter ignoret impedimentum affinitatis.

Est disparitas inter presentem casũ, & illum, qui à Sãchez adducitur.

Respondeo negando consequentiam, est enim disparitas inter casum positum à *Sanchez,* & casum nostrum fundatum in verbis Cruciatæ; in tantum enim *Sanchez* asserit, per ignorantiam culpabilem non excludi bonam fidem, quia põderat verba Concilij postulantis scientiam, & præsumptionem in contrahentibus ad hoc vt separentur, & spe dispẽsationis careãt; dum enim petitur scientia ad tollendam bonam fidem, non erit satis ignorantia, etiam culpabilis, & crassa, sed dolus requiritur: at in facultate Commissario cõcessa Pontifex simpliciter, & absolutè efflagitat, vt alter contrahentium tempore contracti matrimonij impedimenti ignarus extiterit, quod perinde est, ac petere simpliciter bonam fidem, & non apponit conditionem aliquam, quæ bonam fidem diminuat: & sic patet in hac Bulla, excludi omnem culpabilem ignorantiã, quam non excludit Concilium, dum decernit, esse separandos contrahentes, si matrimonium sit contractum scienter cũ impedimento, &c. Cæterum, quod bona fides vt sic absolutè prolata tollat quamcumque latam culpam circa eamdem rẽ, est manifestum, quia talis esse debet, vt constituat hominem iudicantem, non esse rectæ rationi contrarium id, quod operatur, aut id, quod omittit facere.

18 Quæres. An ignorantia venialiter culpabilis tollat bonam fidem, quæ postulatur, vt Commissarius dispensare possit.

Ignorãtia venialiter culpabilis circa hoc impedimentum oriri potest ex duplici capite.

Respondeo, ignorantiam hanc posse esse venialiter culpabilem ex duplici capite: & primo ex inaduertentia, dum non plenè consideratur obligatio inquirendi, V. G. in casu nostro, an accessus ille ad ad consanguineam vxoris sit impedimẽtum nec ne? ideoque inquisitio omittitur: secũdo prouenire potest ex eo quod cõiux, qui deliquit, solùm apponit diligentiam, quæ est necessaria ad vitandam culpam etiam venialem. quibus positis, quærimus, an ignorantia exoriens ex culpa veniali, siue ex primo, siue ex secundo capite maneat cum bona fide requisita à Commissario ad hoc vt ipse dispensare queat.

Si ignorantia erit ex defectu aduertentiæ, nõ cessat bona fides, & potest Commissarius dispensare.

Respondeo, si culpa illa venialis ex primo capite proueniat, nempè ex defectu plenæ aduertentiæ facilior erit solutio, quia defectus iste absolutè loquendo non tollit, quin tali culpa affectus denominetur simpliciter ignorans; nam ignorantia ista simpliciter dicta nõ aufertur nisi per scientiam, aut per aliquam notitiam saltem opinatiuam, illa autẽ semiplena aduertentia erit ad hunc effectũ insufficiẽs, vt patet in multis alijs similibus. sicuti V. G. fidelis nequit amittere hãc denominationem per actum imperfectum infidelitatis causatum ex semiplena aduertẽtia, neque possideus bona fide rem alienã amittit denominationem iusti possessoris, si omittat inquirere, an res illa sit sua, & omissio oriatur ex defectu plenæ aduertentiæ, & sic in alijs: at si culpa venialis nascatur ex secũdo capite, solutio erit difficilior, quia culpa ista leuis supponit sufficientem aduertentiam, per quam in casu nostro contraheus mouetur ad ponendam diligentiam illam, quæ satis est ad vitandam culpam mortalem, licèt nõ apponat omnimodam diligentiam, quæ est necessaria ad excusandum à culpa veniali, & licèt casus non ita facilè in praxi euenire poterit; nihilominus debemus decidere, quid sit sentiendum. Aio igitur, posse Commissarium dispensare non obstante tali ignorantia veniali.

Idem asserendum, si ignorantia procedat ex secundo capite.

ducor à pari, nam, vt plures autumãt, culpa leuis quomodocumque contingat, nõ destruit bonam fidem, quæ ad præscribẽdum desideratur, vt rectè probat *Cardinalis de Lugo tom.* 1. *De iust. disp.* 7. *sect.* 3. *à num.* 40. & iuxta probabiliorem sententiam, quam probat, & amplectitur *Lessius lib.* 2. *De iust cap.* 7. *dub.* 6. *num.* 24. per culpam leuem in damnillatione, saltem extra contractum, non obligari dãnificantem ad restitutionem: sic igitur dico in casu, quem nunc examinamus, culpam leuem in inquirenda veritate impedimenti dirimentis matrimonium, non esse satis, vt ille, qui contrahit, non valeat à Commissario virtute Cruciatæ dispensari positis alijs requisitis, quia sicuti

cuti culpa venialis, etiam ex omissione debitæ diligentiæ, non sufficit ad tollendam denominationem bonæ fidei à possessore, & in damnificante non sufficit ad destruendam denominationem exemptionis ad restituendum, ita neq; in subiecta materia erit potens auferre denominationem ignorantiæ, ita vt omittens maiorem illam diligentiam debitam sub veniali non dicatur adhuc ignorans impedimentum. & hæc probabiliter dicta sunt de puncto isto, quod vt dixi practicè non ita facilè accidit, quia posita plena aduertentia rarò sequitur, quod homo veritatem illius impedimenti consulẽdo doctos non acquirat.

SECTIO IV.

De quarta, & quinta conditione.

19 Alia conditio, quæ quarto loco numeratur, est, vt coniux innocens, antequam de nouo matrimonium celebretur, certior fiat de nullitate prioris cõsensus, & in hac conditione Põtifex quãdam ponit limitationem, nimirum si côiux reus ob manifestationem causæ, ex qua prouenit nullitas consensus, timeat scandala esse futura, tacere posse causam prædictæ nullitatis. de hac clausula, sicuti de alia simili, quæ apponi solet in litteris expeditis in sacra Pœnitentiaria, agit Sãchez *lib.* 8. *De matr. disp.* 34. *num.* 61. inquirens, an clausula ista inducat cõditionem necessariam, seu formam, vt fiat dispensatio, & concludit in litteris, quæ à Pœnitentiaria emanant, non importari conditionem, sed potius instructionem quãdam Confessarij, vt contractus posterioris matrimonij sit certior, quia iuxta quasi certam opinionem ad eius valorẽ necessariò requiritur, vt alter cõiux sciat nullitatem prioris consensus: at in facultate Commissarij Cruciatæ conditionem importari, quia strictioribus verbis ponitur denotantibus conditionem. sed quicquid sit de litteris sacræ Pœnitentiariæ, certum est, in concessione facta per Cruciatam conditionem significari, seu formam, vt supra diximus, & verba ipsius cõcessionis hoc indicant. modus autem, quo manifestanda sit coniugi innocenti nullitas prioris consensus, fusè explicatur à *Sanchez lib.* 2. *De matr. disp.* 36. incipiẽdo à prima conclusione vsque ad finem illius disputationis; attamen notandum est id, quod Pontifex admonet in cõcessione huius facultatis, scilicet si scandala timeantur, ad illa vitanda posse non manifestari caussam nullitatis illius prioris matrimonij, V. G. si impedimentum sit

[margin:] Si coniux reus timeat scãdala obuentura aperiẽdo causam nullitatis, eam tacere poterit.

[margin:] In Cruciata clausula, per quam postulatur, vt coniux innocens nullitatem matrimonij cognoscat, importat conditionem, seu formam.

ex parte vxoris, quæ ante matrimonium initum rem habuit cum fratre sui viri, tûc facilè scandala timentur, nam marit[9] hoc sciens posset non ratificare consensum, mulierem illam deserere, quæ innupta, & diffamata remaneret, vel posset eam interficere, & similia; idcirco Pontifex volẽs his incommodis occurrere, limitationem prædictam apposuit dicens: *tacitaque, si videbitur, ad euitanda scandala causa nullitatis*.

Vltima conditio huius concessionis est dependens ab arbitrio Commissarij, nam sic dicitur: *si ad euitanda scandala grauia dispensandum iudicauerit*. remittit igitur Pontifex ad prudens arbitrium Commissarij dispensationem, quæ dari debeat ad scandala fugienda, quæ in casu nostro ferè semper contingere solent; nam si matrimonium non reualidabitur, mulier illa posset famæ iacturam pati, aut innupta manere, aut aliquod simile inconueniẽs euenire. Cæterum, si contingat nullũ scãdalum obuenturum non ratificato matrimonio, tunc Commissarius non posset dispensare, quia conditio ista prærequiritur à Pontifice. 20

[margin:] Ad dispẽsandum Põtifex remittit dispẽsationem faciendã arbitrio Cõmissarij.

CAPVT IV.

De Legitimatione prolis.

Extendit Summus Pontifex facultatem Commissarij non solùm ad dispensandum in matrimonio nulliter contracto ob impedimentum affinitatis ortæ ex copula illicita, verùm etiam ad legitimandam prolem susceptam, aut suscipiẽdam; idcirco placet aliqua circa hoc pũctum animaduertere. 1

Dico igitur primo, à Commissario legitimari posse dumtaxat prolẽ, quæ habetur ex illo matrimonio nulliter inito, & in quo potest ipse dispensare. sic *Aegidius Trullench lib.* 2. §. 4. *dub.* 2. *num.* 1. quod probat, & rectè ex illa particula, *exinde*, dum post concessam facultatem dicitur: *Prolemque susceptam, & suscipiẽdam exinde legitimam decernere*, particula enim illa, *exinde*, est relatiua ad præcedentia, proinde refert prolis legitimationem ad matrimonium, in quo Commissarius dispensare valet. 2

[margin:] Cõmissarius potest legitimare prolem ex matrimonio habitam.

Dico secundo, Legitimatio ista prodest tantùm pro conscientiæ foro. sic *Sanchez lib.* 8. *De matr. disp.* 6. *num.* 25. *& disp.* 34. *num.* 52. *Trullench loc. cit. & alij*, & probatur ex ipsomet textu, in quo facultas Commissario conceditur pro foro conscientiæ dumtaxat, & licèt limitatio ista apponatur immediatè post facultatem dispensandi in impedimento affinitatis, & ante- 3

[margin:] Legitimatio ista est tãtum pro foro conscientiæ.

antequam detur poteſtas legitimandi, ac proinde poſſet quis aſſerere, limitationẽ referri ad diſpenſationem, non autem ad legitimationem, nihilominus certum eſt, referri ad vtrumque, vt patex ex verborum tenore, & quia, ſi diſpenſatio eſt ſecreta, & in foro conſcientiæ, non poterit legitimatio eſſe publica, & in foro externo; nam publicando legitimationem neceſſario promulgaretur diſpenſatio; hoc autem eſt contra mentem, & diſpoſitionem Summi Pontificis.

4 *Quis effectus parit legitimatio iſta.*

Dico tertio. Effectus huius legitimationis conſiſtunt in hoc, vt ſic legitimatus poſſit ad omnes ordines promoueri, & ad quæuis beneficia acquirenda, vt notat *Sãchez diſp. illa 6. num. cit.* & pariter *Trull. l. c.* difficultas autem eſt, an valeat ſuccedere in bonis temporalibus. affirmat *Henriq. lib. 7. cap. 13. num. 1. in fine*. quia facultas in ordine ad hunc effectum abſolutè conceditur Commiſſario, cui adhæret *Trullench. num. 2.* ſed negat *Sanchez ibidem, & Villalob. clauſ. 14. num. 12.* & ratio negationis eſt, quia ad hoc vt ſuccedat in temporalibus, diſpenſatio fieri deberet in radice matrimonij, quod poteſtatem Commiſſarij excedit, & controuerſum eſt apud Doctores, an Papa poſſit id facere in terris ſibi temporaliter minimè ſubiectis, de qua re latè diſputat *Sanchez lib. cit. diſp. 7. & Villalobos tom. 1. tract. 13. diffic. 60. à num. 8.* attamen quãuis Commiſſarius legitimando prolem ſiue ſuſceptam, ſiue ſuſcipiendã nequeat efficere, vt proles illa in rebus temporalibus ſuccedat, tamen ex alio capite proles ius habet ſuccedendi; nam in iure canonico ſtatuitur, prolem, quæ naſcitur ex matrimonio nulliter contracto ob aliquod impedimentum dirimens, ſi matrimonium fuerit initum bona fide, ſaltem ex parte vnius contrahentis, eſſe legitimam quoad omnia. ſic habetur *cap. ex tenore, cap. cum inter, & cap. peruenit, qui filij ſiat legit:* & in hoc conſentiunt Doctores, vt videre eſt apud *Sanch. lib. 8. De matr. diſp. 34. num. 46.* Cum igitur poteſtas iſta diſpenſandi reſpiciat matrimonium initum bona fide, ſaltem ex parte vnius coniugis, vt ſupra oſtendimus; idcirco proles iſta legitimata poteſt ſuccedere in temporalibus, licèt non ex vi legitimationis procedẽtis à Commiſſario, ſed vi iuris communis canonici; atque adeo, ſiue vera ſit ſententia affirmatiua, quam ſupra ex Henriquez retulimus, ſiue vera ſit oppoſita negatiua, ſucceſſio habebitur.

Eſt controuerſum, an proles legitimata à Cõmiſſario ſuccedat in bonis temporalibus.

In iure canonico ſtatuitur, prolem natã ex matrimonio irrito, ſi initum fuerit bona fide ex parte vnius contrahẽtis, eſſe legitimã quoad omnia.

5 *Si matrimonium fuerit cõ-*

Dico quarto. Si proles fuit illegitima, & nata à parentibus, qui ex parte vtriuſque mala fide contraxerunt, nempè cõſcij de impedimento dirimente, non poterit Commiſſarius legitimare hanc prolem, quamuis non diſpenſet in matrimonio illo. ita *Sanchez lib. 8. diſp. 7. num. 26. Trullench. dub. cit. n. 3.* ratio eſt, quia licèt legitimare prolem, & diſpenſare in matrimonio irrito ſint diuerſæ poteſtates, tamen vna eſt acceſſoria ad alteram, nẽpè poteſtas legitimandi ad poteſtatem diſpenſandi, & ſic non valens Commiſſarius ex defectu poteſtatis diſpenſare in aliquo matrimonio, non poterit legitimare prolem natam, vel naſcituram ex tali matrimonio, deſtructo enim principali, vt acceſſorium pereat oportet.

tractũ mala fide ex parte vtriuſque coniugis, Cõmiſſarius nõ poterit in illo diſpenſare.

6 *Commiſſarius poteſt legitimare prolem ſi in impedimẽto Epiſcopus diſpenſauerit, & ſuerit tale, vt Commiſſari⁹ etiã potuiſſet.*

Dico quinto. Si ponamus diſpenſationem in matrimonio factam fuiſſe ab Epiſcopo in ijs caſibus, ad quos eius extenditur poteſtas abſque prolis legitimatione, ſi impedimentum illud tale fuerit, vt in eo potuiſſet Commiſſarius diſpenſare, poterit poſtea Commiſſarius legitimare prolem illam, & ſi aliàs Commiſſarius Cruciatæ diſpenſauerit, & non legitimauerit, poterit ſucceſſor in officio prolem legitimare. ſic *Sanchez, & Trull. locis citatis.* & ratio huius cõcluſionis eſt, quia cum hæ poteſtates ſint diuerſæ, licèt vna ſit ad alteram acceſſoria, nil prohibet, quin poſſint à diuerſis ſingillatim exerceri.

CAPVT V.

De facultate eiuſdem Commiſſarij ad diſpenſandum in impedimento affinitatis, quod matrimonio ſuperuenit.

1 IN poſtrema huius paragraphi parte Pontifex extendit poteſtatem Commiſſarij ad diſpenſandum in impedimẽto affinitatis, quod interdum euenit poſt matrimonium validè contractum. v. g. ſi Titius carnaliter agnoſcat conſanguineã aliquam ſuæ vxoris in primo, aut ſecundo gradu, certum eſt, ex tali copula reſultare impedimentum, quo Titius prohibetur petere debitum à ſua vxore, licèt teneatur reddere illud vxori petenti, vt communiter docent Authores in tractatu de matrimonio, & vtraque pars habetur in iure canonico *cap. 1. De eo, qui cognouit conſang. ver. ſi quis cum filiaſtra, & in cap. diſcretionem eod. tit. ver. Sed nec affinitas.* idemque ſtatuitur *cap. penult. & fin: eod. tit.* his tamquam certis præhabitis, poteſt Commiſſarius cum Titio inceſtuoſo diſpenſare, vt debitum ab vxore petere valeat, non obſtante delicto illo. ſic dicitur in ipſo paragrapho, quem ſupra retulimus; nam poſtquam fuerit ſer-

Poteſt Commiſſarius ad petendũ vxoris debitum diſpenſare cum inceſtuoſo in primo, aut ſecundo gradu.

sermo de impedimẽto affinitatis io prædictis gradibus antecedente matrimonium, habetur: *nec non etiam in superuenienti simili affinititatis impedimento similiter dispensare, vt debitum petere possint.* & sic de re ista nulla est cootrouersia, aut dubitatio, sed ad abundãtiorem doctrinam duas placet difficultates extendere: & primo, an possit Commissarius vi huius facultatis dispensare io impedimento consurgente ex cognatione spirituali: secundo, ao interdum absque vlla dispensatione valeat coniux incestuosus petere debitum à propria vxore.

Oponuntur difficultates enodã.

2 Circa primam difficultatem est opinio, quam tuetur *Rodriq: in addit. ad §. 13. num. 17. & Villalobos clauf. 13. num. 21.* videlicet posse io hoc impedimento dispeosari à Commissario. ratio fundamentalis est, quia potestas ista est fauorabilis, ac proinde latè ioterpretanda; vt sunt aliæ similes potestates: igitur si Commissarius Cruciatæ potest dispensare io impedimento, quod oritur ex delicto incestus veri, & realis, multo magis poterit in impedimento, quod resultat ex incestu metaphorico, qualis est ille, qui committitur, quando vir carnaliter cognoscit mulierem, cum qua habet spiritualem cognationem. at sententiam negatiuam detendit *Sanchez lib. 8. De matr. disp. 15. n. 13.* quem sequitur *Aegidius Trullench lib. 2. §. 4. dub. 3. num. 2. & 3.* quia, cum impedimeota ista sint diuersæ ratioois, sublata significatione voius noo comprehenditur alterum; idcirco potestas ad dispensandum io impedimento affinitatis oon extenditur ad impedimẽtum ex cognatione spiritnali, & quamuis potestas dispensandi, per se loquendo, sit amplè interpretanda, nihilominus id intelligendum erit, quando casus, de quo est dubitatio, cootinetur sub verbis concessioois, vt fusè probat *ipsemet Sanchez eod: lib. disp. 2 num. 2. & Merolla tom. 2. disp. 4. cap. 6. num. 83.* & citant *Felinum in cap. fin. num. 8. De sim: limit. 1. & Gambar. De auctor. leg: lib. 10. num. 203.*

Aliqui affirmant, posse Commissario dispensari in impedimẽto ex cognatione spirituali.

Alij negant.

3 Hæ sunt opiniones de re hac, & eas puto probabiles; quamuis censeam, admittendam esse in praxi haoc secundam, quæ solidiori ratiooi fuodatur, oam reuera sub nomine affinitatis etiam latissimè sumptæ ooo potest comprehendi cognatio spiritualis; proinde fauor, quem coocedimus huic potestati, nequit ita ampliari, vt extendatur ad impedimeotum cognationis spiritualis, & ex hoc solui poterit instantia, videlicet, si concessum sit id, quod est maius, intelligitur concessum, quod est minus; hoc enim valet, quaodo illud minus cootioetur sub ma-

Vtraq; opinio est probabilis, in praxi verò negatiua est admittenda.

Sub affinitate etiam latissimè sumpta non comprehenditur cognatio spiritualis.

Franc. Bard. in Bull. Cruc.

iori, non autem quando est diuersum, & mioimè clauditur sub illo, aut ex intentione legislatoris aliud ooo constet, nempè velle vtrumque æquiparare, quod in casu nostro ex nullo verbo colligere possumus.

Circa secuodam difficultatem videtur, absque dispeosatione non posse à coniuge incestuoso debitum peti, quia extat lex in contrarium, vt supra ex testibus canonicis allatis vidimus; sed dicẽdum puto, posse interdum absque vlla dispensatiooe ab ioceſtuoso debitum exigi, quod tunc verificabitur, quando incestuosus ignorabat legem ecclesiasticam prohibentem accessum ad consanguineam vxoris, licèt noo ignorauerit ius naturale, & Diuioum id vetans. contrarium tuẽtur oonnulli, scilicet & iocurrere hanc pœnam. ita *Corduba lib. 1. quæstionarij quæst. 12. a. 1. ver. (ex quo sequitur) Rodriquez in summa par. 1. cap. 242. num. 11. & alij,* sed ooo incurrere pœoam docet *Sanchez lib. 9. De matr. disp. 32. num. 49. Henriquez lib. 11. cap. 15. num. 11. Basilius de Leon lib. 10. De matr. cap. 6. num. 10. Merolla tom. 1. in Theologia morali disp. 1. cap. 2. corol. 2. num. 242. & seq.* & ratio est, quia ignorans legem excusabitur à culpa, atque adeo à pœna illi culpæ imposita. maior autem dubitatio est, an quando incestuosus scit legem ecclesiasticam prohibentem, & solùm ignorat pœnam priuationis debiti, ao in tali casu valeat absq; dispensatione debitum exigere. oegat *Sanchez eadem disp. in fine* remitteos se ad ea, quæ conformiter docuerat cum alijs Authoribus ab ipso allatis *num. 21. eiusdem disputationis* exagitãs controuersiam vniuersalem de legibus, & pœois ab Ecclesia impositis: alij verò affirmaot citati ab eodem *Sanchez num. 20.* quorum opioionem ipsemet probabilem appellat, & in particulari de hac pœna priuationis debiti loqueotes. partẽ affirmatiuam sustinet *Castro Palaus tom. 1. tract. 2. disp. 1. punct. 17. n. 8. ver. Quarto infero, in fine. & Merolla corol. cit. n. 247.* & hæc opioio mihi magis placet, ideoq; illam amplectandam existimo, nam licèt oon sit de ratione pœnæ in vniuersum, vt ad illam incurrendam de illa scientia habeatur; tamen hoc militat in pœna ordinaria, oon autem in extraordinaria, & graui, qualis est priuatio iuris ad debitum exigendum. Qui plura desiderat circa hanc controuersiam vniuersaliter consideratam, videre poterit Authores laudatos: satis nobis erunt ea, quæ hactenus breuiter circa hanc secundam difficultatẽ dicta sunt. præterea facultas ista dispeosandi ad debitum reddendum, noo obstante

Interdum ab incestuoso potest debitum peti absq; dispensatione.

Aliqui id negant.

Alij verò affirmant.

Ignorans legem excusatur à culpa, & à pœna.

Vt delinquẽs subiaceat pœnæ extraordinariæ requiritur notitia de illa.

ſtante impedimento affinitatis ſuperueniente, reperitur in Epiſcopis, & ex priuilegio Pontificio eam habent Mendicantes, cæterique Ordines Religioſi, qui cum illis communicant, eum quibuſdam limitationibus iuxta particularium Religionũ inſtituta.

5 Demum pro completa huius paragraphi vigeſimi quarti declaratione notanda ſunt verba illa initio huius concesſionis appoſita, nempè *nullis datis litteris, ſeu per Confeſſorem laceratis*, hoc autem ſtatuere voluit Pontifex, ne delictum illud, ex quo affinitatis impedimentum proceſſit, detegatur, vt in ſimili *ex Nauarro* docet *Sanchez lib. 3. de Matr. diſp. 15. num. 17. in ſolutione ad ſecundum.* idcirco diſponitur, vt diſpenſatio à Commiſſario fiat abſque ſcriptura; proinde dicitur, *nullis datis litteris*, vel ſi fiat per ſcripturã, & cauſæ expeditio committatur Cõfeſſario, data diſpenſatione debet Cõfeſſarius litteras lacerare, ad hoc vt in futurum delictum illud minimè publicetur.

Ratio, cur Pontifex ordinauerit litteras diſpenſationis eſſe lacerãdas.

Et hæc circa hunc paragraphum ſufficiant: idcirco ad alios explicandos aggredimur.

TRACT.

TRACTATVS IV.

DE FACVLTATE COMMISSARII CIRCA HORAM CELEBRANDI

PRO VT IN S. 25.

PRosequitur Pontifex ad nouas gratias elargiendas ; ideoque concedit Commissario potestatem dispensandi circa horam, in qua Sacrum est audiendũ, & celebrandum: verba autem, quæ in hoc paragrapho continentur, hæc sunt (item etiam conceditur facultas dicto Commissario, quod personis nobilibus, & quæ iuxta ipsius Commissarij arbitrium qualificatæ fuerint, vt Missas per horam ante lucem, & post meridiem audire, & celebrare facere valeant, indulgere possit) duo autem nobis se offerunt consideranda, nempè & res, quæ conceditur, & conditio personæ, in cuius gratiam à Commissario dispensatur.

CAPVT I.

Declaratur, quid iuxta Ecclesiæ ritum sit dispositum circa horam celebrandi.

1 VT certum supponimus Missam non posse ad libitum Sacerdotis quacũque diei hora incipere, sed signandum est tempus, ante quod non licet sacrificare, & tempus, post quod non licet.

2 *Absq; priuilegio, ante licentia Missæ nõ poterit ante auroram celebrari.*

Dicendũ igitur est primo, non posse absque priuilegio Missam celebrari ante lucem, seu ante auroram, neque post meridiem. ita communiter Doctores, inter quos S. *Thom. 3. p. quæst. 83. a. 2. ad quartum, & in 4. dist. 13. quæst. 1. art. 2. Sotus eadem dist. quæst. 2. art. 2. in fine. Bellarminus lib. 2. De Missa cap. 14. Henriquez lib. 9. cap. 24. num. 5. Suar. in 3. p. disp. 80. sect. 4. concl. 1. & 2. De Lugo disp. 20. De Euchar. sect. 1. num. 24. & alij antiquiores, & recentiores*. solet autem hoc à quibusdam probari ex iure canonico *cap. Nocte Sancta De consecr. dist. 1.* vbi statuitur, præter noctem Natiuitatis Domini, reliquis temporibus Missarum celebrationes ante horam diei tertiam minimè esse peragendas: sed istud Decretum vel erit intelligendum de Missa solemni, vel, si loquatur de Missa priuata, erit necessariò dicendum, tale Decretum contraria consuetudine esse abrogatum; experientia enim est manifestè contraria, idcirco solutio nequit meliùs suaderi, quàm ex consuetudine vniuersali totius Ecclesiæ: videmus enim absque priuilegio Missas ante auroram non celebrari, excipiuntur tamen à Doctoribus quidã casus, in quibus licitum est tempus auroræ præuenire: & primo in nocte Natiuitatis Domini nostri: secundo ad dãdum Viaticum infirmo: tertio, vt asserit *Ioannes Præpositus in 3. par. quæst. 83. art. 2. dub. 4. & quidam alij*, vt Opifices, & Viatores Sacrum audire possint, & affirmat passim ita fieri in Belgio, & in alijs locis consuetudine recepta, sed vbi consuetudo ista non viget, non audet asserere, notabiliter anticipari posse tempus ante auroram ob causam prædictam. numerãtur etiam alij casus apud laudatos Authores, apud quos videri possunt. *Casus, in quibus est licitum ante auroram celebrare.*

Dicendum est secundo. Per auroram, physicè loquendo, communiter intelligitur prima solis irradiatio in nostro hæmispherio, quæ iuxta temporis varietatẽ nunc magis, nunc minus præcedit ortum corporis Solaris: nam aliquando præuenit per spatium vnius horæ, aliquãdo per horam cum quadrante, & etiam cum medietate horæ, aliquando per duas horas, vt notauit *De Lugo disp. cit. n. 31. & seq. & Raphael Auersa De sacrificio Missæ quæst. 11. sect. 15.* verumtamen initium auroræ in hac materia non est mathematicè sumendum, sicuti solet media nox in ordine ad ieiunium; nam cum hæc sint moralia, iudicanda sunt secundũ hominũ existimationẽ, & quãdo quæritur, quod sit initiũ diei naturalis, dicim⁹ cõmuniter incipere à pũcto mediæ 3 *Quid nomine auroræ intelligatur.*

noctis vsq; ad aliã mediam noctẽ immediatè sequentem, sed etiam in hoc est latitudo in ordine ad nos secundùm diuersitatem horologiorum: nam aliquod dat pulsum mediæ noctis, priusquam detur ab alio, & possumus practicè, & moraliter nos regulari per signum vnius, aut alterius horologij, vt libet, dũmodo aliquod horologium non apprehẽdatur esse manifestè falsum: at in designando initio auroræ in ordine ad hunc effectum celebrandi non consueuerunt Doctores ita strictè, & rigorosè illud accipere, sed potiùs moraliter cum quadam latitudine; idcirco, si quis celebrando aliquantulum præueniat primam solis irradiationem, seu initium auroræ physicè acceptum, non est illi culpa imputandum; quantum autem spatij ante crepusculum requiratur, ad hoc vt censeatur tempus notabile sufficiens ad culpam, non conueniunt Doctores: nam aliqui plus, aliqui minus temporis spatium expostulant, quoniam aliqui mediam horam, alij tres horæ quadrantes volunt esse tempus notabile. vide *Bartholomæum à S. Fausto de Sacrificio Missæ lib. 2. quæst. 123. & Dianam part. secunda tract. 14. De celebrat. Miss. resol. 40. ver. His præmissis*, varias recensentes Authorum sententias. & quamuis circa determinationem huius temporis prædictæ opiniones probabiles videri queant, mihi tamen præ alijs ea placet, quæ asserit, posse per spatium mediæ horæ præueniri lucem, & Sacrum inchoari, etiam omni secluso priuilegio, & & necessitate. quam opinionem docet *Victoria in summa num. 97. & Suarez loco citato ver. secundo inquiri*, ita vt finis Missæ sit circa initium crepusculi; sic etiã docet *Barbosa de iure ecclesiastico lib. 1. cap. 11. num. 25. & plures apud ipsum*. Ducor ad hoc, quia cum certum sit, per auroram non intelligi initium crepusculi mathematicè sumptum, sed moraliter iuxta commune hominum arbitrium, quod latitudinem in rebus mensurandis habet, vt patet in alijs similibus, quæ ab humana dependent existimatione, idcirco latitudo temporis ante primam irradiationem iuxta communem existimationem rationabiliter censeri debet medietas horæ.

Aurora in hac materia non mathematicè, sed moraliter accipitur.

Per mediam horam ante auroram licitum est celebrare, etiã secluso priuilegio.

4 Dico tertio. Termin⁹, vltra quem Missa celebrari nequit, est meridies. ita habetur in Rubricis Missalis, & est communis opinio, quamuis non sit terminus iste sumendus mathematicè, vt supra loquuti sumus de aurora, sed moraliter, & cum aliqua latitudine; & ideo vario modo acceptus est à Doctoribus, qui discrepant in assignando tempore notabili post meridiem, ita vt Sacerdos celebrando tali tẽpore peccet, nam *Azor p. 1. lib. 10. cap. 25. quæst. 5.* vult, tertiam partem horæ esse tempus notabile; alij dicunt esse mediam horam. sic *Layman lib. 4. tract. 5. cap. 4.* dũ inquit, Missam inchoari posse paulo post meridiem, puta vno, vel altero quadrante, censuit esse tempus notabile, at *Syluius in 3. p. S. Thomæ quæst. 83. a 2. ver. Post meridiem vero*, ait, non esse peccatum, si horæ spatium non excedatur: at reijciendus est, sicuti ab alijs communiter repellitur *Nauarrus in summ. cap. 25. n. 8. & alii* asserentes, posse remoto scandalo celebrandi Missam, etiam vsque ad nonã, quæ est tertia hora post meridiem: hæc in quam opinio est reprobanda, nam hodie vniuersalis praxis est in contrariũ, quicquid sit de antiquo tempore. ex his opinionibus probabiliorem iudico illam, quæ vult, absque vllo peccato licitum esse Missam in ipso meridie inchoari, licèt post meridiem finiatur, itavt magna pars, aut fere tota incidat in illud temp⁹, quod est post meridiem. ita *Layman num. 3. in fine eiusdem capitis*, & apud ipsum *Rodriquez, & Aegidius Conin.*

Terminus, vltra quẽ Missa non potest celebrari, est meridies etiã moraliter sũptus.

Recensentur variæ opiniones de hoc.

Probabilius videtur, posse Missam inchoari in ipso meridie.

Cæterum in quibusdam casibus poterit Missa inchoari post meridiem, etiã non petita Episcopi licentia, videlicet ne infirmus decedat sine viatico: item quãdo Episcopus ordines confert, vel celebratur funus alicuius Principis, & Missa solemnis debet absolui post concionem, possunt celebrari Missæ priuatæ, etiam durante Missa illa solemni, & præsertim si pars aliqua populi Missam non audiuerit, vel ob aliquam similem caussam. vide de re hac Authores citatos multa disserentes. & hæc dicta sunt præscindendo à priuilegio, sed iuxta communem, & ordinariam Ecclesiæ praxim ea præmittere censuimus, vt melius innotescat Commissarij potestas, dum concedit, posse ante auroram celebrari, vel post meridiem.

5 *Aliquãdo poterit inchoari post meridiem, etiam sine licentia.*

G A.

CAPVT II.

Quid concedat priuilegium Cruciatæ circa horam celebrandi.

1 VIdimus ea, quæ seruanda sunt iuxta receptam Ecclesiæ cõsuetudinem de hora faciendi Sacrum, nunc examinãda est facultas Commissario concessa in ordine ad eamdem rem.

2 *Commissarius potest personis nobilibus, & qualificatis facultatem dare audiẽdi Sacrum, vel celebrandi per horam ante lucem, & per horam post meridiem.* Dico igitur primo. Commissarius virte Cruciatæ dare potest licentiam personis nobilib⁹, & qualificatis audiẽdi Sacrũ, vel celebrandi, si persona, cui dispẽsatur, erit Sacerdos, per horam ante lucem, vel Missam inchoare per vnam horam completam post meridiem. sic habetur in hoc paragrapho Bullæ latinæ. Difficultas autẽ est, an hora ista siue ante lucem, siue post meridiẽ, in qua Cõmissarius potest dispẽsare, intelligenda sit vltra totum illud tẽpus, quo de iure communi absq; priuilegio omnibus est licitũ celebrare. V. G. ponamus circa medietatem vnius horæ tum ante primam irradiationem, tum post meridiem esse licitum inchoare, vel absoluere Sacrum, dubitatur, an hora, in qua dispensat Commissarius, sit vltra hanc medietatem, ita vt vi huius dispensationis possit Missa inchoari per horam integram cum dimidio ante initium auroræ, vel eodem modo absolui post meridiem.

3 *Refertur prima opinio.* Prima opinio affirmat, ita esse intelligendum priuilegium Cruciatæ, sicuti & aliud simile priuilegium, quod habent Regulares: & hanc sententiam tuentur quamplures, vt *Rodriq. in quæst. reg. tom. 1. quæst. 43. a. 1. & in addit. ad §. 13. n. 18. & alibi Suarez in 3. p. disp. 80. sect. 4. Barthol. à S. Fausto lib. 2. De Sacrif. Miss. q. 124. Trullench. lib. 2. in Bullam §. 5. dub. 3. num. 4. Diana par. 6. resol. ver. dico quod, & alij.* ratio vnica, & fundamentalis huius sententiæ est, quia, nisi hoc dicatur, priuilegiũ esset inutile, & nihil operaretur, quod non est asserendum, cum de ratione priuilegij sit aliquem effectũ caussare in priuilegiato, vt communiter affirmant Canonistæ, *Panorm. c. certificari De sepul. Mãdos. in regul. 3. cancel. q. 17. nu. 5. Nauar. De hor. can. cap. 15. nu. 84. & alij.*

4 *Proponitur secunda.* Secunda opinio talem intelligentiam nõ admittẽs excogitari posse, si sumũtur verba priuilegij, vt sonant, videlicet hanc anticipationem vnius horæ non esse accipiendam vltra totum tempus de iure communi concessum, & in quo absq; priuilegio potest celebrari; & hoc, quia videtur gratis id affirmari, cum ex verbis priuilegij nõ colligatur aliud, nisi præuentio vnius tantùm horæ ante lucem (& idem de hora post meridiem.) & confirmari potest hæc opinio euertendo fundamentum, cui innituntur contrariæ sententiæ defensores; nam falsum est, priuilegium istud esse inutile, & nihil operari, quia cũ dubitetur apud Doctores, an anticipatio temporis ante auroram sit per mediam horam, an verò plus, aut minus, Pontifex determinatè cõcedit, anticipari posse per horam (& idem dico de hora post meridiem,) & sic tolluntur & dubitationes, & scrupuli, quib⁹ celebrãtes angustiari possint. Rursus addo, quod etiam si diceremus, per priuilegium istud non concedi effectum realiter distinctum ab eo, quem concedit ius commune, nõ sequitur, priuilegiũ esse inutile, quoniam, vt rectè animaduertit *Suarez De legib. lib. 8. q. 22. n. 3. & Merolla tom. 3. disp. moral. disp. 6. cap. 6. dub. 1. n. 3.* effectus priuilegij potest distingui ab effectu iuris communis, vel secundùm rem, seu substantiam, vel tantùm secundùm modum, aut nouum titulum; quatenus nouo titulo idem effectus conceditur, & licèt actu vtilitatem, & cõmodum minimè trahat, satis tamen est, vt trahat aptitudinem, seu habitu, inquantum, posito quod ius commune contrarium postea decernat; nihilominus non obstãte tali decreto, effectus erit licitus vi priuilegij, & si priuilegium non extaret, effectus stante dispositione contraria esset illicitus: proinde semper verificabitur, de ratione priuilegij esse aliquid operari, siue quoad rem, siue quoad modum sit distinctum ab effectu iuris communis: & in hoc sensu explicandi sunt Authores citati pro prima sententia, & reliqui Canonistæ docẽtes, de ratione priuilegij esse aliquid in priuilegiato operari. Addo, neq; esse omnino inusitatum concedi priuilegia solùm ad sedandas cõscientias, quãdo opinio non est omnino certa, vt adnotat *Henriq. lib. 9. c. 24. nu. 6. Ludouicus à Cruce in expositione Bullæ disp. 1. c. 9. nu. 6. & alij.* *Effectus priuilegij interdum quoad substantiam erit idẽ cum effectu iuris communis, sed iuxta modũ, aut titulum erit diuersus.*

5 *Prior opinio est practicè probabilis, licèt latior.* At his nõ obstantibus tuta est in praxi prior sententia, & ad rationem posterioris sententiæ dici potest, tempus auroræ moraliter, & nõ physicè, aut mathematicè esse explicandum, quo pacto latitudinem habet; & sic sumi poterit pro toto eo tempore, quod per vnum, aut alterum quadrantem præcedit auroram ipsam, seu primam irradiationem: & ideo hora ex priuilegio sumenda erit pro toto eo tempore, quod est ante illum vnum, aut alterum quadrãtem, qui auroram ipsam antecedunt: & hoc pacto interpretando verba priuilegij possumus liberari ab argumento contrario, cum non videamur verba extorquere.

CA-

CAPVT III.

Quo pacto sit intelligenda conditio nobilitatis, quam Pontifex requirit in persona, cui dispensatur circa horam Missæ.

POtestas Commissario vi Cruciatæ collata non habet omnimodam vniuersalitatem in ordine ad personas, quibus licentia conceditur anticipandi, vel postponendi horam celebrandi, sed restringitur ad personas habentes determinatam qualitatem, nempe nobilitatē, ratione cuius possint merito iudicari personæ qualificatæ; declarandum igitur nobis est, quomodo sumi debeat qualitas nobilitatis, ad hoc vt eam habens capax sit effectus huius priuilegij: at non intendimus ingredi ad discutiendam materiā illam amplissimam de nobilitate, de qua fusè tractat Tiraquellus in suo primo volumine; sed solùm breuiter nōnulla sunt tangenda, quæ sufficiunt ad intelligentiā huius facultatis.

2 *Qui censetur nobilis.* Dicendum est primò. Appellatione nobilium non solùm veniunt, qui eam ex generis antiquitate habent, quos ordinariè nobiles ex sanguine nuncupare solemus, verùm etiam ex alijs titulis mox exprimendis.

3 *Nobilitas oritur ex varijs capitibus.* Dicendum est secundo. Inter nobiles numerantur etiam illi, qui licèt tales non sint ex progenitoribus, nihilominus ratione alicuius officij dignitatem afferentis à Principe collati nobiles dicuntur: & sic Præsides in hoc Regno, qui sunt Capita diuersorum Tribunalium, Iudices magnæ Curiæ, Cōsistorij, Regij Patrimonij, nobiles censendi sunt; nam hi comprehenduntur sub illis, qui beneficio Regis Regio seruitio adscripti sunt, & nobiles existimantur, vt docet *Bartol. l. 1. c. De dignis.* & notat *Barbosa De appellat. vtriusque iuris appellat.* 174. *& Merolla tom. 3. disput. moral. disp.* 6. *cap.* 8. *dub.* 37. *num.* 238. *Castro consil.* 24. *num.* 2. *& alij.*

4 *Gradu Doctoratus insigniti æstimantur nobiles.* Dicendum est tertio. Doctores siue in Iure canonico, seu Theologia, siue in Iure ciuili nobiles vocantur. sic de Doctoribus in vniuersum loquentes asserunt *Alexander consil.* 213 *num.* 9. *lib.* 6. *Gomez in l.* 83. *Tauri à num* 16. *Tiraquel. De nobil. cap.* 34. *per totum. Cassanus De gloria mundi par.* 10. *consider.* 25. *Menochius De præsumpt. lib.* 4. *præf.* 78. *num.* 25. *Tuscus ver. Nobilis concl.* 45. *num.* 9. & innuit *Sanchez lib.* 7. *summa cap.* 12. *num.* 13. *circa finem, & alij*, & ratio est, quia hi tales ita existimantur; scientia enim in vtroque iure magnam affert decorem personæ scienti.

Dicendum est quarto. Diuites etiam nobiles sunt, vt latè probat *Tiraq. c.* 3. *initio.* immò, vt ipse ait, absque diuitijs nobilitas sordescit, diuitiæ quemdam gignunt splendorem, nisi maculentur exercitio vilium artium. 5 *Diuites censentur nobiles.*

Dicendum est quinto. Nobilitas acquiritur per priuilegium à Principe concessum, nam Princeps nobilitare potest. sic *Tiraquel. cap.* 6. *Paulus de Castro in l. quoties in fine. c. vbi senat. Baldus in l. sacrilegij. c. De diuersis rescript: Gironda De explic. priuileg: num.* 823. quamuis aliqui hanc conclusionem vniuersaliter non admittant, sed solùm in fauorabilibus, quæ alteri præiudicium non inferunt, vt notat *Merolla disp. cit. cap.* 8. *dub.* 8. *n.* 31. 6 *Nobilitas acquiri potest per priuilegium.*

Dicendum est sexto. Quæ dicta sunt limitationem admittunt: nam interdum nobilitas perditur, vt per exercitium vilium artium, per quod aliqua nobilitas vel obumbratur, vel irreuocabiliter amittitur; sunt enim aliquæ actiones, quæ pugnant cum nobilitate, ideoque illam vel totaliter destruunt, vel suspendunt. vide *Merollam cap. cit. dub.* 40. *& seq.* nobis autem satis est hæc tetigisse. 7 *Limitatio prædictorum.*

Ex his autem dicimus, licentiam celebrandi per horam ante lucem, vel per horam post meridiem non posse à Commissario dari nisi personis nobilibus, qui aliquo capite ex recensitis nobilitatem acquisierunt, dum autem textus ait: *aut quæ iuxta ipsius Commissarij arbitriū qualificatæ fuerint.* per hæc verba non postulatur conditio distincta à præcedente, nempè à nobilitate, sed Pontifex arbitrio ipsius Commissarij relinquit, quæ personæ existimandæ sint qualificatæ ratione alicuius nobilitatis. 8 *Personis ignobilibus nequit Commissarius licentiā hāc dare.*

Et hæc dicta sint pro declaratione omnium paragraphorum spectantium ad potestatem Commissarij incipiendo *à* 21. *vsq; ad* 23. qui est vltimus; superest, vt regrediamur ad 20. in quo est sermo de Compositione facienda à Commissario circa incerta, & turpiter acquisita, & quem exponendum in hunc locum initio huius tertiæ Partis remisimus.

TRAC-

TRACTATVS V.

DE BVLLA COMPOSITIONIS SVPER BONA INCERTA IN DVAS DISSERTATIONES DIVISVS.

FAcultas, quæ in hoc vigesimo tertio paragrapho Commissario tribuitur, versatur super compositionem in quibusdam casibus de bonis incertis faciendam, ideoque ex originali diplomate Cruciatæ extracta est iussu Commissarij quædam parua Bulla, quæ Compositionis appellatur, & est veluti quoddam Summariolum, in quo proponuntur casus singuli, ad quos extenditur Commissarij potestas, sed cum duo principaliter huius Bullæ declaratio expostulet, primo quæ ad ipsius naturam concernunt; secundo casus singulares, in quibus conceditur compositio; ideo totum hunc tractatum maioris distinctionis gratia in duas seiungimus dissertationes.

PRIMA DISSERTATIO.

De his, quæ spectant ad huius Bullæ naturam.

CAPVT I.

De iustitia, & honestate huius Bullæ.

ANtequam ad casus particulares deueniamus, quædam præmittenda sunt vniuersalia, quæ ad huius Bullæ intelligentiam sunt necessaria.

SECTIO I.

Declaratur qualitas bonorum, quæ sunt materia compositionis.

1 VT conuenientia, & honestas huius Bullæ omnibus innotescat, oportet exponere qualitatem eorum bonorum, circa quæ Commissarius potestatem sibi à Pontifice concessam exercere valet.

2 Dico igitur. Bona, seu debita incerta, ea sunt, quæ sub alterius dominio manēt, & eorum Domin⁹ ignoratur: hæc autem sunt in triplici differentia. nam quædam sunt ex delicto, nempe ex vsuris, aut ex furto, aut ex quacunq; alia iniusta actione; quædam verò non oriuntur ex delicto, sed ex contractu, vt ex emptione, vēditione, mutuo, deposito, &c. quædam denique sunt ex casuali, & fortuita inuētione, & hæc subdistinguntur in duas species. nam alia ita se habent, vt eorum Dominus modo humano inueniri nequeat, & huiusmodi est thesaurus, qui est, depositio pecuniarum, auri, vel argenti ita antiqua, vt de eius Domino notitia haberi non possit: alia verò sunt bona, quorum Dominus licèt hic, & nunc sit ignotus; tamen cognitio de illo non excedit humanam facultatem: & talia bona propriijssimè appellantur res inuentæ; & de his in hoc tertio membro loquimur. Difficultas autem est inter Doctores, an omnia supradicta bona (thesauris exceptis) sint à possessore pauperibus restituenda: & quod spectat ad bona primi generis, videlicet ea, quæ ex delicto proueniunt, esse pauperibus restituenda neminem dubitantem vidi, & ita definitum est *in cap. cum De vsuris*, vbi licèt sermo sit explicitè de vnius generis delicto, nēpe de vsura; tamen cum sit identitas rationis in bonis possessis ex alijs delictis, idcirco Authores illud, quod definitum est in bonis ex vsuris, sumunt, vt decisum in bonis ex quocunque alio delicto. idem etiam confirmatur *ex cap. nemo, qui rapit. 14. quæst. 5.* de bonis autem secundi, aut tertij generis est aliqua dubitatio, quoniam nonnulli existimant, posse licitè à possessore retineri, sed opinio communiter recepta vult, esse pauperibus eroganda.

Bona dicūtur bona incerta, & quotuplicia sint.

Bona incerta primi generis pauperibus sunt restituenda.

Bona incerta ex quocumq; delicto pauperibus sunt etiam eroganda.

3 Rursus est etiam difficultas, an obligatio ista dandi pauperibus bona incerta, sit ex solo iure positiuo, an verò originem trahat ex iure naturæ: & pro vtraque sentētia sunt graues patroni. vide *Cardinalē De Lugo tom. 1. De iust. disp. 6. sec. 12. num. 144.* verum quicquid sit de hoc puncto,

Est controuersia, an restitutio orta sit ex iure positiuo, an verò naturali.

cto, cuius determinatio non est necessaria ad rem nostram; quia siue ex iure tantùm positiuo, siue ex iure naturæ procedat obligatio, debemus firmare iustitiam, & honestatem huius Bullæ. Dices in Bulla, dum Commissario conceditur potestas faciendi compositionem, non fit mẽtio nisi de illicitè acquisitis, vt patet ex contextu; igitur super licitè obtenta cõpensatio locum habere non poterit; si enim Pontifex id voluisset, vtiq; illud expressisset.

4 Ad hoc argumentum respondet *Trullench, & benè dub. 4. n. 2. in fine.* nam cum maius sit concedere potestatem componendi super illicitè, quàm super licitè acquisita, in illorum concessione intelliguntur etiam ista inclusa, & quamuis nõ semper valeat illatio à maiore ad minus, tamen, dum habetur identitas rationis, & sumus in eodem genere, optima erit illatio. V. G. si cui sit dispẽsatum diebus quadragesimalibus ad carnes comedendas, erit etiã ad oua, & cui dispensatũ ad oua, erit dispensatũ ad caseum, lac, butyrum, &c. vt in similisuperiùs diximus agentes de potestate commutandi vota. hæc autem præmittere voluimus ad pleniorem huius Bullæ intelligentiam.

SECTIO II.

An debitor compositione vtens tutus maneat in conscientia.

5 *Aliqui putarunt eos, qui per hanc Bullam se componunt, non esse tutos in conscientia.*

POssumus circa præsens quæsitum tres referre sententias: prima enim absolutè loquens vult, qui compositione hac vtitur, non esse tutum in conscientia, & consequenter hæc eadem sententia tenetur asserere, Bullam hãc non esse licitam. sic aliqui apud *Medinam cod. De restitut. quæst. 3. cas. 11.* & ratio, qua mouentur, est, quia Pontifex non habet dominium in his bonis, proinde nõ habet potestatem condonandi eadem bona contra voluntatem eorum, qui talium bonorum sunt veri Domini.

6 *Alij agnoscũt in Pontifice potestatẽ ad compositionẽ, sed censent, eleemosynam in Bulla taxatam esse improportionatam.*

Secunda autem opinio, quamuis de possibili nequaquam neget, in Pontifice talem esse potestatem posita caussa rationabili, & proportionata; tamen videtur docere inter eleemosynam taxatam pro qualibet Bulla ex his, & remissionem delicti non esse proportionem, nam per eleemosynam valdè exiguam remittitur pars nobilis ex summa, quæ debetur, vt infra declarabimus; & ita dubitare videtur *Sotus in 4. dist. 21 quæst. 2. a 4. Bañes in 2. 2. S. Thomæ quæst. 62. a. 5. dub. 8. concl. 3. & alij.*

7 Tertia opinio asserit & in Summo Pontifice esse potestatem faciẽdi hanc compositionem, & de facto caussam, ob quam concedit Bullam, esse rationabilẽ, & sufficientem, & per consequens eos, qui vi Cruciatæ se componunt, esse tutos in cõscientia quoad reliquam debiti partem, quæ ipsis remittitur. hanc opinionem tenet *Rodriquez in explicatione Bullæ compositionis §. vnico dub. 3. num. 5. Henriquez lib. 7. cap. 34. num. 5. Villalobos tom. 1. tract. 29. cõcl 4. num. 5. Ludouicus à Cruce in Bullam disp. 3. dub. 1. num. 10. Trullench lib. 3. dub. 1. num. 2. Lugo tom. 1. De iust. disp. 6. sec. 12. num. 150. & disp. 21. sec. 7. à num. 92. & alij apud ipsos.* huius autem opinionis fundamenta mox referemus.

Alij sustinent esse proportionatã spectando caussam, ob quã bulla conceditur.

8 *Hæc opinio quoad bona ecclesiastica est euidens.*

Dico primo. Certissimum est, in Summo Pontifice esse potestatem remittendi huiusmodi debita incerta per viam compositionis, & quia debita ista incerta aliquando pertinent ad Ecclesiam, vt sunt fructus beneficij ecclesiastici, quorum restitutio in casibus infra exprimendis oritur ex lege positiua Pontificia; idcirco conclusio de bonis istis est euidens, nam Pontifex potest in sua lege dispensare, & potest remittere pœnam à se impositam: igitur multo magis poterit super his bonis compositionem concedere; si autem debita, seu bona incerta sunt profana, suadetur conclusio efficacissima ratione, quia bona ista incerta debentur pauperibus, vt ex communi consensu supra statuimus, siue id oriatur ex iure naturæ, siue ex iure positiuo humano, atque adeo applicare illa pauperibus est opus pium, vt de se patet: at Summus Pastor potestatem habet applicandi bona destinata alicui operi pio in alium pium vsum, si ita expediens ad vtilitatem spiritualem siue specialem, siue vniuersalem sibi videbitur: igitur poterit bona incerta, quæ essent erogãda pauperibus applicare huic sacræ expeditioni, quæ est opus valdè pium concernens bonum commune Ecclesiæ, vt defendatur ab hostibus. Et confirmari potest à pari, nam vi eiusdem supremæ potestatis Pontifex commutat legata pia in alium vsum pium vel magis, vel æquè bonum; sic etiam bona ista applicanda pauperibus poterit alteri pio operi, vt sibi videbitur, applicare. alias rationes coaceruant aliqui ex laudatis Authoribus, sed in eamdem à nobis positam reincidunt.

Vera est vltima opinio etiam quoad bona non ecclesiastica, s. de prophana.

Dices, Bona ista incerta debentur pauperibus; ergo eisdem pauperibus fit iniuria, dum remittuntur debitoribus. 9

Respondeo, si obligatio erogandi bona incerta pauperibus prouenit ex Iure positiuo, vt plures autumant, solutio ad hanc instantiam erit manifesta, nam Põtifex 10

tifex est supra totum ius positiuum canonicum, proinde poterit illud abrogare, modificare: at si sequamur opinionem aliorum asserẽtium, hanc obligationẽ originẽ habere ex iure naturali fundatò in præsumpta volũtate Dominii, vnusquisque enim per se loquendo explicitè, aut implicitè intentionem habet, vt sua bona, dum amittuntur absque spe recuperandi, applicentur meliori modo, quo fieri poterit in bonum spirituale propriæ animæ; melior autem modus erit, ea in pauperes distribuere: si sequamur, inquam, opinionem hanc, licèt solutio appareat difficilior, tamen dicimus, in pauperibus nullum esse ius acquisitum neq; in re, neq; ad rem in bona incerta, cum omni titulo careant, supra quem fundari debet ius: & dum dicitur, iuxta illam sententiam esse faciendam distributionem hanc ex iure naturæ, potest hoc bifariam intelligi: primo, vt ius naturæ determinatè præscribat, restitutionem hãc esse pauperibus faciendam, & hoc est negandum, quia nulla ratione censeo, id suaderi posse: secundo, vt præscribat tamquam valdè conueniens, bona ista esse pijs operibus applicanda in vtilitatem animæ illius, qui est horum bonorum Dominus: & sic concedo, esse de iure naturæ; determinatio autem operis pij emanare debet à Supremo Pastore, qui pensatis omnibus disponat, & decernat opus pium, sicuti ipsi conuenientiùs videbitur, quia est vniuersalis administrator omnium bonorum, quæ pijs vsibus sunt applicanda; & quia hæc præsumitur esse interpretatiua, & rationabilis Domini voluntas, videlicet sua bona, quæ numquam humano modo ad se redire possunt, esse applicanda in vtilitatem propriæ animæ eo modo, quo Prælati iudicabunt, & præsertim Supremus Prælatus, qui est Christi Vicarius.

Obligatio distribuẽdi pauperibus bona incerta oritur ex iure naturæ.

Ius istud naturæ nõ determinat pauperes in particulari.

11 Dico secundo; caussam, ob quam de facto Papa mouetur ad hanc compositionem concedendam, esse piam, & proportionatam, seu sufficientem, vt volunt Authores tertiæ opinionis. probatur, nã si consideremus vltimatam, videbimus esse, subsidium dare sacræ expeditioni contra infideles, quod resultat in bonum totius Christianitatis; si verò consideremus proximam, & immediatam, inueniemus, esse eleemosynam illam, quam erogant fideles Bullam capientes. neque est attendẽdum ad illam paruam eleemosynam, quam elargitur ille, qui se componit, sed ad bonum illud vniuersale, quod Christianæ Reipublicæ resultat ex tali compositione; si enim Pontifex magnam præscriberet eleemosynam, non ita facilè concurrerent debitores ad seipsos componendos, sicuti nunc de facto cõcurrunt inducti vtilitate, quam consequuntur soluendo exiguum stipendium; & mediante Bulla se liberando ab obligatione soluendi quantitatem debitam; igitur non est spectanda parua illa eleemosyna vt sic, & absolutè; sed prout connotat magnum subsidium, quod prouenit ex omnibus eleemosynis simul coniunctis; & addo, etiam esse bonum non parui momenti præuentionem, qua Pontifex propter humanam fragilitatem timens, possessores horum bonorum non esse restituturos, præcauet eorum culpam, & damnum spirituale; quamplures enim, si compositio non daretur, ommitterent restitutionem, & sic damnarentur: hæc autem, & similia commoda longè præponderant bono illi, quod reperitur in distributione facienda pauperibus, quæ rarò fieret; nam attenta fragilitate hominum pauci spoliarent se his bonis, vt ea pauperibus applicarent.

Motiuum ad concedendam cõpositionem est pium, & proportionatum.

Franc. Bard. in Bull. Cruc.

Dico tertio. Pontifex admittendo compositionem hanc verè condonat debitoribus reliquam partem debiti: est contra *Caietanum* 2. 2. *quæst.* 100. *a.* 1. vbi ponens exemplum ait, si vsuræ ascendunt ad quindecim millia ducatorum, & vsurarius det Papæ tria, aut quatuor millia, & residuum sibi retineat, non remanet tutus in conscientia, tum quia Papa est dispensator, & non Dominus rerum ecclesiasticarum; dispensatio autem dicit discretam compositionem, tum quia, etiam si esset Dominus, verisimiliter præsumitur non liberè reliquum donare, sed redimere vexationem extrahendo à debitore id, quod potest: sed conclusio nostra est omnino admittenda, quam probat *de Lugo sec. cit. num.* 93. & ratio est, quia, nisi esset vera condonatio, debitor non maneret tutus in conscientia, & deciperetur à Pontifice inducente ob fines prædictos ad compositionem, & Commissario asserente in ipsamet Bulla eos, qui componuntur, post compositionem tutos manere in conscientia, quod tamen nullo pacto est dicendum. 12

Per compositionem cõdonatur reliqua pars debitori.

Dico quarto. Si Papa concederet compositionem absque vlla caussa, seu absque caussa proportionata, & restitutio non esset facienda vi alicuius legis ecclesiasticæ, sed legis Diuinæ, & naturalis, compositionem non solùm esse illicitam, sed meo iudicio inualidam. est cõtra *Cordubam in quæstionario De indulgent. quæst. vltima post ver. secundo principaliter, & ad* 2. *contrariam* 13

Compositio absque iusta caussa erit inualida, si debitum sit ex iure Diuino, & naturali.

sequitur, cui etiam videtur adhærere *Aloysius Turrianus in 2.2. De iustitia disp. 14. dub. 1. n. 6.* sed pro nostra conclusione citantur *Couar. Regula peccatum 3. parte §. 1. Sotus De iustitia quæst. 7. a. 1. ad 3. Nauar. in summa cap. 17. n. 93. Molina tom. 3. De iust. disp. 748. n. 5. & Cardinalis de Lugo*, qui reuera, præter Cardinalē de Lugo, non dicunt apertè, compositionem hanc factam absque caussa esse inualidam, sed solùm ad eam requiri caussam legitimā, seu rationabilem, ex quo nequit certo inferri inualiditas, cum possint requirere caussam legitimam, vt compositio sit licita; nihilominus rationes, quas ipsi assignant, & doctrina, quam tradunt, videntur ostendere inualiditatem, quam expressè ponit de Lugo. probari potest cōclusio ex eo quod Pontifex non est absolutus Dominus horum bonorum incertorum, sed solùm administrator supremus, qui non debet destruere, sed benè conseruare bona Ecclesiæ, & rectam de illis facere dispositionem, vt in simili diximus *par. 1. loquendo De indulg. contra Cutellum*.

14 *Pontifex vt legitimus administrator, & nō vt Dominus concedit compositionem hanc.*

Ad rationem autem fundamentalem primæ sententiæ patet solutio ex dictis; nam licèt Pontifex non habeat dominium in bonis incertis; tamen est eorum administrator, proinde potestatem habet illa disponendi in vtilitatem spiritualem tum Domini, tum reliquorum fidelium modo explicato, & negamus, hoc esse cōtra voluntatem præsumptam Domini.

15 Ad rationem pro secunda sententia patet similiter solutio, quia negam⁹, caussam concedendi Bullam hanc non esse proportionatam, vt supra ostendimus.

SECTIO II.

Soluuntur quædam dubitationes circa compositionem.

NOnnulla, quæ difficultatem ingerere possunt circa compositionem, quæ fieri debet per Bullam, aut per Cōmissarium, in hac sectione sunt à nobis examinanda.

16 Quæs primo. Vtrum in dubio sufficientiæ caussæ præsumenda sit sufficiens?

Caussa dubia quoad sufficiētiam præsumitur sufficiens.

Respondeo. Hanc dubitationem proposuit *Cardinalis de Lugo sec. 7. cit. nu. 95.* & respondet, esse validam compositionem, non obstante quod caussa non sit sufficiens, si saltem à Pontifice sufficiens æstimetur, & remittit se ad ea, quæ in simili dixerat agens de indulgentia, cuius caussa putatur sufficiens, cum reuera non sit talis, & censuit probabile, & pium esse, ad valorem indulgentiæ satis esse caussam prudenter existimatam sufficientem; addo igitur in casu nostro, quod nisi constet, caussam, ob quam Pontifex concedit Bullam hanc, esse insufficiētem, debere à nobis præsumi sufficientem, quia in dubijs in fauorem Superioris est præsumendum.

Quæres secundo. An quando creditor est certus, sed est absens, locum habeat compositio? 17

Sola absentia creditoris vt sic non est iusta causa ad compositionem.

Respondeo, solùm absentiam creditoris vt sic non esse sufficientem caussam ad compositionem hanc faciendam, & in hoc conueniunt Doctores, tum quia interdum tenetur debitor transmittere ad creditorē absentem id, quod debet, tum etiam quia absentia creditoris non facit debitum esse incertum: sed dubitatio, & controuersia inter Doctores reperitur, quando distantia inter creditorem, & debitorem est nimia, & maiores essent insumendæ expensæ, quàm sit ipsum debitum; in hoc autem casu inuenio aliquam diuersitatem in Authoribus in ordine ad compositionem, quorum doctrinam breuiter collectam nunc in mediū afferam. Aio igitur, si debitor ex pacto tenetur mittere rem debitam ad suum creditorem, non posse fieri compositionē: & hoc est indubitatum, quia non habentur conditiones requisitæ ad compositionem faciendam, pro vt in Bulla postulatur; si verò non tenetur rem transmittere, est distinguendum; nam debitor vel est possessor iustus, vel iniustus; si iustus, neque fuit in mora restituendi, dicunt aliqui, posse compositionem fieri; & in hac sententia est *Ludouicus à Cruce disp. 3. dub. 6.* & apud ipsum *Couar. Angles*, quibus addo *Henriquez lib. 7. cap. 33. num. 1. Villalobos in hac Bulla num. 13.* & ratio, qua mouentur, est, quia licèt debitum sit certum, sicuti & creditor; tamen cum ob nimiam distantiam nulla sit spes, vt restitutio Domino fieri valeat, proinde se habet huiusmodi debitum, ac si foret incertum, ideoque locum habet compositio: & in hac sententia videtur esse *Rodriquez dub. 2.* dum proponens idem quæsitum, & præmittens eamdem distinctionem de possessore iusto, & iniusto, & quasdam alias conditiones, per quas possessor permanet in ratione iusti possessoris, concludit, non teneri transmittere rem ad Dominum, & licèt huius Doctoris doctrina sit vera; nihilominus conclusiones, quas ipse elicit, videntur deficere: nam posito quæsito erat concludendum, fieri posse, aut fieri non posse

posse cõpositionem; vt sic enim Autbor iste directè satisfecisset quæsito: at ipse solùm infert, non esse in tali casu rem ad creditorem transmittendam. alij verò censent, in casu prædicto non dari facultatem componẽdi, quæ solùm est ad debita incerta, inter quæ non est debitum, de quo loquimur: & ita asserit *Sotus in 4. d. 21. quæst. 2. a. 4.* si verò possessor est iniustus, & per ipsum stetit, quin creditor recuperauerit, quod sibi debebatur, tenetur transmittere rem proprijs expensis ad locum, in quo est creditor. secus, si creditor nõ habuit rem debitam ob sui culpam; tunc enim non tenebitur suis expẽsis debitor rem illam ad locũ creditoris transmittere: præterea si magni sumptus faciendi essent à debitore in transmissione rei, vel non haberet opportunitatem mittendi, in hoc casu *Rodriquez in fine illius dubij* asserit, posse fieri compositionem. hæc inuenio apud laudatos Authores, & vt directè respondeam ad quæsitum, aio, primam opinionem, quæ vult fieri posse virtute Cruciatæ compositionem, esse probabilem auctoritate eorum, qui eam defendunt; attamen probabiliorem, & iuri conformiorem iudico secũdam sententiam, quam tuetur Sotus, quia reuera, quod debetur absenti etiam longissimè distanti, quamuis in quibusdam æquiualeat debitis incertis; tamen reuera non est debitum incertum, sed certum; & ideo circa illud Bulla compositionis non videtur se extendere, licèt in multis circumstantijs ex enumeratis, & alijs similibus, quæ leguntur apud Authores in materia de restitutione, debitor excusetur à restitutione, & possit eam differre vsque dum occasionem babeat restituendi bona vero Domino, & si nulla extet spes, quod res valeat ad Dominum peruenire, pauperibus bona illa puto esse eroganda, & vi Bullæ non posse fieri compositionem ob rationem assignatam, quamuis opposita opinio, vt dixi, per principia extrinseca sit probabilis; attamen sententiam negatiuam, quæ mihi magis placet, cum limitatione amplector, nempè si Dominus non compareat, & transactum sit tantum temporis, vt prudẽter iudicetur obijsse, & hæredes facta diligentia non inueniantur, tunc fieri poterit compositio, quia verè dici poterit, Dominũ esse incertum; nam posita existimatione prioris Domini hæredes, qui in dominio successerunt, sunt incerti; & ideo locum habet compositio.

Posita nimia distantia probabile est, fieri posse cõpositionem, sed probabilius oppositum.

18 Quæres tertio. Si post diligentiam ad inueniendum verum Dominũ cõstet, esse vnũ ex duob⁹, aut tribus, an dicatur creditor ignotus, & fieri valeat compositio?

Respondeo negatiuè. ita *Sotus lib. 4. De iust. quæst. 7. a. 1. in solutione ad tertium argumentum versus finem. Rodriquez in exposit. huius Bullæ dub. 7. Molina De iust. tract. 2. disp. 745. nu. 2. Ioannes De Dicastillo lib. 2. De iust. tract. 2. disp. 9. dubio 14. num. 391. Henriq. lib. 7. cap. 35. nu. 1. Trullench dub. 4. num. 6.* & apud ipsum *Lopez cap. 10. De Bulla*; quia in tali casu ius naturale disponit, inter illos paucos rem esse diuidendam pro dubij qualitate, & inter ipsos transactionem esse faciendam; proinde non potest dici Dominum, seu creditorem esse incertum, cum commodè res modo prædicto sit partienda; sed posset quis curiosè postulare, an facta diuisione inter illos, de quibus erat dubitatio, an aliquis ex ipsis fuerit Dominus rei; innotescat verus Dominus, an reliqui, qui partẽ eiusdẽ rei, vel totam rem habuerũt siue per sortẽ, siue alio modo cõpẽsando, teneantur restituere acceptum vero Domino. Respondeo negatiuè cum *Molina loc. cit.* nam per illam mutuã transactionem translatum, & quasi venditum fuit ab vnoquoque ius suum.

Non dicitur creditor incertus, si constet esse vnum ex tribus.

Quæres quarto. Quid dicẽdũ, si creditor sit cert⁹, aut quantitas debita sit incerta? 19

Respondeo, non esse locum compositioni. sic *Trullench loc. cit.* sed huius rei rationem nõ assignat, ea tamen est, quia incertitudo in tali casu non cadit supra creditorẽ, neq; supra substantiã debiti, sed solùm supra circũstãtiã, nẽpe supra sũmã: at Bulla cõcedit cõpositionem, quãdo incertitudo versatur circa ipsũ creditorẽ.

Si creditor est certus, quantitas incerta non est locus cõpositionis.

Quæres quinto. Quãta debeat esse diligentia in inquirendo vero Domino? 20

Respõdeo, nõ posse præscribi regulam firmã pro omni casu, cũ nũc maior, nunc minor sit adhibẽda inquisitio attẽta qualitate debiti, creditoris, loci, tẽporis, &c. & ideo in casibus particularib⁹ arbitrio boni viri pensatis omnibus erit mẽsuranda.

Ad determinandã quãtitatẽ diligentiæ attendi debẽt circumstãtiæ.

Quæres sexto, an compositio ista prosit pro foro externo? 21

Ad hoc quæsitũ respondens *Cardinalis De Lugo n. 105.* ait, si debito modo fiat, posse etiã pro foro externo prodesse, sed pro negatiua citat *Molinam d. 748.* & apertè negatiuam sententiam tenet *Henriq. lib. 7. c. 34. n. 6.* quẽ sequutus est *Trull. dub. cit. n. 9.* mihi autẽ videbitur dicẽdum, quod si posset cõstare in foro externo, cõpositionem legitimè factam fuisse, tunc etiã pro eodẽ foro faueret debitori: at non video, quomodo id cõstare valeat, quia dum fit per Bullas, est omnino impossibile, cũ nequeat ab alijs sciri qua intẽtione, & p quo debito sumptæ fuerint Bullæ; si verò facta fuerit cõpositio per Cõmissariũ, licèt cõstet de ipsa compositionis substantia per

Si in foro externo posset constare cõpositionẽ esse legitimè factã, suffragatur etiam pro eodem foro.

assertionem voce, aut scripto ab ipsomet Commissario; tamen neque pro quo debito facta fuerit, sciri potest, neque an legitimè facta fuerit; semper enim dubitari poterit, an fuerint omnes conditiones requisitæ, scilicet diligentiam sufficientem adhibitam fuisse, in debitore non fuisse spem agnoscendi verum Dominum &c. igitur à primo ad vltimum dicendum est, has conditiones pro solo conscientiæ foro iuuare.

CAPVT II.

In quo nonnulla circa caussam effectricem huius Bullæ, & circa personas, quibus conceditur, dilucidantur.

SECTIO I.

An alius à Pontifice Bullam compositionis instituere valeat.

1 IN Summo Pontifice potestatem esse condendi Bullam hanc in præcedente capite statutum à nobis fuit, nunc ad pleniorem doctrinam inquirimus, an facultas ista resideat in alio: & duo personarum genera se offerunt, scilicet Episcopus, & Princeps temporalis laicus. sub Episcopo comprehendimus omnes Prælatos habentes Episcopalem iurisdictionem, vt sunt Archiepiscopi, Patriarchæ, Primates, &c. nomine autem Principis temporalis veniunt Reges, & omnes, qui in suis dominijs non agnoscunt alium Superiorem temporalem, & demum Respublica.

2 *Probabile est, posse ab Episcopo in sua Diœcesi concedi compositionẽ hanc.* Dico primo. Valdè probabile est posse ab Episcopo in sua Diœcesi concedi subditis Bullam compositionis sistẽdo in iure Diuino, & naturali. hanc sententiam docet sub his terminis *Ludouicus à Cruce disp. 3. dub. 2. num. 4.* & absolutè, præscindendo ab hac limitatione, quam posuimus in propositione, docent *Henriquez lib. 7. cap. 33. n. 4. Villalobos tom. 1. tract. 29. num. 11. Trullenchin exposit. Bullæ lib. 3. dub. 1. num. 3. Diana par. 4. tract. 4. Miscel. Resolut. 112.* Sed contrariam sententiam tuentur *Rodriquez in declaratione Bullæ compositionis num. 6. De Lugo disp. illa 21. sec. 7. num. 107.* & apud ipsos *S. Anton. Syluest. Corduba, & alij.* Conclusio autem nostra probatur, quia Episcopi munus est prouidere conscientiæ suarum ouium, & ideo est legitimus administrator bonorum, quæ in sua Diœcesi operibus pijs sũt applicãda; proinde cum bona ista incerta ex præsumpta voluntate veri Domini sint distribuenda in pauperes, vel in alia opera pia, potest Episcopus illa applicare alicui operi honesto, & pio, ex cuius applicatione, pensatis omnibus, iudicet, maius Dei obsequium indè resultare, quàm si in pauperes distribuerentur.

Cõclusio fũdatur ratione.

3 Dices, quamuis hæ rationes probent, hoc non esse supra Episcopi potestatem sistẽdo in iure naturali, & Diuino; tamen nihil probant de iure positiuo, per quod habemus dispositum à Pontifice, bona ista esse in pauperes distribuenda, vt patet *ex cap. cum sane 14. q. 5. & alibi.* stante igitur Decreto Pontificio nequit Episcopus alio modo disponere de bonis incertis, sed tenetur se conformare sacris Canonibus.

Dispositio, quæ fit pro compositione speciali militat pro omni compositione posita requisitæ. Respõdeo, quamuis iura citata loquãtur de casibus specialibus, & nõ loquantur vniuersaliter; nihilominus aio, dispositionem in prædictis casibus militare in alijs similibus, vt Doctores communiter censent; cum eadem sit ratio. & cõfirmari potest, quia cũ *in cap. cũ tu* assignetur ratio vniuersalis, scilicet dictum S. Augustini, *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*, quæ ratio militat in acquisitis ex quocumq; delicto, & *in cap. nemo de acquisitis per rapinam fiat mẽtio*; sub rapina autem cõprehendãtur à Põtifice acquisita ex quocumque delicto, vt colligitur *ex cap. Si quid inuenisti cad. caus.* hoc posito, respondeo, in iuribus determinari explicitè applicationem horum bonorum esse pauperibus faciendam, quia inter opera pia hoc videtur magis cõueniens, & magis præsentaneum; non excluduntur tamen alia opera pia, imò vt ait *Petrus Nauarra lib. 4. De restitut. cap. 2. num. 40. Ioannes de Dicastillo De iustit lib. 2. tract. 2 disp. 9. num 397. & De Lugo tom. 1. De iustit. disp. 6. sec. 12. nu. 148. vers. infero 3. & alij communiter*, sub nomine pauperum etiam alia opera pia continentur.

4 Dices secundo. Praxis ostendit, in Episcopo non esse talem potestatem, quia numquam vidimus illam fieri, nisi à solo Summo Pontifice.

Licèt ab Episcopis non sit solitum fieri, non sequitur nõ fieri posse. Respondeo, ex eo quod defacto non fit solitum ab Episcopo id fieri, nõ sequitur non posse fieri, & licèt sit coniectura de negatione talis potestatis; tamen possumus probabiliter colligere aliunde prouenire, vt Episcopi id non faciant, hoc est, quia Pontifex id disponendo sufficienter prouidet conscientijs fidelium.

5 *Probabilis etiam est opposita sententia.* Dixi in conclusione, hoc esse valdè probabile, quia probabilis etiam est opposita sententia negatiua, nimirum in Episcopo non esse hanc potestatem: & hoc ob rationes allatas contra nostram conclusionem. quod verò pertinet ad Prin-

Cōtrouertitur apud Doctores, an talis potestas sit in Principe laico.

Principem supremum sæcularem varia sentiunt Authores: nam *Henriq. lib. 7. c. 33. num.* 3. loquendo tum de inuentis, tum de bonis incertis siue licitè, siue illicitè acquisitis absq; vlla distinctione vniuersaliter docet, posse à Rege talem fieri compositionem. alij verò id concedunt de bonis incertis iustè acquisitis, negant tamen de iniustè acquisitis. sic *Ludouicus à Cruce disp. 3. dub. 3. num. 2. Trullench lib. 3. dub. 1. num. 4.* at Rodriquez huic opinioni assentiens quoad bona iniustè habita admittit partem affirmatiuam quoad bona inuenta, quæ videtur confundere cum bonis incertis iustè acquisitis. *sic num. 7. Cardinalis autē de Lugo disp. 21. sect. 7. num.* 109. de vtroque bonorum genere considerat illa in duplici statu: primò, quando adhuc est spes illa restituendi vero Domino, & quamdiu ipse Dominus non vult, quod in vsus pios distribuantur: secundò, quando non est talis spes, & per consequens, quando Dominus præsumitur velle, quod in eius vtilitatem spiritualem expendantur, & applicentur vsibus pijs. his positis, ait, quod in primo statu locum habet sententia illa, quam sequutus est Ludouicus à Cruce, & alij, quia bona prædicta non sunt adhuc ex voluntate Domini destinata ad vsus pios; atque adeo potest à Principe sæculari, facta prius debita diligentia ad inueniendum Dominum, si Dominus non inueniatur, de illis compositio fieri cum possessore: at in secundo statu, quando videlicet non est talis spes, & præsumptio est, quod Dominus velit bona illa distribui in vsus pios, non poterit Princeps sæcularis de his bonis disponere, & super illa compositionem facere cum possessore; nam dispositio circa bona destinata ad vsus pios spectat ad Ecclesiam, quia eorum distributionem Ecclesia sibi resernauit; & licèt aliquando Princeps sæcularis leges fecerit circa bona ista, etiam in secundo statu considerata, fuerunt tales leges confirmatæ à Summo Pontifice, sed Princeps paganus, cuius subditi legibus Ecclesiæ non subiacent, potest de huiusmodi bonis in vtroque statu disponere iuxta præsumptam Domini voluntatem, pro vt publica vtilitas postulauerit. hæc est opinio Cardinalis de Lugo fideliter relata.

Refertur opinio Cardinalis de Lugo.

6 Demum *Villalobos tractatu illo 29. n.* 10. & apud ipsum *Corduba, & Lopez,* quibus addo *Turrianum De iustit. disp. 41. dub. 2. num.* 5. 6. solùm concedunt, posse compositionem hanc fieri à Principe temporali de bonis inuentis, quæ ab Hispanis *Mostrencos* appellantur, non autē de alijs bonis incertis absque Summi Pōtificis licentia, quia bona ista pertinent ad thesaurum temporalem Ecclesiæ, cuius dispensatio ad ipsum Pontificem spectat.

7 *Potest Princeps laicus disponere de rebus inuētis, quæ sub nullo dominio sunt.*

Dico igitur secundo. Princeps supremus sæcularis potestatem habet dispensandi de rebus inuentis, quæ sub nullius dominio sunt, & quamuis de iure naturæ, & gentium acquirantùr primo occupanti; tamen potest Respublica, & Princeps, vt eius Caput, de bonis illis disponere, & ob publicam vtilitatē impedire, ne inuentor dominium acquirat. est communis opinio, quam Authores docent in materia de iustitia. vide *Cardinalem de Lugo tom. 1. De iust. disp. 6. sect.* 10. & sic de facto per varias leges ciuiles Principes sæculares de illis disponunt. sic habetur in *l. 1. §. vltimo ff. De iure fisci, & in l. vacantia. C. De bonis vacan. lib. 10. & l vnica C. De thes. eod. lib. institut. De rerum diuisione §. thesauros.*

8 *Potest etiam de rebus incertis existētibus sub dominio alicuius, si dispositio fiat in bonum commune.*

Dico tertio. Si sermo sit de debitis incertis, quæ sunt sub dominio alterius, vt communiter solent esse, probabiliùs censeo, posse de illis Principē sæcularē disponere in publicam vtilitatem, quia, si facta diligentia Dominus ignoratur, & non sit spes illum inueniendi, dispositio illorum bonorum ad Rempublicam, seu ad Principem, vt eius Caput, attinet, nisi à Pontifice ob commune bonum Ecclesiæ prohibeatur, vt infra declarabitur; atq; adeo poterit Princeps super huiusmodi bona compositiones facere, si ita expediat bono communitatis: & hoc comprobari potest ex varijs legibus, quæ vigent in varijs Prouincijs & sic in Regno Castellæ; est lex ciuilis disponens de inuentis *leg. 6. & 7. nouæ recopil. tit.* 13. & in Lusitania, vt patet *ex lib. 5. Lusit. ordin. tit. 41. apud Molinam tom. 3. disp.* 681. 749. 750. dispositionem verò hanc pertinere ad Rempublicam est maximè conueniens, quia deficiente persona particulari, quæ est membrum Vniuersitatis, dispositio bonorum illius personæ ad nullum alium deuolui meliùs poterit, quàm ad ipsammet Vniuersitatem, cuius pars erat persona illa. Dixi de bonis incertis, quæ sunt sub dominio alicuius, qui tamen ignoratur, quoniam si loquamur de illis incertis, quæ Dominum particularem non habent, & sunt vacantia, eadem de illis, ac de thesauris erit ratio. Dixi denique, nisi à Pontifice prohibeatur, quia de debitis incertis ex delicto extant Canones, per quos Pontifex statuit, quid sit faciendum, vt supra vidimus, & licèt de incertis, quæ non oriuntur ex delicto, non habeamus legem canonicam, per quam disponatur; tamen extat consuetudo antiquissima, vt applicentur

centur pijs operibus in bonum spirituale ipsius Domini; & ideo cum causa sit spiritualis, iure optimo pertinet ad claues Ecclesiæ, & ad supremum Pastorem, cuius munus est prouidere saluti fidelium, vt rectè asserit *Lessius lib. 2. cap. 14. dub. 6. nu. 40.* id ex varijs capitibus demonstrans. distinctio tamen illa, quam ponit Cardinalis de Lugo considerans bona incertæ licitè acquisita in illo duplici statu, vt supra retulimus, magnam habet difficultatem; nam ex ea sequitur numquam compositionem super talia bona fieri posse à Principe laico, hoc autem, quod est contra ipsum Cardinalem de Lugo, sequenti discursu manifestabo. Dico igitur, vel est spes, vt bona illa vero Domino redire queant, vel non est spes, si primum, non video, quo pacto subsistere possit id, quod posita spe ista docet ipse de Lugo, dum concedit, posse à Principe laico super bona illa compositionem fieri, nam ex suppositione, quod sit spes inueniendi verũ Dominum, seu quod bona possint ad illũ redire, nequeunt condonari ipsi debitori, immo neque applicari operibus pijs, quia hoc esset aperta iniustitia; tolleretur enim ius, quod verus Dominus habet in talia bona: si verò secundum dicatur, nempè nullam esse spem, vt Domino bona ista restituantur, iam fatente ipso de Lugo habebitur præsumptio voluntatis ipsius Domini, vt bona distribuantur in opera pia; proinde non poterit Princeps sæcularis de illis disponere, & compositionem facere, nam de bonis destinatis ad opera pia Ecclesia tantùm disponere potest, *vt ipsemet de Lugo docet, num. 98.* & sic posita distinctione illa Cardinalis de Lugo numquam veniret casus, in quo Princeps laicus possit de his bonis disponere, quod est contra ipsum de Lugo. ob hanc igitur difficultatem, à qua me explicare non possum, non admitto distinctionẽ illam, & persisto in cõclusione posita, per quã dixi, non posse à Principe temporali super huiusmodi bona compositiones cum debitoribus fieri, & hoc pertinere ad Pontificem.

Impugnatur opinio Cardinalis de Lugo.

SECTIO II.

De conditionibus requisitis ex parte subiecti, vt Bulla ista prodesse valeat.

9 NOnnullæ prærequirũtur conditiones, seu qualitates in eo, qui vtiliter frui potest compositione vi Cruciatæ facienda, quas per subsequentes conclusiones aperiemus.

10 Dico primo. Adhoc vt quis hac Bulla fruatur, debet esse fidelis baptizatus, vtraque conditio probata à nobis fuit *parte prima huius Operis*, loquendo de Bulla in genere, ostendim⁹ enim infideles gaudere nõ posse his priuilegijs, quia expressè conceditur hoc Diploma Christi fidelib⁹: præterea hoc ipsum probabiliter asseruimus de fidelibus non baptizatis, saltem in ordine ad faciendam compositionem capiendo hanc Bullam, quicquid sit de compositione facienda immediatè ab ipso Commissario; proinde ne eadem repetamus, me remitto ad ea, quæ ibidem habuimus.

Vt quis fruatur hoc priuilegio, debet esse fidelis baptizatus.

Dico secundo. Bullam compositionis accipere vtiliter possunt omnes illi, qui eodem modo sumere possunt Bullam viuorum. *sic Rodriq. num. 12. Henriq. lib. 7. cap. 34. num. 3. Trullench lib. 3. dub. 2. n. 1.* & ratio est manifesta, quia cum Bulla ista sit pars Bullæ magnæ viuorum, ideoque, qui fructuosè capit illam, poterit & istam accipere. Ex his colligitur quid sit dicẽdũ de exteris, de absentibus, &c. iuxta ea, quæ diximus agentes de personis, quæ Bullam viuorum vtiliter capiunt. 11

Qui possunt gaudere Bulla viuorum, possunt pariter frui compositione.

Dico tertio. Vt valida sit compositio, debet, qui vult se componere, recipere hanc Bullam impressam, & signatam sigillo, & nomine ipsius Commissarij Generalis. ita expressè admonet Commissarius in fine proœmij eiusdem Bullæ, additque, talem esse mentem Summi Pontificis, & aliter faciendo apertè inquit, nõ posse vtiliter frui beneficio cõpositionis. 12

Qui vult se cõponere, debet Bullam actu recipere.

Posset autem quis primo quærere, an ad validitatem compositionis sit necessarium, vt hoc paruum Diploma sit impressum, & signatum sigillo Commissarij, & cum eiusdem Commissarij nomine subscriptum.

Respondeo affirmatiuè, quia postquã admonetur, Bullam hanc hoc modo signatam esse capiendam, apponitur clausula irritans, si aliter fiat, motiuum autem ad id præscribendum ferè idem existimo fuisse, quod fuit in præfigẽdis eisdem cõditionibus ad fructuosè recipiẽdam Bullam viuorum, & quamuis tria assignauerimus motiua pro vtili acceptione illius Bullæ magnæ; tamen pro acceptione huius Bullæ paruæ motiuum esse potuit, vt fideles sciant, & non ignorẽt casus, in quibus fieri potest compositio, & pariter sciant conditiones ad vtiliter faciendam compositionem. 13

Debet esse signata sigillo Commissarij.

Secundo quæri potest, an oporteat nõ solùm recipere, verùm etiam conseruare hoc Summarium, & sumens eius priuilegijs frui valeat. 14

Respondeo, ex vna parte videtur id necessarium, quia talis conditio præscribitur

bitur in Bulla viuorũ, cuius pars est Bulla compositionis: ex alia verò parte oppositum videtur asserẽdum, quia in Bulla ista non postulatur, nisi tantùm receptio, & nihil, vt patet legenti, dicitur de eius conseruatione; & ideo non est apponendũ fidelibus onus nõ requisitum à Commissario. circa hoc punctum nihil reperio decisum, sed neque tactum ab expositoribus; proinde quid mihi verisimilius videtur, in medium afferam. aio igitur conseruationem huius Bullæ non esse necessariam, & hoc, quia in Bulla talis conditio non postulatur, & si quis desideret disparitatem scire inter hanc, & viuorum Bullam, dico, esse posse, quia Bulla viuorum tractum habet successiuum in suis priuilegijs, continet enim multa, quorum vsus nõ est simul necessarius; nam potest durante anno promulgationis nunc contingere occasio vtendi Bulla in ordine ad aliquod determinatum priuilegium, & non in ordine ad aliud, & postea in ordine ad hoc, & non ad illud aliud priuilegium, & sic de omnibus, vt de se est manifestum: at Bulla compositionis non habet in suis priuilegijs vsum, sen tractum successiuum, sed momentaneum, quia dũ accipitur Bulla ista, statim caussat suum effectum, quo causato, eadem Bulla ad nihil aliud erit proficua; proinde, si quis etiam durante anno necessitatem habet se componendi, vel in alio casu, vel in eodem, sed quoad maiorem summam, oportet aliam sumere Bullam, inutilisque erit prior Bulla; & sic respectu Bullæ compositionis cessat ille finis, nempè vt vnusquisque Bullam capiens possit scire, in ordine ad quos effectus ea vti possit, & similiter valeat rationem reddere in foro externo exercendo nonnullas actiones, quas sine Bulla exercere non valeret: cõtra verò cũ effectus huius Bullæ compositionis, qui statim acquiritur, sit pro foro conscientiæ, & occultus, non oportet, vt priuilegiatus de illo in foro externo rationem reddat; & ideo soluta stipe, & accepta hac Bulla, statim, vt dixi, finis acceptionis habetur, & desinit totaliter efficacia Bullæ acceptæ. Et hæc probabiliter dicta sint.

Conseruatio parum Bullæ cõpositionis, non videtur necessaria.

15 *Confidentia huius Bullæ impedit compositionem.*

Dico quarto. Qui ex confidentia huius Bullæ illicitè acquirit bona aliena, nempè sub spe postea se componendi, nõ gaudet fructu huius Bullæ, et si componatur, nulla erit compositio. conclusio desumitur ex ipso contextu Bullæ Hispanæ, in qua expresiè ponitur conditio ista, quemadmodum in ipsamet Bulla compositionis italico idiomate extracta, & valdè congruum fuit sic statuere, ne spe compositionis pararetur via ad furta, & iniustitias; ista autem praua confidentia, quæ huius Bullæ fructum impedit, debet esse talis, vt homo moueatur ad lucra illicita, ex eo quod speret illa mediante compositione. sic communiter Authores de hac re tractantes: secus autem esset, si quis priùs se determinet ad iniusta lucra, & postea fiduciam habeat se liberandi à restitutione beneficio compositionis, vel concomitanter, dum illicitè acquirit bona aliena, non excitetur ad iniustam acceptionem spe compositionis, sed ex alio motiuo, licèt tunc actu cogitet de compositione ipsa: quod sub terminis scholasticis potest rectè explicari, si dicamus, fiduciam, quæ prohibet vsum huius Bullæ esse antecedentem, at concomitantem satis non esse: appellatur antem concomitans, dum nullum habet influxũ in lucrum iniustum, vt sic enim non comparabitur vt causa, sed merè per accidens se habebit ad actionem iniustam; quando autem influit, est causa, & ideo antecedenter se habet.

16 *Confidentia in retentione bonorum incertorum non impedit compositionem.*

Dico quinto. Qui absque praua confidentia aliena bona vsurpat, at ex eadem confidentia culpabiliter omittit restitutionem prædictorum bonorum per diuturnum tempus retinendo iniustè bona illa, poterit hoc non obstante se componere. sic *de Lugo sect. illa 7. num.* 137. & ratio est, quia Bulla solùm excludit confidentiam in vsurpatione, seu acceptatione iniusta, non autem in retentione, & licèt habeant eamdem specie malitiam; tamen receptio non est formaliter retẽtio; ideoque exclusio à beneficio huius Bullæ compositionis cum sit odiosa, non est extendenda ad retentionem.

CAPVT III.

De materia, & effectu huius compositionis.

Materia, supra quam cadit compositio, de qua loquimur, sunt bona ipsa incerta, seu quantitas valoris bonorum incertorum; effectus autem est remissio debiti, quæ fit in gratiam debitoris, circa hæc autem difficultates aliquæ emergunt, de quibus agere intendimus in sequentibus.

SEC-

SECTIO I.

In qua quantitate debeat esse valor bonorum, vt locum habeat compositio.

1 Valor bonorum incertorum cum nequeat in indiuisibili consistere, sed latitudinem habeat; idcirco inquirimus, an compositio admittenda sit quacunque posita bonorum prædictorum quantitate, seu valore: & quia bifariam compositio ista fieri potest, videlicet per acceptionem huius Bullæ soluendo stipē à Commissario taxatam: secundo non mediante Bulla, sed ab ipsomet Commissario; de vtroque modo nobis erit agendum.

2 *Supra quam quantitatem cadere potest compositio vi Bullæ.* Dico igitur primo. Si quis vult se componere sumendo Bullam, quantitas, supra quam potest fieri compositio, sunt duo millia Marauedis, quæ in moneta huius Regni sunt vnciæ duæ, tareni decem & septem, & grana quatuor pro qualibet Bulla, seu scuta sex, tareni decem, & grana quatuor: & ita, si quis V. G. sit debitor in triginta aureis, seu scutis, & velit super illis se componere, oportet, vt sumat tot Bullas, quæ contineant quantitatem debitam, aut aliquid plus, nempe quinq; Bullas. Dixi aliquid plus, quia in quinario numero Bullarum maior quantitas habetur, quàm sit ea, quæ debetur; continentur enim viginti sex tareni supra triginta aureos: & hoc, ideo quia non datur Bulla minoris quantitatis vnciarum duarum, tarenorum decem & septem, & quatuor granorum, proinde qui compositionem triginta aureorum postulat, nisi velit solùm in triginta aureis se cōponere, non se componendo in illa alia parua summa, nempè in tarenis viginti sex, in quibus quinque Bullæ excedūt summam debitam, oportet, vt quinque sumat Bullas.

3 *Eleemosyna pro Bulla compositionis est à Commissario taxata.* Dico secundo. Eleemosyna taxata à Commissario pro qualibet Bulla compositionis sunt duo realia, quæ est eadem cū illa, quæ communiter præscribitur pro Bulla viuorum, & in nostra moneta importat duos tarenos, grana duodecim cū dimidio. sic habetur in ipsamet Bulla cōpositionis, & est notandum discrimen inter hanc Bullam compositionis, & Bullā viuorum in ordine ad personas, quæ illā suscipiunt; nam pro sumptione Bullæ viuorum si sumentes sunt Domini Vassallorum, vel Cardinales Episcopi, &c. aut sæculares in dignitate constituti, pro illis, in quam, taxantur octo realia, pro reliquis verò duo tātum: at pro sumptione huius Bullæ stips est pro omni personarum genere æqualis, quia in taxatione Commissarius nullam diuersitatem quoad quantitatem ponit.

4 *Cōpositio per Bullā nequit fieri, nisi vsq; ad certā summam.* Dico tertio. Compositio ista per Bullas compositionis nequit fieri, nisi vsque ad determinatam quantitatem inclusiuè, & non vltra, nēpè vsq; ad centū millia Marauedis, quæ apud nos in hoc Regno important vncias centum viginti octo, tarenos viginti, & grana sex, seu scuta trecēta viginti vnū, tarenos octo, & grana sex. ita disponitur in ipsa Bulla, & si quis agnoscat se debitorem in hac, aut in maiori summa, si desiderat se componere in tota summa, debet recurrere ad Commissarium Generalem delegatum, qui residet in qualibet Prouincia, vbi Bulla Cruciatæ promulgatur.

5 Sed quæres. Ponamus, Titium esse debitorem in vncijs centum quinquaginta, & sit locus compositioni stante incertitudine Domini, & Titium volentem se eximere à tali debito per compositionem, an possit se componere per Bullas vsque ad cētum, & viginti duos aureos, tarenos, &c. importantes centum millia, & quoad reliquos recurrere ad Commissarium; an verò teneatur pro tota summa vnciarum centum quinquaginta cum Commissario se componere.

Cōpositio duobus modis fieri potest. Respondeo, vtroque modo posse ad libitum id fieri. est contra *Sotum in 4. dist. 21. quæst. 2. a. 4. apud de Lugo sectione illa 7. num. 140* vult enim Sotus, quoties sūma, super quam petitur compositio, excedit eam, quæ est taxata, esse recurrendum ad Commissarium, & fieri non posse pro aliqua parte; sed nemo, vt censeo, innenitur, qui velit hunc secundum modum eligere, quia modus componendi per Bullas non solùm est facilior, verum etiam fit soluendo minorem quantitatē, quia licèt in compositione facienda immediatè à Commissario non sit ab ipso eleemosyna taxata; nihilominus solēt taxari decem pro quolibet centenario, vt affirmat *Henriquez lib. 7. cap. 33. num. 1. lit. H.* quem sequitur *Trullench. dub. 3. num. 3. in fine.* minus autem foret erogādum, si compositio fieret per Bullas.

6 Quæres secundo, quid dicendum, si debitum sit V. G. centum quinquaginta, pro cuius compositione esset recurrendū ad Commissarium, & Titius debitor diuidens summam accipiat Bullas pro cōpositione centum aureorum dumtaxat, qua compositione peracta deliberet iterum se componere in alijs, quæ supererāt ex toto debito, an possit compositio horum fieri per Bullas; an verò necessariò fieri debeat à Commissario. videtur fieri posse per Bullas, quia cum ista secunda com-

compositio non habeat connexionem cum prima, & fit intra quantitatem concessam in ipsa Bulla, non apparet ratio, cur ad illam peragendam recurrendum sit ad Commissarium.

7 *Si fraudulenter diuidatur quantitas, de qua priuilegiatus vult se componere, et quantitas excedat summã præscriptã à Cõmissario: nõ potest quoad excessum, sumendo Bullas, fieri compositio.*

Respõdeo, certum esse apud me, quod si Titius fraudulenter diuidat quantitatem debiti, vt fugiat soluere excessum eleemosynæ, qui esset erogandus, si à Cõmissario fieret compositio, inualida foret ista secunda compositio, quia vt sic pro quacunque summa diuidendo illam per partes nunquam cogeretur reccurere ad Commissarium; atq; adeo inutiliter Cõmissarius sibi reseruaret compositionem faciendam supra centum: at dubitatio aliqua erit, si Titius bona fide procedens se cõponat. V. g. in medietate totius debiti intentionem sinceram habens distribuendi aliam medietatem in pauperes iuxta præscriptum sacrorum canonum, sed post compositionem primæ medietatis mutans priorem illam intentionem postulet; compositionem quid, inquã, in tali casu sit decidendum.

8 *Neque fieri potest etiã remota fraude, si extet cognitio de excessu.*

Respondeo, casum hunc apud neminẽ vidi propositum, nihilominus censeo, pro secunda medietate non posse cõpositionem fieri per Bullas, sed per Commissariũ. ducor adhoc, quia facultas, quæ conceditur vi Cruciatæ ad has compositiones, non extenditur ad excessum supra centum, neque bona fides debitoris potest ampliare facultatem vltra terminos à Commissario præfixos; nam efficacia huius potestatis adæquatè fundatur in concessione Pontificia determinãda per Cõmissariũ, vt delegatum Pontificis, nihil operante quoad amplitudinẽ, aut restrictionem potestatis bona, aut mala fide.

9 *Difficultas est, si debitor ignoret inuincibiliter excessum, & se componat pro illa quantitate incertatum sibi nota, & post cõpositionẽ veniat in cognitionẽ illius excessus.*

Cæterum possumus alium fingere casum, qui in praxi facilè euenire poterit, nempè quod Titius verè sit debitor in aliqua summa supra illam, quæ per Bullam cõcessa est, sed ipse putet, & prudenter non esse debitorem, nisi in octoginta, V. G. in quibus se cõponat per Bullas: at post aliquod temp^s^ innotescat ipsi, debitũ illud non fuisse solũ octoginta, sed centum quinquaginta; quæritur modo, an possit per Bullas in his quadraginta, quæ remanent, se componere; an verò indigeat potestate Cõmissarij: ratio autem dubitandi est, quia ex vna parte debitum secundũ se totũ excedebat facultatẽ cõcessam in hac Bulla, & per cõsequens eius cõpositio ad Cõmissarium attinebat, sed posset quis respondere amplectendo partẽ affirmatiuã, videlicet validã esse cõpositionẽ per Bullas, quia licèt in re facultas data in Bulla nõ se extendat ad debitorẽ tantæ quantitatis; tamẽ hoc videtur intelligẽdũ de eo, qui tẽpore cõpositionis est formaliter debitor huius summæ excedentis, nõ autẽ de illo, qui solũ realiter, seu materialiter, vt ita dicã, debet maiorẽ illã summã: voco autẽ debitorẽ formaliter eũ, qui scit summã à se debitã, realiter verò, seu materialiter illũ, qui licèt sit debitor in centũ quadraginta, &c. nihilomin^s^ inuincibiliter ignorat excessum supra sũmã cõcessã iudicans prudẽter octoginta dũtaxat se debere; posset, inquã, aliquis sic respõdere, & assignare disparitatẽ manifestã inter hunc casum, & casũ præcedentẽ, nã in illo est notitia totius debiti apud Titium; & sic Titius dicitur formaliter debitor in centũ quadraginta, vt in hoc secundo casu ex defectu scientiæ illius maioris summæ Titius non dicitur formaliter, sed solũ materialiter debitor illius quantitatis excedentis.

Sed his non obstantibus, oppositũ censeo esse dicendum, nimirum in casu posito sufficere, vt in re Titius debeat illa cẽtum quadraginta, quamuis inuincibiliter non agnoscat se debitorem, nisi in octoginta: & ratio est, quia priuilegium, quod datum est per Bullam intrinsecè est limitatum, & restrictũ solùm ad tantã quantitatẽ, & non vltra: proinde cũ sphæra sui obiecti sit intra centũ, & non plus, nõ poterit priuilegiatus vti hac facultate vltra sphæram actiuitatis, & vt supra dixi, amplitudo, & restrictio huius potestatis est omnino independens à bona, vel mala fide debitoris, cum solùm mẽsuretur per ordinem ad quantitatem debiti, pro vt est in re.

10 *Ignorantia ista non dat facultatẽ, vt debitor possit se componere absque recursu ad Commissarium.*

SECTIO II.

An facta legitima cõpositione, si verus Dominus cõpareat, teneatur debitor restituere bona, supra quæ fuit cõposittio.

Casus non est metaphysicus, sed in praxi facilè contingere poterit. Sit igitur Titius debitor in centum aureis, & inuincibiliter ignoret Dominum, cui debentur, adhibens moralem inuestigationem ad Dominum inueniendum, eoque non inuento, vt tutus maneat in cõscientia, se componat virtute Cruciatæ accipiendo tot Bullas, quot sunt necessariæ ad compositionẽ illorũ aureorũ: trãsacto aliquo tẽpore, occurrat, vt Dominus, seu creditor illarũ pecuniarũ cõpareat; quærimus, an Titius teneatur ad restituendũ totam, vel saltem partem illius summæ. 11

12 *Sentẽtia affirmans.*

Prima opinio affirmat, Titium debitorem teneri ad restituendum vero Domino id, quod extat, vel si nõ extat id, in quo factus est locupletior. *sic Corduba in quæstion. lib. 5. q. 44. post responsionẽ ad secundã*

probationem ver. Sed quid. Villalobos tract. 29. num. 9. Rodriquez in explicatione Bulla compos. dub. 6. num. 8. Turrian. De iust. disp. 41. dub. 1. num. 18. Less. lib. 2. cap. 14. n. 43. 44. Molina tom. 3. disp. 748. n. 9. Ludouicus à Cruce disp. 3. dub. 4. Castillo lib. 2. De iust. tract. 2. disp. 9 n. 369. & alij.

13 *Opinio negatiua.* Secunda verò opinio est opposita, atq; facta debita, & legitima compositione siue per Bullas, siue per Commissarium, debitorem non teneri restituere comparenti Domino, etiam si bona illa, pro quibus facta fuit compositio, extarent. hanc opinionem quatenus asserit, debitorem non esse obligandum in casu posito docet *Sotus in lib. 4. sent. dist. 21. q. 2. a. 4. in fine. Bañes in 2. 2. S. Thom. quæst. 62. a. 5. dub. 8. concl. 5. Henriq. lib. 7. cap. 34. num.* 4. licèt malè citetur à Ludouico pro contraria sententia, *Trullench in expos. Bulla lib. 3. dub. 4. num. 8. & Pater Terentius Alciatus* ex nostra Societate magister meus, vir & doctrina, & ingenij subtilitate celebris *in 2. 2. S. Thomæ q. 62. art. 5. disp.* 24. hanc sententiam defendit, & nouissimè eam amplectitur *Cardinalis de Lugo tom. 1. De iust. disp. 21. sect. 7. n. 98.* cũ quadã modificatione, nimirũ quando iuxta rationabilẽ voluntatẽ præsumptam Domini res in vsus pios expendẽda esset, quia, vt ipsemet ibidẽ asserit, in ijs bonis, & debitis Bulla cõpositionis locum habet.

14 *Recipitur secunda sententia.* Dicendum est, quamuis prima opinio sit valdè probabilis, & plures habeat patronos, quàm secunda, nihilominus magis mihi placet posterior ista sententia, quã inefficaciter suadent aliqui ea ratione ducti, nempè quia aliter nullam, qui se componit, reportaret vtilitatem, vt friuola ratio hæc repellenda est, quoniam non *Repellitur quorundam probatio.* contemnenda vtilitas censeri debet non manere obligationem restituendi, dum verus Dominus nõ comparet, & interim rem possidere, & si nunquã Dominus innotescet, perpetuo frui bonis illis incertis. vera igitur, & efficax ratio est, quia dũ fit cõpositio, Pontifex absolutè remittit re- *Efficaci ratione suadetur conclusio.* liquam bonorũ partẽ ipsi possidẽti, & nulla apponitur conditio, & præsertim ea, vt Domino cõparenti restitui debeant; ex hoc autẽ patet, inanem esse instantiã, quã contra hãc opinionẽ facit Dicastillus probans obligationẽ restituendi, ex eo quod nullũ appareat verbũ in Bulla, per quod colligatur absoluta remissio; nã hoc facit pro me, quoniam in condonatione, & remissione debiti, dũ nulla apponitur limitatio, aut cõditio, censetur remissio libera, & absoluta, vt in reliquis inductione est manifestũ. confirmatur à pari, nã sæpè res vi præscriptionis elapso tẽpore requisito præscribuntur, & transeunt ex dominio vnius in dominiũ alteri⁹, & leges, quæ has admittunt præscriptiones, censentur iustæ ab omnibus; ita dispositio, qua Pontifex quibusdã appositis cõditionibus mediante cõpositione trãsfert dominiũ bonorũ incertorũ in illũ, qui se componit in beneficium Christianæ Reipublicæ, existimari debet iusta, quatenus operatur illud, q. per ciuilia iura facit præscriptio.

Confirmatur secundo alia paritate, si enim bona incerta essent in pauperes distracta, ad nihil teneretur, qui se composuit, Domino comparenti, vt omnes concedunt; igitur si distractio fit à Pontifice in ipsum, qui se componit, perindè se habet applicatio horum bonorum, sicuti si pauperibus applicata fuissent; ergo quemadmodum debitor liber effectus fuit ab onere restituẽdi, facta applicatione pauperibus, ita si sibi ipsi legitimè facta fuerit, & licèt aliqui dicant, pauperes, si bona extant, teneri illa restituere; tamen id communiter non admittitur, quia pauperes titulo eleemosynæ res illas receperunt, immo ipse *Molina fatetur disp.* 748. si pauperes alienauerint per venditionem bona ipsis adiudicata, ementes non teneri bona illa Domino comparenti assignare; ita etiam ego dicam, si adiudicentur à legitimo Superiore ipsimet debitori, ad nihil ipsum debitorem teneri. 15 *Confirmatur alia ratione.*

Dices. Honestas hui⁹ cõpositionis fundatur, vt supra diximus, in præsumpta illa Dñi voluntate, inquantum vnusquisq; præsumitur velle, vt in suã spirituale vtilitatẽ bona distrahantur, quando nulla est spes ea recuperãdi, cũ hac tamẽ volũtate præsumitur alia, nimirũ vt ipsi Domino aliquãdo cõparẽti restituãtur bona propria, si extent; igitur Põtifex nõ potest dominiũ horũ bonorũ absolutè transferre in possessorem, sed cũ conditione, vsque dum Dominus non compareat. 16 *Instantia contraria.*

Respõdeo, hoc esse potissimũ argumẽtũ pro contraria sentẽtia, & vt verũ fatear, nõ ita facilè admittit solutionẽ, & maximè posito prĩcipio illo, scilicet distractionẽ bonorũ fieri ex præsũpta Domini voluntate, quæ, vt asserimus, præsumitur, nolle absolutam dominij translationem suorum bonorum. 17

Pro solutione aduertendũ est, honestatẽ, & iustitiã harũ cõpositionum maximè fundari in præsumpta Dñi volũtate, vt supra adnotauimus, nã præsumitur vnũquẽque velle, vt sua bona deperdita, si facta debita diligẽtia nequeãt ad se redire, cõuertantur in vtilitatem spiritualẽ propriæ animæ, pijs operibus ea applicãdo, meliori modo, quo applicari poterunt à Prælatis, & præsertim à supremo Pastore, cui incũbit distributio rerũ, quæ pijs operib⁹ 18 *Honestas huius compositionis fundatur in præsũpta Domini voluntate.*

sunt

Applicatio horum bonorum interuenientium communiter non fit absque dominij translatione.

sunt applicanda: cæterum applicatio ista modo, quo ordinariè, & rationabiliter exercetur, semper dominij translationē inuoluit, vt praxis ipsa docet; & sic, si bona in pecunijs consistunt, vel ipsæ pecuniæ distribuuntur in pauperes, vel expēduntur erigendo Ecclesias, Monasteria, &c. vel emendo ornamenta pro cultu Diuino, vel pro alijs rebus similibus; & ita hanc applicationem, manifestum est, fieri non posse modo consueto, & ordinario sine dominij translatione, siue fiat ab alio, siue immediatè ab ipsomet Domino: igitur à communiter contingētibus, si prudenter præsumitur, volūtatē Domini esse, vt bona illa deperdita applicentur pijs operibus, præsumitur etiam velle transferri in alios eorumdem bonorum dominium; quia consueta, & ordinaria applicatio non exercetur alio modo; idcirco Pontifex, vt supremus, & legitimus administrator bonorum destinatorum ad opera pia, mediante compositione, applicat bona illa incerti Domini operi pio valdè excellenti, nempè sacræ expeditioni in defensionem Christianæ Reipublicæ cōtra infideles, & quia rationabiliter iudicat, quod nisi per compositionem condonetur pars debiti, attenta humana fragilitate, ob difficultatem, qua debitores detinentur ad restituendū cum detrimēto propriæ salutis, & absque vlla Domini vtilitate; proindè conuenientiùs iudicauit ad alliciendos ipsos debitores remittere partem debiti, quàm remissionem hanc denegare: vt sic enim plures inducuntur, & faciliùs mouentur ad se componendum.

Applicatio, quæ fit a Summo Pontifice est in ordine ad opus valdè pium, qualis est sacra expeditio cōtra infideles.

19 Tota autem difficultas videtur consistere in determinandis casibus, in quibus prudenter præsumatur, voluntatem Domini esse, vt bona applicentur pijs operibus; in hoc enim facilè contingere poterit deceptio, quatenus vnusquisque ad commodum compositionis reportandū poterit induci ad præsumendam voluntatem hanc, quando non debet præsumi; quapropter in hac re possessor horū bonorum regulare se debet iudicio prudentum, qui pensatis omnibus existimēt, appositas fuisse omnes diligentias, quæ moraliter erant apponendæ ad Dominum inueniendum, quibus adhibitis, & Domino non inuento, prudens erit præsumptio illa, quia vnusquisque, si rationabiliter se gerat, non debet plus postulare, & in maius ipsius cedit beneficium in eō casu horum bonorum applicatio, dum fit in vtilitatem spiritualem propriæ animæ, & in subsidium Religionis Christianæ, quàm sit detentio bonorum apud possessorem absque vlla vtilitate ipsius

Difficultas solet cōtingere in casibus particularibus, in quibus debitores quādoque ob cōmodum compositionis falluntur iudicantes esse præsumptam Domini voluntatem.

Debēt adhibendam inuestigationem regulari iudicio prudentum, & vt præsūptio sit rationabilis.

Domini. & confirmatur primo, nam cū hæc sit lex vniuersalis, id, quod vi illius fit circa bona vnius, nempe Titij in commodum Ioannis, alia vice posset contingere fieri in beneficium ipsius Titij se cōponentis. confirmatur secundo ex lege Lusitana, quam refert *Acosta loco citato, & Molina tom. 3. disp.* 749. qui aiunt, esse iustam; per hanc enim legem statuitur, vt, si quis inueniat animal alienum viuū, teneatur intra spatium quinque dierum illud ad Publicanum regium deferre, qui debeat per quatuor menses proximos animal illud adducere ad Oppidum, in cuius districto fuit inuentum, & in qualibet hebdomada, designato die præconis voce illud publicare: at si quatuor mensibus transactis, & appositis prædictis diligentijs Dominus illius animalis non compareat, animal illud à iudice esse ipsi Publicano applicandum; & quamuis postea Dominus compareat, non teneri Publicanum animal restituere: sicuti igitur per hanc legem, quæ iusta censetur, Rex applicat Publicano cum distractione dominij animalia ista inuenta, multo magis poterit Pontifex ob finem spiritualem, & bonum commune Religionis Christianæ applicare irreuocabiliter bona incerta modo explicato. confirmatur tertio, quia sicuti pars, quæ applicatur Cruciatæ, non datur sub conditione, vt Commissarius, aut Depositarius debeat illam Domino comparenti restituere, & hoc ab aduersarijs non negatur: ita pars, quam idem Commissarius condonat debitori, non dabitur cum conditione, sed absolutè, & in hoc non video disparitatem, nisi dicatur, præsumi à Domino, velle, vt liberè detur Cruciatæ; non autem creditori; hoc autem gratis assereretur, & absque vllo fundamento, & maximè, quia interdum, quando summa, de qua fit cōpositio, erit magna, pars illa, quæ applicatur Cruciatæ, nō erit exigua. cōfirmatur quarto, quia ipse *Molina fatente disp. 746. §. vltimo*, si pauperes, quibus facta est distributio, bona ipsa alienēt ea alijs vendentes, non poterit Dominus comparens bona illa etiam in propria specie manentia recuperare, quia legitimè fuerunt distracta; ergo idem est dicēdum, si à Commissario applicentur ipsi debitori; militat enim eadem ratio, nempè legitima distractio transferens dominium.

(?₹?)

Lex ista de compositione est vniuersalis.

Confirmatur lex huius compositionis paritate alterius legis.

Soadetur responsio alia ratione.

SECVNDA DISSERTATIO.

De casibus particularibus, in quibus admittitur compositio.

IN Bulla originali latina plumbea quatuor signantur vniuersalia capita, seu materiæ, in quibus admittitur compositio,& de his est sermo *in §. 20. & 23.* sunt autem hæc: primo illicitè acquisita: secundo reditus ecclesiastici: tertio quædam legatorum genera: quarto bona inuenta,& possessa. Ex his autem vniuersalibus capitibus Cōmissarius ad maiorem declarationem in Summario illo patuo, quod Bulla compositionis nuncupatur, decem & nouem casus speciales assignat, in quibus compositio fieri potest, & ex his quatuordecim continent turpe lucrum, videlicet sex habent turpitudinē ex parte tum Recipiētis, tum Dantis; alij verò octo ex parte tantùm Recipientis: præterea alius casus concernit compositionem super fructibus ecclesiasticis; alij verò duo super legatis: denique duo alij pertinent ad compositionem super inuentis,& possessis; & sic completur decimus nonus numerus. In hac autem secūda Dissertatione, quæ est veluti secunda pars huius tractatus sigillatim explicabimus singulos casus.

CAPVT I.

De compositione super illicitè acquisitis cum turpitudine ex parte Dantis,& Recipientis.

CAsus, in quibus conceditur compositio, quando aliquid illicitè acquiritur, & per actionem turpem ex parte vtriusque, nempè & Dantis, & Recipientis sunt sex, nimirum 5. 6. 7. 8. 11.17. quos in sequentibus declarabimus.

SECTIO I.

Vtrum compositio requiratur in acceptis à Iudice ob factam iniustitiam.

1 *Formatur casus.* PEr Iudicem intelligimus tum ordinarium, tum delegatum, tum laicū, tum ecclesiasticum, & casus ita formatur: Petrus, & Paulus litem inter se habeant, & causa vertatur coram communi Iudice; Petrus autem agnoscens sententiam esse ferendam in fauorem Pauli, subornet mediāte pecunia Iudicem, qui contra cōscientiam proferat sententiam contra Paulum in fauorem Petri; quærimus, an in isto casu compositio locum habeat? sed antequam quæsitum decidamus, supponere debemus, tum Iudicem, tum Petrum ad restitutionē teneri Paulo ob damnum illi iniustè illatum, & non posse in hoc se componere, quia creditor est certus,& notus, cui ex rigorosa iustitia restitutio debetur; neque de hoc nos agimus, sed de compositione in ordine ad pecuniam, quam Iudex à Petro recepit cum turpitudine ex parte vtriusque.

Dico igitur primo. Si in aliquo Regno, seu Prouincia extet lex prohibens translationem dominij rerum, quæ ob turpē causam dantur, statuens recipientes esse inhabiles,& incapaces talis dominij, tunc non poterit fieri compositio super his acceptis, quia stante lege illa,& incapacitate Recipientis, res ipsi Danti erit restituēda; proinde cum ipse Dans sit certus, & cognitus à debitore, non poterit vtiliter fieri compositio, & de hac conclusione, quæ est communis, neque est, neque esse poterit controuersia. 2 *Si in aliquo Regno extat lex reddēs inhabiles recipientes pecuniam ob turpē caussam, tūc locum nō habet cōpositio.*

Dico secundo. Si lex illa non extet, decisio quæsiti dependet ab illa controuersia, an ea, quæ accipiuntur ob turpem caussam, post factum sint restituenda siue Danti, siue pauperibus. de qua re ex professo agitur *in tractatu De iustitia*. sed vt aliquid pro re nostra in particulari decernamus, aio, quod si vera est sententia, quæ asserit, accepta ob turpem caussam non esse necessariò restituenda neq; Danti, neq; pauperibus, tunc nequit in casu isto locum habere compositio. nam illicitè Recipiens poterit absque compositione sibi retinere ea, quæ accepit: si verò contraria opinio admittatur, nempe acquisita illicitè esse restituenda pauperibus, tunc erit casus compositionis. sed maxima difficultas est, si vera erit opinio dicens, esse restituenda illi, à quo accepta fuerunt, quia non videtur fieri posse cōpositio, cum creditor sit certus: at hoc punctum inferiùs expēdetur. Dixi, si quis illicitè accipiat post factum turpe; nam ante factum absq; dubio tenentur rescindere pactum initum,& quod accepit, restituere, vt communi consensu est certum, quia contractus nequit compleri sine offensa Dei; proinde est rescindendus: loquimur igitur post effectum sequutum. 3 *Posita opinione, quæ vult, accepta ob turpē caussam non esse restituenda, non erit necessaria compositio.* *Data cōtraria sententia, admittitur compositio.*

Dico tertio. Absolutè, & simpliciter censeo, in hoc casu non esse necessariam compositionem virtute Cruciatæ, quia existimo probabiliorem eam sententiam, quæ vult accepta ex turpi actione non esse 4 *Decidit absolutè, in prædicto casu nō esse necessariam compositionem.*

esse

esse restituenda neq; Danti, neque Recipienti; & fusè hoc probaui auctoritate, & ratione in p. 2. dum agerem de iustitia, & merito nunc supponendum est; aio, igitur, posse in casu posito Iudicem sibi formare conscientiam sequendo hanc opinionem valdè probabilem, & sibi accepta retinere.

Erit tutiùs se componere.

5 Dico quarto. Si Bullam Iudex accipiat, & se componat, tutiùs, & securiùs operabitur, quia probabilis est sententia asserens, illicitè acquisita esse in pauperes distribuenda; & ideo ad tranquillitatem, & pacem conscientiarum Commissarius posuit hunc casum inter eos, in quibus fit compositio. has autem conclusiones ponunt *Ludouicus à Cruce disp. 3. dub. 10. num. 7. Trullench lib. 3. De Bulla compositionis casu quinto num. 4. Cardinalis de Lugo loquens De eadem Bulla tom. 1. De iustitia disp. 21. sect. 7. §. vnico num. 121. & alij*. sed quid dicendum, posita sententia, quæ vult, huiusmodi illicitè acquisita ipsi Danti esse restituenda? Respondet *Cardinalis de Lugo*, posse etiam in acceptis fieri compositionem, etiam si Danti forent restituenda. ita *sect. cit. num. 122.* & hoc probat; nam licèt Dans sit creditor certus, tamen, quia turpiter dedit, videlicet ad obtinendam iniustam sententiam, poterit Pontifex in pœnam delicti priuare ipsum Dantem iure suo, nempe eo iure, quod habet ad recuperandum, quod dedit, vel potest id facere Princeps sæcularis; & ideo cum hæc facultas Cruciatæ Regi Hispaniarum concedatur, poterit ipse Rex punire subditū, qui iniustè subornauit Iudicem, illumque priuare eo iure, quod habet repetendi ea, quæ dedit; proinde facultate habita à Pontifice, poterit, quod acceptum fuit, applicari huic pio operi, nempè sacræ expeditioni contra infideles. hæc ex *Cardinali de Lugo*. cæterum hæc sententia mihi videtur difficultatem pati, quia vel supponitur in eo, qui dedit ius expeditum ad repetendum, quod dedit; & sic non video, quo pacto valeat Cruciata in hoc suffragari ipsi Recipiēti, cum sit creditor certus, & acceptio fuerit in ordine ad ipsum iniusta; vel non supponitur in ipso ius expeditum ad repetendum, quia per leges illi prohibetur restitutio; & sic est de facto, vt patet *per l. vbi autem, & l. idem si obstuprum, l. si ob turpem. ff. De condit. ob turpem, &c.* & tunc transeat, cōpositionem vi Cruciatæ fieri posse, quia, facta prohibitione per legem in pœnam delicti, illicitè acquisita vel sunt pauperibus applicanda; & sic de his, quæ debentur, disponit Pontifex, vel debentur fisco; & sic poterit Rex disponere, & fieri compositiones: & si hoc secundū dicatur, non essemus in casu, quia deficeret obligatio restituendi illicitè acquisita ipsi Danti. quapropter existimo, quod facta suppositione, bona accepta esse Danti restituēda, & in Dante esse ius verū ad illa recuperanda, fieri non posse compositionem, sed quia certissimum puto, in Dante nullum esse ius ad repetenda, quæ liberè donauit, neque esse legem, quæ dominij translationem prohibeat, idcirco alterutrum est dicendum, vel nullam esse necessitatem compositionis iuxta probabiliorem sententiam ad restituenda acquisita ob turpem actionem liberè donata à Domino, vel esse in pauperes distribuēda; & sic licitam, & vtilem esse compositionem.

Difficultas est posita sententia, quæ asserit, turpiter acquisita ipsi Dāti esse restituenda.

Solutio Cardinalis de Lugo refertur.

Solutio ista patitur difficultatem.

Probabiliùs est, facta suppositione, q Dāti sint restituenda bona accepta, cōpositionem de his fieri non posse.

Dico quinto. Si quis accipit pretium excessiuum, nempè vltra æstimabilitatem operis mali, ad quod mediante pretio allicitur, nequit in eo excessu se componere, quia tenetur illud Danti restituere, & quia Dans est creditor certus, Bulla cōpositionis non fauet debitori respectu illius excessus: secùs, si postea temporis progressu debitor non possit neq; Dantem, neque hæredem ipsius Dantis inuenire, tunc enim facta debita diligentia fieret excessus ille debitum incertum, & esset compositionis materia. 6

Pretium excessiuū est restituendum quoad excessum; & de eo non datur cōpositio, si Dās nō ignoratur.

SECTIO II.

De lucro per meretricium acquisito.

AD hanc classem reuocari poterit, quando quis dat meretricibus ob turpem actum iam patratum, qui iuxta ordinem Bullæ est decimus septimus: circa quem nonnulla sunt declaranda, quæ ipse Commissarius postulat. & primo apponit quamdam aduertentiam, aitque, meretrices, quæ pro accepto pretio volunt se componere, non debere esse publicas; hoc autem asserit, quia publicæ meretrices omni iure possunt pro meretricio sibi retinere pretium acceptum, si sit moderatum, vel secundùm taxam à lege, vel secundùm communem existimationem, & donatum sit à persona, quæ disponere potest: imò iuxta ius ciuile his meretricibus datur actio ad habendum pretium pro ipso actu meretricio, vt notat *Rodriquez in expositione huius Bullæ num. 62. & alij communiter.* & colligitur expressè *ex L. 4. §. sed, & quod meretrici. ff. De condit. ab turpem caussam.* 7

Meretrices publicæ pro meretricio iure pretiū acceptū sibi retinere possūt, si est moderatum; & non indigēt compositione.

Secundo limitat Commissarius hunc casum ad mulieres, quæ maritum non habent. appouere voluit hanc conditionem, quia est multorum opinio asserens esse 8

Limitatur conclusio ad mulieres maritum nō habentes.

esse viro restituenda, quæ ab adultera per adulterium acquiruntur, quamuis alij id negent putantes, posse ab ipsa coniuge retineri. loquitur autem Bulla de meretricibus publicè inhonestis, & nõ vxoratis, & has admittit ad compositionem, posita opinione, quæ vult, accepta ob turpem caussam pauperibus esse restituenda.

9 Quæres, an duæ illæ conditiones, quas Commissarius præscribit in hoc paragrapho loquens de feminis, intelligendæ etiam sint de viris? prima autem conditio fuit, vt mulier sit publica meretrix: secunda, vt non sit vxorata.

10

In viro, ad hoc vt possit se componere pro actu inhonesto à se cõmisso, non desideratur prima conditio, & cur.

Respondeo, quamuis neque in Bulla ipsa, neque in Authoribus aliquid circa quæsitum hoc inueniam; tamen mihi videtur dicendum, primam conditionem non desiderari in viro: & ratio discriminis esse poterit, quia intantùm ponitur pro mulieribus, inquantum in iure ciuili tollitur actio ad petendum pretium pro actu fornicationis, quando ipsæ mulieres sunt occultæ meretrices; has enim punit lex priuans illas iure petendi promissum. hanc autem differentiam ponunt iura, quia feminæ, quæ occultè turpia committunt, nõ solent, per se loquendo, se alere cum lucro acquisito per meretricium, imò & honestatem publicè profitētur: merito igitur puniuntur priuatione iuris petendi pretium ob turpem actum; secùs autem publicæ meretrices, quæ viuunt pecunijs intuitu meretricij receptis, & non profitentur vitam honestam ducere; proinde leges ciuiles ens nõ priuant eo iure, quod sibi secundùm legem naturalem debetur. hæ autem rationes non habent locum in viris, qui non viuunt pecunijs habitis media fornicatione, neque solent pudore affici, dũ hos actus turpes committunt; ideoque non sunt leges illæ ciuiles pro viris, sed solùm pro feminis, quæ occultè exercent meretricium, & non indifferenter cum omnibus, sed cum paucis, & occultè, & in his locum non habet compositio, sed solùm cum feminis primi generis.

11

Vir copulam habens cum vxore alter⁹, si ab ea pretiũ accipiat, tenetur illud restituere marito illius mulieris.

Cæterum, si vir aliquis copulam habẽs cum vxorata, & ab ea recipiat pecuniã, aut aliquid aliud, nequit vir super accepto se componere, quia, per se loquendo, tenetur illud restituere marito illius feminæ, quam carnaliter agnouit. dixi per se, nam si mulier bona paternalia habeat, vel talia, de quibus potest ad sui libitum disponere, tunc poterit vir compositionem facere. sic *Trullench. eod. cas. n.* 10.

12 Rursus idem Author *num.* 7. quod dictũ est de meretricibus, extendit ad alios, nempe ad mimos, histriones, parasitos: nam, si his ob turpes actus, quos exercent, aliquid promittatur, tenebitur promittens, sequuto effectu, adimplere promissum, eisq; satisfacere, & iuxta illã opinionem, quæ vniuersaliter docet, acquisita per actus turpes esse pauperib⁹ distribuẽda, poterunt tales personæ se componere, licèt secundùm aliam opinionem, quæ eisdem concedit, posse ea, quæ acquisierũt, ob prædictos actus sibi retinere, compositione non indigeant.

Idem dici debet de his, qui acceperũt pretium pro diuersis actu turpi, vt sũt histriones, mimi, &c.

Denique, si publicæ meretrices acceperint aliquid à personis, quæ donare nõ poterant, vt à filijs familias, à Religiosis, & à similibus, vel ab ijs, qui alienare possunt, pretium receperint excessiuum, aut per fraudem, aut vim, ex vi huius casus non possunt se componere, si facta diligentia ad inueniendum eum, cui fieri debeat restitutio, illum non inueniant; possunt tamen se componere per Cruciatam vi vltimi casus, qui est vniuersalis. 13

Meretrices tenentur restituere acceptum à personis, quæ dõnare nequiuerũt, & ea compositio illis non fauet.

SECTIO III.

De reliquis casibus, in quibus est ex vtraque parte turpitudo, & locum habet compositio.

ALius casus, qui assignatur in Bulla, & est sextus in ordine, euenit, quando Aduocatus suscipit in se onus defendendi caussam aliquã sui clientis vtroque agnoscente esse iniustam, & hoc non obstante, Aduocatus pecunijs inductus ei patrocinatur: in hoc autem casu Commissarius admittit compositionem, duplici posita conditione: prima est vt Aduocatus resarciat damnum illatum parti læsæ: secunda, vt cliens sciat, caussam esse iniustam: posset autem quis inquirere motiuum, quod habuit Commissarius ad hanc secundam conditionem postulandam, quam tamen, vt videbimus, non exegit loquens in alio paragrapho de Iudice, Notarijs, &c. 14

Aduocat⁹ ex scientia defendens caussam iniustam cognitã, vt etiam à cliente poterit se componere de acceptis ab ipso cliente, satisfacta prius parte læsa.

Ad hoc quæsitum respondet *Cardinalis de Lugo disp. illa* 21. *sec.* 7. *num.* 122. *ver. Petes.* rationem huius rei fuisse, quia cliẽs ignorans iniustitiam suæ caussæ, & bona fide procedens, non censetur turpiter dare, quoniam dat Aduocato pro patrocinio mercedem: at Aduocat⁹, qui ex malitia caussam illam iniustam patrocinandam suscipit, & omittit admonere ipsum clientem de iniustitia caussæ, illum contra iustitiam lædit faciens, vt cliens inutiliter expendat; proinde tenetur Aduocat⁹ resarcire damnum illatum ipsi clienti, & restituere illi mercedem acceptam, & nullum est caput priuandi ipsum clientem iure, quod habet repetendi 15

di stipē malitiosè ab Aduocato acceptā, si cliens sciat iniustitiam caussæ, & hoc nō obstante, velit, vt Aduocatus eam defendat, eiq; pro labore patrocinij dat stipem, turpiter dat; idcirco in pœnam delicti meretur priuari iure repetendi mercedem datam, quam Aduocatꝰ iuxta multorum opinionem tenetur non Danti, sed pauperibus restituere; & ideo Pontifex in hoc casu applicat eleemosynam erogatam in fauorem Cruciatæ, & admittit Aduocatum ad cōpositionem, positis duabus prædictis conditionibus: cæterum loquendo de alio casu infra examinando, nempe dum quis Iudicem, aut alios publicos officiales subornat dādo illis pecuniam, vt iniustam ferant sententiam pro ipso Dante, nō postulatur illa conditio, scilicet vt pars sciat iniustitiam caussæ, quia etiam si illam ignorat, eo ipso quod pecuniam Iudici, aut alio officiali offert, & donat, committit delictum, per quod merito priuatur iure repetendi, & consequenter locum habere poterit compositio, vt Iudex sine alius similis officialis modo tutiori se liberet ab onere restituendi acceptum.

16 Potest igitur Aduocatus compensationem petere pro acceptis à suo cliente modo explicato, & hoc, vt tutior maneat, quia in rigore iuris posset absque compositione sequi opinionem, quæ asserit, non esse obligationem restituendi accepta ob turpem caussam.

17

Testes, si recipiunt mercedem ad falsum testificādum, possunt pro acceptis se componere.

Prosequitur Commissarius alios casus præcedenti similes, & sunt in ordine septimus, octauus, & vndecimus, videlicet cum testes subornati falsum testantur, & pro mercede falsitatis pecuniam, aut aliquod aliud munus recipiunt, & idem asseritur de fisco, qui falsam accusationem proferr, aut desistit accusare, quando ex institia tenetur, idemque etiam dicitur de Notarijs, aut alijs publicis officialibus, qui pecunia subornati aliquam iniustitiam in proprio officio committunt.

18

Impediēs mediāte pecunia, ne fiat iustitia, aut vt aliquis iniustè liberetur, potest de acceptis se componere.

Requiritur, vt donans sciat iniustitiam.

Præterea assignatur alius casus, nimirum, quando quis precibus, fauore, &c. ob pecuniam receptam impedit, ne fiat iustitia, aut curat, vt reꝰ iniustè liberetur.

19 Sed in his enumeratis casibus est aduertēdū, quod si ille, qui dat alicui personæ ex prædictis, ignoret iniustitiam suæ caussæ, tunc qui pecuniam recipit, non poterit per Cruciatam se componere, quia in tali casu, qui donat non participat in delicto, proinde non priuabitur iure recuperādi id, quod donauit, & erit creditor certus; & sic recipiens tenebitur ipsi donāti pecuniam restituere. ita rectè notauit *Trullench post octauum casum n. 4.*

CAPVT II.

De casibus, in quibus fit compositio super acquisitis ob actū illicitū ex parte solius Recipientis.

OCTO, vt diximus initio huius secundæ Dissertationis, signantur casus à Commissario, in quibus est turpitudo ex parte solius Accipientis, videlicet 1. 9. 10. 12. 13. 16. 18. 19. qui est omnium vltimus, & includens primum est illo amplior, vt videbimus.

SECTIO I.

Examinatur primus, & vltimus casus.

VTrumque casum expendendum suscipimus, quia vt supra notauimus, primus continetur in vltimo, qui latiùs patet, proinde ab illo differt tanquam inclusum ab includente. deuenimus igitur ad declarationem. 1

Dico primo, in vtroque casu facultatem dari circa lucrum illicitum prouenienens vel per vsuras, vel per quamcunq; aliam negotiationis speciem, quæ omnia sunt intelligenda post factam debitam diligentiam ad inueniendum creditorem; nam cum lucrum istud sit iniustè acquisitum, remanet in acquirente delictum ex rigorosa iustitia ad lucrum illud restituendum ei, à quo illud extorsit; & ideo tenetur adhibere industriam, ad hoc vt reperiat creditorem, eoque inuento, illi, & non pauperibus facienda erit restitutio, si autem facta diligentia non appareat creditor, locum habebit compositio eo modo, quo in ipsa Bulla præscribitur. 2

Lucrū receptū ex vsuris, vel ex alia illicita negotiatione.

Dico secundo. In vltima clausula huius Bullæ apponit Commissarius quamdam generalitatem inquiens, posse eum, qui Bullam hanc sumit, se componere supra quodcunque bonorum genus illicitè acquisitum siue per vsuram, siue per quemcumque alium modum, aut ratione officij, aut negotiationis, si Dominꝰ, aut creditor ignoretur, cum hac tamen conditione, vt talia bona possidens non accederit sub fiducia compositionis, quia in tali casu inualida erit compositio, & totum lucrum erit restituendū Sāctæ Cruciatæ in subsidium expeditionis cōtra infideles: verba autem Bullæ in italico sermone hæc sunt. 3

Præter casus explicitè positos dātur alij sub generalitate comprehensi, in quibus fieri potest compositio.

Item, generalmente si possono componere di qualunque sorte di beni, e robba illicitamente, e malamente hauuta, malguadagnata, e malacquistata cossi per vsura, e guadagno, come in qualunque altra forma, 4

ma, e maniera, officio, ò negotio che sia, ò esser possa, non sapendo il padrone, ò padroni, alli quali legitimamente si possa, e debbia fare la restitutione: purche colui, che si hauesse in si fatto modo da comporre, non habbia hauuto le cose, ò quantità, delle quali cose si hauerà da componere in confidanza di questa compositione, perche all'ora sarà obligato à restituire intieramente in tutto alla Santa Cruciata per aiuto, & soccorso alle sudette spese della guerra contro gl'infideli.

5 Sed ex his verbis, quæ à Commissario apponuntur insurgit dubitatio, & difficultas, an si quis sub spe & praua fiducia compositionis faciendæ per Cruciatam plura illicitè lucratus fuerit, ita vt non sit locus compositionis, bona illa pauperibus tuta conscientia poterit erogare; ratio autem dubitandi facit, quia Commissarius tamquam delegatus Pontificis disponit, vt, dato eo casu, illicitè acquisita integrè applicentur Cruciatæ; atque adeo non poterunt in pauperes distribui.

6 *Dubitatio an tuta conscientia illicito lucro acquisita possint in pauperes distribui, quando nõ est locus compositionis.*

Ponitur solutio Aegidij Trullench.

Dubium istud non inueni in alijs Authoribus, nisi *in Aegidio Trullench* exponente hunc vltimum casum, qui tria respondendo asserit; primo, validam esse applicationem pauperibus factam; nam Commissarius præscribens esse applicanda bona ista sacræ expeditioni, non apponit clausulam irritantem, si pauperibus applicētur: secūdo, peccare grauiter eum, qui in eo casu bona ista pauperibus adiudicat; facit enim cōtra præceptum datum à Commissario in re graui: tertio, admonet, hoc esse intelligendum, vbi viget consuetudo applicandi bona ista ipsi Cruciatæ, aliter nullum erit peccatum ea in pauperes distribuere.

7 *Validè distribuuntur inter pauperes.*

Hæc docet Trullench, & quoad primā assertionē libenter huic Authori adhæreo ob rationem ab ipsomet adductā; circa secundum dictum difficultatem habeo, quia in clausula illa, dum fit prædicta dispositio, non apparet verbum inducens strictam obligationem sub graui peccato; nam licèt dicatur, tales personas obligari ad restitutionem Cruciatæ faciendam; nihilominus verbum indicās obligationem non oportet sub culpa lethali obligare, cum possit obligare sub veniali, vt rectè notat *noster Molina tom. 2. De Iust. disp. 344. in fine. Vasquez. p. 2. disp. 158. cap. 4. num. 3. & 35. Sanchez in summa lib. 6. cap. 4. num. 30. & apud ipsos plures alij tum ex antiquis, sum ex recentioribus*, qui docent, verba præcepti, aut æquipollentia posita in quacunque lege, aut dispositione non sufficienter indicare legislatoris intentionem esse obligare ad mortale, sed aliundè id esse inferendum; inter verba autē æquipollētia *Sanch. n. 38. ex Azorio, & alijs* enumerat verba hæc *& teneātur, obligentur, &c.* quapropter dicimus, ex verbis huius clausulæ non posse nos certo deducere esse sub mortali faciendam restitutionem Cruciatæ: & si vt culpam grauem inferas, recurras ad materiam, quæ interdum grauis erit, aio, grauitatem materiæ in re hac non esse attendendam penes quantitatem, quæ restitui debet, sed solùm penes mutationem ex vno opere pio ad aliud; nam Commissarius vult expeditioni sacræ cōtra infideles esse restituenda bona ista: at possessor restituens illa pauperibus se cōformat cum iure communi, in quo talia bona in pauperes dicuntur esse distribuēda; talis autem mutatio, & præsertim vna, aut altera vice non videtur res magni momenti, quod certiùs erit, quando res, quæ restitui deberent, non sunt magni valoris spectatæ in ordine ad sacram expeditionem; nam quod leuamen alicuius considerationis censetur V. G. centum aurei pro ingenti exercitu, quem de facto sustinet Rex contra infideles? quod verò attinet ad tertiam assertionē circa consuetudinem, dico, neq; pro vna neque pro altera parte, q̃ sciam, esse consuetudinem introductam; non enim solitum est ex fiducia huius Bullæ auferri bona aliena, quia communiter vel ignoratur facultas ista, vel si de illa notitia habetur, scitur, nihil prodesse Bullam istam ijs, qui talem habent fiduciam.

Non erit culpa, saltē grauis, in casu prædicto applicare bona illa pauperibus.

Grauitas materiæ in hac re non est attendenda penes quantitatem, sed penes opus piũ mutatum in aliud opus pium.

SECTIO III.

Nonus, & decimus casus.

IN clausula nona, & decima ponitur turpis actio ex parte Iudicum, Notariorum, aliorumque officialium, qui pro exequutione alicuius causæ, ad quam expediendam tenētur ex iustitia, aliquid recipiunt: in hoc autem casu Commissarius concedit his personis compositionem super acceptis, si facta debita diligētia non inueniunt eum, à quo aliquid receperunt. quæritur nunc, an huiusmodi officiales teneantur se componere? 8

Respondeo, solutionem dependere à decisione illius controuersiæ, an ea, quæ accipiuntur ob causam honestam, ad quam faciendam quis tenetur, vel ad omittendum id, quod omittere tenetur, sint necessariò restituenda pauperibus, si Dominus non compareat. 9

In qua controuersia aliqui cum distinctione loquuntur, dicunt enim ante Iudicis sententiam Danti esse restitutionem faciendam: at post sententiam, cui Iudex 10

de-

determinabit. ita *Salonius 2. 2. quæst. 62. a. 5. controu. 5. concl. 3. Nauar. in manuali cap. 17. nu. 33. 34. Lessius lib. 2. cap. 14. dub. 9. nu. 69. Villalobos tract. 29. nu. 17. Trullench in declaratione huius casus, Bartholomæus à S. Fausto in thes. disp. 27. q. 24. n. 3. & alij*, his præhabitis, sermo est de acceptione pro exercēda, aut omittenda actione, ad quā quis sine pretio tenetur ex iustitia.

Si quis det Iudici, vt ferat sententiā in fauorē ipsius Dātis siue iure, siue iniuria, & sēntentia lata sit iusta, non poterit Dans repetere datum.

11 Dico igitur primo. Si quis det Iudici pecuniam, aut aliquod aliud munus, vt in sui fauorem proferat sentētiam siue iustè siue iniustè, si sententia innematur iusta ex parte Dantis non poterit Dans repetere id, quod dedit, quia complex fuit turpitudinis act⁹: proinde priuatus est iure repetendi, & Recipiens iuxta probabilem opinionem tenebitur pauperibus restituere acceptum, ideo vi huius Bullæ poterit se componere secundùm regulas præscriptas.

Iudex recipiēs pecuniam ab eo, qui prudenter timet iniustam vexationem, nequit se componere.

12 Dico secundo. Si litigans det pecuniam Iudici ad redimendam vexationem, quia timet, ne Iudex iniustè contrariam proferat sententiam, & timor sit prudens, & probabilis, videlicet prudenter ex circumstantijs opinatur de iniustitia facienda à Iudice, pecunia data est ipsi Danti restituenda, & nequit fieri per Cruciatam: ratio autem est, quia Iudex nullum habet titulum in tali casu accipiendi pretium, cum absque illo, vt supponimus, obligetur ad ferendam sententiam in fauorem ipsius Dātis, & quia Dans moraliter non censetur cooperari iniustitiæ, & turpitudini Iudicis, non erit priuandus iure repetendi pretium, ideo restitutio ipsi Danti erit facienda, & quia est creditor certus, inutiliter Iudex cōponetur. secus antem esset, si postea ipse creditor ignoretur, & inueniri nequeat, tunc enim ob regulas generales Iudex tenebitur pauperibus acceptum restituere; & ideo vi Bullæ poterit se cōponere. sic discurrit *Ludouicus à Cruce dub. 10. n. 3. & alij apud ipsum.*

13 Omittimus hic examinare, an quando quis accipit, vt faciat, aut omittat, quod debet facere, aut omittere non ex iustitia, sed ex alijs virtutibus, teneatur restituere acceptum Danti, vel pauperibus, &c. & per consequens an vti valeat, compositione nec ne? omittimus, inquam, hæc examinare, quia esset ingredi materiam restitutionis præter nostrum institutum: in hoc enim paragrapho solùm proponitur à Cōmissario casus quando quis accipit pro administratione iustitiæ; & ideo cætera non faciunt ad rem nostrā; ac proinde ea relinquimus tanquā spectantia ad tractatū de iustitia.

14 Quæ dicta sunt de Iudice, intelligi etiā debent de Notarijs, Scribis, Secretarijs, alijsque publicis officialibus, de quibus est sermo in paragrapho decimo huius Bullæ, si accipiant aliquod, vt faciant, vel omittant facere, quod ex iustitia debent.

Idem dicendum de alijs publicis officialibus.

Dico tertio, valdè notandam esse limitationem, quam in dicto nono paragrapho ponit Cōmissarius, loquens enim de Iudicibus tum sæcularibus, tum ecclesiasticis cautè procedit concedens solùm compositionem in causis temporalibus; & ideo mentionem de his tantùm faciēs excludit implicitè caussas spirituales. sic notant communiter interpretes huius Bullæ: & ratio est, quia Iudex ecclesiasticus licèt valeat se componere, si accepit aliquid pro exercenda iustitia in caussa temporali, eo modo, quo supra explicuimus, tamen hoc nō conceditur, si accepit aliquid pro caussa spirituali, nempe pro controuersia circa ordines sacros collatos circa beneficiū ecclesiasticum, & simile; nam cum acceptio ista sit simoniaca, in iure prohibetur, vt patet *ex Gloss. in cap. credentes. 1. q. 3.* & redditur incapax ipse Recipiens: & ideo in tali casu negatur compositio. sic notat *Rodriquez in expositione huius Bullæ num. 27. Villalobos tract. 29. num. 27. ver. la palabra Ludouicus à Cruce dub. 11. nu. 5. Trullench in declaratione casus noni num. 5.* attamen *Henriquez lib. 7 cap. 35. num. 4. lit. r. s.* solùm meminit simoniæ, quæ est in caussa de ordine, & beneficio: & sic videtur tacitè velle pro caussis alterius simoniæ admitti compositionem; sed oppositum est dicendum, quia Commissarius includens solas caussas temporales excludit vniuersaliter ad hunc effectum compositionis quascunque caussas spirituales, seu simoniam prouenientem ex quacunque caussa spirituali; & ideo, sicuti Pontifex excipit casum simoniæ quoad dispensationem in irregularitate, vt supra vidimus, sic etiam & compositionem. 15

Iudex ecclesiasticus accipiens pro caussis spiritualibus non gaudet beneficio compositionis.

SECTIO III.

De compositione super his, quæ ludo acquisita, restitutioni sunt obnoxia.

IN paragrapho duodecimo proponitur à Commissario alius casus includens turpitudinem ex parte solius Recipientis, & pertinet ad ludū: dicitur enim, posse se componere eos, qui per ludum acquisita tenētur restituere; hoc autē intelligitur de acquisitis per fraudes modo tamen, quo in sequentibus conclusionibus exponemus. 16

Dico igitur primo. Si quis per fraudes iuxta leges ludi nō permissas lucratus ali- 17

Qui in lud.

per fraudes lucratur nequis se componere.

quid fuerit, tenebitur statim amittentl restituere, & nnn poterit super his se componere, quia Dominus est certus, & ius verum, & reale habet ad repetendum, quod iniustè amisit; nihilominus conceditur lucranti, vt si facta diligentia Dominus non inueniatur, posse, tuta conscientia, se componere. dixi non permissas iuxta leges ludi, quia, si fraudes fuerint secundùm leges talis ludi, tunc nullum interueniet peccatum, & neque erit obligatio restituendi.

18 *Vel lucrans à non valentibus alienare,*

Dico secundo. Idem est asserendum, si quis ludat cum illis, qui alienare nequeunt, vt sunt filij familias, serui, Religiosi, &c. tenebitur, qui lucratus est, restituere Parentibus, Dominis, Monasterio, &c. & si ignoretur post debitam diligentiam, admittitur ad compositionem.

19 *Ludens ludo prohibito non tenetur restituere, si lucratur.*

Dico tertio. Ludens ludo prohibito, si lucretur, non tenebitur ad restitutionem, atque adeo neque obligabitur se componere, quia leges, quæ prohibent tales ludos, non reddunt irritam dominij translationem, vt aduertit *Rodriquez hic num.* 31 *concl.* 2. *Cardinalis de Lugo* exponens hunc casum *num.* 127. *& alij*; attamen ad maiorem conscientiæ securitatem poterunt ita lucrantes se componere, quia sunt aliqui Doctores, qui sentiũt, esse obligationem restituendi; si verò lex impediat dominij translationem, reddatq; incapacem ipsum lucrantem, vt sunt aliquæ leges in Regno Castellæ prohibentes aliquod ludi genus, quas refert *Rodriquez num.* 44. *& de Lugo loco citato*, non erit in tali casu locus compositioni, nã eius, q̃ acquiritur, colludenti, qui perdidit, erit facienda restitutio: at si postea temporis lapsu non inueniatur, compositio admittitur.

20 Dico quarto. Si quis metu, aut coactione aliquem traxit ad ludum, cum quamplures teneant, lucrantem obligandum esse ad restitutionem; quamuis aliqui negent: idcirco *Rodriquez num.* 39. *Ludouicus à Cruce dub.* 13 *num.* 3. *& alij* docent, in tali casu ob maiorem conscientiæ securitatem lucrantem debere se componere: sed opinio ista difficultatem patitur, quia vel sequimur sententiam satis probabilem, quæ negat, esse obligationem restituendi; & sic nulla est compositionis necessitas, cum iuxta hanc opinionem nulla sit restituendi obligatio; vel sequimur contrariam, quæ vult, acquisita per ludum, in quo attractus perdidit, esse restituenda ipsi attracto, qui inuoluntariè, & non liberè ludi contractum inijt; hoc autẽ posito, cum attractus non ignoretur, non poterit alius colludens, qui vicit, se componere soluens partem lucri Cruciatæ, partem verò sibi retinẽs; læderet enim vt sic ius illud, quod habet alius colludens, quod neq; Cõmissarius intendit, neque facere potest; quia, vt patet ex ipso Bullæ contextu, solùm concedit facultatem componendi super acquisitis per ludum, quando ea, quæ acquiruntur, pauperibus sunt eroganda: at in casu posito siue primam, siue secundam amplectamur sententiam, restitutio nõ est pauperibus facieda, ideo nõ habet locum cõpositio, sed qui lucratus est, poterit vel acquisita sibi retinere, vel colludẽti restituere; compositio autem in hoc casu tũc haberet locum, quando lucrator nõ posset notitiam habere de alio colludente, & ad maiorem cautelam, stante secunda opinione, vellet cõpositionem facere: & ideo dico, nõ posse Bullam se extendi ad hunc casum, nisi quando Dominus non inuenitur, & pariter dico, posse lucratorẽ tuta cõsciẽtia nullã facere restitutionem eorũ, quæ per talem ludũ lucratus fuit.

Trahens colludentem metu, aut coactione nequit se componere, si lucretur.

Dico quinto. Si quis lusus est cum personis ecclesiasticis, & in eo ludo lucratus est aliquid ex bonis illis superfluis, quæ ab ecclesiasticis in vsus pios sunt distribuenda, volunt aliqui, pauperibus esse restituẽda. quam opinionem ex *Syluestro verb. ludus q.* 11. *& Nauar. in manuali cap.* 19. *nu.* 9. refert *de Lugo loc. cit.* atq; adeo iuxta hanc sententiam videtur, super his acquisitis vtiliter fieri compositio: sed oppositum ego existimo, quia in tractatu de obligatione, quam habent ecclesiastici ad distribuenda superflua in opera pia, sustinui, dominium horum bonorum esse penes ipsos ecclesiasticos contra aliquos, qui solam administrationem ecclesiasticis concedunt: & ideo consequenter dico, qui in ludo ex bonis superfluis aliquid lucratur, acquirere plenum illius dominium, quod transferri poterat à colludẽte ecclesiastico, quicquid sit de peccato, de quo in præsẽtia nõ loquor: & ideo cõsequẽter aio, in hoc casu non esse locũ cõpositioni, quãuis, si victor vellet sequi alteram sentẽtiam, quæ negat, penes ecclesiasticos esse tale dominiũ, posset ob maiorẽ cõsciẽtiæ trãquillitatẽ se componere: iste autẽ casus est diuersus à præcedente, quia in præcedẽte ostẽdim⁹, acquisita ab attrahẽte metu, aut vi ad ludũ, in nulla ex duabus sẽtẽtijs oppositis esse pauperib⁹ eroganda, sed vel posse retineri ab ipso attrahẽte, vel esse restituẽda attracto: at in isto vltimo casu iuxta vnã sentẽtiã pauperib⁹ sunt danda; & ideo lucrator poterit huic sẽtẽtiæ se cõformãdo cõpositionẽ petere. 21

Lucrans bona superflua quæ habent ecclesiastici non indiget compositione.

Alios possem⁹ proponere casus, sed ne huic operi tractatũ de ludo inserere videamur, eos iure omittim⁹: solùm adnoto re- 22

regulam quamdam vniuersalem, quod quando bona per ludum acquisita sunt in pauperes distribuenda, tunc locum habere poterit compositio.

SECTIO VI.

De compositione super acquisitis per fictionem.

23 PRO intelligentia huius casus, qui est decimus tertius in ordine, notādum est, tunc fictionem euenire, quando quis simulat aliquam habere qualitatem, qua reuera caret, & alius intuitu illius fictæ qualitatis mouetur ad aliquid soluēdum V. G. si quis fingit, se esse pauperem, vel esse consanguineum, &c. & alius mouetur vel ad erogandam eleemosynam, quatenus sibi persuadet, esse paupertatem in petente, vel donationem aliquam facit intuitu consanguinitatis, &c. iste est casus, qui proponitur, & Commissarius declarat, simulantem posse se componere super acceptis, Domino non inuento.

24 Pro maiori tamen explicatione supponendum est, controuersiam esse apud Doctores de persona, cui sit facienda restitutio, si quis ob fictam paupertatem aliquid extorserit: est enim opinio, quam docet *Scotus in 4. dist. 15. quæst. 2. a. 3. Medina C. De restit. quæst. 24. Nauar. in manuali cap. 27. num. 107. Philippus Faber in d. 15. quæst. 2. disp. 50. cap. 4. num. 120. & alij.* quos citat *Diana par. 5. tract. 8. De eleemosyna resol. 21.* qui obligant simulantes teneri ad restitutionem: at *Sotus De iust. lib. 4. q. 7. a. 3. ad 4.* & eum sequēs *Diana*, & apud ipsū *Granad. in 2. 2. contr. 3. tract. 11. d. 7. n. 4.* excusant à restitutione ostiatim Mēdicantes in paruis, & quotidianis eleemosynis; imò *Henriquez lib. 7. cap. 35. num. 5.* hoc ipsum affirmat de diuite paupertatem simulāte, dum à multis accipit tenues eleemosynas. alij verò recurrunt ad caussam finalem, & impulsiuam, seu motiuam, & inquiunt, si paupertas erit caussa finalis erogandi eleemosynam, tūc qui eam simulauit, esse obligandum ad restitutionem; si verò erit solùm impulsiua, nō esse obligādum. ita *Rodriquez n. 50. & Azor part. 3. lib. 4. cap. 21. quæst. 8.*

[C]ontrouersiũt [D]octores cui [s]it restituendum, quod acquirit per fictam paupertatem.

25 In hac opinionum varietate mihi videtur dicendum, absolutè, & simpliciter pauperes fictos, si titulo paupertatis petāt eleemosynam, eamque recipiant, teneri ad restitutionem, nisi alia sit intentio erogantis eleemosynam; nam si præsumptio haberetur, per quam existimabitur, erogātem eleemosynam velle absolutè eam dare, & præsertim quando sunt paruæ eleemosynæ, tunc probabilis erit opinio Soti; sed de hac re alibi est tractandū: posito igitur esse obligationem restituendi, insurgit dubitatio, cui nam sit facienda restitutio.

[P]er se loquēdo simulantes paupertatem tenētur restituere acceptū.

Aliqui volunt, faciendā esse donanti. sic *Sotus loc. cit. & Lessius lib. 2. De iust. cap. 18. num. 133.* huic sententiæ adhæret, quando donator est notus, res est notabilis, & putatur ipse velle, vt sibi fiat restitutio: at si res sunt minutæ, & ignoti donatores, restitutionem pauperibus esse faciendam. 26

Alij verò absolutè asserunt, quæ ita simulatè fuerunt accepta, in pauperes esse distribuenda. sic docet *Villalobos tract. 22. diff. 9. num. 4. Ludouicus à Cruce dub. 15. num. 2. Trullench in casu 13. num. 2. & apud Dianam resol. 22. alij* vtramque opinionem esse probabilem, & recipi posse existimarunt *Vasquez opusc. De restit. cap. 3. dub. vltimo num. 24. Castropalaus tom. 1. tract. 6. disp. 2. p. 14. num. 7.* Sed ego puto, probabiliorem esse secundam sententiam, quæ vult, in pauperes eleemosynas istas esse distribuendas. ducor, quia facta suppositione, quod caussa finalis donandi fuerit paupertas, cum qualitas ista reperiatur in ijs, qui sunt veri pauperes; idcirco plenè satisfieri censendum est intentioni donantium, pauperibus has eleemosynas applicare. neque placet quod dicit Lessius vbi supra, scilicèt, qui eleemosynam erogauit, non intendisse eam Christo donare, nisi inquantum intendit donare huic pauperi. non placet, inquam, si ipse Lessius velit, hunc pauperem in indiuiduo se habere formaliter; puto enim merè materialiter se habere; formaliter verò se habere paupertatem, quæ cum in alijs inueniatur, adimpletam, iudicandum erit, esse mentem donatoris, si veris pauperibus eleemosyna applicetur, per accidens se habentibus subiectis nempè indiuiduis: secus tamen esset dicendum, si quis fingeret paupertatem adeo magnam, vt magnitudo illius moueret donatorem, ita vt, si esset minor, donator non esset eleemosynam illam erogaturus: quod ex circumstantijs interdum colligi poterit; in hoc enim casu, qui est extraordinarius, si constet mens donatoris, tunc eleemosyna ipsi donatori esset restituenda, & non alijs pauperibus carentibus qualitate illa, nempè magnitudine paupertatis. oppositum autem videtur docere *Henriquez loco citato.* sed casus iste est potius speculatiuus, quàm practicus; ex his autē directè decidimus quæsitum per subsequentes cōclusiones. 27

Admittitur secunda sententia.

Dico igitur primo. Considerando casum eo modo, quo solet accidere, si quis ficta 28

ficta paupertate varias recepit eleemosynas tuta conscientia, per se loquendo, poterit se componere, quia cum eleemosynæ illæ pauperibus, iuxta probabiliorem opinionem, sint applicandæ, licita erit compositio.

Qui ficta paupertate eleemosynas recepit, potest se componere.

29 *Cõclusio praecedens, etiam noto donatore, recipitur.*

Dico secundo. Præcedentem conclusionem amplector, etiam si notus sit donator;& moueor, quia dum donauit, eius intentio fuit transferre dominium illius eleemosynæ in talem hominem, vt formaliter pauperem, & cum ratio formalis ista fuerit caussa finalis, vt nunc supponimus; idcirco in quocunq; subiecto, idest in quocūq; homine reperiatur, erit sufficiens ad satisfaciendum intentioni donatoris, & per consequens ad compositionem faciendam, quia, vt rectè aduertit *Trullench hic num.* 4. quoties restitutio pauperibus est debita, fieri potest compositio, quod etiam nos supra adnotauimus.

30 *Argumentum contra cõclusionem ex ipsa Bulla desumptum.*

Sed contra hanc conclusionem validum fit argumentum desumptum ex ipsis verbis Bullæ in hoc eodem paragrapho; nam Commissarius concedit compositionem, quando donator est ignotus. verba autem hæc sunt: *Item, se alcuno fingendo, ò mostrando in se stesso, quel, che non è in esso, ò altra cosa simile, e sotto tal colore hauesse riceuuto cosa alcuna, si può cōponere. E colui, che dimanda elemosina fingendo d'esser pouero, e non essendo di quel tanto, che per tal causa hauesse riceuuto, si può componere, non sapendo io questi due casi à chi, come si è detto, si debbia restituire.* per hæc verba Commissarius non alio modo dat facultatem componendi, eueniente casu prædicto, nisi ignoto Domino, seu donatore, cui restitutio eleemosynarum sit facienda; ergo si donator erit notus, applicatio non debet fieri pauperibus, neque poterit fieri compositio.

31 *Satisfit argumento.*

Respondet ad hoc dubium *Ludouicus à Cruce, & Trullench,* Commissarium sequutum fuisse opinionem Soti, & aliorū, qui volunt, donatori restitutionem faciēdam esse, quādo ipse agnoscitur, sed quia valdè probabile est fieri posse pauperibus; ideo simulator poterit vti beneficio cōpositionis, etiā si donator sit notus. addo, Cōmissariū ideo illi sētētiæ adhæsisse, quia certū est, restitutionē fieri posse donatori; nam veri pauperes nullum acquisierunt ius per eleemosynam factam pauperi ficto, proinde simulator paupertatis abundè satisfacit restituendo donatori, sed quia intentio donatoris, vt præsumitur, fuit leuamen paupertatis, idcirco, si quis eam simulauit ex præsumpta voluntate donatoris, & veluti eius negotiorum gestor, poterit exequendo voluntatem illam in pauperes distribuere eleemosynas acceptas.

32 *Si quis [illegible] consanguinitatem [illegible] restitu[illegible].*

Dico tertio. Si quis non paupertatem, sed consanguinitatem simulet, & hoc intuitu, aliquid accepit, nō poterit acceptū pauperibus, aut alijs pijs operibus applicare, quia in pauperibus non inuenitur qualitas illa, quæ mouit voluntatem donatoris ad donandum, neq; reperitur in alijs operibus; & ideo donatori erit faciēda restitutio, si innotescat: at si inueniri nequeat, locum habebit compositio, vt declarat Commissarius.

33 *Simulans sanctitatem, & doctrinam, & recipiens beneficium illud [illegible] retinere curando, si dignum fiat.*

Dico quarto. Simulans sanctitatem, aut doctrinam, & ob hoc conferatur ipsi beneficium ecclesiasticum, si illud dignè administrat, poterit illud retinere curando, se virtutum exercitatione fieri dignū. &, quod possit beneficium retinere posita bona administratione, docet *Henriquez cap. illo. 33. nu. 5. Rodriquez nu.* 48. quibus addo *Ludouicum à Cruce dub.* 14. *num* 1. *Trullench in declaratione huius casus num.* 3. *& alios*: ratio est, quia beneficia ista dantur absolutè absque conditione, & sanctitas solùm est caussa impulsiua, finalis autem erit idoneitas ad administrandum, & hoc præsumitur, nisi de opposito constet, vt communiter docent Authores; si verò non sit idoneus, tenetur beneficium resignare, & ideo non habet locum compositio. addit autem *de Lugo num.* 128. quod, si esset obligatio resignandi, non esset proficua compositio Cruciatæ, quoniam hæc conceditur ijs, qui ignorant eum, cui facienda est restitutio: at in casu posito hoc non procedit, nec vlla apparet ratio, quo pacto pro titulo beneficij valeat compositio, quia licèt fructus percepti possint computari ad vidēdum, quot Bullæ pro illis sint accipiendæ; titulus tamen cum sit quid spirituale, non poterit existimari, neque pro illo taxari poterit compositio; rectè autem discurrit *Cardinalis de Lugo*, nam & si clausula ista, quatenus dat facultatem se componendi sit vniuersalis; tamen intelligenda est de rebus pretio æstimabilibus; talis autem non est titulus beneficij, & ideo si fuerit inualidè collatus non poterit validari mediante compositione, sed erit resignandus, vel aliunde erit obtinenda eius validatio.

Si [illegible] resignare beneficium, [illegible] poterit [illegible] ponere.

†

S H-

SECTIO V.

Declarantur duo vltimi casus ex illis, qui turpitudinem ex parte solius Recipientis inuoluunt.

IN paragrapho 16. & 18. ponuntur duo casus spectantes ad classem eorũ, qui habent turpitudinem ex parte tantùm Recipientis.

34 *ob damnum latum in segetibus, vineis, &c. admittitur cõpositio; si Dominus ignoretur.*

Primo enim admittitur compositio ob damnum illatum in segetibus, vineis, &c. dum quis venatur eas conculcando equorum pedibus, vel requiritur fauendo, aut permittendo, vt eius animalia segetes pascantur, aut alio modo; requiritur autem ad hanc compositionem licitè faciendam, vt Dominus illarum segetũ, aut vinearũ ignoretur, ideoque debet, qui damnum intulit, adhibere diligentiam ad illum inueniendum, & hoc ordinariè loquendo facilè obtinebitur, quia notum est sub cuius dominio erant & segetes, & vineæ, in quibus damnum fuit illatum.

35 *Cõmissarius nihil disponit pro captura animaliũ in venatione.*

Circa restitutionem faciendã ob capturam animalium per venationem, piscationem nihil in præsentia dicimus, quia Commissarius in hoc paragrapho solùm meminit damni, quod cõtingit in possessionib⁹ modo explicato, & de feris captis nihil tangit; de obligatione autem, quã habent venatores ad restituendũ, si ceperint feras in locis prohibitis agitur in tractatu de iustitia; & hæc *pro paragrapho 16. in 17.* autem tractatur de admixtione aquę cum vino, & idem debet intelligi de alia simili, nempe de admixtione vnius rei cum alia re extranea, per quam deterior fit res illa, cui fit mixtio, & venditur vt pura, vt est V. G. mixtio paleæ cũ frumento, stanni cum argento, vel venditio cũ mensura, quæ non sit iusta quoad pondus, sed deficiens, & sermo est in ijs casibus, in quibus interuenit iniustitia, atq; adeo restituẽdi obligatio: dico hoc, quia circa mixtionem vnius materiæ cũ alia, & præsertim, dum miscetur aqua cũ vino, possent fingi varij casus, in quibus non censeatur esse peccatum, & per cõsequens nulla sit obligatio restituẽdi, qua cessante, nulla erit compositionis necessitas: & de his casibus fusè agit, eosque examinat *Cardinalis de Lugo tom. 2. De iust. disp. 26. sect. 5. a nu. 66.* loquens de emptione, & venditione. sermo autem est in ijs casibus, in quibus ob peccatum iniustitiæ resultat obligatio restituendi.

Pro pretio accepto vendẽti res aliquas admixtas cũ rebus extraneis fit compositio ignoto Domino.

36 Dico igitur. Qui modo explicato in emptionibus, & venditionibus frandem cõmisit, tenetur restituere illi, qui damnum est passus: conclusio ista est lumine naturæ euidens. cæterum si frandans post diligentem inquisitionem personas læsas inuenire non posset, & ignorat illas, iuxta principia vniuersalia superiùs posita, & communiter à Doctoribus recepta, restitutio faciẽda erit pauperibus, aut id, quod debetur, pijs vsibus erit applicandum, ita enim dominorum voluntas præsumitur; & ideo locum habere poterit Bulla compositionis, per quam applicatio fit operi valdè pio, nempe sacræ expeditioni in defensionem Christianæ Religionis: fieri posse prædictam compositionem, declaratur nobis à Commissario in hac clausula.

Quæres, si tabernarij, pistores, & aliæ 37
similes personæ, vinum aqua dilutum, vel mercem aliquam, cui admixta sit res extranea, propter quam à propria perfectione, & bonitate defecerint, vendant minutatim varijs personis alicuius communitatis; vel si fraus fiat in mensuris, & ponderibus, ita vt emptores contra iustitiam lædantur: an, inquam, tabernarij, seu pistores prædicti possint se componere.

Ad hunc casum respondet negatiuè 38
Villalobos tract 29. num. 36. ver. La duda es, ait enim, quod, si locus, seu communitas, in qna facta fuit fraus non ignoretur, licèt ignorentur personæ determinatæ, quæ damnum passæ sunt, in tali casu pretium quoad excessum iniustè acceptum, vel restituendum sit communitati, vel vinum, seu aliæ merces vendenda vilio. ri pretio, vsque dum fiat iusta compensatio. & probat hanc sententiam à pari, nã sicuti locum non habet compositio, quãdo quis licèt sit certus de se esse debitorem duabus V. G. personis; attamen ignorat, an huic, vel illi debeat facere repartitionẽ inter personas illas iuxta quãtitatem dubij, vt supra determinauimus; sic in casu isto, quamuis ignorentur personæ determinatæ, quibus facta est læsio, tamen erit pretium iniustè acquisitum inter personas ipsas repartiendum: & hæc est huius Doctoris sententia.

Sed *Aegidius Trullench* exponendo 39
casum 18. in fine. oppositam sententiam tuetur docẽs, fieri posse compositionem aut per Bullas, aut per Commissarium: & in hac opinione videtur esse *Henriq. lib. 7. cap. 35. num. 7.* vbi casus istos enumerans, aut alios similes, in fine illius capitis inquit, in his ergo, si Dominus ignoretur, curanda est compositio.

Quid nam autem sit iuxta nostram sententiam tenẽdum, declaratur per distin- 40
ctionem, si enim venditor aliquando, habita diligentia, deuenire possit in cognitionem personarum, quas si audauit, non erit

Vendentes cum fraude in paruo Oppido facile innotescere.

possunt ementores, quibus resarciendum est damnum.

erit locus compositionis; facilè autem poterit in talem notitiam peruenire, si fraudes factæ fuerint in paruo Oppido, in tali enim loco facilè agnoscuntur emptores: si verò casus acciderit in magna Vrbe, & quamplures soleant concurrere ad emendum, ita vt moraliter sit impossibile scire determinatè personas læsas, aut earum hæredes, tunc fraudator satisfaciet suæ obligationi per cōpositionem.

In magnis Vrbibus id erit difficile, & si Domini innotescere nequeant, locum habebit compositio.

CAPVT III.

De compositione facienda super fructibus ecclesiasticis.

1 AGit Commissarius de compositione ista *in clausula, seu paragrapho secundo huius paruæ Bullæ*, & declarat casus, in quibus locum habet compositio, & & modū, quo fieri debeat; cōcedit enim, posse Beneficiarios se componere super fructib⁹ ex beneficijs, aut alijs ecclesiasticis reditibus perceptis vel ob malam ipsorum beneficiorum adeptionem, vel ob omissionem horarum canonicarum, ad quas Beneficiari⁹ tenebatur, cū hac tñ cōditione cōceditur priuilegium, vt qui vult se cōponere vltra stipendiū soluendum, det aliam æqualem quātitatem pro fabrica illius Ecclesiæ, vbi est beneficium erectum. V.G. stipendium pro receptione vni⁹ Bullæ ex his paruis sunt duo realia, si quis vult se componere accipiendo vnam Bullam, erogare debet quatuor realia, duo pro stipendio Bullæ, & alia duo pro fabrica Ecclesiæ, vt dictum est. si verò duabus indigent Bullis, soluenda sunt octo realia, videlicet quatuor pro duabus Bullis, & alia quatuor pro fabrica; et sic est procedendum, si Bullæ multiplicarentur. Tres casus solent assignari circa hanc materiam, in quibus conceditur compositio, scilicet quando Beneficiarius culpabiliter omittit recitare horas canonicas, & hoc non obstante, percipit fructus beneficij: secundo, dum absque legitimo titulo beneficiū possidet, & non facit fructus suos: tertio, si excōmunicatione maiori innodatus percipit fructus. de his autem casibus agemus in sequentibus, quibus multa alia addenda sunt.

Declaratur modus, quo fieri debeat compositio pro fructibus ecclesiasticis.

Tres ponuntur casus.

2 Aduertendum hic est, quod licèt in Bulla compositionis explicitè non contineatur; nisi primus casus; tamen in Bulla, quā explicat Rodriquez, omnes tres habentur, immo in ipsamet Bulla italica extracta implicitè continentur in primo, & vltimo casu, in quo ponitur generalis facultas componendi circa quæcumque bona habita, & malè acquisita quocumq; modo, &c. in hac autem clausula absque dubio includitur exactio fructuum ecclesiasticorum malè acquisitorum.

SECTIO I.

Præmittuntur ea, quæ iure communi habentur circa restitutionem fructuum ecclesiasticorum ob horarum canonicarum omissionem.

EXacta huius casus intelligentia cogit nos ad præsupponenda ea, quæ in iure præscribuntur pro fructibus perceptis restituendis, quando Beneficiarius culpabiliter omittit recitare horas canonicas; & suppono quæstionem illam, secundùm quam aliqui Doctores volunt, obligationem huius restitutionis esse de iure naturali, & Diuino, quia cum beneficium detur propter officium, proinde si officium non recitetur, fructus sunt restituendi: at secundùm alios non minoris notæ hanc obligationem solùm esse de iure positiuo canonico: fundatur hæc opinio in illo vniuersali principio, nempe obligationem restituendi ex natura rei tantùm oriri ex peccato contra iustitiam commutatiuam, aut ad summum contra distributiuam; omissio autem horarū canonicarum non est contra iustitiam propriè dictam, sed vel contra obedientiam, vel contra religionem; & ad fundamentum contrariæ opinionis respondetur, beneficium nōn dari propter officium sub conditione, sed solùm sub onere, seu modo; & ideo eo non seruato, neque ius naturæ, neque ius Diuinum obligare omittentem ad restitutionem. 3

Variæ sententiæ circa ius, ex quo oritur obligatio restituendi pro omissione horarum canonicarum.

Sed quidquid sit de vtraque sententia, ad nostrum enim institutum non pertinet determinare, quænam ex his sit verior, & probabilior. vide inter alios *Suar. tom. 2. De religione lib. 4. De horis canonicis cap. 29. à num. 6. Vazquez in p. 2. disp. 168. cap. 4. à num. 32. ver. Postremo est lex, & deinceps vsque ad finem. Lessium lib. 2. De iust. cap. 34. à num. 178. Bonacinā De horis disp. 1. q. 5. p. 2. num. 9.* certum tamen est secundùm ius canonicum, obligationem aliquam esse ad restituendum, vt habetur *ex Concil. Lateran. sub Leone X. sess. 9. §. statuimus, & ex communi consensu Doctorum*: & quamuis in controuersia sit positum, an secundùm ius canonicum antiquum restitutio sit necessariò facienda ante sentētiam, & ipso facto: & aliqui partem affirmatiuam, aliqui verò negatiuam sunt sequuti; tamen certū est apud omnes, secundùm ius nouum extare obligationem aliquam statim restituendi, quod colligunt multi *ex Concilio* 4

lio citato, & certiùs *ex Constitutione edita à Pio V.* per quam Beneficiarijs horas canonicas omittentibus imponitur onus restituendi, & præfigitur modus, quo facienda sit restitutio.

5 Rursus est supponendum, iuxta dispositionem Concilij prædicti obligationẽ hanc restituendi fructus non incipere, nisi post sex menses à die possessionis beneficij, vt communis est Doctorum opinio, ita vt si Beneficiarius in primis sex mensibus nõ recitet, licèt lethaliter delinquat; tamen ad nullam fructuum restitutionẽ obligatur, quidquid sit, an teneatur alijs orationibus horas omissas supplere. *Sotus* tantùm inuenitur, qui alio modo explicans verba Concilij asserit, obligationem restituendi fructus esse etiam in primis sex mensibus. *sic lib.10. De iust.q.1.ar.6.* transactis autem primis sex mensibus, si Beneficiarius omittat recitare, obligabitur ad restitutionem pro illa die, & pro illis horis, quas omisit iuxta dispositionẽ Pij V. licèt nonnulli existiment, posse horas omissas vna die, suppleri altera die, non quoad vitandum peccatũ, sed quoad exemptionem restitutionis. disceptatio etiã est apud Doctores, an Beneficiarius habens alia onera principalia adnexa ipsi beneficio præter officium, non recitans teneatur omnes fructus, an verò eorum partem restituere: aliqui solùm damnant hos Beneficiarios ad partem, aliqui verò ad omnes fructus, & vtraque opinio graues habet patronos. controuersiam autẽ decidere, est præter subiectam materiam. sicuti neque illam, nempe, an quodlibet beneficium, quantumuis tenue, obliget ad quotidie recitandum, vel saltem aliquibus tantùm diebus. videri autem possunt scribentes de re hac.

6 Satis nobis erit in præsentia supponere obligationem restituendi siue ex toto, siue ex parte pro rata officij omissi, eo modo, quo *in Constitutione Pij V.* statutum est, & restitutionem hanc, vt diximus, statim ante Iudicis sententiam faciendam esse, vt vult communis Theologorũ sententia, paucissimis quibusdam exceptis, & fructus destinandos esse vel pro reparatione fabricæ Ecclesiæ eiusdem beneficij, vel in vtilitatẽ domus Beneficiarij, vel applicandas esse pauperibus, vt fusè dicitur in tractatu de horis canonicis, ad quẽ me remitto.

Et hæc breuiter præmissa sint secundũ iuris communis dispositionem, quibus positis.

7 Dicẽdum est, Beneficiarium, qui omisit recitare horas canonicas eo tempore, quo ad illas recitandas tenebatur, posse frui beneficio compositionis, vel fumendo Bullas, vel si quantitas fructuum excedet eam, quæ est præscripta, se componere per Commissarium super fructibus, quos absq; compositione restituere obligatur. sic expresse disponitur in hac Bulla, vt supra vidimus referendo secundũ paragraphum.

...neficiari', ...i horas canonicas reti... tare omisit, potest frui beneficio compositionis.

SECTIO II.

Enodantur quædam difficultates circa eamdem materiam.

8 IN ijs tantùm casibus valida est compositio, in quibus Beneficiarius ob omissionem horarum canonicarum ad aliquam tenetur restitutionem, cessante enim obligatione ista locum non habet compositio; cum autem nonnullæ se offerant difficultates, in quibus dubitant Authores, an ob prædictam omissionem cõsurget in Beneficiario debitum restituẽdi, & per consequens, an efficacia huius Bullæ ad illas extendatur; idcirco placet has difficultates elucidare; cætera verò veluti extranea à præsenti instituto iure prætereo, nam spectant ad amplissimam materiam de horis canonicis. proponam autem difficultates sub varijs quæsitis.

Cõpositio ista locum habet, quãdo ob omissionem horarum Beneficiarius tenebatur restituere.

9 Quæres primò, an Beneficiarius, qui inculpabiliter omittit horas, teneatur ad restitutionem?

Respondeo Beneficiarium, qui inculpabiliter omittit horas vel ob infirmitatem, aut obliuionem inuincibilem, aut aliud quodcumque legitimum impedimentum, ad nullam teneri restitutionẽ, & per consequens compositione minimè indigere. sic communiter Doctores contra paucos quosdam, qui volunt, etiamsi absque culpa omittãtur, esse restituendos fructus: sed conclusionem inter alios defendit *Suarez lib.4. cit. c. 30. num. 15. 16. Lessius lib.2. cap.33. num. 176. & 181. Bonacina De horis canonicis d. 1. quæst. 5. p. 1. num. 4. apud Bartholomæum à S. Fausto vt supra, quæst. 282.* & probatur, nam quia *in Constitutione Pij* expressè statuitur, obligationem hanc esse, quando Beneficiarius officium non recitauit, nisi legitimo impedimento fuerit impeditus, dictio enim illa, nisi, suapte natura exceptionẽ trahit; & ideo in verbis relatis habet hunc sensum, quod posito legitimo impedimẽto cesset restituendi obligatio, & facit sẽsum hypotheticum, seu coniunctum ex duplici propositione affirmatiua, & negatiua, quæ sic exponi poterit: Beneficiarij omittentes recitare, tenentur fructus restituere; at dum legitimum habent impedimentum, non tenentur; tum etiam quia cum hæc restitutio sit quædam pœna,

Beneficiarius inculpabiliter omittens horas non indiget compositione.

na, locum non habet, vbi nulla est culpa.

10 *Instantia occurrit.* Sed dices. Qui omittit recitare horas, non præstat obsequium, ob quod dantur ei fructus beneficij: ergo, si illos percepit, tenebitur restituere. probatur consequentia, nam restitutio ista non solùm ponitur vt pœna, sed vt conditio, sub qua dantur fructus.

Solutio. Respondeo negando, fructus beneficij assignari sub conditione recitandi horas, cum dentur solùm sub modo, seu onere recitandi: & ideo est absoluta donatio, quamuis onerosa, ex quo sequitur, quod omittens culpabiliter recitare, quamuis grauiter peccet; tamen facit fructus suos sine obligatione restituendi: at si omittat absque graui culpa, nullum resultabit onus restituendi tum quoad fructus bona fide consumptos, ex quibus locupletior non est factus, tum quoad reliquos omnes, vt rectè notauit *Suarez num. 16. citato*. dixi absque graui culpa, nam, si quis omittat, quia obliuiscitur, & obliuio non sit omnino inuincibilis, sed sit venialiter culpabilis, non erit Beneficiarius ad aliquam restitutionem obligandus ob leuem illã culpam.

11 *Beneficiarium non obligari ad restitutionem, si voluntariè distractus recitauerit horas, autumãt aliqui.* Quæres secundo, an recitans voluntariè distractus sit restitutioni obnoxius? Respondeo, non deesse Authores, qui eximãt Beneficiarium ab onere restituẽdi, si recitet horas voluntariè distractus. ita *Medina. c. De oratione quæst. 26. Toletus in summa lib. 2. cap. 12. nu. 6. in quarto dicto. Malderus in 2.2. tract. 10. cap. 2. dub. 4. ver. Tertia itaque sententia. Corduba in quæstionario lib. 4. quæst. 13. ver. Tertium dictum est, in fine eiusdem quæstionis*: & fauet huic opinioni *Henriquez lib. 9. c. 25. num. 5.* dicens, raro esse obligandos Beneficiarios recitantes absque attentione. probabilem hanc sententiam existimat *Lessius lib. 2. cap. 37. num. 68. Azorius parte prima lib. 10. cap. 14. quæst. 8. Layman lib. 4. cap. 5. num. 10. ver. Hæc sententia non caret. Diana parte prima tract. 11. resol. 1. & alij apud ipsum.*

12 *Communior sententia est opposita, & admittitur.* Attamen communior sentẽtia est opposita, ait enim, Beneficiarios, qui ita distracti recitant, vt peccent mortaliter, obligari ad restitutionem fructuum pro rata iuxta dispositionem Pij V. hæc sententia, vt tutior, communior, & verior, est amplectenda, quamuis prima sit probabilis, & benignior. probatur conclusio per singula: & esse tutiorem, de se est manifestum, quia Beneficiarius restituendo fructus, aut super illis se componẽdo nulli peccandi periculo se exponit, neque exercet actionem malam, etiã materialiter, sed honestam: esse autem communiorẽ, etiam patet; nam illam tuentur grauissimi, & plures, quàm sint fautores alterius opinionis: eam autem sequuntur *Nauarrus cap. 20. De oratione num. 32. Suarez tom. 2. De relig. lib. 4. cap. 26. num. 26. ver. Dico tertio. Vazquez opusculo De benefic. 4. §. 1. dub. 4. n. 104. & quamplurimi apud Dianam loco cit.* esse autem veriorem hanc secundam opinionem, suadetur ex eo, quod Ecclesia, dum præcipit recitationem horarum, non præcipit solùm illam lectionem Psalmorum, &c. sed orationem, per quam Deus colatur; oratio autem cum voluntaria distractione non subsistit: & hoc apertè colligitur *ex cap. dolentes De celebr. Miss.* vbi imperatur, officium Diuinum esse deuotè, & attentè persoluendum. neque obstat fundamẽtum, cui maior aduersariorum pars nititur, nẽpè actus internos non subijci iurisdictioni Ecclesiæ; nam licèt directè hoc verum sit, tamen falsum est, si loquamur de iurisdictione indirecta, potest enim Ecclesia præcipere actum internum, vt circũstantiam, seu formam actus externi, & quia attẽtio, saltem virtualis, est circumstantia, aut forma orationis externæ vocalis, ideo sub hac ratione poterit interna attentio cadere sub Ecclesiæ præceptum; sicuti & in alijs similibus. nã Ecclesia præcipit annuam confessionem verã, & non fictam, seu facrilegam; vera autem confessio requirit actum doloris internũ, sine quo inualida erit confessio: *& in Clemen. 1. De Hæreticis §. verum* prohibet Ecclesia sub pœna excommunicationis, ne Inquisitores ex odio, vel ex amore procedant, aut omittant procedere in rebus proprij officij: & sic prohibetur, & ponitur tum externus, tũ internus actus. præterea Pontifex sub pœna excommunicationis prohibet in Bulla cœnæ quamcũque hæresim, quæ vt huic pœnæ subiecta inuoluit vtrumque actum; nam per hæresim exteriùs prolatã sine errore interno non incurritur excommunicatio; & sic in alijs similibus. ex his igitur rectè inferre possumus, actum internum indirectè vt circumstantiam, aut formam actus externi subdi Ecclesiæ iurisdictioni.

Quæres tertio, an officiũ vno die omissum, possit suppleri altera die: & sic omittens liberari ab onere restituẽdi. 13

Respõdeo. Qui omittit hodiernum officium, & cras illud recitet duplicatum, nempe vnum pro die crastino, aliud verò pro illo, quod fuit omissum hodie, excusari à restitutione fructuum, putauit *Suar. lib. 4. De horis canonicis cap. 29. num. 11. Filliuc. tract. 23. cap. 10. n. 307. & alij apud Henriquez loco mox citando.* *Benef.iari excusãtur restitution. si officium, q hodie omiserat recitauerit iuxta aliquorum opin.*

Sed communis sententia oppositum docet, videlicet per tale supplementum 14

non

non excusari Beneficiarium à restitutione. *ita Henriquez lib. 13. num. secundo Petrus Nauarra lib. primo De restit. cap. 2. num. 180. Aragonius in secunda secunda S. Thomæ quæst. 83. art. 15. Bartholomæus à S. Fausto De horis canonicis quæst. 280.* & alij. & cum hac sententia est dicendum, nempe Beneficiarium, si omittat vno die officium sine legitimo impedimento, nō solùm grauiter peccare, quod omnes affirmant, verùm etiam obligandum esse ad restitutionem pro rata fructuum iuxta dispositionem Pij V. probatur primo, quia tum *in Concilio illo Lateranensi*, tum *in Constitutione Pij* statuitur, Beneficiarium, qui non recitat suo tempore, &c. non facere fructus suos. per illa autem verba, *suo tempore*, designatur obligatio recitandi, etiam quoad tempus determinatum; proinde eo tempore transacto, quamuis recitetur, semper erit verum dicere, non fuisse recitatum suo tempore, atque adeo Beneficiarium non fecisse fructus suos.

Oppositum ... cum alijs est ... omittendū.

15 Probatur secundo à pari, quia sicuti obligatio satisfaciendi præcepto Ecclesiæ, præscindendo ab obligatione restituendi, non adimpletur per recitationem factam altero die; ita etiam per eamdem recitationem non tollitur obligatio ipsa restituendi, quæ eodem modo est intelligenda, quo intelligitur obligatio satisfaciendi præcepto ecclesiastico.

16 *Obiectio in fauorem primæ opinionis.*

Sed pro contraria sentētia vrgere quis posset: sicuti Cappellanus nō celebrans hodie, quo tenetur celebrare, si celebret cras, satisfacit suæ obligationi, & ad nullā tenetur restitutionē, ex eo præcisè, quod hodie non recitauit, si cras recitet, satisfaciet absque vllo onere restituendi; par enim ratio videtur inter vtramque obligationē: & confirmatur, nā recitatio crastina æqualis est recitationi hodiernæ, & ideo videtur fieri posse compositio.

17 *Diluitur obiectio à Bartholomæo à S. Fausto, at non plenè soluitur difficultas.*

Respondeo negando paritatem, quia obligatio celebrandi Sacrum nō est onus affixū diei, ita vt, die trāsacto, pereat obligatio; at officij est onus diei. sic respōdet ad hanc instantiā *Bartholomæus à S. Fausto loco citato*: at respōsio licèt sit vera, adhuc tamen manet difficultas, & ideo, nisi aliud addatur, non satisfacit: nā posset arguens vlterius instare probando ita esse affixam diei celebrationem Missæ, sicuti recitationē officii: & ideo, trāsacto die, vel vtraque cessabit, vel vtraque remanebit, & per consequens quemadmodum per Sacrum crastino die celebratū censetur satisfieri obligationi; ita & per recitationē officij.

18 Cæterum respondeo, inter vtrumque onus disparitatē esse prouenientē à caussa instituente: nā qui instituit beneficiū cum onere singulis diebus celebrandi, primo, & per se respectū habuit ad vtilitatē spiritualē, quæ oritur ex celebratione, ideoq; cū vtilitas ista, etiā per celebrationē, quæ fit altera die, haberi possit, semper manebit onus celebrandi: at obligatio recitādi officiū non est onus impositum ab instituente, sed ab Ecclesia per leges vniuersales; eoenim ipso, quod quis beneficiū ecclesiasticum habet, saltem competens, onus habet recitādi, vt rectè probat *Suar. lib. citato cap. 18.* ex varijs iuribus, & efficaciùs *ex prædicto Concilio Lateranensi*. & sic dicitur beneficium esse propter officiū, & ita est cōmunis omniū consensus, & traditio in Ecclesia, idcirco on⁹ recitandi non dependet à voluntate instituentis, quia, instituto beneficio, eoque adepto, tenebitur Beneficiarius ex præcepto Ecclesiæ ad recitandū, à quo non poterit eximi ab ipso instituente; Ecclesia autē in huius oneris impositione primo, & per se respectū habuit ad cultū Diuinū qualibet die exercendū: & sic cuilibet diei affigere voluit onus recitandi: at celebratio cū dependeat à mera, & simplici voluntate ipsius instituentis, ita vt possit ex toto, vel ex parte eximere Beneficiarium ab onere Missarum, in quarum impositione primo, & per se propria, vel alterius viui, aut defuncti commodum spiritnale respiciat; q; æquè benè caussatur à Sacro celebrato hodie, aut altera die; idcirco non est par ratio de obligatione celebrandi, & obligatione recitandi horas: & hæc est ordinaria intentio instituētis, quæ erit præsumenda, dum aliud non constat, si verò ponatur casus, in quo voluntas instituentis in impositione Missarū sit dies affixa, tunc erit par ratio de celebratione, & recitatione; & ideo sicuti, die transacto, recitatio suppleri nequit, ita similiter erit celebratio cum obligatione restituendi, &c.

Plenè satisfit obiectioni.

Ad confirmationem respondeo, quod quāuis officiū vnius diei secundū se spectatū æquiualeat officio alterius diei secundum intrinseca, non autem sic erit secundū extrinseca, quia vnū licèt æquale poterit esse onus affixum diei, non autem alterum. 19

Quæres quarto. Vtrū in distributionib⁹ locum habeat cōpositio, quādo quis non assistit choro, dū debet assistere: & hoc nō obstante, percipit distributiones, an valeat super illis se componere. 20

Respondeo negatiuè. ita docet *Emmanuel Rodriquez in explicatione huius Bullæ casu 1. dubit. 2. num. 16. Henriq. lib. 7. cap. 36. num. 3. Villalobos tract. 29. num.* 21

In distributionibus vix non habet cōpositio.

num.20. Trullench in eodem casu num. 5. Cardinalis de Lugo num. 112. Turrianus De iustit. d. 41. dub. 3. num. 6. & alij: & ratio est manifesta, quia distributiones ob absentiam vnius ex ijs, qui debent assistere, & esse præsentes, accrescunt alijs, qui assistunt, & cum sint certæ, nequit super his distributionibus fieri compositio: idē est asserendum de fructibus perceptis ab ijs, qui non resident, quando residere tenentur. sic *Rodriquez, Henriquez, Trullench, de Lugo num. 113. & alij apud ipsos.* & ratio est eadem, quia creditor est certus.

SECTIO III.

De compositione super fructibus ex beneficio illegitimè obtento, & super fructibus ab excommunicato perceptis.

HI sunt duo alij casus, quos considerandos proposuimus spectantes
22 ad beneficia, & reditus ecclesiasticos.

Primus autem casus accidit, dum quis absque legitimo titulo beneficium ecclesiasticum recipit. V. G. si quis ætatem in iure requisitam non habeat, si natus sit ex illegitimo toro, si sit excommunicatus, aut alia censura innodatus, & fructus ex eodem beneficio percipiat: quærimus, an compositio virtute Cruciatæ fieri possit.

23 *Obtinens beneficium absque legitimo titulo debet statim illud renunciare.*

Dicendum est primo. Obtinēs beneficium absque legitimo titulo tenetur statim illud renuntiare, & pariter tenetur omnes fructus perceptos restituere: nam posita inualiditate adeptionis, non facit fructus suos: at si bona fide aliquos fructus consumpserit, non tenetur eos restituere, sed solùm tenetur restituere id, in quo ditior est factus.

24 *Adeptio beneficij irrita nequit per hanc Bullam validari.*

Dicendum est secundo. Virtute Cruciatæ nequit validari, si collatio, seu adeptio beneficij priùs fuerunt irritæ. certa est conclusio: nam in Bulla nulla talis datur facultas, vt notat *Rodriquez num. 16. ver. Nota, che.*

25 *Est dubitatio, an locū habeat compositio.* *Negatiuam tuetur de Lugo.*

Dicendum est tertio. Dubitatio aliqua est, an super fructibus perceptis, non obstante inualida adeptione beneficij, sit facultas componendi. negat *Cardinalis de Lugo num. 113. in illa disp. 21. sect. 7.* & fundatur in hoc, quia licèt in fine huius Bullæ, nempe in paragrapho 19. apponatur clausula generalis, per quam conceditur compositio super omnibꝰ malè acquisitis; tamē, vt ibi notatur, id intelligi debet, quando ignoratur ille, cui restitutio est facienda: at fructus ex beneficio accepto absque titulo canonico vel debentur Ecclesiæ, in qua est beneficium, vel successori; & sic compositio non habebit locum, vt affirmat *Nauarrus De spolijs §. 12. num. 2. Rodriquez loco citato, Trullench in expositione secundi casus num. 10. 11. Ludouicus à Cruce disp. 3. dub. 7. num. 3.* & ratio pro hac sententia affirmatiua est, quia, antequam Ecclesiæ fructus applicentur, vel instituatur successor, fructus illi immediatè dependent à dispositione summi Pontificis, qui concedit Commissario, vt possit admittere ad hanc compositionem eos, qui non obstante titulo inualido, malè perceperunt fructus.

Vtraque sententia est probabilis; & cum secunda plures habeat patronos, poterit tuta conscientia deduci in praxim, quia facultas Commissario concessa est ampla, extenditurque ad quæcumque illicitè, & male habita, vt patet ex ipsomet contextu in Bulla originali, & in vltimo casu expresso in Bulla compositionis, vbi ponitur quædam generalitas cōplectens etiam alios casus non expressos in ipsa Bulla, vt enim notat *Alphonsus de Lara in compendio trium gratiarum lib. 1. fol. 46.* in margine post declarationem prædictorum decem, & nouem casuum enumerantur casus prædicti explicitè, quia frequentiùs contingere solent: nec obstat limitatio ibidem posita, videlicet nisi Dominus sit certus, & in casu, de quo agimus, videatur certus, nempè Ecclesia, in qua est beneficium, vel successor in eodem beneficio; ac proinde non videtur Beneficiarius non legitimè electus se eximere ab onere restituendi fructus faciendo compositionem, quod est fundamentum, cui initur *Cardinalis de Lugo*, nam respondere possumus, Ecclesiam, seu successorem, aut quemcumque alium non habere ius ad prædictos fructus, nisi dependenter à voluntate Pontificis; & nisi de illis ab eodem Pontifice fuerit dispositum. igitur ex hoc capite prædicta certitudo non obstabit; quia fieri validè possit compositio; 26 *Secunda sententia in praxi tutior, & sequenda.*

Sed dices. Fructus obuenientes tempore, quo beneficium vacat, pleno iure acquisiti sunt successori, vt patet ex Constitutione *Iulij III.* quæ incipit, *cum sicut nobis nuper*, & extat *in primo tomo Bullarij*, & in ordine est septima, de qua præter alios agit *Quaranta in Bullario verb. Spolium, initio.* ergo idem erit dicendum de fructibus exactis ab eo, qui illegitimè beneficium acquisiuit. 27 *Obiectio.*

Respōdeo. Quidquid sit de antecedēte, nam iuxta varias consuetudines locorū, & 28 *Respondeo.*

Variæ cōsuetudines sunt applicādi fructus beneficij vacantis.

& diuersa Decreta Pontificia, in quibusdam regionibus, vbi est Collector Cameræ Apostolicæ, fructus non exacti pertinent ad Cameram Apostolicam: in quibusdam alijs locis diuiduntur inter hæredem Beneficiarij defuncti, & successorem in beneficio: in quibusdam alijs omnes hi fructus non percepti reseruantur successori. de qua re, si quis plura desiderat, legere poterit *Consilia eruditissimi Don. Francisci Salerni* in Sacra Theologia, & Iure Canonico Doctoris præclarissimi, Canonici Panormitani, Prioris S. Laurētij, & Philippi Argyrēsis, Protonotarij Apostolici, ac denique benemerentissimi Vicarij Generalis huius nostræ Panormitanæ Diœcesis, legere, inquā, poterit *in 1. libro Cōsil. 50.* in quo de re hac fusè disserit. quidquid sit autem de antecedente, neganda est paritas, quia in primo casu beneficium omni modo vacat, nempe de iure, & de facto; in secūdo autem casu solùm de iure; non autem de facto; & ideo placuit Pontifici concedere compositionem super fructibus in hoc; non autem in illo casu. si autem, qui absque legitimo titulo beneficium recepit, ei postea de nouo canonicè idem beneficium conferatur, tunc omnes fructus perceptos poterit sibi retinere in illis locis, in quibus successori in eodē beneficio sunt restituendi: & in hoc non est controuersia, illudque docent Authores citati.

Disparitas inter casum positum in obiectione, & eum, de quo hic agitur.

29 Quæres. An idem sit dicendum de fructibus perceptis ab eo, qui carens ordine necessario ad aliquod beneficiū, illudque acquirens habet intentionē nō recipiēdi ordinē illum tempore debito: nam iuxta *legem canonicam in cap. cōmissa De Elect. in 6.* debet restituere omnes fructus exactos pro toto eo tēpore, quo perstitit in illa intentione non sumendi ordinē illū.

Respondeo, idem esse dicendum: & sic asserunt *Ludouicus à Cruce dub. cit. nu. 5. Trullench in fine expositionis secūdi casus. at Cardinalis de Lugo* cohærenter id negat: & hæc de primo casu in hac sectione præposito.

30 Secundus casus est, quando Beneficiarius legitimè possidēs beneficium excōmunicatur, & non obstante excommunicatione, percipit fructus beneficij, & negligit obtinere absolutionem à censura: tunc, vt colligitur *ex cap. Pastoralis in fine De appell.* amittit fructus durante excommunicatione: in hoc autem casu Pōtifex concedit compositionem; sed dicēdum est, decisionem istā procedere iuxta opinionem eorum, qui dicunt, excommunicatum non posse fructus retinere, etiam si legitimo titulo beneficium possideat, & recitet officiū. quā opinionē tuetur *Nauar. in Manuali cap. 25. num. 124.* & similiter *Suarez De censuris disp. 13. sect. 2. Toletus lib. 1. cap. 13. Filliuc. tom. 1. tract. 12. cap. 5. num. 129. Couarr. lib. 3. var. cap. 13. num. 8. & alij*: at quia opposita sētentia est valde probabilis, videlicet non priuari fructuum exactione, nisi post latā sententiam, vt asserunt *Aegidius Conin. De cens. d. 14. dub. 9. num. 81. Gaspar Hurtado De excom. disp. 6. diffic. 1. num. 2. Bonac. De cens. disp. 2. quæst. 2. punct. 4. §. 2. num. 2. Vasq. De benef. cap. 4. §. 3. dub. 4. num. 229. & alij.* qui in hanc deueniunt sententiam, dummodo excommunicatus siue per se, siue per alium præstet omnia, quæ ad suum officiū pertinent, adeoque iuxta hāc sententiā non erit excommunicato necessaria compositio, saltem ante sententiam latam.

Secūdus cas⁹. excommunicato possidēti beneficium nō videtur necessaria compositio.

Ad caput autē illud, *Pastoralis*, respondent, sermonem non esse de priuatione fructuum ipso facto incurrenda, sed solū de condignitate pœnæ, nempè de amissione fructuum, quibus excommunicat⁹ priuari mereretur; idcirco loquutionem esse de priuatione post latam sententiam. igitur iuxta hanc opinionē nulla erit necessitas cōpositionis. sed cum prima opinio sit tutior, & à grauib⁹ patronis defendatur, poterit excommunicatus ad maiorem cautelam compositionem quærere. 31

Tutius est illā quærere, etiamsi probabile sit, non esse necessariam.

CAPVT IV.

De quibusdam casibus, in quibus non potest fieri compositio super bonis ecclesiasticis.

NOnnulli à Doctoribus assignantur casus, in quibus non conceditur compositio.

Primus antem casus est circa quotidianas distributiones: si enim Canonicus nō assistat in choro, dum celebrātur Diuina officia, pro quibus distributiones assignatæ sunt, tunc Canonicus ille Ecclesiæ Cathedralis, siue Collegialis nequit se componere, quia distributiones illæ non cedunt in vtilitatem pauperum, neque applicantur fabricæ Ecclesiæ, sed accrescūt alijs Canonicis, inter quos diuiduntur: & ideo cum creditor sit certus, locum non habet compositio. sic *Henriquez lib. 7. capit. 36. §. 3. Rodriquez in Bull. composit. explicando primum casum dubitat. 2. Ludouicus à Cruce in eadem Bulla disp. 3. dub. 8.* 1

Non datur cōpositio circa quotidianas distributiones canon.

Secundus casus est ob defectū residentiæ: si enim quis non residet in suo beneficio residentiam postulante, tunc compositio 2

Neque si Beneficiatus nō resideat, cum tenetur.

positio non erit licita super fructibus beneficij, sic statuitur *cap. conquerente de cler. non resid.* & nouissimè statuitur *à Tridentino sess.* 23. *cap.* 1. *de reformat.* excipitur tamen tempus illud, quo permittitur à iure absentia à loco beneficij, & pariter excipiuntur causæ, pro quibus licita est absentia.

3 *Neq; de fructibus perceptis ex pluribus beneficijs incompatibilibus.*

Tertius casus ponitur à *Ludouico à Cruce dub. cit.* videlicet quando quis percipit fructus ex pluribus beneficijs incōpatibilibus; tunc enim nequit Beneficiarius iste acquirere fructus omnium horũ beneficiorum, & ideo non poterit frui priuilegio compositionis; & sic respondisse Commissarium Cruciatæ, testatur *ipse Ludouicus*, quam sententiam confirmat tum ex iure canonico, tum auctoritate aliorum Doctorum: huius autẽ opinionis fundamentum desumitur ex eo quod possidens duo incompatibilia beneficia, necesse sit, vt ab alterutro absit, & consequenter ratione huius absentiæ nequit facere suos fructus vtriusque beneficij, sed solùm sibi acquiret fructus illius beneficij, in quo residet.

4 *Peculiares duo casus, qui Panormi possunt euuenire.*

Præter hos autem, duos alios casus particulares ego proponam, qui accidere possunt hic Panormi: & habentur in Bulla edita à *Clemente VIII. super reformat. Parochiarum* eiusdem Vrbis, & quæ promulgata fuit tempore Eminentissimi Ioannettini ab Auria Cardinalis S. Ecclesiæ, & Archiepiscopi Panormitani. disponit autem Pontifex in ea Bulla, primo versus medium, quod si aliquis ex Parochis, Cappellanis, &c. qui stipendium sufficiens accipiunt à Magistratu eiusdem Vrbis pro administratione Sacramentorum, aliorumque munerum; si aliquis, inquam, ex Parochis, &c. aliquid petierit, extorserit, & etiam à spōtè dantibus receperit pro administratione Sacramentorum, vel sepulturæ, excepto eo, quod sibi expressè permittitur, non faciat suum, sed teneatur illud integrè restituere, si excedat duos tarenos, ei, à quo receptum fuit, aut teneatur restituere pauperibus, & ipse recipiens non possit illud, quod recepit, sibi tanquam pauperi appropriare, nec per Bullam Cruciatæ se componere, &c. nullo modo possit illud sibi retinere, etiam habita remissione à donatore: & demum, neque longissima consuetudine possit contrariũ præscribi. secundo statuitur versus finem, quod si Rectores, & Cappellani Parochiarum, quemadmodum & Magister Cappellanus maioris Ecclesiæ in suis muneribus valdè negligentes fuerint cum graui animarum, & præsertim infirmorum periculo, atque populorum scandalo ob notabilem negligẽtiam positam in exercendis proprijs muneribus, vel in aliquo ex illis, etiam semel, amittant medietatẽ cẽsus vnius diei ipsis Parochis, & Cappellanis assignati, & qui bis eodem die in hoc deliquerit, integrum censum illius diei eo ipso statim amittat in foro cōscientiæ; & cum teneatur pauperibus integrè erogare, & illum suum facere non possit; & quod plus est, neque tamquam pauperi sibi retinere: & demum, neque possit se componere prætextu Bullæ Cruciatæ, & alijs pœnis imponendis puniatur. Hæc ex illa Clementis adnotare opere pretiũ duxi.

CAPVT V.

De compositione super legatis, & inuentis.

Compositio super legatis ponitur in secundo, & tertio paragrapho huius paruæ Bullæ: & de his in præsentia nobis erit agendum.

SECTIO I.

Declarantur conditiones requisitæ ad compositionem super legatis.

Dico primo. Facultas ista intelligitur de legatis, quæ relicta sunt à testatore pro malè ablatis, non autem intelligitur de legatis pro alijs causis. concedit igitur Pontifex, posse hæredem se cōponere virtute Cruciatæ in medietate quãtitatis legatæ. V. G. sit legatum centum aureorum alicui pro loco, aut pauperibus relictum, compositio fieri poterit in quinquaginta. 1 *De quibus legatis sit facultas componendi.*

Dico secundo. Vt compositio ista sit licita, & vtilis ei, qui componitur, debet fieri, quando legatarius negligens fuerit per annum ad legatum petendũ, vt præscribitur in ipso textu, tum in Bulla Latina originali, tum in extracto Bullæ compositionis: annus autem iste currit à die notitiæ, quam habet legatarius de legato relicto, non autem antea: ita expressè *Sebastianus Acosta in explicat. Bullæ quæst.* 96. *& Henriquez lib.* 7. *cap.* 37. *num.* 1. & ratio id efficaciter suadet, quia, cum ad compositionem hanc requiratur, negligentiam præcessisse in legatario, & negligentia necessariò supponat notitiam in eo, qui negligit, consequens est, vt dicamus, annum hunc currere à die notitiæ, & non antea. 2 *De legatis propter malè ablata, quando, & quæ cōpositio licita sit, & vtilis.*

Sed vrgebis contra probando, compositionem hanc fieri non posse, quia cum aliquando legatarius sit notus, atq; sit creditor certus, & ius acquisierit in legatum 3

à die

à die mortis testatoris, nō videtur, posse super tale legatū fieri cōpositio; sed videtur, integrè esse soluendum ab hærede ipsi legatario.

Facultas huius compositionis fundatur in gratuita voluntate Pontificis. Respondeo, facultatem faciendi hanc compositionem non fundari in incertitudine de creditore, vt supponit arguēs, sed in mera, & gratuita liberalitate Pontificis volentis in fauorem Cruciatæ concedere remissionem medietatis legatorū prædictorum, præuia tamen conditione illa, nempè vt legatarij fuerint per annū negligentes modo explicato.

4 *Grauis circa illā difficultas proponitur.* Cæterum contra hoc grauis insurgit difficultas, quoniam legatarius cum acquisierit post testatoris mortem ius in legatum percipiēdum, nulla apparet ratio, quare Pontifex valeat mediante compositione auferre à legatario tale ius in medietate legati.

5 *Soluitur varijs modis.* Ad hoc argumentum soluendum quatuor, aut quinque inuenio apud Authores responsiones, quas breuiter tangit *Aloysius Turrianus in 2.2. S. Thomæ De iustitia disp. 41. dub. 3. n. 8. 9.* & fusiùs examinat *de Lugo disp. 21. De iustitia sect. 7. §. 1. à num.* 116. Aliqui igitur respondent, Bullam loqui de his legatis, antequam à legatarijs accepientur. verum responsio ista non plenè satisfacit, quia licèt ante acceptationem legatarius non habeat ius plenum in legatum; habet tamen aliquod ius, quo spoliari non poterit. Alij verò dicunt, id fieri posse in pœnam negligentiæ ipsorum legatariorum. sic *Henriquez lib. 7. cap. 37. num. 1.* contra, quia negligentia ista non videtur punienda adeo grauiter, nempè amissione medietatis totius legati, & præsertim, quando legatum est magnæ quantitatis, & negligentia fuit leuis. Alij recurrunt ad præscriptionem, vt videntur sentire aliqui Iuristæ *apud Couarruuiam lib. 1. var. resol. cap. 4. nu. 5.* cæterum præscriptio non datur, quando de debito, & creditore est certa notitia in eo, qui debet restituere. Alij verò aiunt, in hoc casu fieri commutationem à Pontifice ex vno opere pio in aliud: nam ipse est vniuersalis, atq; legitimus piorum operum administrator, vt expressè colligitur *ex Clemēt. quia contingit De relig. dom.* sed contra hanc responsionem posset aliquis dicere, quod licèt Summus Pontifex sit vniuersalis administrator omnium piorum operum; tamen nunquam tollit ius acquisitum alicui pio loco, vt illud in alium locum trāsferat, aut vt alteri pio operi applicet. præterea interdum legatum illud est alicui pauperi laico relictum, de cuius persona, aut bonis Pontifex administrationem non habet: & ideo ob hanc rationē *Cardinalis de Lugo* reijcit responsionem hanc, & suam ponit. dicit ergo, compositionem istam, quoad medietatem legati, dum legatarius est certus, & notus, intelligēdam esse tantùm de legatis faciendis post huius Bullæ concessionem; non autem de legatis antea factis. probat autem partem affirmatiuam tali discursu: cum legata ista sint pro debitis incertis relicta, quæ quidem debita incertitudine manente dependeant à Summi Pōtificis dispositione, qui potestatem habet applicandi debita ipsa cuicunq; pio operi, pro vt sibi placuerit, potuit consequēter, dum in tali statu erant, antequam aliquis legatarius ius acquireret, præuenire, & per Bullam Cruciatæ compositionem concedere super debitis illis incertis, ac proinde mediante tali concessione, dispositio testatoris non poterit impedire dispositionem illam factam à Pontifice. probat autem, hanc esse Pontificis mentem ex Bulla ipsa Hispana, cui conforme est extractum in sermone Italico; & notat, quod immediatè post hunc casum subijcitur ille alius de compositione circa legata, quorum legatarius non est notus, neque reperitur, & additur, compositionem fieri posse in legatis antea factis, vel faciēdis durante tempore promulgationis huius Bullæ, ex quibus verbis additis, colligit de Lugo, in præcedente casu, in quo verba illa addita minimè fuerūt, sermonem esse solùm de legatis faciendis, si enim loquutio etiā esset de legatis factis, nulla appareret ratio, cur eadē verba apposita non fuerint; & pro confirmatione sui discursus inter alia aduertit idem Author, quod dum dicitur, loquutionem esse de legatis factis post Bullæ concessionem, non intelligitur de concessione, quatenus dicit promulgationem annualem, quæ in singulis Prouincijs fit à Cōmissario, sed de ea concessione, quæ simpliciter, & primo facta est à Pontifice, quia per talem concessionem Pontifex præuenit disponendo de ipsis legatis; & hoc non solùm extenditur ad concessionem factam per sexennium, sed ad concessionem factam per primum sexennium. & hoc asserit de Lugo, ne detur fidelibus occasio errandi in vsu huius facultatis, quia communiter ignorant tempus, quo sexennium incipit: & licèt secunda concessio sit noua, & independens à prima, atque adeo videatur dicendum, Pontificem loqui de legatis factis post hoc secundum, & non antea; tamen ad tollendum periculum prædictum errandi, & quia mens Pontificis est prorogare concessionem Bullæ transacto

facto

facto sexennio; idcirco iam extunc censetur habuisse animum præueniendi voluntatem testatoris pro toto tempore sequenti. sic discurrit *de Lugo*, ex cuius doctrina colligitur, præuentionem hanc inchoatam fuisse à tẽpore Alexandri VI. qui, vt ait *Henriquez lib.7.cap.23.a.5.* fuit primus, qui Bullam compositionis Regi Catholico concessit.

6 *Reijcitur.* Cæterum discursus iste *de Lugo* Authoris alioqui doctissimi difficultatem patitur: quia, si Pontifex ius habet disponendi de bonis istis, siue præueniat, siue non præueniat, non poterit præiudicari à testatore: nam Pontifex non habet hanc potestatem sub conditione, nempè si testator non disponat, sed eam habet absolutè independenter à quacunque alia dispositione: & ideo dispositio testatoris circa bona ista nequit habere omnimodam firmitatẽ, quia imbibitam habet conditionem, scilicet nisi à Pontifice, tamquam à Summo Pastore reuocetur, & bona alteri pio operi applicentur ab eodem Pontifice, in quo residet prædictorum bonorum administratio; proinde non cogimur, ad hanc Pontificiam facultatem tuendam, interpretari casum de legatis factis post concessionem. coniectura autem illa, in qua fundatur *Cardinalis de Lugo* non videtur sufficiens. primo, quia ex eò quod in posteriori casu Põtifex se explicet concedere compositionem tum super legatis factis, tum faciendis durante promulgationis anno, non rectè infertur in præcedenti casu excludere voluisse legata antea facta, imo ea videtur includere per vniuersalem notam dicens, *super medietatem legatorum omnium propter malè ablata*. & ideo non videbatur necessitas explicitè declarandi, & distinguendi legata facta, & faciẽda; cum omnia sub signo vniuersali contineantur. secundo, quia sistendo in puris verbis non apparet in præcedẽti casu maior ratio excludendi potiùs legata antecedẽtia, quàm subsequẽtia. tertio; quia in posteriori casu sermo est de omni legatorum genere, in priori verò de vna tantùm specie, scilicet de legatis, quæ fiunt pro malè ablatis: proinde cum in posteriori casu sermo sit de omni legato, etiam temporali, & non pio, quando legatarius ignoratur, censuit Pontifex explicitè esse declarandũ, compositionem fieri posse tum de legatis antea, tum postea factis.

7 Præterea extensio illa, quam ponit *de Lugo* dicens, præuentionem ex parte Põtificis esse intelligendam post primam concessionem, non caret dubitatione, quia secunda prorogatio est verè, & propriè concessio noua sine dependentia à prima; & ideo non poterit sermo esse de legatis subsequentibus primam concessionem, & antecedentibus secundam; sed id esse intelligendum cum proportione ad quamlibet concessionem. & addo ex vi cõcessionis antecedentis minimè colligi posse, mentem Pontificis esse prorogare concessionem hanc transacto sexẽnio, & id gratis asseritur; quapropter vltima responsio, quam impugnauit *Cardinalis de Lugo* mihi videtur cæteris melior, & expeditior; atq; adeo admittẽda, eamq; colligo *ex Henriquez lib.7.cap.37.nu.2.3. & ex alijs apud ipsum*. Potestatem hanc esse in Pontifice circa legata pia, colligũt Doctores *ex Clemẽtina illa, Quia contingit De relig. dom.* quem textum fusè examinat *Moneta de commut. vlt. volun. cap.5. à num.144.* & quamplurium auctoritate confirmat. *Recipitur vltima responsio.*

SECTIO II.

De compositione super inuentis, & possessis.

IN paragrapho 14. & 15. proponitur compositio facienda super rebus inuentis, vel possessis.

Pro qua re supponendum est, inuenta esse in triplici differentia, vt innuimus initio huius tractatus *cap.1 sect.1.* nam quædam numquam sub alicui⁹ dominio fuerunt, vt sunt lapilli pretiosi, gemmæ, cæteraque mineralia, & quæ in littore maris reperiuntur, & pariter Insulæ, quæ numquam habitatorem habuerunt, aut sub dominio alicuius extiterunt, & circa ista nõ versatur compositio, quia secundùm ius commune sunt primo occupantis, nisi in aliqua regione sit ius aliquod speciale, per quod Princeps, aut Respublica ob commune bonum illius Vniuersitatis alio modo disposuerit de huiusmodi bonis. 8 *Inuenta triplicis generis.*

Alia autem sunt inuenta earum rerum, quæ aliquando sub determinatæ personæ dominio fuerunt, sed ob temporis diuturnitatem desierunt possideri; atque adeo sub nullius dominio actu manẽt; & talia sunt thesauri, de quibus idem est asserendum, ac de bonis, de quibus supra dictum est, perinde enim se habent thesauri, ac si nũquam extiterint sub alicuius dominio; proinde nõ sunt materia compositionis; sed primo inuenienti acquiruntur, nisi aliter per legem aliquam municipalem statutum sit. 9

Denique sunt aliæ res, quæ de presenti Dominum habent, sed ignoratur quis sit, & super his rebus locum habere poterit compositio, quibusdam positis conditionibus; 10

nibus; sed antequam determinemus directè casum, aduertendum est, bona ista tertij generis esse etiam in multiplici differentia, & iuxta diuersitatem, quam inuoluunt, diuerso modo de illis determinandum in ordine ad compositionem vi Cruciatæ faciendam: quædam enim ex huiusmodi bonis inuentis sunt animata se loco mouentia, vt sunt iumenta, Boues, Pecudes & similia, quæ in Hispaniarum Regnis appellantur, Mostrecos: quædam verò tum à se ipsis, sed ab alio mouentur ex vno in alium locum; & talia sunt vestes, pecuniæ: quædam denique ex his sunt deperdita in naufragio, vocanturque bona naufragantium, & alia ex his sunt, quæ sunt deperdita, & non per naufragium. his præmissis.

Distinguuntur inuenta tertij generis etiā multipliciter.

11 *De inuentis, quorum Dominus ignoratur, tutius est se componere.*

Dico primo. Si quis inueniat res, quæ sunt sub dominio alicuius, qui ignoratur, exhibita diligentia sufficienti ad Dominum agnoscendum, licèt sit valdè probabile, posse ab ipso inuentore bona illa retineri absque vlla compositione; tamē, quia communior est sententia, bona illa esse in pauperes distribuenda, idcirco hanc sequendo opinionem, poterit inuentor se componere ad maiorem cautelam. vnum hic est aduertendum, quod si inuentor amplecti voluerit sentētiam, quæ asserit, bona ista ab inuētore retineri posse, si postea compareat verus Dominus, deberet bona illa ipsi Domino restituere, nisi sint legitimè præscripta per vsucapionem, & non poterit sequi sententiam illam, de qua supra egimus, videlicet bona ista, etiam comparente Domino, retineri posse, quia sententia ista locum habet, quando fit compositio, per quam Pontifex soluta parte bonorum in fauorem Cruciatæ partem aliam remittit possessori; & hoc vi potestatis, quam habet in bonis incertis, quam potestatem non habens inuentor non poterit, comparente Domino, bona illa sibi retinere, nisi transactum sit tempus præscriptionis, & concurrerint conditiones ad præscriptionem, seu vsucapionem requisitæ.

Si sibi retineat, debet posse cōparentis vero Domino restituere.

12 *De bonis naufragantium non datur cōpositio.*

Dico secundo. Si bona perdita sint in naufragio, nequit inuentor illa retinere, aut super illis se componere, vt aduertit *Trullench in casu 14. citato num. 15.* & ratio est, quia in iure prohibitum est talium bonorum vsurpatio, lata enim est excommunicatio in Bulla cœnæ, quæ excommunicatio est Pontifici reseruata, & lata etiam est contra tales vsurpantes alia excommunicatio non reseruata, *Cap. excommunicationi De raptoribus.* debet igitur bona ista cōsignare Ordinario loci, cuius munus est de illis disponere, *vt docet Trullench num. 15. citato.* de hoc autem multa essent dicenda, quæ tanquam in loco proprio discutiuntur in expositione Bullæ cœnæ, ad quam lectorem remitto. & hoc quoad inuenta, de quibus in paragrapho decimo quinto est sermo.

13 *De possessis, quorum Dominus diligenter requisitus non exstat, cōpositio conceditur.*

Dico tertio. Potest fieri compositio super possessis, siue iustè, siue iniustè habita sint. sic *ex Rodriquez in explicatione huius Bullæ dubit. 1. num. 2. & in declaratione huius casus decimi quinti num. 75.* vbi vniuersaliter docet, in omnibus, in quibus obligat restitutio, fieri posse compositionem, si Dominus, adhibita requisita indagine, non compareat, & sit ignotus. V.G. si Titius deposuit centum aureos penes Sortem, & postea moriatur, & nullus inueniatur hæres, centum illi aurei pauperibus sunt erogandi, sed beneficio Bullæ poterit Sortes se componere super his licitè habitis, vel si per furtum, aut vsuras aliquid habuerit, poterit eodem modo adiuuari beneficio compositionis. & hæc satis sint de compositione.

SECTIO III.

An hæres defuncti valeat se componere super debitis, pro quibus defunctus, dum viuebat, validè se composuisset?

AD maiorem huius quæsiti declarationem varios distinguere oportet casus iuxta qualitatem debitorum, nempè certorum, aut incertorum.

14 *Hæres potest se componere de bonis, de quibus poterat defunctus.*

Dicendum est primo. Si defunctus nonnulla habebat debita, & quia Dominus ignorabatur, potuisset iuuari beneficio cōpositionis; at non se composuit: hoc non obstante, poterit hæres huius defuncti frui compositione, si adhuc maneat illa incertitudo de vero Domino, & non sit spes, vt compareat post adhibitam requisitam inuestigationem. ratio huius conclusionis est, quia post acceptam hæreditatem debita illa effecta sunt propria ipsius hæredis: & ideo sicuti super illis poterat locum habere compositio, dum defunctus viuebat; ita poterit eius hæres.

15 *Non tamen super legatis factis a defuncto ad cōscientiam exoluendam.*

Dicendum est secundo. Facta dispositione, per quam defunctus ad suam exonerandam conscientiam aliqua fecit legata loco pio determinato, aut pauperibus signatis, non potest, absolutè loquendo, super istis legatis se cōponere, quia sequuta morte testatoris, locus pius, aut pauperes illi ius acquisierunt, & huic iuri noluit Pontifex præiudicare; atque adeo

adeo super his legatis compositionem non cõcessit. dixi, absolutè loquẽdo: nam si legatarius per annum negligens fuerit ad legatum petendum, poterit hæres compositione vti super medietate, vt supra dictum est, & benè notauit *Cardinalis de Lugo in illa sectione num.* 142.

16 *Obiectum.* Sed contra dices primo, moram vnius diei supra annum non videri tam grauem culpam, vt legatarius priuandus sit medietate legati; secundo, modum istum videri fraudibus subiici, quia hæres tergiuersãdo poterit sinere, elabi annum, vt postea se componat super medietate legati; & sic fraus illi patrocinabitur: tertio, non posse explicari, quæ, & quanta esse debeat negligentia ista legatarij, vt in talem pœnam incurrat.

17 *Mora legatarij requisita, ad hoc vt hæres se componat, quanta sit.* Respondeo ad primum, moram requisitam, ad hoc, vt hæres acquirat ius ad se componendum, non esse vnius diei, vt asserit arguens, sed vnius diei supra annum, seu esse moram vnius anni addito vno die; proinde non erit sumendus vnus ille dies præcisus ab anno, sed coniunctus cum anno, cum quo indiuisibiliter constituit moram notabilem. simile huic accidit in furto, cuius quantitas notabilis, & sufficiens est ad peccatũ mortale. supponamus E. C. esse quatuor realia; si quis autem furetur totam quantitatem infra quatuor realia, non censebitur, ex hypothesi facta, committere grauem culpam, quamuis vnus dumtaxat obolus deficiat à quatuor realibus: si verò addatur obolus, statim habebim' quantitatem sufficientem ad peccatũ lethale; ex hoc autem malè quis argumentaretur probãs, vnum obolum esse leuem materiã, quoniam fallaciter procederet sumens obolum seiunctum ab alia quantitate: sic in casu nostro, non debemus spectare solum illum diem per vsum, sed vt componentem tempus notabile cum anno præcedente.

18 *Hæres non potest positiuè occultare legatũ, sed negatiuè se habere.* Ad secundum nego, modum prædictum, si rectè intelligatur, esse fraudibus subiectum: nam hæres nequit tergiuersationibus positiuis vti ad occultandum legatum, sed iure suo poterit negatiuè se habere; & ideo à die notitiæ, si annus currat in præiudicium legatarij, erit ipsi legatario imputandum, cum per ipsum, & non per hæredem stet, ne legatum soluatur; proinde elapso annô à die notitiæ non fraus, sed ius Pontificium patrocinatur hæredi.

19 *Quæ, et quãta debeat esse negligentia legatarij, benè explicatur.* Ad tertium respondeo, negligentiam, ob quam legatarius incurrat prædictam pœnam quoad quantitatem durationis debere esse eam, quæ ponitur in hac Bulla, nempe per annum integrè elapsum; quoad eius verò qualitatem, licèt non explicetur in Bulla; tamen esse intelligendam, vt reddat culpabilem ipsum legatarium: nam, etiam si ipse notitiam habeat legati, & ob distantiam loci, vel ob aliud legitimum impedimẽtum nequeat illud petere ab hærede, non incurret pœnam, & si hæredi constet impedimentum in foro conscientiæ, non poterit hac vti compositione.

Dicendum est tertio, dubitationem esse, si debitum sit certum, quod euenit, quando consistit in fructibus alicuius beneficij malè perceptis ob defectum legitimi tituli, vel ob omissionem culpabilem horarum canonicarum, dubitationem, inquam, esse, ân hæres possit adiuuari compositione super his fructibus, ratio autem dubitandi est, quia debitum istud est certum, & determinatæ personæ secũdum iura fructus sunt restituendi, nempe illi, ad quam pertinerent, si Beneficiarius defunctus eos nõ percepisset; & ideo *Cardinalis de Lugo* merito dubitat, an hæres possit super his fructibus frui Bulla ista in ordine ad compositionem, quia compositio pro debitis certis non videtur esse concessa, nisi illi, qui talia contraxit debita. tandem concludit in fine illius sectionis, standum esse praxi, & Commissarij Generalis declarationi. 20 *Si debitum defuncti sit certũ, an possit hæres de illo se componere.*

Verumtamen, licèt in hac re verè sit difficultas, & sit ambiguitas, vt certo aliquid statuere valeamus; nihilominus vsque dum aliud non occurat, aut aliquid à Commissario declaretur pro parte negatiua, mihi videtur probabiliter dicendum, hæredem etiam super *his fructibus* exactis se vtiliter componere, quia vi illius perceptionis Beneficiarius, quamuis malè exegerit fructus; tamen sibi incorporauit, licèt remaneat obligatus ad eos restituendos illi personæ, ad quam attinerent, nisi exacti minimè fuissent: proinde bona temporalia defuncti transeunt sub tali onere in heredem. neque obstat, esse debitum certum: nam est talis cõditionis, vt ius in illud transeat dependenter à dispositione voluntaria Pontificis, & non apparet solidum fundamentum, cur dicamus, quod Bulla ista pro debitis certis solùm suffragetur ei, qui immediatè talia debita contraxit, & non hæredibus, vt communiter dicimus loquentes de debitis incertis: neque ex verbis Bullæ id sufficienter colligi poterit: nam & si in paragrapho secundo, in quo agitur de compositione super his fructibus, sermo dirigatur ad eum, qui malè percepit, & qui debitum contraxit; 21 *Opinio Authoris affirmatiua explicatur.* *Non est maior ratio, cur Bulla suffragetur ei, qui immediatè debita cõtraxit, & non hæredi.*

tamen

tamen id fit, quia obligatio restituendi immediatè primo, & per se fundatur in tali persona, & ab ea in hæredes deriuatur. & hoc confirmo, quoniam in alijs paragraphis, in quibus ponũtur casus cõpositionis super debitis incertis, sermo etiã dirigitur ad eum; qui immediatè huiusmodi debita contraxit; & hoc non obstante fatemur, hæredes admitti ad compositionem super his debitis. ergo non obstante quod concessio compositionis super his fructibus malè perceptis dirigatur ad contrahentem, poterunt hæredes admitti ad compositionem.

22 Pro complemento huius tractatus aduerto, quod in fine Bullæ Commissarius Generalis præcipit sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, vt nullus Commissarius, Concionator, Thesaurarius, & Receptor sanctæ Cruciatæ vllo modo se immisceant ad faciendas compositiones, quæcumque sit summa: & si aliqua persona indigeret se componere in maiori quantitate, quàm sit ea, quæ in hac Bulla conceditur, erit recurrendum ad ipsum Generalem Commissarium, vt supra nos adnotauimus: aliter compositio erit irrita, & nulli⁹ valoris, & vtilitatis, ita declarat ipse Commissarius; & sic finem imponit, & nos cum illo expositioni huius Bullæ.

Nemo alius, præter legitimum Bullæ Commissarium, ingerere se potest ad cõpositiones faciendas.

PARS QVARTA

IN QVA BVLLA

DEFVNCTORVM

ET QVAMPLVRA AD EORVMDEM poenas, & suffragia pertinentia dilucidantur.

VLtimam huius Operis partem aggredimur, in qua; cum nostræ explicationis scopus sit aperire gratias animabus Purgatorij à Pontifice liberaliter cõcessas, vt huius beneficij magnitudo meliùs, & clariùs innotescat, altius principium sumimus differendo de pœnis, quas animæ ipsæ patiuntur, & de suffragijs, quæ à viuentibus, & ab Ecclesia pro ipsis defunctis offeruntur; & hoc non erit ab re, quando videmus ab Authoribus de hac Bulla tractantibus hæc omnia exagitari. idcirco ne à methodo probatorum Doctorum recedamus, de supradictis loqui decreuimus. initium autem accipimus à Purgatorio, & cruciatibus, qui ibi sustinentur; quia veluti materia supponuntur à suffragijs: quibus expeditis deducemus ea, quæ pro nobis faciunt ad expositionem huius Bullæ, deueniendo ad particularia, quæ in hac eadem Bulla continẽtur. hæc autem per varios distribuemus tractatus eumdem tenentes ordinem, quem in tribus alijs præcedentibus partibus seruauimus.

TRACTATVS I.

DE PVRGATORIO EIVSQVE ADNEXIS.

Ad perfectam huius Bullæ intelligentiam aliqua præmittimus, quæ licèt speculatiua videantur; nihilominus cum aliquo modo pertineant ad obiectum, seu materiam huius indulgentiæ, placet de illis breuiter agere.

CAPVT I.

De existentia, & pœnis Purgatorij.

SECTIO I.

An verè detur Purgatorium?

Hæretici Purgatorium esse negant.

NON defuerunt Hæretici, qui omnino Purgatorium de medio auferre conati sunt. hos autem refert *Bellarminus lib. 1. De Purgatorio cap. 2.* fuerunt enim plures tum antiqui, tum recentes vsque ad Lutherum, eiusq; asseclas. diuersis autem principijs ducebantur ad hunc errorem astruendũ, quæ videri possunt apud eumdẽ Authorem, & apud *Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 45. sect. 1.*

1 *Quid Purgatorium sit, et quo sensu, vt fidei dogma, tenendũ.*

Verum certa, & indubitata fide tenẽdum est, dari Purgatorium. declaratur, in quo sensu dicatur, conclusio esse fidei dogma. quod asserimus igitur est, plures iustorum animas, dum è corpore separatur, non plenè satisfecisse pro culpis in hac vita commissis, & cum integrè debitum soluere teneantur, & reatus pœnæ in illis remaneat, antequam ad cœlum euolent, in quo nemo ingredi potest, nisi ab omni macula sit liber, debent aliquas pœnas sustinere, vt plenè satisfaciant: & cum necesse sit in aliquo loco pœnas istas luere, talis locus à Theologis Purgatoriũ nuncupatur. de fide ergo esse dicimus, animas fidelium sæpè in altera vita à Deo puniri in satisfactionem peccatorum: & quamuis in sacris litteris hanc veritatem sub explicito Purgatorij nomine nequaquam habeamus; tamen satis esse inueniri rem sub illo nomine significatam.

2 *Probatur ex varijs Scripturæ Sanctæ locis:*

Probari autem potest conclusio varijs locis Sacræ Scripturæ tam ex veteri, tum ex nouo testamento, quod fusè, & eruditè præstant *Bellarminus, & Suarez locis citatis.* ex veteri celebris est locus ille *lib. 2. Machab. cap. 12.* in quo refertur à Sanctissimo Iuda Machabæo duodecim millia drachmarum argenti Hierosolymam missa fuisse offerenda in sacrificium pro peccatis mortuorum: & postea in fine illius capitis his verbis cõcluditur, *Sancta, & salubris cogitatio est pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* ex his verbis apertè colligimus, in alia vita aliquos defunctos obtinere posse remissionem peccatorum; hoc autem intelligi non posse de his, qui in peccato mortali mortui sunt, & pœnas æternas inferni sustinent, neque de Beatis, qui nulla peccatorum remissione indigent, cum sint omni macula immunes: ergo verba illa sunt intelligenda de illis defunctis, qui in gratia Dei ab hac vita recedentes non plenè satisfecerint; proinde debent purgari in alia vita, & adiuuari orationibus, & pijs operibus Deo oblatis pro ipsorum liberatione, vt à pœnis liberentur. hos autem libros Machabæorum esse canonicos, iam definitum est *in Concilio Carthaginensi 3. Can. 47.* itidem *in Florentino sub Eugenio IV.* & demum *in Tridentino sess. 4. Decreto De canonicis Scripturis.* aliquas falsas interpretationes prædictorum verborum datas ab Hæreticis vide apud Bellarminum. probatur etiam ex *nouo Testamento Matthæi 12.* vbi Christus Dominus dixit discipulis, aliquod, esse peccatum, nempe verbum contra Spiritum Sanctum, quod non remittetur, neque in hoc sæculo, neque in futuro. ex ista sententia Christi colligunt Patres, aliqua esse peccata, quæ in futuro sæculo remittuntur per orationes, & suffragia iustorum.

Hunc textum conantur interpretari Hæretici, sed malè illum explicant, & detorquent. vide *Bellarminum cap. 4.*

Alius locus est *1. ad Cor. cap. 3.* vbi Paulus ait, *si quis superædificet supra fundamentũ hoc aurũ, argentũ, lapides pretiosos,* lig- 3

lignum, fœnum, stipulam, &c. vniuscuiusque opus manifestum erit, & igne probabitur: si enim opus manserit, quod superædificauit, mercedem accipiet, si enim opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. sensus autem horum verborum iuxta communem Patrum intelligentiam est, per aurum, argentum, &c. significari à Paulo opera bona iustorũ, quæ sunt probanda per ignem hoc pacto, vt ipsa illæsa relinquat: & per lignum, stipulam, &c. peccata venialia, quæ cremanda sunt, idest punienda; sed qui ea commisit, saluabitur per ignem, quo purgatur. vide Cornelium à Lapide, qui rectè hunc locum exponit: ex hoc loco, & alijs apertè colligunt Patres, & Theologi cum *S. Thoma in 4. dist. 21. q. 1. art. 1. quæstiuncula 2.* dari Purgatorium, seu locum, in quo aliquæ defunctorum animæ puniuntur, & satisfaciunt pro peccatis, pro quibus in hac vita non plenè satisfecerint; ratio autem pro hac veritate catholica iam tacta est; fundatur enim in hoc, quod cũ nihil coinquinatum possit cœlum ingredi, vt habetur *Apoc. 21. ver. 27.* & quamplures fideles in gratia moriantur, remissa culpa peccatorum, & cum plenè nõ satisfecerint, debent in alia vita puniri, vsque dum completè satisfaciant Diuinæ iustitiæ. et hæc breuiter tacta in materia morali sufficiant: si quis verò plura desiderat, laudatos legat Authores.

Explicatur locus D. Pauli de Purgatorio ex communi sensu Patrum.

Ratio fundamẽtalis huius dogmatis.

SECTIO II.

In quo loco sit Purgatorium, & an sit vnum omnium.

4 DE loco determinato Purgatorij nihil certum de fide in sacris litteris, vel ex definitione Ecclesiæ habemus; sed solùm apud Theologos res ista controuertitur. & quid sit sentiendum, per subsequentes conclusiones determinabimus.

5 Dico igitur primo, Purgatorium, cuius existentiam sectione præcedẽte ex principijs fidei probauimus, esse quemdam locum corporeum, vt rectè animaduertit *Suarez disp. 45. sect. 2. num. 1.* & ab omnibus, vt certum supponitur, & quamuis animæ, quæ purgantur, cum sint spirituales substantiæ, loco non indigeant; nihilominus, quia intra hunc mundum manent, consequens est, vt in aliquo loco indiuiduali reperiantur.

Purgatoriũ locus corporeus.

6 Dico secundo. Purgatorium esse quẽdam certum, & definitum locum, nequit ratione ita efficaci suaderi, vt omnino conuincatur intellectus, sed valdè probabiliter iuxta dicta Patrum, & nonnullas particulares reuelationes asserimus, locum Purgatorij secundum legem communem esse in parte inferiori coniunctum inferno, ita vt eodem igne, quo cruciantur animæ damnatorum, purgẽtur animæ iustorum. *sic S. Thomas in 4. dist. 21. quæst. 1. art. 1. quæstiuncula 2. & alij, quos citat, & sequitur Suarez sectione citata, num. 3.* probari potest conclusio quoad vtramque partem, & primo, esse locum determinatum secundum legem ordinariam contra nõnullos oppositum sentientes apud eumdem *Suarez num. 2.* suadetur varijs congruentijs. sicuti enim pœna pro singulis est determinata, sic etiã determinatus esse debet locus, qui est quodammodo pars pœnæ, rursus quemadmodum pro alijs animarum statibus à Deo loca certa sunt destinata, vt pro damnatis, & pro Beatis, ita etiam pro illis animabus, quæ purgandæ sunt: secũdo, esse locum inferno coniunctum, probatur ex communi consensu fidelium, & ex illis verbis Ecclesiæ, quæ pro animabus ibi detentis recitantur, nempè, *Libera Domine animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu*, per infernum autem hic intelligitur Purgatorium; nam infernus complectitur quatuor loca, nempè illum, in quo æternaliter puniuntur damnati, Purgatorium, Limbum puerorum morientium ante vsum rationis absque Baptismo, & Limbum sanctorum Patrum, quo dicitur in Symbolo Niceno Christus descendisse, quando eius sanctissima anima egressa est de corpore. locum autem, in quo erant inclusi Sancti Patres ante mortem Christi esse in inferioribus partibus terræ, dubitari nemo potest; nã in Symbolo de anima Christi Domini dicitur, *descendit ad inferos*; & id confirmat *Suar. ex alijs Sacræ Scripturæ locis sectione citata, à num. 5.* si igitur locus, in quo animæ Sanctorum Patrum ab omni reatu personali immunes ob reatum solius naturæ inclusæ detinebantur, tanquam in custodia, erat carcer subtus terram, & propè infernum damnatorum, multo magis id dici debet de animabus, quæ nõ sunt liberæ à reatu personali pœnæ, eos in loco aliquo infimo, & humiliore detineri. alias congruentias de hac re vide apud *Suarez loco cit.*

In parte inferiori terræ coniunctus inferno; & eiusdem cruciatus igne.

Suadetur vtrũque varijs coniecturis.

De ordine autem, quem quoad situm seruant receptacula prædicta, fusè discurrit *Suarez à num. 8. vsque ad finem sectionis*: nam aliqui dicunt, seruare situm superioris, & inferioris, ita vt vnus locus sit super aliũ, & licèt dicant, gehennã esse subtus alia loca, & super omnia fecisse sinũ Abrahæ, 7

Ordo, et situs horũ locorũ.

Abrahæ; tamen de Purgatorio, & Limbo puerorum discrepant: nam quidam dant inferiorem locum Purgatorio; quidam verò locum inferiorem, & gehennæ viciniorem dant Limbo puerorum: posset etiam alius modus excogitari non ponẽdo ordinem inter duo loca, sed ea collocare cum æquali distantia ab inferno secundum diuersas eius partes: & hoc pacto etiam ponere Limbum Sanctorum Patrum, ita vt omnia ista tria loca sint supra gehennam cum æquali distantia ab illa.

8 *Non est certus ex scripturis, & Patribus.*

Verumtamen neque certum, neque definitum iudicium de hac re dare possumus, cum sit res occulta, & ex scripturis, & Patribus non habeamus aliquid, per quod rem hanc definire valeamus.

9 *Dantur alia loca particularia, in quibus animæ puniuntur de lege extraordinaria.*

Dico tertio. Præter locum generalem, in quo secundum legem ordinariam animæ iustorum purgantur, dantur quædam loca particularia, in quibus quædam animæ puniuntur. V.G. in glacie, vel in balneis, vt in multis historijs colligitur ex varijs reuelationibus, & apparitionibus; sed hoc est de lege extraordinaria, & particulari ob aliquem finem à Diuina prouidentia intentum, vel vt viuentes, dum alicuius animæ pœnam agnoscunt, excitentur ad illam suffragijs iuuandam, vel vt ipsamet anima lenioribus crucietur pœnis, vt de anima Paschasii viri magnæ sanctitatis legitur *in Dialogis S.Greg. lib.4. cap.40.* puniebatur enim in quodam loco, vbi erant aquæ calore feruentes: & idem refertur de quodam sancto viro *eodem libro cap. 55.* videri etiam poterit de hac re *Martinus Carrillo in explicatione Bullæ defunctorum par.1. cap.2. per totum.*

CAPVT II.

De Pœnis, quæ in Purgatorio sustinentur.

1 Tractationem de pœnis Purgatorij præmittimus, antequam de suffragijs agamus, vt fideles talium pœnarum acerbitatem considerantes miseratione ducti ad animas, quæ his pœnis cruciantur, sublevãdas moueãtur, & præsertim medijs suffragijs per Cruciatã concessis.

(†)

SECTIO I.

Quot, & quales sint pœnæ Purgatorij.

Dico primo, animas in Purgatorio existentes duplicem sustinere pœnam, videlicet pœnam damni, & pœnam sensus, vtramque temporalem. 2 *Pœna Purgatorij duplex.*

Pœna autem damni consistit in carentia visionis Diuinæ, & omnium aliorum supernaturalium bonorum, quæ cum beatitudine conceduntur: & hæc est præcipua pœna ex illis, quas animæ patiuntur. 3 *Quid sit pœna damni.*

Dico secundo. Ex hac pœna resultat in voluntate quædam tristitia, cuius obiectũ est carentia visionis. alia autem pœna appellatur pœna sensus, non quia subiectum, in quo est, sensũ habeat, vt sic enim neque in Dœmonibus, neque in animabus separatis talis daretur pœna, sed ita vocatur, quia prouenit ab extrinseco, & sẽsibili corpore per realem mutationem ad modum rei sensibilis. dari autem hanc pœnam distinctam ab illa tristitia, est secũdum communem Theologorum opinionem, qui etiam communiter docent, caussari ab igne corporeo, & elementari; quia cum certum sit, pœnam hanc in inferno esse ab igne vero, & reali, ita vt oppositum asserere, sit temerarium, aut errori proximum, vt animaduertit *Suarez tom. 4. d.46. sect. 2.* tamen & communiter existimatur, animas in Purgatorio cruciari eodem igne, qui est in inferno; idcirco consequenter dicunt, pœnam sẽsus in Purgatorio esse ab igne vero, & reali. 4 *Tristitia ex ea resultans.* *Est ab igne vero, et reali.*

Dico tertio. Modus, quo Ignis possit agere in substantias spirituales, est nobis occultus, & est hoc controuersum *in p.1.* dum agitur de pœna Dœmonum; & ad ea, quæ ibi dicuntur, me remitto. indubitatum autem est, pœnam hanc caussari ab igne, vt instrumento Diuinæ iustitiæ, & vt supernaturaliter à Deo eleuato, vi nobis occulta: idcirco *S. Augustinus lib.21. de Ciuit. Dei cap.10. inquit (cur enim non dicamus, quamuis miris, tamen veris modis, etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi.)* 5 *Modus, quo ignis cruciet spiritus, occultus.*

Dico quarto. Pœna sensus, quæ in Purgatorio inuenitur, est acerbissima, vt asserunt communiter Patres: & ita *S. August. in Psal. 37.* initio sic ait, *Grauior erit ille ignis, quam quicquid potest homo pati in hac vita.* eamdem doctrinam tradit *in libro de cura pro mortuis habenda cap. 18. & libro de igne Purgatorij.* pariter idem affirmat *S. Greg. super tertium Psalmum pœnitentiæ. S.Bernardus in sermone de obitu Humberti, & alijs.* sic etiam asserunt 6 *Pœna sensus quã sit acerba.*

Schola-

Exigitur ad ordine Diuinæ iustitię posita grauitate culpæ.

Peccata etiā venialia altioris ordinis in genere mali exigunt pœnam quasi altiorem in genere pœnarū.

Scholastici vt S. Thomas in 4.d.21.q.1.art. 1.quæstiunc.3. & S. Bonauentura in eadem dist. & ratio est, quia ita exigit ordo Diuinæ iustitiæ, posita grauitate culpæ contra Diuinam maiestatem, & etiam hoc est dicendum de pœnā sensus debita pro peccatis venialibus, quia cum in genere mali sint altioris ordinis, quàm sit malum creaturæ, merētur in alia vita pœnā grauiorem, & vt ita dicam altioris ordinis, quā sit quæcumque pœna huius vitæ; attamē non omnes Theologi ita sentiunt: nam aliqui, inter quos est *S. Bonauentura in 4. dist.29 à 1.q.2. quem sequitur Bellarminus lib.2. de Purgatorio cap. 14. & Suarez disp. cit.sect.3.nu.7.* licèt addat, quamcunque animam in Purgatorio existentem optare potius sustinuisse quascunque vitę pœnas, quàm in illis quibuscumque, & qualicunque tempore detineri, saltem propter dilationem gloriæ: loquendo autem de pœna secundum se, & non relata ad moralem existimationem, existimant hi Authores, ex suo genere pœnā Purgatorij grauiorem esse quacunque pœna sēsibili, quæ sit in hac vita, ita vt maxima pœna Purgatorij excedat maximam huius vitæ: at in indiuiduo rem non ita se habere, quia contingit, vt aliqua grauissima pœna huius vitę excedat aliquam minimam Purgatorij pœnam; & hoc mihi videtur longè probabilius; non enim videtur verisimile, quod pœna, quam quis patitur pro vno, aut altero peccato veniali, sit maior quacumque pœna grauissima huius vitæ V.G. quam fuerit illa, quā passus est Christus Dominus, alijque Martyres. & vt hoc clariùs pateat, ponamus aliquem pro peccatis patratis egisse asperam pœnitentiam, adeo vt in fine vitæ parum illi remaneat ad plenè satisfaciēdum, & antequam exiguam illam satisfactionem, quæ illi præstanda supererat, efficiat, moriatur: quis erit, qui dicat, passionem, quam iste talis sustinet in Purgatorio respondentem exiguæ satisfactioni, esse maiorem cruciatibus Christi, quos in sua morte passus est? quænam repugnantia videtur satisfactionem exhibendam peruenire ad tam paruam quantitatem, vt pœna sustinenda pro completa satisfactione sit maior quamplurimis cruciatibus, qui in hac vita reperiuntur? sanè nullum apparet in hoc inconueniens, neque vllum est fundamētum asserendi oppositum, & ponendi incomparabilitatem inter vtrumque pœnarum genus. maneat igitur, pœnas Purgatorij esse grauissimas, & acerbissimas, ideoque secundum genus spectatas esse duriores pœnis huius vitæ, vt colligitur ex Patrum loquutionibus: attamen in indiuiduo ita esse non oportere: neque S. *Thomas* huic sententiæ est contrarius, quia eius verba possunt exponi de pœna Purgatorij quoad genus, vt patet textum legenti.

Maxima pœna Purgatorij excedit maximam huius vitæ ex suo genere.

Dices. Carētia summi boni, quamuis sit ad tempus, summam in amante generat tristitiam. igitur, cum quælibet pœna Purgatorij includat carentiam summi boni, erit grauior quacūque pœna huius vitæ. 7 *Obiectio.*

Respondeo, nos hactenus loquutos esse solùm de pœna sensus, sed quia idem cēseo de pœna illa damni, quam animæ in Purgatorio sustinent, idcirco, etiam si sermo fuerit de pœna adæquate accepta, nimirum prout inuoluit pœnam sensus, & pœnam damni, seu tristitiam ex priuatione beatitudinis resultantem, respondeo ad argumentum, tristitiam illam mitigari propter certitudinem spei de acquisitione summi boni, spes enim magnum affert gaudium, & quanto magis approximabitur tempus liberationis à pœnis, eo magis crescit gaudium, & remittitur tristitia: proinde ex nimia approximatione V.G. per quadrantem, valdè remissa, & exigua poterit esse tristitia, atque adeo minor, quàm sit grauissima tristitia huius vitæ: in inferno autem tristitia ista consequens carentiam visionis Diuinæ, & beatitudinis erit maxima, cum leuamen spei nullū habeat, & desperatione augeatur. 8 *Refellitur.*

De grauitate pœnæ damni idem sentiendum.

Tristitia, quæ est in pœna damni mitigatur ex spe certa beatitudinis; & ideo poterit esse nimis remissa.

9 Dico quinto, probabiliùs esse animas in Purgatorio non torqueri à Dœmonibus, *est S. Thomæ opinio in 4. dist.21. q.1.a. 2.quæstiunc. 5. & aliorum, quos sequitur Suarez sect.cit.nu.8.Conin. De Purgatorio d.11.dub.3. nu.35. & alij.* probari autem solet hæc sententia ex indecentia, quæ foret, si animæ illæ affligerentur à Dœmonibus; non enim videtur conueniens, vt animæ eorum, qui finaliter victoriam contra Dœmones in hac vita reportarunt, puniantur à Dœmonibus, ideoque Deus non vtitur illis, tanquam ministris suæ iustitiæ ad puniendas animas in Purgatorio, sed ipsemet immediatè per ignem, tanquam per instrumentum obedientiale eos punit.

Non torqueri animas a Dœmonibus, probabilius est.

10 Et si contra hanc conclusionem obijcias aliquas visiones, per quas reuelatum est, animas in Purgatorio torqueri à Dœmonibus, responderi poterit cum *Conin.* visiones illas esse symbolicas, & allegoricas, proinde ex illis aliquid contra nos colligi non posse.

SE-

SECTIO II.

De tempore, quo animæ in Purgatorio detinentur.

CIrca præsens quæsitum aliqua tanquam certa sunt supponenda: alia verò remanent incerta, & controuersa.

Pœnæ Purgatorij non durabunt vltra diem Iudicij.

11 Supponimus igitur, pœnas Purgatorij nō duraturas, nisi vsq; ad diē Iudicij, vt expressè asserit *S. August. lib. 21. De Ciuit. Dei c. 21.* & hic est cōmunis & vniuersalis cōsēsus Ecclesiæ; & colligitur ex historia Iudicij finalis relata à *S. Matthæo cap. 25.* vbi duos ponit ordines iudicandorum, nempè eorum, qui sunt in beatitudine recipiendi, & eorum, qui sunt damnandi: ideoque saluandi supponuntur iā ab omni pœnæ reatu immunes, & purgati: de Infantibus nulla ibi fit mentio.

Satisfactio integra per solam animā absque corpore conuenienter dicitur fieri.

12 Neque repugnat, completam satisfactionem fieri per solam animam absque corpore, etiā si ipsa anima vsa fuerit corpore, tanquam instrumento ad peccandum; non repugnat, inquam, quia cum anima fuerit causa effectiua principalis peccatorum, & eius voluntas fuerit subiectum peccati, conuenienter ponitur, integram purgationem fieri in ipsa anima absque corpore: & addo, etiam corpus suo modo puniri, dū moritur, & putrescit, aut in cinerem conuertitur. & confirmatur veritas ista ratione alia ex inconuenienti, quod ex opposito sequeretur, si enim anima non posset plenè satisfacere ante resurrectionem, & iteratā vnionem cum corpore, sequeretur, quod nulla anima, quæ, dum egreditur è corpore, indiget purgatione, posset ante diē Iudicij finalis, & antequam per resurrectionem vniatur corpori, videre Deum; aut sequeretur, videre Deum, & esse beatam, antequam integrè satisfaciat: vtrūq; autem est error, igitur dicendum est, posse animam completè purgari, & satisfacere etiam è corpore separatam; atque adeo quamplures animas solui à pœnis Purgatorij, & beatificari ante resurrectionem generalem in die Iudicij exequendam.

Duratio pœnarum non est æqualis respectu omnium.

13 Supponimus etiam vt certum, durationem pœnarum in Purgatorio non esse æqualem respectu omnium animarum, vt omnes Theologi fatentur: & ratio est manifesta, quia cum omnes animæ recedunt ab hac vita cum æquali debito ad pœnas pro culpis remissis. & quamuis posset quis dicere, inæqualitatem pœnarū sitam esse in intensione, in extensione verò, seu duratione esse æqualitatem, vt sunt pœnæ, quas animæ damnatæ patiuntur; in hoc enim nulla apparet repugnantia, aut absurditas; nihilominus oppositum omnino est asserendum; tum quia talis est communis sensus Ecclesiæ, nam omnes fatentur, animas iustas successiuè liberari à Purgatorio, & in Cœlum migrare; tum etiam quia non videtur Diuinæ pietati, & bonitati consonum, vt aliquæ animæ sanctissimę ob leuissimas culpas diuturno tēpore detineantur in pœnis: proinde dicēdum est, aliquas animas tardiùs, aliquas verò citiùs liberari à Purgatorio, vt docet *S. Augustinus in libro De octo quæstionibus ad Dulcitium q. 1. versus finem; & S. Thomas in 4. d. 21. q. 1. art. 3. quæstiunc. 3.*

Ad paritatem autem deductam ex æqualitate, quam habent pœnæ infernales quoad durationem, respondet idem *Angelicus Doctor ad secundum, quod est vltimum illius articuli,* peccatum mortale, cui debetur supplicium inferni post hanc vitam immobiliter radicari in subiecto, ideoque quantum ad omnes est eadem diuturnitas. & eamdem doctrinam asserit de diuturnitate beatitudinis, quæ prouenit ex claritate immobiliter in subiecto radicata, nempè in anima. 14

His omnibus præmissis, de quibus non est dubitatio, & controuersia, superest difficultas, an sit assignabilis aliquis terminus maximus, vltra quem non duret pœna Purgatorij.

Fuit opinio *Soti in 4. d. 19. q. 3. a. 2. in fine* his verbis ab ipso expressa; *Quapropter crediderim, nunquam aliquem in Purgatorio viginti annis extitisse, imò, vt mea fert opinio, nec decem, nam cum nemo illic sit, nisi Dei amicus, contritio eius, & post Christum passum Sacramenta, & suffragia, & bona, quæ egit opera, ad cumulum ei satisfactionis accedunt. in summa non est credibile, vt quos pœnarum accumulatione expedire Deus breuiùs inde potuit, temporis prolixitate desineat.* hæc Sotus. 15

Soti opinio de duratione pœnarū Purgatorij.

Sed hæc sententia communiter ab alijs reijcitur, vt ab *Henriquez lib. 7. cap. 17. nu. 4. Suarez tom. 4. De pœnit. d. 46. sect. 4. nu. 6. Bellarminus lib. 2. de Purg. cap. 9. vers. Præter hos errores. Aegidius Conin. d. 11. dub. 4. Ludouicus à Cruce in exposit. Bull. d. 2. dub. 5. num. 17. Trullench lib. 4. dub. 3. num. 13. Antonius Raguetus De statu animarū quæsito 38. num. 2. Bartholomæus à S. Fausto De Sacris indulg. lib. 5. quæst. 9 ver. quamobrem & alij.* 16

Cæterum quamuis de hac re definitū iudicium habere minimè valeamus, cum sit res nobis omnino occulta, & libenter adhærerem sententiæ Soti pijssimi, & doctissimi viri; nihilominus, cum firmum, & solidum fundamentum pro illa sententia non agnoscam, idcirco non est recedendum à communi fidelium opinione, videlicet 17

An habeant terminum, vltra quem non durent, incertum est.

delicet quāplures animas in pœnis Purgatori longè maiori tempore detineri; proinde assignari non posse terminum maximum, vltra quem non duret pœna Purgatorij: fauet autem huic receptæ sētentiæ contra Sotum praxis Ecclesiæ, quę solet suffragia offerre pro animabus illorum, qui centum, & ducentos annos antea mortui sunt, vt indicant Anniuersaria, quæ sæpe celebrantur. & licèt Anniuersariorum vsus fundari possit in pietate eorum, qui illa fieri mandarunt, vt non solùm prosint animabus, pro quibus fiūt, verum etiam alijs; & pariter fundari possit in incertitudine, quam habemus de tempore, quo animæ à pœnis liberentur; nihilominus communis consensus fideliū in hac re negari non potest, multum fauere huic nostræ opinioni: & addo, rationem præcipuam, cui nititur *Sotus*, vel nihil, vel nimium probare; ducitur enim ipse ex Diuina clementia, quæ non fert; multo tempore amicos suos à suo cōspectu cohibere: & ideo sua prouidentia ita disponit, vt pœnis accumulatis, nempè magis intensis suppleat longitudinem temporis, quo, si pœnæ forēt remissiores, animæ detineri deberent. hoc autem argumentum probaret etiam, pœnas illas non solùm non durare debere vltra decem annos, sed neque per annum, quia compensari poterit duratio decennalis intensione maiori, & maiori; & sic nullū est fundamentum assignandi magis tempus decem annorum, quàm vnius anni: ergo hoc argumentum Soti vel nihil, vel nimium probat. maneat igitur, nobis esse incertum tempus, quo animæ ibi detinētur, & probabiliùs esse, quamplures detineri per spatium centum, aut ducentum annorum, vt est communis fidelium existimatio.

Probabile est, durare etiam centum, vel ducentos annos.

SECTIO III.

An pœnæ Purgatorij quoad intensionem minuantur?

18 Fuit opinio *Henriquez libro vltimo summæ. De fine hominis cap. 25. num. 3. Lit. M. & Bellarmin. lib. 2. De Purgatorio*, pœnas Purgatorij non durare semper in eadem intensione, sed mitigari, & paulatim decrescere; & fundant hanc sententiam in quibusdam apparitionib⁹, & præsertim in ea, quæ refertur in vita S. Malachiæ, cui apparuit eius soror iam defuncta, prima vice sub veste nigra, & extra Ecclesiam; secunda vice in veste subfusca intra Ecclesiæ limina; tertia denique vice in veste alba, & in altari. per has autem formas diuersas, sub quibus apparuit, significatur, pœnas Purgatorij per suffragia oblata à S. Malachia eius fratre in dies fuisse remissas, vsque dum totaliter desierint. aliæ ferè similes apparitiones leguntur apud *Bedam*, *& Carthusianum*.

Pœnarū intensionem nō esse semper eādem sentiunt alij.

Sed alij Doctores oppositum tuentur; 19 videlicet pœnas Purgatorij non remitti per suffragia quoad intensionem, at tantùm quoad extensionem, seu diuturnitatem temporis diminui. & hanc sententiam, vt probabiliorem amplectitur *Suarez disp. 46. sect. 4. num. 8. Bartholomeus à S. Fausto lib. 5. De suffragijs quæst. 10. Ragucius tract. De statu animarum quæsito 38.* hæc autem sententia ratione probatur: primo, quia pœna illa quæmadmodum sui initio non incipit paulatim angeri per intensionem, sed simul tota eius intensio incipit; ita neque paulatim secundùm intensionē decrescit, sed semper immutata quoad gradum intensionis perseuerat, vsque dum tota satisfactio pro peccatis debita sit completa: secundo probatur, quia tota illa poena fuit taxata à Deo quoad intensionis gradum duratura tanto tempore determinato, & respondens tantæ multitudini, & grauitati peccatorum. sicuti si quis ob varia delicta damnetur ad triremes per spatium decem annorum, eodem modo punitur primo anno, ac vltimo.

Alij non remitti per suffragia intensionem, sed solùm extensionem temporis.

Probationes huius sententiæ.

Pro solutione huius difficultatis distinguere debemus pœnam illam, quæ consistit in tristitia connaturaliter sequente carentiam beatitudinis, & poenam sensus, quæ infligitur ab agente corporeo extrinseco, nempe ab igne; & sic de facto has duas poenas distinctè considerat *Suarez loco cit.* 20

Dico igitur primo. Si loquamur de pœna illa tristitiæ, quæ consequitur priuationem gloriæ, valdè probabile, & ferè certū mihi videtur semper diminui: & ratio videtur clara, quia obiectum huius tristitiæ semper cōtinuo fit minus, quatenus semper magis, & magis approximatur tempus, quo anima debet transire ad cœlum, & glorificari: proinde in ea proportione, secundùm quam dilatio ad videndum Deum fit minor; in eadem etiam decrescit tristitia prædicta, quia, quo magis dilatio fit minor, eo minùs est apta ad causandam tristitiam: quicquid sit de tristitia, quæ oritur ex aliquo gloriæ incremēto per æternitatem amisso: nam Suarez vult, non esse necessarium, vt tristitia de tali amissione minuatur eo tempore, quo anima in Purgatorio detinetur, quoniam obiectum istud semper pro toto eo tempore idem inuariatum manet: quicquid, inquam, sit de tristitia ista; alia enim est 21

Sententia Authoris.

Pœnā tristitiæ consequētē gloriæ priuationē semper diminui, est ferè certum.

ratio

ratio de tristitia illa priori, cuius obiectũ, vt diximus, semper decrescit.

22 Dico secũdo. Quod attinet ad pœnam sensus, non possumus definitum iudicium elicere, quia res ista nobis est occultissima, & solũ ex quibusdam leuibus coniecturis aliquid deducitur: proinde vtraque sentẽtia absque vllo incommodo sustineri poterit, cum rationes pro ambabus non sint magni põderis, & facilem habeãt solutionem: & ideo propriori sententia dicimus, potuisse à Deo ita taxari, & præscribi iuxta qualitatem, & quantitatem peccatorũ, vt pœnæ illæ minuantur & quoad durationem, & quoad intensionem V.G. vt tale peccatum tantam, & talem habẽs malitiam puniatur per quatuor annos cum intensione, quæ successiuè remittatur: at si deberet puniri, eadem semper manente intensione, temporis extẽsio esset breuior E.C. per duos, aut tres annos; nulla igitur est repugnantia, nullumque apparet incommodum sequens ex ista sententia.

De pœna sẽsus est vtraque sẽtẽtia probabilis. [marginal note, partly illegible]

Rationibus vtriusque, vt efficacibus, respondetur.

23 Ad illud verò, quod dicitur, nẽpè pœnam non incipere paulatim augeri, concedo id ita esse: at non rectè infertur, paulatim nõ decrescere, imo iuxta hanc opinionem ita erit dicendum. ad secundum argumentum patet responsio ex dictis: & hæc dici possent soluendo argumenta posterioris sententiæ, sed quia ratio adducta pro prima opinione non est admodum efficax, idcirco

24 Respondeo, reuelationes illas esse incertas, vel dicendum, non esse necessariũ, vt per varias illas formas, sub quibus definita apparebat, significaretur diminutio pœnæ quoad intensionem, cum potuerit significari decrementum quoad diuturnitatem temporis, & maiorem approximationem ad tempus beatitudinis, vel diminutionem illius iustitiæ, quæ resultet ex carẽtia beatitudinis, cuius iustitiæ obiectum, vt diximus, semper decrescat.

25 Ex his patet, neque pro vna, neque pro alia sententia esse solidum argumentum, & vtramque sustineri posse; attamen firmum iudicium & definitiuum de re ista dari non potest, cum sit res nobis valdè occulta, & ex sacris Scripturis, & Patribus nõ habeamus rem hanc determinatam.

Franc. Bard. in Bull. Cruc.

SECTIO IV.

Explicantur nonnulla dubia de animabus Purgatorij.

Aliqua dubia sunt determinanda in fine huius tractatus, quæ spectant ad statum illum Purgatorij.

Quæres igitur primo, an animæ, quæ in Purgatorio detinentur, sint certæ de propria salute.

Fuit opinio *Dionysij Carthusiani lib. De quatuor Nouissimis art.* 47. qui censuit, inter alias pœnas, quæ reperiuntur in Purgatorio, vnam esse incertitudinẽ de propria salute, qua pœna vult, cruciari aliquas particulares animas iuxta dispositionem. hæc sententia est longè diuersa ab ea, quam docuit *Martinus Lutherus, qui art.* 38. antequam Purgatorium negauit, voluit, animas omnes, quæ ibi existunt, esse incertas de propria salute; immo aliquas desperationis motibus agitari, atque adeo grauissimè peccare; *Carthusianus* verò solùm de quibusdam id affirmauit. 26

Opinio Dionysij Carthus. quod animæ Purg. sint incertæ de sua salute.

Cæterum vera, & communis Theologorum opinio est, omnes animas, quæ in Purgatorio detinentur, esse certas de propria salute. *ita Bellarminus lib.* 2. *De Purg. cap.* 4. *Suarez. tom.* 4. *d.* 47. *sect.* 3. *num.* 5. & *alij apud ipsos citati*. ad hanc autem certitudinem habendam duo sunt necessaria, primum, vt animæ illæ sciant, se non esse damnatas, & esse in gratia, secundum est, scire, se nunquam fore damnandas. ex his autem duobus prouenit certitudo illa: proinde duo ista copulatiuè requiruntur, vt vno deficiente pereat certitudo: primum autem à quibusdam, nempe à *Caietano tom.* 1. *opuscul. tract.* 23. *q.* 2. quem sequitur *Bellarminus cap. citat. vers. Respondeo nos non videmus*, ita explicatur, nempe per scientiam euidentem, & intuitiuam ab illis animabus videri in se ipsis habitum charitatis; proindè esse certas, se esse in gratia, & non esse damnatas. 27

Esse certas, communis est, & vera sententia.

Duo necessaria ad hanc certitudinem explicantur.

Sed hoc absque vllo fundamento asseritur; nam & si anima separata intuitiuè videat se ipsam, suas potentias, & operationes; tamen nequit per sua naturalia principia agnoscere habitum gratiæ, & charitatis, qui cum sint supernaturales, & altioris ordinis, nequeunt attingi ab intellectu secundùm lumen naturæ spe- 28

Videri ab animabus Purg. intuitiuè in se ipsis gratiã sanctificantẽ, sine fundamento asseritur.

Sss ctato,

ftato, fed indigeret fpeciebus proportionatis, & infufis, atque lumine fupernaturali. nulla autem eft anctoritas, aut ratio, quæ nobis hoc fuadeat: proinde hoc vtpote abfque fundamento prolatum eft abijciẽdũ. meliùs igitur probatur à *Suar.* *et ab eodẽ Bellarmino* ex notitia, quã habẽt, in inftanti mortis, quando de eis fit Iudicium particulare; nam tunc reuelationẽ recipiunt de fuo ftatu, & fciunt, fe non effe damnatas ex fententia data, quod fieri in inftanti feparationis animæ à corpore, probat *Bellarminus* tum ex facris litteris, tum ex Patribus: rurfus experiuntur, fe non blafphemare Deum, & ipfum diligere, & ex principijs fidei, quæ in hac vita habebant, animas damnatas Deum amore nõ profequi, neque deteftari peccatum, quos effectus in fe ipfis experiuntur, colligunt, non effe fe in ftatu damnationis: & quamuis illatio, quæ fit ex his vltimis principijs nequeat fieri ab indoctis in Theologia, & multi Idiotę iufti moriuntur, & Purgatorio deftinantur, & in hac vita ignorabãt has veritates theologicas, nempe animas, quæ in Purgatorio detinentur, non poffe peccare, effe in ftatu gratiæ confirmatas, &c. idcirco vniuerfale principium, ex quo omnes inferunt, fe non effe damnatos, eft Iudicium particulare, quod fit in morte: ibi enim recipiunt notitiam de proprio ftatu, imò ipfis reuelatur, fe numquam peccaturos.

Conficitur falutis habetur ex notitia accepta in inftanti mortis in Iudicio particulari.

Quæres fecundo, an animæ Purgatorij poffunt mereri, aut demereri?

29 Refpondeo, loquendo de merito, poffumus illud diftinguere in meritum de condigno, & de congruo, & de vtroque quæfitum procedere poffet: & vt à certioribus exordiamur; aio, animas in Purgatorio exiftentes non poffe de condigno mereri. fententia ifta eft certa apud omnes Catholicos, & vt ex *Caietano, & alijs vult Suarez disp. 47. fect. 2. eft de fide.* colligitur enim fatis clarè ex Sacra Scriptura tum ex veteri, tum ex nouo Teftamento. nam in Ecclefiafte cap. 9. dicitur, *mortui nihil nouerunt amplius, nec habent vltra mercedem*, & hoc expreſsè affirmat *S. Hieronym.* locum illum exponens. rurfus *Ecclef.* 11. *fi ceciderit lignum ad Auftrum, vel ad Aquilonem, in quo loco ceciderit, ibi erit.* hunc locum explicant *& Hieronymus, & Bernardus ferm. 89. de immutabili ftatu animæ, qui eft in alia vita.* Præterea idem *Ecclefiaft. cap. 14.* fic inquit, *ante obitum tuum operare iuftitiã, quia, non eft apud inferos inuenire cibum.* hoc autem dicitur de operibus meritorijs, quæ funt opera iuftitiæ. habetur etiam hæc veritas expreffa in nouo Teftamento, & in pluribus locis *Ioann.* 9. *venit nox, in qua nemo poteft operari*, per noctem intelligitur tempus illud, quod fubfequitur poft mortem, in quo homo non poteft operari opera meritoria, vt interpretantur Patres, alijque Commentatores: *Luc. 16. redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris amplius villicare*, per non poffe villicare, intelligunt Patres non poffe mereri, quod confirmat illud *Apocal. 10. tempus non erit amplius*, nempe tempus merendi.

Non poffunt de condigno mereri.

Ex multis S. Scripturæ locis oftenditur.

Ratio autem huius rei eft Diuina voluntas, quæ difpofuit, ftatum merendi effe hanc vitam; & ideo ftante Diuina lege, ceffabit omne meritum. 30

Ex ratione defumpta à difpofitione volũtatis Diuinæ.

Quod verò fpectat ad meritum de cõgruo in ordine ad impetrandum pro fe, & pro liberatione à pœnis non eft ita certum, ficuti eft de merito fimpliciter dicto, quale eft meritum de condigno; attamen benè notat *Suarez* effe idem dicendum tanquam quid probabiliùs, & frequentiùs receptum, quàm fit oppofitum. & fundamentum, vt vult *Suarez*, effe poteft, quia ex eo quod homo fuit negligens in hac vita ad fatisfaciendũ, amifit ob talem negligentiam ius congruitatis; hoc eft ius admerẽdum, feu ad impetrãdũ de congruo pro fui liberatione. fed ratio ifta, quã adducit *Suar.* mihi nõ omnino placet, tum quia non eft vniuerfalis; nam poffet contingere, vt aliquis iuftus moriatur ftatim poft actum contritionis emiffum de peccatis antea patratis, ita vt non fuperfuerit fibi tempus fatisfaciendi pro illis peccatis. & tunc non potuiffet dici negligens in exercẽdis operibus fatisfactorijs; & hoc non obftante in Purgatorio mereri non poffet; proinde ratio prædicta non eft vniuerfalis pro omnibus: tum etiam quia abfque fufficienti fundamento afferitur, ob negligentiam operandi in hac vita amitti totaliter congruitatem ad merendum; nam negligentia ifta non eft neceffe, vt puniatur per amiffionem talis iuris, cum poffit conuenienter puniri alijs pœnis. quapropter cenfeo, veram rationem effe; quia vi difpofitionis Diuinæ ftatus merendi fiue de condigno, fiue de congruo eft ftatus puri viatoris, qualis eft ftatus huius vitæ mortalis. & hoc gratis non affero, fed illud colligo ex locis Scripturæ citatis, in quibus vniuerfaliter habetur, poft hanc vitã non effe amplius tempus operandi, quæ verba cũ fint exclufiua omnis bonæ operationis, quæ iuuet ad vitam æternã, & ad remiffionẽ pœnæ, dicendũ confequenter eft, neque de condigno, neque de congruo poffe animas in Purgatorio mereri in ordine ad propriam falutem. accedit alia cõgruitas defumpta à via Angelorũ; nã iuxta fẽtẽtiã com-

Idem videtur dicendum de merito de cõgruo.

Expenditur argumentum Suarij.

Vera ratio, quia ftatus merẽdi viatoris modo eft huius vitæ ex Diuina difpofitione.

Alia cõgruitas huius dicti.

communem Doctorum, quod in Angelis malis fuit lapsus, & in bonis perfecta ad Deum conuersio, in hominibus est mors; sicuti igitur in Angelis post perfectam adhæsionem voluntatis siue ad bonum, siue ad malum cessauit omnis status merendi; ita in hominibus post mortem. demum est alia optima congruentia, quia cum in momento mortis fit, Iudicium particulare, & vt ex communi Ecclesiæ consensu habemus, & infra videbimus, & data sententia, videtur valdè conueniens, cessare statum merendi.

31 Ex his solui poterit obiectio, quæ solet fieri contra hanc veritatem, videlicet in anima, quæ est in Purgatorio, inueniri omnia principia ad merendum; nam habetur fides supernaturalis, gratia sanctificans, charitas, libertas, &c. ergo reperiuntur omnia requisita ad liberè exercendas operationes supernaturales meritorias, solui, inquam, poterit obiectio ista, quia licèt in animabus Purgatorij sint principia intrinseca ad merendum; tamen deficit status congruus ad meritum; & hoc ex lege Diuina, vt ostensum est supra, ideo mereri nequeunt.

Animæ Purgatorij non sunt in statu congruo ad merendum.

32 Quæ dicta sunt de merito, applicanda sunt de merito; & hoc à fortiori. nam in eo statu animæ illæ sunt in bono confirmatæ mediante gratia, & Diuina protectione, vt nunquam possint à bono recedere, sed illi immobiliter adhærent.

Et ratione ipsius status non possunt demereri.

Quæres tertiò, an animæ illæ possint pro nobis Deum orare?

33 Respondeo, esse duas opiniones: prima negat, & in hanc videtur inclinare S. *Tho. 2. 2. quæst. 83. a. 11. ad tertium.* quia potius sunt in statu, vt alij pro ipsis orent, quàm vt ipsæ pro nobis preces fundant; sed alij Authores putant, ipsas pro nobis orare, impetrando aliquid apud Deum intuitu meritorum, quæ in hac vita habuerunt. res est incerta.

An pro nobis orent, incertũ est.

Quæres quartò, an animæ Purgatorij, antequam complete purgentur, possint à Purgatorio exire?

34 Respondeo, per se loquendo, & de lege ordinaria non posse ante purgationem finitam ex illo loco egredi. *ita Suar. disp. 47. sect. 4. num. 10.* qui id probat ex Patribus, & ex lege Diuinæ iustitiæ detinentis in eo loco animas, vsque dum plenè purgentur; attamen ex Diuina dispensatione non solùm id fieri potest, verùm etiam aliquando factum fuisse, probant nonnullæ reuelationes, quæ referuntur *in Dialogis S. Gregorij lib. 4. cap. 10. 36. 40. & alibi.* licèt interdum animæ, quæ apparent, soleant purgari in aliquo loco determinato huius mundi, vt notat *Suarez, num. 11.* & addit, tunc non interrumpi vnam pœnam, quia vt sic differretur tẽpus acquirendi beatitudinem: & ideo talis egressio redundaret in earũ detrimentum, quod non est asserendum. quo pacto autem crucientur, licèt sint extra locum illum, diximus in tractatu de Angelis loquentes de illis Angelis malis, qui vsque ad diem Iudicij manẽt in hoc mundo, & declarat *S. Thomas p. 1. quæst. 65. art. 4. ad tertium, & alibi,* ad quem me remitto.

Ante finitã pœnam nõ possunt exire à Purgatorio de lege ordinaria, ex dispensatione possunt.

TRACTATVS II.

DE SVFFRAGIIS IN GENERE, QVAE pro defunctis fieri possunt.

IN præcedenti Tractatu loquuti sumus de statu, in quo reperiuntur animæ Purgatorij, & de acerbitate pœnarum, quas sustinent: nunc verò in isto secundo Tractatu erit sermo de medijs, quibus à viuentibus iuuari possunt, & appellari communiter solent suffragia, circa quæ multa sunt exagitanda. & primo erit sermo de suffragiorum natura in communi: in sequenti Tractatu de suffragijs magis in particulari.

CAPVT I.

De efficacia, numero, & qualitate suffragiorum.

ANtequam ad particularia suffragia descendamus, & ad modum, quo in praxi pro defunctis applicari debeant, breuiter contra Hæreticos ostendemus, fidelium viuentium suffragia prodesse posse animabus in Purgatorio detentis.

SECTIO I.

An viuorum suffragia valeant pro defunctis.

1 VT veritas catholica contra Hæreticos penitus omnia suffragia pro defunctis de medio tollentes constanter firmemus, præmittenda sunt verba S. *Augustini in Enchiridion cap. 109. & 110.* loquēdo enim de his suffragijs in genere sic inquit, *Neque negandum est, defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cum pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. sed eis hæc prosunt, qui cum viuerent, vt hæc sibi postea prodesse possent, meruerunt. est enim quidam viuendi modus nec tam bonus, vt non requirat ista post mortem, nec tam malus, vt ei non prosint ista post mortem: est verò talis in bono, vt ista non requirat; & est rursus talis in malo, vt nec his valeat, cum ex hac vita transierit, adiuuari.* hæc Augustinus, ex cuius verbis tria personarum genera in alia vita colligimus: quorum duo sunt extremè opposita; nam vnum genus est adeo bonum, vt suffragia ista minimè requirat; & tales sunt animæ beatæ in Cœlo; aliud verò genus est adeo malum, vt suffragia illi minimè pro-

Tria hominū genera in alia vita existentium ex Sanc. August.

sint; tertiū deniq; genus est medium, quia non est adeo bonum, vt non requirat suffragia, nec adeo malum vt suffragijs non adiuuetur, hoc autem genus cōtinet animas in Purgatorio existentes. certum igitur habemus, & à nobis in præsentia supponendum, sacrificia, orationes, eleemosynas, & alia pia opera, quæ à fidelibus in hac vita fiunt, nō prodesse animabus Beatis, nisi ad quamdam gloriam accidentalem consistentem in quodam gaudio superaddito de operibus, quæ pro ipsis fiūt, vt explicant Theologi. præterea nullū leuamē afferre animabus damnatis quoad peccata mortalia, quæ in hac vita remissa quoad culpam minimè fuerunt; & hoc est de fide, quia de fide habemus, pœnam damnatorum esse æternam *Matth. 3. 25.* si autem suffragijs adiuuari possent ad remissionem his peccatis debitam, sequeretur, pœnam tandem finiri multiplicatis suffragijs; & sic non esse æternam, contra id, quod Ecclesia definit. solùm dubitatio aliqua esse poterit, an suffragia valeāt damnatis prodesse pro mortalibus remissis quoad culpam, & pro quibus plenè in hac vita nō fuit satisfactum; & itidem dubitatio esse poterit de pœna debita peccatis venialibus: & quamuis aliqui putauerint, pœnam hanc non esse æternam, sed aliquando cessaturam; nihilominus, vt rectè probat *Suarez tom. 4. disp. 49. sect. 4. nu. 16.* quod licèt demus, pœnam hanc non futuram esse perpetuam; tamen non erit cessatura per suffragiorum communicationem, sed per satispassionem, quia cum animæ illæ careant gratia, & amicitia Dei, nequeunt in bonis operibus communicare cum iustis, licèt ipse Suarez neque admittat, hanc pœnam aliquando finiri, sed velit etiam futuram esse æternā, sicuti est illa, quæ debetur mortalibus nō remissis. maneat igitur, præsens quæsitum habere dumtaxat locum in animabus Pur-

Pia opera viuentium non prosunt animabus Beatis, nisi ad quādam gloriam accidētalem.

Animis damnatorum nullum leuamē afferre est de fide.

Purgatorij. his igitur præmissis:

2 Dicēdum est, animas iustorum in Purgatorio detentas suffragijs fidelium adiuuari posse. conclusio est de fide, & optimè suadetur ex illo celebri loco *Machabæorum 2. cap. 12. sancta, & salubris cogitatio est pro defunctis exorare, vt à pænis soluantur*. ex isto loco clarè habemus, per orationes fidelium in hac vita degentium defunctos in Purgatorio existentes à pœnis solui, & liberari posse. hunc autem librum Machabæorum, vt canonicum ab vniuersali Ecclesia recipi, certum est ex diuersis Concilijs, & nouissimè inter libros canonicos enumeratur à *Concilio Tridentino sess. 4. in Decreto De canonicis Scripturis*, argumenta autē, seu expositiones, quas Hæretici tradunt interpretando hunc textum, quo valdè torquentur, diluit, & impugnat *Cardinalis Bellarmin. lib. 1. De Purgatorio cap. 3.* rursus veritas ista definita reperitur in diuersis Concilijs, confirmaturque Patrum auctoritate apud *Suarez sect. cit. à num. 5.*

Prodesse animis iustorum in Purgatorio, itidem est de fide.

Habetur ex S. Scriptura,

Ex Concilijs, et patribus.

3 Denique efficaci probatur ratione. nā animæ mortuorum, quæ in Purgatorio existunt, cum ab hac vita decesserint in charitate, quam semper retinent, vniuntur nobiscum tāquam membra viua sub vno, eodemque capite, qui est Christus Dominus, atq; adeo participare possunt fructū nostrarū piarū operationū, de qua participatione loquitur Symbolū Nicen. maneat igitur tanquam firmum, & constans, viuorum suffragia valere posse pro defunctis, non omnibus, sed tantùm ijs, qui in Purgatorio detinentur.

Ex efficaci ratione petita à communione Sanctorum.

SECTIO II.

Quid, & quotuplex sit suffragium.

Loquimur de suffragio non secundùm totam latitudinem verbalis significationis; sed magis restrictè, quatenus pertinet ad animas, quæ in Purgatorio detinentur; atque adeo prout est aliquod opus pium.

4 Dicendum est primo, Suffragium, pro vt de illo in præsentia loquimur, nihil alind est, nisi quoddam auxilium, seu subsidium oblatum ab vno fidele pro altero ad obtinendum à Deo remissionem pœnæ temporalis. definitio ista sumitur *à S. Thoma, & ab alijs Scholasticis in 4. dist. 45.* eamque amplectitur *Suarez tom. 4. De pænit. disp. 48. initio quintæ partis*, & cōmuniter alij recentiores. descriptio est clara quoad vocum significationem, proinde non indiget alia declaratione. difficultates verò, quæ fieri possunt circa res significatas, in progressu huius tractatus enodabimus.

Quid sit suffragium.

Dicendum est secundo. Opera satisfactoria, in quibus suffragia consistunt, ad tria generalia capita reducuntur, nempè ad orationem, eleemosynam, & ieiunium. ita habemus *ex Tridens. se .14. Can. 13.* & confirmant communiter Theologi *apud Bellarminum lib. 4. De pænit. cap. 6.* & quāuis *in sacris Canonibus cap. Anima quæst. 2.* præter supradictā tria ponitur oblatio Sacerdotum tanquam caput distinctum; nihilominus non sequitur, diuisionē communiter receptam deficientem esse: nam oblatio, seu sacrificium sub oratione largè sumpta comprehendi potest, quia per orationem hic intelligunt Authores omne illud suffragium, quod pertinet ad animam, vt sunt opera omnia spiritualia, quæ in Dei obsequium exhibentur, videlicet sacrificium Missæ, gratiarum actiones, & similia. vt rectè adnotauit *Bartholomæus à S. Fausto de suffragijs lib. 1. q. 1.* 5

Tria genera suffragiorum: oratio, eleemosyna, ieiunium.

hoc autem posito probamus, sufficientiā prædictæ trimembris diuisionis, quam rectè ostēdit *Turrecremata in caput illud Anima*. aio igitur, actus omnium virtutū, quibus fideles possunt defunctos adiuuare, sub triplici respectu considerantur, vel enim spectant ad animam, vel ad corpus, vel ad bona externa: ad animam autem pertinet sacrificium, gratiarū actio, laus Diuina, &c. ad corpus, omnia opera afflictiua carnis, vt ieiunia, flagellatio, vigiliæ, purgationes, &c. ad bona externa attinent eleemosynæ, ædificatio Ecclesiarum, Monasteriorum, &c.

Probatur esse sufficientem tripartitam hanc diuisionem.

Obijci autem hic potest, in prædicta diuisione inueniri defectum; nam omittuntur indulgētiæ, quæ sub nullo ex prædictis capitibus contineri possunt, & tamē ipsæ maximè prosunt animabus Purgatorij, vt infra latè dicemus. 6

Obiectum contra ipsam.

Ad hanc autem instantiam respondet *Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Purgatorio cap. 16.* indulgentias non constituere aliud distinctū genus ab enumeratis; quia indulgentia non est aliud, nisi quædam applicatio operationum pœnalium, seu satisfactionum Christi Domini, & Sanctorum, quæ conseruantur in thesauro spirituali Ecclesiæ, & de quo Christi Vicarius disponere potest. 7

Diluitur.

Per supradicta autem opera nos satisfacere pro mortuis, probat *idem Bellarminus eodem capite ex Patribus*, quod etiam varijs reuelationibus, quæ passim enarrantur in historijs, & vitis Sanctorū confirmatur. 8

Sed vlteriùs obijcies. Restitutio rei alienæ, aut satisfactio facienda creditoribus defuncti ab hæredibus prodest ipsi 9

Aliud obiectum.

de-

defuncto; ergo est aliud diuersum genus suffragij, atque adeo deficiens erit prædicta assignatio ex S. Gregorio allata; & pro hac sententia citatur *Gabriel, & Riccardus.*

10 Huic obiectioni occurrit *S. Antoninus 3. p. tit. 10. cap. 3. sect. 12. Sotus in 4. dist. 45. q. 2. a. 3. & Bellarminus loco citato. Suarez tom. 4. disp. 48. sec. 8. à n. 19. Martinus Carrillo in Bulla defunctorum par. 2. cap. 15. nu. 3. & seq. Trullench lib. 4. in exposit. Bullæ dub. 8. & quamplures alij*, qui dicunt, restitutionem rei alienæ nec proficere defunctis, si fiat ab hæredibus, nec obesse, si cõmitatur, quia Deus non punit animas in alia vita, nisi pro peccatis proprijs in hac vita commissis: & ideo vel defunctus nullum patrauit peccatum non restituendo, quia erat impotens ad restituendum, vel quia inuincibiliter alienũ possidebat; vel peccauit, quia poterat restituere, & noluit, vel fuit negligens ad restituendum: si primum, nullo modo erit puniendus, atque adeo ob negligentiam hæredum non erit ipse defunctus in Purgatorio detinendus, sed statim ac purgauit peccata propria, ad Cœlũ euolabit: si autẽ secũdũ dicatur, & culpa ponatur mortalis, qua non deleta, per pœnitentiam defunctus ex hac vita migrauit, in inferno erit pœnis æternis cruciandus: si verò culpa fuerit venialis, in Purgatorio pro illa punietur: at post pœnam debitam solutam liberabitur à pœnis, nullo habito respectu ad negligentiam hæredum, pro qua ipsi hæredes, & non defunctus erit plectẽdus; & sic patet, restitutionem rei alienæ ab hæredibus exequendam nec iuuare, si fiat, nec obesse ipsi defuncto, si non fiat. aliter sequeretur, animam perpetuò detinẽdam fore in Purgatorio, si culpabiliter ab hæredibus omittatur, quod asserere, esset error, opinio autem ista, quod animæ detineatur in Purgatorio, donec hæredes satisfaciãt, solùm circumfertur apud vulgum, & indoctos.

Solutio.

Restitutio rei alienæ ab hæredibus defuncti nec prodest illi facta, nec obest omissa.

11 Dices. In historijs plures referuntur apparitiones, in quibus dicuntur animæ petijsse, vt restitutio pro ipsis fieret earum rerum, quas vel oblitæ sunt, dum erant in hac vita, vel non potuerunt eas restituere. & confirmatur *ex libr. reuelat. S. Brigit. cap. 66.* in quo refertur, ipsam Sanctam dixisse, animam pœnis cruciari, donec restitutio fiat. & confirmatur ex *cap. in litteris de Raptorib.* vbi iubetur, hæredes esse monendos, vt satisfaciãt ex facultatibus defuncti damna illata ab ipso defuncto: & in fine ita habetur, *vt sic à peccato valeat liberari.* supponit ergo Pontifex, restitutionem faciendam iuuare posse defunctos in Purgatorio existentes.

Obiectio.

Respondeo cum Bellarmino, forsitan animam, quæ dicitur apparuisse, non postulasse restitutionem alicuius rei sub formalitate restitutionis, sed sub ratione eleemosynæ, sub qua ratione iuuari poterat. addo, etiam id potuisse contingere propter bonum spirituale hæredis, quatenus anima defuncti ob charitatem erga hæredes, Deo dispensante, noluit hæredẽ admonere, vt restitueret, ne peccando damnetur. 12

Respondetur.

Ad textum illum *ex cap. in litteris* respondeo, litteram illam esse mendosam, pluraliter enim legi debet, nempe valent, vt notauit ibi *Ioannes Andreas*, & habetur in illius capitis margine. proinde verbum illud plurale refertur ad hæredes viuentes, qui monendi erant ad satisfaciendum, vt à peccato liberentur; attamen *Cardinalis Delugo de Sacramento Pœniten. disp. 26. sect. 3. num. 33.* volens in gratiam alterius sententiæ probare, restitutionem faciendam ab hæredibus prodesse posse defuncto, duplici ratione id suadet. 13

Primo, quia sæpe Deus, dum non fit restitutio, non exaudit preces, & orationes, quæ nomine Ecclesiæ, vel etiam à priuatis personis pro anima illius defuncti offeruntur: ideoque licèt soluta tota pœna, sit anima illa liberanda, & licèt suffragia, & sacrificia illi prosint ad sacrificandum, carent tamen interim, dum non fit restitutio, fructu impetrationis, quem habere posset: secundo, pœnam ob dilatam restitutionem augeri posse tum quoad intensionem, tum quoad durationem, sicuti in humana Republica experimur, qui alium iniustè læsit, grauius puniri, dum persona offensa non condonat acceptam iniuriam, vel illi non satisfit. mitiùs tamen punitur, si parti læsæ fuerit satisfactum, vel condonet iniuriam. igitur in casu nostro contingere poterit, vt ob defectum restitutionis differatur pœna defuncti, quia quamdiu persona offensa non condonat, vel eidem non satisfit, pœna delicti præteriti debet esse grauior, & diuturnior. inde est vt defuncti sæpe postulent ab hæredibus fieri has restitutiones, vel interdum ab ipsismet personis offensis veniam peti. hæc *ex Cardinalis De Lugo.* 14

Argumento duo Card. De Lug. quod restitutio ab hæredibus facta prosit animabus Purgatorij.

Respondeo, hæc omnia ex dictis facilè impugnari posse, quia sequeretur ex tali sententia, quod si defunctus ante mortem omnem diligentiam apposuerit ad restitutionem, seu satisfactionem faciendam, & hoc non obstante, hæres sua malitia, aut negligentia omitteret restitutionem, deberet defunctus puniri in Purgatorio alterutro ex duobus supradictis modis: patet sequela ista, nam illa sententia polita, omissio restitutionis, vel est in defuncto 15

Impugnantur facilè.

punienda ob culpam aliquam ipsiusmet defuncti, vel absque vlla culpa: si primum asseratur, non sumus in casu, quia id, quod nos cum communi ferè omnium Theologorum consensu sustinemus, est, omissionem restitutionis in quantitate punitionis esse mensurandam iuxta mēsuram culpæ ipsius defuncti: & ideo, si nulla interuenerit culpa ex parte defuncti, nullā erit passurus pœnam: si verò dicatur secundum, sequela prædicta rectè procederet, at illud cōsequens erit omnino absurdum, & minus decens non solùm bonitati, verùm etiam iustitiæ Diuinæ, quæ nunquam in alia vita punit hominem, nisi ob propriam ipsius hominis culpam siue originalem, siue personalem. exemplum autem allatum à Cardinali de Lugo illi non suffragatur; quia ideo in humana Republica, qui alium læsit, grauiùs punitur, non obtenta remissione, seu condonatione, quæ fieri deberet à parte læsa, vel non posita satisfactione, quoniam offendens non satisfaciendo est reus culpæ, & quanto plus differt satisfactionem, eo maior erit culpa, & dignitas ad pœnam: at ex hypothesi à nobis præmissa, defunctus non est caussa omissionis restitutionis, seu satisfactionis; proinde non erit censendus culpabilis, neque pœna dignus: & idem dicendum esset, si alicuius leuis culpæ foret reus, non adhibendo totam diligentiā moralem, vt fiat restitutio, & post mortē in Purgatorio plenè satisfecerit pro tali culpa, etiam si hæres culpabiliter perseueraret in omittenda restitutione.

Homo in alia vita non punitur, nisi ob propriam culpam siue originalem, siue personalem.

CAPVT II.

De modo, quo suffragia viuorum prosunt defunctis.

1 IN præcedentibus loquuti sumus de natura suffragij in vniuersum, & de eius speciebus: nūc verò agere debemus de modo, quo ipsa suffragia vtilia esse possunt animabus Purgatorij. triplex autem se offert modus examinandus, nimirum per modum meriti, per modum impetrationis, & quia meritum est in duplici differentia, videlicet de condigno, & de congruo; de vtroq; distinctè est agendū.

(†)

SECTIO I.

An suffragia viuentium prosint mortuis per modum meriti de condigno.

A Primo autem modo exordientes aduertimus, meritum esse in duplici differētia, vt communiter dicunt Authores: nam aliud est meritum de condigno, aliud verò de congruo; attamen non est mea intētio in præsentia examinare qualitates, seu conditiones vtriusque meriti; hoc enim est omnino alienum ab instituto, quod præ manibus habemus, ideoque hæc omnia supponentes ex materia de merito lectorem remittimus ad *Suarez tom. 3. De Gratia lib. 16. per totum*. in quo de re ista fusè, & eruditè pertractat, solū igitur intentio nostra est breuiter attingere hanc materiam de merito, & quantum facere videtur ad præsentis quæsiti decisionem, ideoque ad subsequentes deuenimus conclusiones. 2

Duplex mensuram de cōgruo, & de condigno.

Dicendum est, non posse defunctos adiuuari à fidelibus per modum meriti de condigno. conclusio apud omnes est certa, quia nullus purus homo alteri de condigno meretur, vt Theologi communiter docent, hoc enim soli Christo Domino conuenit, vt latè ostendit *Suarez in 3. p. Tom. 1. disp. 4. sect. 7.* hoc autem procedit de facto, & de potentia ordinaria, posito præsenti rerum ordine, non autem de potentia absoluta, secundum quam in hoc nulla est repugnantia: & quamuis res ista esset à nobis supponenda, & non probanda, placet tamen attingere eius fundamentalem rationem; & est, quia totum meritum de condigno, quod de facto in nobis inuenitur, adæquatum præmium habet in ipso merente per augmentum gratiæ sanctificantis, & per ius ad maiorē gloriam sibi ipsi acquirendum: proinde si totum præmium in ipso merente suam sortitur consummationem, nihil amplius remanet pro alijs merendum: quodcunq; enim aliud excederet condignitatem operis. 3

Non possunt adiuuari defuncti per modum meriti de condigno.

Ratio eius fundamentalis.

Dices, posse aliquem petere à Deo, vt minus gratiæ sibi elargiatur propter opera meritoria, & consequenter ius ad maiorem gloriam, quæ meritis deberetur, & quod deest ad prēmium adæquatum, cōpensetur retribuendo alteri homini; & sic homo de facto de condigno pro altero mereretur. 4

Obiectio.

Respondeo, id fieri nō posse: esset enim deordinata petitio contra dispositionem Diuinæ prouidentiæ; & contra debitum ordinem charitatis exigentis in ijs, quæ pertinent ad propriam perfectionem, & ad vnionem cum Deo tanquam vltimo fine, 5

Solutio.

fine, vt vnusquisque plus se ipsum, quàm proximum amet, vt rectè ostendit *S. Thomas 2. 2. q. 26. a. 4.* inde est, vt nemo debeat malum peccati facere, vt proximũ liberet à peccato: nam peccatum contrariatur vnioni, quam homo habet cum Deo.

Maneat igitur tanquam certum, non posse animas Purgatorij à nobis adiuuari medijs suffragijs per modum meriti de condigno.

SECTIO II.

An saltem iuuent per modum meriti de congruo, seu per modum impetrationis.

6 *Meritum de congruo, an sit idem, ac impetratio.* QVod verò spectat ad meritum de congruo, est nõnulla dissentio, & dubitatio apud Authores, an sit idem, quod impetratio. & quamuis, rigorosè loquendo, distinguantur & inuicẽ separari valeant, vt *ex S. Thoma 2. 2. q. 89. ar. 15.* probat, & confirmat *Suarez tom. 3. De gratia lib. 12. cap. 34. à n. 8.* tamen asserit, esse posse quæstionem de nomine. sed quicquid sit de hoc, de quo disputare nolo, in subiecta materia vtrumque pro eodem sumi poterit; & sic idem *Suarez tom. 4 in 3. p. d. 48 sect. 5. nu. 4.* vtrumque coniungens, eamdem, ait, esse vtriusque rationem; idcirco & nos indiscriminatim vtrumque considerabimus, & quærimus, an suffragia prodesse possint defũctis per modum puræ impetrationis, an verò per modum solutionis, seu satisfactionis.

7 *Distinguitur status quæstionis.* Vt autem status quæstionis intelligatur, aduertendum est, duplicem sensum habere posse: & primo per suffragia iustorũ impetrari à Deo, vt det auxilia ad excitãdum fideles, vt offerãt suffragia pro mortuis: secundo, vt Deus intuitu ipsorum suffragiorum gratis remittat pœnam absque satisfactione: in primo sensu non est controuersia, sed in secundo; & duas inuenio contrarias sententias.

8 *Prima sententia negat, defunctis prodesse suffragia per modum impetrationis.* Prima enim negat, hoc modo per suffragia iustorum impetrari à Deo, vt relaxetur pœna, & consequẽter asserit, suffragia prodesse defunctis per modum satisfactionis, seu solutionis, & non impetrationis. hanc sententiam tuetur *Sotus in 4. d. 45. quæst. 3. ar. 2. in fine. ver. Vltima tamẽ. Suarez tom. 4. in 3. p. d. 48. sect. 5. à num. 5. Filliuc. tom. 1. tract. 8. cap. 1. num. 28. Raphael Auersa De sacrificio Missæ q. 11. sect. 11. Ioannes Sancius in selectis disp. 16. n. 12.* *Ratio desumpta ex natura Diuinæ iustitiæ.* fundamentum præcipuum huius sententiæ est desumptum ex conditione, seu natura Diuinæ iustitiæ, quæ postulat, vt nullum malum remaneat impunitum, & ius Diuinum læsum resarciatur: & sic seruetur æqualitas; atque adeo Dei opera eò illustriora fiunt, quò exactiùs eius vindicatiua iustitia seruatur.

Secunda opinio vult, nostra suffragia prodesse defunctis per modum impetrationis. *sic Durandus in 4. d. 45. q. 1. n. 6. Aegidius Couin. de Purg. d. 11. dub. 7. nu. 34. Bartholomaus à S. Fausto lib. 1. De suffrag. q. 24. Trullench in Bull. lib. 4. dub. 6. Cardinalis de Lugo disp. 24. De pænit. sec. 1. titulo Dubium incidens. fauet huic opinioni Bellarminus lib. 2. De Purg. c. 16. initio.* citari etiam solet *Caietanus tom. 1. opusc. tract. 16. q. 5.* sed ex doctrina, quam ipse ibidem tradit, non possum colligere, ipsum esse in hac sentẽtia. hæc autem opinio varijs congruentijs suaderi solet. 9 *Secunda affirmat.*

Et primo ex recepta Ecclesiæ praxi. Ecclesia enim preces fundit Deum orãs, vt per suam pijssimam misericordiam, & per intercessionem Beatissimæ Virginis, aliorumque Sanctorum defuncti suorum peccatorum veniam consequantur. sic ex orationibus, quæ recitantur in Missa, & officio defunctorum: si autem Ecclesia non speraret aliquam à Deo pro animabus Purgatorij remissionem, frustra oraret petendo talem relaxationem, sed sufficeret pro eisdem applicare operationes satisfactorias, quia eodem modo illis animabus prodessent orationes, si applicarẽtur tanquam satisfactoriæ, ac si funderẽtur per modum applicationis. & confirmari potest quia Sancti, & Beati, qui sunt in patria iuxta communissimam Theologorum sentẽtiam orant pro animabus Purgatorij, vt ipse *Suarez* fatetur, & admittit tanquam certum; cum ergo nequeant mereri, aut satisfacere, quia sunt extra talem statum, consequens est vt dicamus, eorum orationes prodesse per modum impetrationis. 10 *Suadetur primo ex Ecclesiæ praxi, et precibus.* *Sancti in cælo orant pro animabus Purgatorij.*

Verùm ad hęc respondere possent Authores alterius sententiæ, ab Ecclesia peti remissionem pro animabus Purgatorij, nõ vt fiat gratuito; sed vel vt Deus dignetur acceptare orationes, reliquasque operationes, quæ offeruntur, quia iuxta multorum opinionem non est infallibile à Deo acceptari, vel vt præbeat auxilia excitando voluntates fidelium ad exhibẽda suffragia pro defunctis. 11 *Responsio Authorum contrariæ sententiæ.*

At contra est, quia in illis orationibus, quæ ab Ecclesia funduntur, nulla habentur verba, per quæ colligatur, petitionem Ecclesiæ esse, vt Deus auxilia prædicta cõferat, sed absolutè petitur relaxatio pœnæ, seu remissio peccatorũ: proinde gratis hæc excogitantur ab aduersarijs. præterea Ecclesia in multis orationibus pro defunctis non postulat, vt Deus acceptet, 12 *Refutatur.*

sed

sed directè, & absolutè, vt per suam misericordiam, & intercessionem Sanctorum remittantur peccata.

13 *...undo ex ...uelationi...s.*

Secundo probatur sententia ista ex nonnullis reuelationibus, quibus habemus ob intercessionem Beatissimæ Virginis liberatos à pœnis Purgatorij aliquos ei deuotos: & idem in historijs legitur contigisse medijs precibus Sanctorum. tertio suadetur, quia remissio ista omnino gratuita non est moraliter mala, imo honesta, valdè conformis Diuinæ liberalitati, & misericordiæ: ergo non est neganda. & confirmari potest ex ijs, quæ inter homines passim fieri videmus: sæpe enim euenit, vt vnus petat ab alio, vt remittat offensam, & condonet satisfactionem, quam iure suo exigere posset ab offendente, & intuitu petitionis factæ ab amico, vel ab auctoritate, & dignitate alicuius personæ ille, qui est offensus, moueatur ad gratuitam condonationem iniuriæ illatæ: sic igitur discurrere possumus in casu nostro, nam orationes Sanctorum non debent esse minùs efficaces apud Deum, quàm sint preces vnius hominis apud alium hominem; igitur si preces istæ hominis terreni interdùm obtinent remissionem gratuitam, potiori ratione hoc ipsum de Deo est asserendum.

...tio ex honestate gratuitæ remissionis.

...nfirmatur ...empio ex ...manis.

Incertitudo ...estionis dessinanda...ta?

Hæc & similia dici possunt pro vtraq; sententia. quid autem sit, vt probabiliùs amplectendum, non est ita facilè determinare, quia res ista est valdè nobis incerta, longèque distat à nostra cognitione: & in Scripturis, & Patribus non habemus aliquod clarum, ex quo veritas definitè concludatur, attamen quid verius, & rationi magis consentaneum sentiam, iam aperiam.

14 *...uffragia nō ...osunt defunctis ad obtinendā gratuitam condonationem pœnæ distinctam ab ipsa satisfactione.*

Dico igitur primo, suffragia, quæ fiunt à viuentibus pro defunctis, non prodesse ad obtinendam immediatam, & gratuitam condonationem pœnæ temporalis debitam pro culpis distinctam ab ea, quæ habetur per modum solutionis, & satisfactionis: & in hoc sequor opinionem priori loco relatam, & ducor ad eam asserendam eodem fundamēto, cui nituntur Authores illius sententiæ, quod est exigentia Diuinæ iustitiæ postulantis, vt mala non maneant impunita: nam lex Diuinæ prouidentiæ est, vt qui delinquit, condignè puniatur: & hæc est via ordinaria, quam Deus statuit: & ideo, qui peccauit, vel debet à Deo puniri, vel ipse debet compensare pœnam per operationes satisfactorias: & ideo cum possit homo adiutus Diuino auxililio debitum soluere, irrationabiliter peteret à Deo, vt gratis debitum sibi, vel alijs remittat. & quemadmodum nemo potest sibi impetrare remissionem omnino gratuitam ex opere operantis, ita neque alijs: nam efficaciùs quis impetrat sibi, quàm alteri, vt notat *Suarez disp. 48. sect. 5. num. 5.* & ideo id multo magis dici debet respectu animarum Purgatorij, cum quibus minorem habemus communicationem, quàm cum viuentibus. neminem autem posse pro se ipso impetrare gratuitam hanc remissionem, ostenditur tali pacto: via ad obtinendam condonationem pœnæ temporalis in Purgatorio luendæ ex opere operantis vnica est, nempe per condignam satisfactionem: ergo nemo potest sibi impetrare remissionem omnino gratuitam ex opere operantis: patet consequentia, quia cùm certum sit, posse nos medijs nostris operationibus obtinere à Deo relaxationem pœnæ in Purgatorio sustinendæ, vt definitum est *in Concilio Tridentino sess. 14. cap. 8. & 9.* idcirco, si nulla alia superest via præter condignam satisfactionem exhibendam per operationes nostras, nemo poterit sibi gratuitam remissionem impetrare: tota igitur difficultas in antecedente consistit, quod sic probo: si enim alia superesset via, esset impetratio, aut meritum de condigno. alius modus ex opere operantis excogitari nō potest. meritum enim de cōgruo sub impetratione comprehendimus: sed neuter ex duobus prædictis modis erit sufficiens: & quoad impetrationem semota satisfactione suadetur *ex S. Augustino serm. 50. De tempore cap. 12. in fine, vbi ponderat dictum illud Ecclesiastici 21. fili peccasti non adijcias iterum, sed & de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur.* super hæc verba sic inquit *Augustinus, sed quid proderit deprecari, si te non dignum feceris exaudiri, non faciendo fructus dignos pœnitentiæ?* ex his verbis non obscurè colligimus, præter deprecationem requiri ad remissionem peccatorum satisfactionem, quæ consistit in fructibus dignis pœnitentiæ, atque adeo deprecantes non petimus gratuitam condonationem.

...uadetur ex ...xigētia Diuinæ iustitiæ.

...eccator vel ...ebet à Deo ...uniri, vel ...se compensare pœnam ...er opera satisfactoria.

Franc. Baed. in Bulla Cruc.

Nemo potest sibi gratuitā remissionem impetrare ex opere operantis.

Respondent aduersarij ad hunc locum S. Augustini, eum loqui de remissione peccatorum quoad culpam. 15

Contra est, quia licèt Augustinus ibi loquatur de remissione quoad culpam, tamen loquitur etiam de relaxatione quoad pœnam; & hoc colligitur ex alijs verbis, quæ ibidem habentur, ait enim sic, *parum est itaque recedere à peccatis, si præterita curare neglexerit, sicuti scriptum est, fili peccasti, &c.*

Ttt vide

vide Augustinum homines peccatores exhortatem, vt post recessum à peccatis, atque adeo post remissam culpam non negligant peccata præterita curare exhibendo fructus dignos pœnitentiæ, & in hunc finem affert dictum illud Ecclesiastici.cōfirmat totum hoc, & rectè *Suarez loc. cit.* arguens propotionali modo; nam sicuti nos petentes à Deo remissionem culpæ nō postulam⁹, vt eā remittat propter solam orationem absq; debita dispositione, nimirum absque sufficienti detestatione, &c. sic neque petimus condonationem pœnæ obtinendam absque debita satisfactione; igitur verissimum erit illud antecedens, scilicet vnicam nobis superesse viam ad acquirendam remissionem pœnæ ex opere operantis, nempe condignam satisfactionem, si autem pro nobis nulla alia se offerat via, multo magis id erit dicēdum respectu animarum, quæ sunt in Purgatorio, eas enim non alio modo adiuuare possumus, nisi eo modo, quo nos ipsos adiuuamur. quod verò spectat ad meritum de condigno, si sermo erit in ordine ad alios, iam supra sufficienter ostensum est, de lege ordinaria, & in hoc rerum ordine id esse impossibile; si verò sermo erit in ordine ad ipsum merētem, probatur, in operibus nostris, formaliter vt meritorijs de condigno, esse nō posse efficaciam remittendi pœnam per modum meriti de cōdigno, seclusa satisfactione: & ratio potissima ea est, quam adducit *Suarez tom. 4. De pœnit. disp. 37. sect. 10. num. 6.* videlicet, meritum nostrum de condigno esse ordinatum ad augmētum gratiæ, & gloriæ, & ad ea, quæ per se cum his sunt coniuncta, sed condonatio pœnæ non habet necessariam connexionem cum prædicto augmento; quia poterit aliquis maiorē habere gratiam, & esse sanctior cum maiori reatu pœnæ temporalis, imò poterit fieri sanctior crescente reatu pœnæ per peccata venialia, quæ ab ipsomet, qui est sanctus, committuntur; peccata enim venialia, vt suppono ex materia de Gratia, non opponuntur gratiæ sanctificanti, & charitati habituali, in quibus essentialiter, & formaliter consistit sanctitas: proinde cum incrementum, & decrementum huius reatus per accidens se habeat ad sanctitatem, non poterit homo per suas operationes aliud de condigno mereri, nisi augmentum gratiæ, & gloriæ: fateor tamē, per easdem operationes meritorias diminui reatum pœnæ, sed id fieri, quatenus operationes ipsæ sunt satisfactoriæ, & non in quantum meritoriæ.

Vnica via ad acquirendam pro nobis remissionē pœnæ ex opere operantis est cōdigna satisfactio.

Et multo magis pro animabus Purgatorij.

Per meritum de condigno, nec quidem neq; nobis sine satisfactione remittitur pœna de lege ordinaria.

16 Ex his, quæ hactenus dicta sunt, colligimus veritatem nostræ conclusionis: scilicet nostra suffragia prodesse animabus Purgatorij per modum satisfactionis, non autem per modum impetrationis gratuitæ condonationis.

SECTIO III.

Satisfit contrarijs argumentis.

Contra ea, quæ præcedente Sectione determinauimus, nonnulla occurrunt argumenta, quæ sunt à nobis soluenda.

Vrgebis igitur primo. Solet inter homines vnus ab alio impetrare gratuitam remissionem alicuius iniuriæ siue pro se ipso, siue pro tertia persona absque recompensatione; ergo eamdem remissionem possumus à Deo impetrare pro peccatis siue pro nobis ipsis, siue pro animabus Purgatorij: antecedens quotidiana experientia comprobatur, consequentia verò sic ostenditur. remissio ista non est moraliter mala, imò honesta, nullum enim ex illa sequitur inconueniens, aut absurdum; ergo poterit à Deo impetrari. 17

Primum argumentum.

Respondeo negando consequentiam, est enim disparitas inter vnum, & alterū casum.

Pro qua re aduertendum est, Deum in ordine ad peccata, quæ contra ipsum fiunt, dupliciter considerari posse; primo vt offensum, secundo vt Iudicem, ad quem pertinet punire debita iuxta eorum condignitatem: si primo modo eum spectem⁹, eadem est proportionaliter ratio inter ipsum, & offensum, & personam creatam: proinde, si nihil aliud obstatet, non solùm Deus posset gratis condonare pœnam, sed valdè congruenter id faceret exercendo actum liberalitatis, & misericordiæ; & vt sic foret actus honestus, & laudabilis: at secundo modo illum attendendo, nempe vt Iudicem, dico, quod quamuis de potentia absoluta, & extraordinaria possit hoc facere; nihilominus non videtur congruum, quia iustitia vindicatiua postulat, vt delicta non remaneant impunita. sicuti in humanis Iudex, per se loquendo, non rectè se gereret non puniendo malefactores: & licèt Princeps supremus aliquando soleat gratis remittere pœnam, quæ delinquenti debetur; tamen hoc non facit, nisi concurrentibus circumstantijs talibus, vt expediat pro bono Reipublicæ gratis cōdonare reo; hæc autē nō militāt in casu nostro, quia nulla datur talis commu- 18

Soluitur.

Deus, vt offensus posset remittere gratis pœnam, vt Iudex non est ita, vt sine satisfactione remittat cum iustitia vindicatiua.

Disparitas inter Principem terrenum & Deum remittentem pœnas delictis.

munitas, quæ expostulet, vt relaxetur pœna debita pro resarciendo iure Diuino ob peccata contra ipsum commissa; proinde non videtur ita congruum remittere gratis satisfactionem debitam, quamuis de potentia absoluta Deus, vt supremus, & absolutus Dominus valeat id facere.

Secundo vrgetur contra, quia talis vi-
19 *Secundò argumentum ex precibus Ecclesiæ.*
detur sensus Ecclesiæ, quæ orat Deum, vt propter merita Christi, Beatissimæ Virginis, & aliorum Sanctorum, & propter eorumdem intercessionem remittat animabus Purgatorij pœnas debitas pro peccatis, vt patet in oratione illa, quæ recitatur in officio defunctorum, *Fidelium Deus omnium*, & in alijs similibus precibus: si igitur orationes Ecclesiæ non iuuarēt animas illas per modū impetrationis, frustra Ecclesia eo modo oraret, sed solùm sufficeret applicare satisfactionem nostræ orationis, nam eodem modo animas illas adiuuaremus. & confirmatur ex oratione Sanctorum, qui in cœlo regnant; nam ipsi Beati, vt asserit ferè omnium Theologorum opinio, orant pro defunctis in Purgatorio, vt suadent quamplurimæ reuelationes, quæ referuntur in historijs, & vitis Sanctorum, per quas dicitur, à Beata Virgine, & ab alijs Sanctis aliquando liberatas fuisse aliquas animas à Purgatorio: at Sancti, qui sunt in cœlo, cum nequeāt illis animabus prodesse merendo, aut satisfaciendo, vt certum est, cū non sint neque in statu merendi, neque satisfaciendi, sed omnino in termino, remanet, vt prosint impetrando gratuitam aliquam condonationem.

Confirmatur idem ex oratione Sanctorum in cœlo.

20 *Infirmatur fundamentum ex solutione respōsionis contrariorum.*
Neque valet dicere, ab Ecclesia, & à Beatis non orari Deum ad impetrandam defunctis immediatam remissionem pœnarum, sed mediatam, videlicet, vt Deus excitet mentes fidelium ad applicādas proprias satisfactiones pro defunctis. nō valet, inquam, hoc dicere, quia manifestè pugnat cum verbis orationum, quas Ecclesia in hunc finem instituit, & per quas expressè postulat, vt per merita Christi Domini remittantur pœnæ: at durum est interpretari preces illas fūdi pro mediata remissione, seu pro excitatione voluntatum aliorum, vt applicent suffragia pro defunctis. præterea non deberemus rogare Sanctos, vt orent pro mortuis, sed vt orent pro nobis viatoribus, vt Deus excitet nos ad applicanda suffragia.

21 *Resp. primò iuxta sententiam negantē satisfactiones no-*
Respondeo ad singula, & aio, si vera est sententia, quæ vult satisfactiones nostrarum operationum, quas Deo pro animabus Purgatorij offerimus, non acceptari ab ipso Deo infallibiliter, & ex iustitia, sed ex liberalitate, & pura misericordia, de qua re sectione sequente erit sermo, facilis erit solutio: dicimus enim, preces, quæ ab Ecclesia, & à Sanctis funduntur pro defunctis, dirigi ad Deum, vt per merita Christi, Beatæ Virginis &c. dignetur acceptare nostra suffragia in leuamen pro animabus illis, & hoc sæpe impetrari à Deo, & maximè, quando preces fiunt nomine Ecclesiæ à publicis ministris, & multo magis acceptari in hunc finem orationes Sanctorum cum ipso Deo in patria regnantium: sed difficultas est in sententia, quæ sustinet, suffragia nostra, positis debitis requisitis, ex iustitia, & infallibiliter à Deo acceptari, tunc enim, nisi dicamus impetrari gratuitam aliquam remissionem, nihil, & præsertim à Beatis videtur superesse impetrandum; verumtamen dico, quod etiam admissa hac opinione de infallibili acceptatione nostrorum suffragiorum, solui poterit argumentum propositum, nam & nos, & Sancti Beati aliquid impetrare possumus à Deo pro defunctis; dicimus ergo, nos posse obtinere, vt Deus exhibeat auxilia viuentibus ad satisfaciendum pro animabus Purgatorij excitando mentes, & voluntates ipsorum viuentium: neque talis interpretatio erit dura, vt dicitur inter argumentandum, & putauit *Conin.* quia non erat expediens petendo, determinare ipsi Deo modum, quo iuxta legem ordinariam suæ Diuinæ prouidentiæ decreuit liberare animas è Purgatorio, cum talis modus consuetus nos lateat, sed satisfuerit directè petere id, quod intendimus obtinere, scilicet, remissionem pœnæ, relinquēdo Diuinæ prouidentiæ modum, seu medium magis proportionatum ad id exequendum: quemadmodum, dum ipsum Deum pro nobis oramus petendo salutem æternam, non postulamus, per se loquendo, medium ad hunc finem assequendum, sed id Diuino beneplacito reliuquimus.

strat acceptari à Deo ex iustitia, infallibiliter.

Secundò iuxta sententiam id affirmantem.

Posita infallibilitate acceptationis, quid possumus à Deo obtinere per preces.

Plura alia beneficia impetranda enumerat *Suarez disput. illa 48. sect. 5. num. 9. & sequentibus*. ea autem omitto, quia difficultatem pati possunt: sufficit prædicta attulisse, & addo, etiam Authores, qui volunt, ex iustitia, & infallibiliter à Deo acceptari suffragia Ecclesiæ pro mortuis, teneri ad asserendum, laudabiliter, & conuenienter ab Ecclesia Deum orari, vt acceptet prædicta suffragia, quia non sunt certi de infallibilitate acceptationis; seu opinionem, quam sequuntur, esse certo veram, cum eam solùm probabiliter tueri valeant. ex his autem respondendo directè ad ar- 22

Cur Ecclesia laudabiliter, & vtiliter oret Deum, vt acceptet nostra suffragia pro defunctis.

gumentum nego, sensum Ecclesiæ esse Deũ à nobis orandum, vt absque satisfactione debita gratis pœnas remittat, talis enim oratio esset irrationabilis, vtpotè contra legem ordinariam Diuinæ prouidentiæ: & licèt Deus ratione summi dominij, quod habet supra omnes creaturas, posset, si vellet, de potentia absoluta absque vlla repugnantia id facere; tamen neque Ecclesia, neque nos in particulari debemus à Deo petere, vt in dispositione, & regimine Vniuersi vtatur potẽtia absoluta contra legem ordinariam; sic enim possemus dicere, Deum esse orãdum, vt vtatur eadem absoluta potestate ad liberandas ab inferno animas damnatorũ, quod tamen nemo asserit, talis enim petitio esset peccatum graue: & hoc, quia per se, & regulariter loquendo, non possumus a Deo postulare, nisi ea, quæ sũt secũdum legem communem, vt rectè docet *Sotus in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 2.* ex vniuersali cõsensu Doctorum, nisi ex speciali Dei instinctu aliquis moueatur ad petẽdum aliquid, ad quod præstãdum sit necessarius vsus potẽtiæ absolutæ. quapropter aio, ab Ecclesia vniuersali Deum orari ob merita Christi, Beatæ Virginis, &c. vt animæ Purgatorij liberẽtur à pœnis, modo tamen consueto iuxta legem Diuinæ prouidentiæ à nobis superiùs explicato: & sic negandum est, frustra Deum orari, si orationes Ecclesiæ non iuuarẽt prædictas animas per modum puræ impetrationis ad obtinẽdam gratuitam remissionem pœnæ; prodest enim oratio ista ad effectus illos supra enumeratos.

Nõ possumus à Deo postulare, nisi ea, quæ sunt secundum legẽ communem.

23 Ad confirmationem patet respõsio ex dictis, quid animabus illis impetrent Sãcti in Cœlo regnãtes, dum pro illis orant, & pariter patet responsio ad reuelationes, quæ referũtur in vitis Sãctorum, & historijs: nam admittimus, per intercessionem Sãctissimæ Virginis, & aliorum Sãctorum liberari animas è Purgatorio: at ex hoc nõ rectè infertur, id gratis factum fuisse, cum Deus potuerit meritis Beatæ Virginis &c. dare auxilia viuẽtibus ad applicãda suffragia necessaria ad totalem satisfactionem, ab animabus debitam: & addo, etiam si admittamus, aliquãdo à Deo precibus Beatæ Virginis, aut alterius Sancti liberatam fuisse aliquam animam per cõdonationẽ gratuitam, quod nõ est impossibile, & forsitan de facto id contigisse, est probabile, & pium; nihilominus id factũ fuit à Deo exercendo potentiam absolutam, at ordinariè non est licitum id à Deo postulare, vt ostendimus, sed per orationes nostras petimus, vt Deus dignetur remissionem peccatorum animabus Purgatorij dare vel acceptãdo nostra suffragia, vel excitando mẽtes fidelium ad applicanda suas satisfactiones, sacrificia, indulgentias &c. ad id verò, quod dicitur, hanc interpretationem esse duram, iam supra respondimus, denique ad id, quod vltimo loco cõtra nos dicitur, scilicet, explicationem istam pugnare cum verbis orationum, quas Ecclesia instituit &c. negãdum id est, & licèt expressè petamus remissionem pœnæ, id intelligendum, vt fiat medijs proportionatis modo superiùs exposito.

Respondetur cõfirmationi.

Per intercessionem Sãctorũ petuntur, et dantur à Deo auxilia viuẽtibus ad applicanda suffragia pro defunctis.

Tertio sic obijci potest. Possumus orare Christum Dominum, vt ipse applicet satisfactionem suam, vt eius intuitu Deus relaxet pœnam, quam animæ Purgatorij sustinere debent, ergo possumus impetrare gratuitam remissionem. 24

Tertium argumentum ex eo quod orare possumus vt Christus applicet immediatè satisfactionem suam pro defunctis.

Respondeo ex doctrina *Suarez*, quam respondẽs ad hanc instantiam dat *sectione illa 5. num. 10. in fine*, videlicet, non esse verisimile, quod Christus Dominus immediatè applicet satisfactionem suam, vt omnino gratis sine medijs ab ipso institutis pœnam remittat, & licèt demus, hoc aliquando factum fuisse, id tamen fuisse factum ex speciali dispensatione, quæ nõ cadit sub legem, aut scientiam. quapropter credendum est, nunquam, spectata lege ordinaria, à Sanctis prædictum modum applicandi satisfactiones Christi, & remittendi pœnam postulatum fuisse, nisi forsitan ex speciali Dei ordinatione excitantis mentem alicuius Sancti, vt talẽ extraordinariam remissionem, & applicationem peteret. 25

Respõdetur, id nõ esse verisimile fieri à Christo, nec postulari à nobis de lege ordinaria.

Quarto, obijcies diuisionem suffragiorum, quæ communiter fieri solet à Theologis, videlicet, in sacrificium, orationes, & opera pœnalia: hæc autem duo vltima membra, vt constituentia rectam diuisionem distingui debent intra genus suffragij: at nequeũt alio modo distingui, nisi sumatur oratio quatenus impetratoria gratuitæ remissionis, nempe absque solutione æquiualente; aliter, si haberet rationem suffragij, inquantum est quædã solutio, atque adeo condigna satisfactio, coincideret cum alio membro diuidẽte, scilicet cum operibus pœnalibus, quæ sũt suffragia per modũ satisfactionis, & æquiualentis solutionis, & sic vitiosa redderetur communis illa diuisio ab omnibus recepta. dicẽdum igitur est, ad hoc vt oratio constituat speciem suffragij ab alijs distinctam, debet cõcurrere, vt impetratio, & non solutio. 26

Quartum argumentum ex diuisione suffragiorum.

Respondeo, hæc duo esse diuersa, videlicet, orationem, vt est species suffragij, esse impetratoriam remissionis pœnæ, & esse impetratoriam gratuitæ remissionis absque debita solutione, quo posito, dicimus, 27

Respondetur.

Oratio vt suffragium sub alijs distinctum impetrat vel acceptationem suffragiorum nostrorum, vel satisfactionē ab alijs exhibendam.

mus, loquendo secundum Dei legem ordinariam, orationem numerari, vt distinctum suffragium, inquātum impetrat vel acceptationem suffragiorum, quæ à fidelibus in particulari, vel ab Ecclesia per publicos ministros offeruntur pro defunctis, vel impetrat satisfactionem, seu solutionem ab alijs exhibendam, non autem omnino gratuitam; & sic ex communi diuisione suffragiorum nihil contra nos inferri poterit.

28 *Quintum ex eo quod Deus cōcedat animabus Purgatorij aliquas cōsolationes spirituales.*

Quinto obijcies. sicuti Deus intuitu orationum, quæ ab Ecclesia, & fidelibus fiunt, liberaliter, & gratis concedit animabus Purgatorij nonnullas spirituales consolationes, & gaudia interna; ita intuitu earumdem orationum concedet etiam gratuitam remissionem. probatur paritas, quia non est maius beneficium remissio gratuita, quàm sit gaudium illud spirituale.

29 *Respōdetur. Per gratuitā concessionem gaudij nihil derogatur iustitiæ vindicatiuæ sicuti per remissionē pœnæ.*

Respondeo negando paritatem, quia per gratuitam concessionem gaudij, & spiritualis consolationis nihil derogatur iustitiæ vindicatiuæ; est enim effectus Diuinæ beneficientiæ, & liberalitatis. quemadmodum in humanis, si Princeps vt Iudex puniret iuxta leges iustitiæ delinquētem, & dum ille est in tormētis, à pijssimo Principe solatio aliquo leuaretur, tūc nihil cōtra debitum iustitiæ à Principe fieri iudicaretur, sed censeretur opus magnæ pietatis; at remissio pœnæ derogaret iustitiæ punitiuæ exigenti, vt delicta corrigātur: & ideo non valet paritas.

SECTIO IV.

An ex iustitia, an verò ex Dei misericordia suffragia defunctis prosint?

30 *Explicatur quo sensu nomen iustitiæ accipiatur in præsēti quæstione.*

SVB nomine iustitiæ in præsenti quæsito non intelligimus æqualitatem inter satisfactionem, & pœnam debitam, & condignam pro peccatis commissis, quia in hoc sensu absque controuersia suffragia satisfactoria esse debēt ex iustitia, hoc est secundum æqualitatis rigorem, neque curamus sermonem instituere de iustitia propriè dicta, quæ est virtus moralis, & specialis, ne digrediamur ad celebrem illam quæstionem, an inter Deum, & creaturam intellectualem repériri possit institia propriè accepta, de qua re egimus in tertia parte loquentes de satisfactione Christi Domini, hoc enim esset recedere à nostro instituto absque vlla necessitate; neque quisquam sollicitus esse debet de hoc puncto, cum difficultas solùm consistere videatur in hoc, videlicet, an in Deo ponenda sit aliqua obligatio ad acceptāda nostra suffragia pro defunctis oblata, si conditiones requisitæ ad acceptandum adsint, siuè de reliquo obligatio ista procedat ex iustitia rigorosè sumpta, siue ex fidelitate, aut alia virtute. nam quoad effectum perinde est ex quacunque virtute obligatio ista oriatur. his præmissis pro terminorum declaratione indifferenter loquemur in hac quæstione de nomine iustitiæ, quo posito ad sententias referendas deuenimus.

Iustitia hic significat solum obligationē acceptandi nostra suffragia.

31 *Prima sententia negat obligationem in Deo.*

Prima enim vult, non ex iustitia, seu rigorosa obligatione; sed ex gratia, & misericordia à Deo acceptari nostra suffragia pro defunctis. ita *Caietanus tom. 1. opusc. tract. 16. q. 5. Melchior Carus De locis Theologicis lib. 12. prælect. 29. ver. De viuis intelligimus paulo post initium. Ioseph Angles par. 1. quæst. De indul. diff. 5. concl. 2. Antonius Corduba lib. 5. De indulg. q. 5. ad 8. & q. 15. post relationem quarta sententiæ, & in sequentibus: Ioannes Medina Codice De orat. q. 20. & Cod. De satisfact. q. 2. & 5. Sotus in 4. d. 19. q. 2. a. 4. ad primū* quam opinionem valdè rationabilem existimauit *Bellarminus lib. 1. De indulg. cap. 14. q. 4. in fine, & Henriq. lib. 9. cap. 16. num. 1. loquendo De indulgētijs, & alijs satisfactionibus præter Missam. Ioannes Lanorius De indulg. par. 2. cap. 30. num. 84. sequens opinionem Bellarmini.*

32 *Secunda eā asserit.*

Secunda opinio asserit, suffragia prædicta esse de condigno, & ex iustitia à Deo acceptari. *Sic Nauarrus in con. De Iubilæo notab. 22. num. 18. & sequentibus, & de bonis canonicis cap. 20. num. 44. Suarez tom. 4. De pœnit. disp. 48. sect. 6. num. 4. Bartholomæus à S. Fausto lib. 1. De suffrag. q. 27. Trullench in hanc Bullam lib. 4. dub. 6.* at hi duo vltimi Authores hanc posteriorem eligunt opinionem, vt probabiliorem.

33 *Prima sententia Authori probabilior censetur.*

Dico igitur, probabiliorem mihi videri primam sententiam, videlicet, suffragia, quæ à fidelibus in hac vita pro animabus Purgatorij offeruntur, acceptari à Deo ex liberalitate, & misericordia, & nō ex iustitia. probatur conclusio ista à *Caietano* duplici ratione: & primo ex improportione, quam habent pœnæ huius vitæ cum pœnis alterius, sunt enim alterius rationis, & valdè deficiunt ab illis; proinde non potest per operationes pœnales præsentis vitæ fieri compensatio ex rigore iustitiæ cum pœnis Purgatorij, quemadmodum pœna pecuniaria cum sit alterius, & deficientis rationis à pœna seruitutis, nequit seruus redimi ex rigore iustitiæ per pecuniam, & si redimitur, id erit ex gratuita acceptatione Domini; ita neque ex rigore iustitiæ animæ Purgatorij redimuntur operibus pœnalibus

Rationes Caiet. Ratio ex improportione vtrarumque pœnarum.

à no-

à nobis factis, sed id fiet ex dispensatione Diuinæ misericordiæ. secunda ratio procedit ex diuersitate fori; nam forum, in quo nos patimur, est diuersum à foro, in quo animæ illæ reperiuntur, quia nostrum est mite, & velut ciuile, illud verò rigorosum, veluti criminale: & ideo non sufficiunt passiones nostræ ad satisfaciendum ex rigore iustitiæ pro pœnis illis: & subdit idem Author ex hoc non sequi, suffragia Ecclesiæ pro defunctis esse vana, aut incerta, sed esse vtilia, & certa, quia innituntur Diuinæ misericordiæ, secundum quam Deus illa acceptat. hæc, & similia tradit *Caietanus* ad hanc suadendam sententiam.

Et ex diuersitate fori.

34 Sed quia rationes prędictę licèt aliquo modo intentum suadeant, nihilominus oppositionem pati possunt, & ad eas corroborandas prolixiorem absque necessitate instituere deberemus sermonem, cum clariorem, & expeditiorem habeamus rationem ad conclusionem probandam, propterea eas omittendo sic argumentor.

Videntur inefficaces.

35 Ex vna parte Deus vt offensus non tenetur acceptare satisfactionem exhibitam ab alio, sed ab ipsa persona offendēte, nam strictum ius habet exigendi recompensationem ab illo, qui iniuriam intulit; ex alia verò parte nulla apparet in sacris litteris promissio, seu pactum initum inter Deum, & homines, per quod Deus se obligauerit acceptare alienas satisfactiones pro defunctis, quæ à fidelibus in hac vita fiunt; igitur non tenetur Deus ex rigore iustitiæ illa acceptare. euidens est ista consequentia, si verū est antecedens, quod probari sufficiēter potest ex analogia ad homines, in quibus videmus, si quis iniuriam contra honorem ab alio sit passus, posse eum iure suo vti, & requirere satisfactionē, & recōpensationem ab offendente, & non acceptare obsequium ab alio in recompensationem iniurię illatę prę́stitum, etiam si obsequium sit æquale, imò excedens satisfactionem debitam; & si illud acceptet, acceptatio non erit ex iustitia, sed ex liberalitate acceptantis: secundum antem, quod asserimus in antecedente, videlicet, non extare promissionem Dei de acceptanda satisfactione à nobis pro mortuis oblata, poterit probari, quia in sacris litteris nullam talem habemus promissionem, & de facto ab Authoribus alterius sententię nullus citatur locus, in quo promissio ista exprimatur.

Probatio Authoris efficax.

Prima pars suadetur ex analogia ad modum procedendi inter homines.

Ex sacris litteris non colligitur certo promissio Diuina acceptandi suffragia.

36 At P. *Suarez vbi supra* probare volens interuenire rigorem iustitiæ in acceptandis nostris satisfactionibus sic discurrit, satisfactio ista potuit ita institui, vt sit de iustitia, quod tamquam manifestum supponit, quia intercedente promissione sub conditione operis nihil deesset ad veram iustitiam, & nulla est repugnantia interuenisse hanc promissionem: nam si eam admittimus respectu viuentium, non est, cur negemus eam extēdi ad animas Purgatorij, quæ nobis sunt charitate cōiūctę, & nō minus, imo plùs indigent, quàm viuentes: hoc suadetur, quia animę illæ nequeunt per se satisfacere, sed satispati, & adhuc non sunt omnino in termino, & ex parte Dei eadem militat congruentia liberalitatis, & misericordię, & nulla est repugnantia iustitiæ, & pariter eadem est significatio Diuinę voluntatis. vt enim colligimus ex vsu Ecclesię, eadem est suffragiorum lex respectu viuentium, & defunctorum: idcirco tam ex parte ipsarum animarum, quàm ex parte nostri est fundamentum, seu capacitas huius pacti, seu promissionis. sic discurrit *Suarez*, cuius discursus non probat efficaciter eius sententiam, vt patebit ex solutione argumenti: ad quod respondeo, esto potuisse à Deo institui satisfactiones nostras, ita vt ipse Deus obligaretur ad illas acceptandas; tamen non probatur sufficienter, ita de facto fuisse institutas, seu fuisse Diuinam promissionem de acceptandis nostris satisfactionibus pro mortuis: proinde discursus solū probat ad summum possibilitatem, non actum.

Discursus Suarez, qui probat interuenire iustitiam in acceptandis suffragijs.

Ostenditur eius inefficacia.

37 Præterea negamus, ex vsu Ecclesiæ, & ex lege suffragiorum colligi, de facto suffragia ex iustitia acceptari, & licèt in argumento supponatur pro viuis de iustitia acceptari; tamen omnes id admittunt, ex eo quod Iudex non tenetur satisfactionem vnius pro alio acceptare, & si eā acceptet, id esset ex liberalitate ipsius Iudicis: vlteriùs nullus habetur locus Sacræ Scripturæ, neque traditio, per quam colligatur, acceptationem hanc esse infallibilem, quia non inuenitur promissio ex parte Dei, qua voluerit, se obligare ad acceptanda suffragia ista eo modo, quo offeruntur; & sic de facto ipse *Suarez disp.68.sect.3.num.9.* fatetur, nobis non constare talem promissionem, neq; dari rationem conuincentem, per quam cogamur illam admittere. ad instantiam verò de lege suffragiorum, dico, quod si Deus non se obligauerit acceptare satisfactiones, quæ fiunt ab vno viuente pro alio viuente, tunc concedere possumus, legem suffragiorum esse vniformem respectu viuentium, & respectu mortuorū: si verò cum alijs dicamus, respectu viuētium dari hanc promissionem, nō autem respectu defunctorum, respondebimus, legem

Iudex non tenetur satisfactionem vnius pro alio acceptare.

Non constat promissio facta ex parte Dei acceptandi suffragia eo modo, quo offeruntur.

Etiam concessa promissione quoad viuentes, restat disparitas quoad defunctos ratione stat.

legem suffragiorum secundum se esse vniuersalem, & pro viuentibus, & pro defunctis; quamuis quoad modum ratione status sit diuersitas; fundamentum autem huius diuersitatis assignatur *à Suarez initio prædictæ sectionis*. sic enim ait, *Quoad vnctionem charitatis eadem est*, supple, *ratio, inter viuentes, quæ est cum defunctis; quoad statum verò est inter illos quadam maior proportio &c.*

38 Dices. In sacris Scripturis habem⁹, promissionem factam à Christo, quod Pater erit nobis concessurus quicquid nomine ipsius Christi petierimus, sic inter alia loca habetur in *Euang. S. Ioannis cap. 14. & 16.* ergo si fideles viuentes, positis conditionibus requisitis ad honestam orationē, preces fundent pro animabus Purgatorij, ex lege iustitiæ siue presè, siue late sumpta pronenientis ex promissione Christi exaudientur.

...tantia ex S. Scriptura, quibus promittit exaudire se orationes fidelium.

39 Respondeo, hanc instantiam cōtra me factam fuisse à quodam viro docto recentiore mihi coniunctissimo, in qua magnam vim ponebat: eius autem solutio dependet à tractatu de Religione, in quo agitur de oratione, quæ est actus Religionis, & de conditionibus requisitis ad hoc vt infallibiliter impetrem⁹ à Deo id, quod postulamus. agere autem de hac re non spectat ad nostrum institutum. breuiter autem pro solutione huius instantiæ, aio, promissionem de concedendis his, quæ orantes à Deo petimus, esse in ordine ad nos, non autem ad alios: & hæc est expressa sententia. S. *Augustini tract. 73. & 102. in Ioannem*, quem sequutus est *S. Thomas 2. 2. quæst. 84. a. 15. ad secundum.* & hāc opinionem defēdit, & examinat *Raphael de la Torre in 2. 2. l. c. disp. 8. § Pro ipso orante*. scio, aliquos esse in contraria sententia, inter quos est *Suarez De Relig. tom. 2. lib. 1. cap. 27. num. 2. & Barthol. à S. Fausto De oratione in communi lib. 1. q. 26. & quosdam alios*: idcirco non negamus, vtramque opinionem esse probabilem, attamen probabilitas contrariæ sententiæ non eneruat probabilitatem nostræ opinionis, quam *Barthol. à S. Fausto* fatetur esse cōmunem inter Scholasticos: proinde loca illa sacræ Scripturæ, quæ in oppositum afferūtur, pati possunt explicationem à nobis datam, videlicet de his, quæ petimus in ordine ad nostram salutem, & addo, quod quamuis demus, promissionem superiùs dictam referri posse etiam ad alios in hac vita degentes; nihilominus non esse eamdem rationem in ordine ad defunctos, inter quos, & nos viuentes est minor proportio, quàm sit inter nos, & alios viuentes, vt asseruit ipsemet *Suarez in 3. p. tom. 4. d. 48. sect. 3. nu. 1.*

...luitur. ...omissio de ...cedendis, quæ ...im⁹, est in ...dine ad nos, ...n ad alios.

...etiā si ad ...ios viuen...s, nō tamen ...d defunctos.

40 Probari potest secundo ex varijs reuelationibus, quæ in historijs enarrantur. per has autem reuelationes animæ quorundam defunctorum, quæ viuentibus aliquando apparuerūt, hoc ipsum declararunt, videlicet, per suffragia, quæ à fidelibus petebant, liberādas esse à pœnis Purgatorij, quando Dei misericordia, & clementia decreuerit. vide *Bellarminum* has reuelationes loco citato referentem.

Probatio secunda ex reuelationibus.

SECTIO V.

Vtrum suffragia pro mortuis infallibiliter à Deo acceptentur?

AVthores, qui volunt ex iustitia, suffragia ista à Deo acceptari, cōsequenter dicunt, acceptationem esse infallibilē, quia supponit pactū Diuinum, quo Deus se obligauit: & sic tenet *Suarez disp. 48. cit. sect. 6. num. 6.*

41 At oppositum docēt *alij*, *vt Caietanus, Medina, Corduba locis in præcedente sectione citatis*, & huic opinioni videtur adhæsisse *Aegid. Conin. d. 10. De satisf. dub. 7. in fine* loquendo vniuersaliter tum de mortuis, tum de viuentibus, & expresse *Henriquez lib. 9. cap. 16. num. 1. De indulgētijs*, licèt de sacrificio Missæ dicat *lege iustitiæ, & infallibili prodesse defunctis*. *Bonacina q. 2. De suffrag. p. 1. dub. 2.*

42 Dicendum est, acceptationem, saltem iuxta totum valorem, quem habent, & in ordine ad talem animam in particulari non esse infallibilem, cum hoc depēdeat ex liberalitate, & misericordia Diuina. probatur conclusio, quia infallibilitas ista non potest fundari in natura ipsius rei, sed in lege quadam naturali, seu pacto, quo Deus promisisset, se acceptaturum suffragia prædicta: at nullus est locus in sacris litteris, in quo talis lex, seu pactum exprimatur, vt etiam ipsimet aduersarij fatentur. non fundari autem infallibilitatem in natura rerum, est manifestum, quia vt patet ex humanis, Deus, neque vt Iudex, neque vt offēsus tenetur cedere iui, quod habet ad reum puniendum, & ab eodem exigere condignam satisfactionem. dixi in conclusione, saltem secundum totum valorem, quia licèt demus, à Deo nobis promissum fuisse acceptari omnia suffragia pro defunctis; tamen non promisit ea acceptare infallibiliter secundum totum valorem pro hac, aut illa anima in particulari, sed quando, & quantum, & pro quibus Diuinæ pietati placuerit, & decēs sibi visum fuerit, attentis omnibus circūstantijs, & præsertim merito talis animæ in particulari ad participādum effectum Diuinæ liberalitatis; & ideo quamuis certum,

Authoris sententia. Acceptatio suffragiorū nō est infallibilis, sed depēdet à Diuina misericordia. Probatur, quia neq; in re ipsa, neque in pacto Dei infallibilitas fundatur.

Certum, & infallibile est, suffragia esse vtilia, non tamē æqualiter à Deo acceptari pro omnibus, & secundum totum valorē. Locus S. Gregorij Maximi fauens sententiæ Authoris.

tum, & infallibile sit, suffragia pro defunctis vtilia esse, tamen non est certum, pariformiter, & æqualiter à Deo acceptari, sed interdum poterit ipse Deus, secūdum decentiam suæ liberalitatis vni plus, quā alteri applicare de fructu suffragiorum, iuxta dignitatem, & meritum animæ in particulari; & hoc est valdè conforme dictis *S. Gregorij lib. 4. dialog. cap. 57.* vbi agens de animabus Purgatorij sic habet; *Sciendum est, quia illis sacra victima mortuis prosunt, qui hic viuendo obtinuerunt, vt eos, etiam post mortem, bona adiuuent; quæ pro ipsis ab alijs fiant.* si autem suffragia omnibus animabus Purgatorij, pro quibus specialiter applicantur, infallibiliter prodessent, non oportebat, S. Gregorium dicere illis tantùm prodesse, qui cū viuerent, idoneos se reddiderunt ad lucrandum totum integrum suffragiorum fructum.

43 *Responsio aduersariorum.*

Dices, S. Gregorium loqui de illis, qui in hac vita mortali dignos se reddidere per vnionē charitatis, videlicet qui mortui sunt in gratia, & amicitia Dei, & nihil aliud ab ipso requiri, vt suffragia secundum totum valorem, quem habent, infallibiliter obtineant, vt respondet *Suarez disp. cit. sect. 6. nu. 7. ad similem auctoritatē ex S. Augustino.*

44 *Refutatur.*

Contra est, quia licèt *Suarij* responsio adeptetur verbis *S. Augustini serm. 32. De verbis Apostoli*, nihilominus responsio data nō potest rectè applicari verbis *S. Gregorij*, vt ponderanti textum fiet manifestum, quia ipse ante verba relata excludens defunctos illos, quorum culpæ sunt insolubiles, idest irremissibiles, vt sūt culpæ eorum, qui perpetuo damnantur, statim habet verba prædicta, quæ ad animas illorum diriguntur, quorum culpæ sunt solubiles, vt sunt culpæ animarum Purgatorij. contraponit enim animas istas illis, quorum peccata non sunt solubilia, & inquit, sacras victimas illis mortuis prodesse, qui digni in hac vita effecti sunt, vt pro ipsis suffragia aliorum prosint.

45 *Secunda probatio ex eo q. Ecclesia orat Deum, vt acceptet suffragia.*

Probatur secundo. Sancti in patria, & fideles in via orant Deum pro animabus Purgatorij, vt acceptet suffragia, quæ pro illis fiunt; ergo signum est, acceptationem non esse infallibilem, sed esse ex Diuina misericordia, & liberalitate: si enim acceptatio esset ex iustitia, atque adeo infallibilis, nō esset, cur hoc peteremus, quia scimus, à Deo infallibiliter esse acceptanda, si fiant cum debitis requisitis, vel non acceptanda, si requisita non sint apposita.

46 *Duplex aduersariorū responsio.*

Respondet *Suarez sectione illa 6. nu. 5.* duplici responsione: & in prima ait, hoc non constare, saltem de publicis orationibus Ecclesiæ, in quibus non reperitur petitio ista formaliter, & expresse, nempe vt Deus acceptet suffragia pro defunctis, sed simpliciter petitur, vt liberentur à pœnis: in secunda inquit, aliquando à nobis peti à Deo, quæ certissimè scimus, ipsum esse facturum; & sic Ecclesia petit, ne animæ, quæ sunt in Purgatorio absorbeantur à Tartaro; neque hoc censendum erit inconueniens, quia ostendit piam voluntatem, & charitatem ad animas illas &c.

Verum neutra responsio satisfacit, non prima, quia falsum est, ab Ecclesia in publicis orationibus non peti formaliter, & expresse acceptari nostra suffragia, vt patet consideranti officium defunctorum, & orationes, quæ recitantur in officio, & Missa pro defunctis. aliqua tantùm referam, multa enim sunt, quæ sub varijs verborum formis recitantur: nam interdum Ecclesia orat per suos publicos ministros, vt Deus suscipiat hostias, & preces laudis, quæ pro animabus offeruntur; interdum verò, vt placatus intendat munera oblata, quandoque, vt propitietur nostris supplicationibus, quas pro eisdem animabus offerimus; demum, vt orationes Beatissimæ Virginis Mariæ, Sanctorū omnium, & deuota eius familiæ supplicatio ipsi satisfaciat: per has, & similes formulas orat Ecclesia, vt Deus acceptet suffragia, nempe sacrificia, preces, & alia pia opera, quæ pro defunctis soluuntur; & sic constat, ab Ecclesia per suos publicos ministros non solùm orare, vt animæ illæ liberentur à pœnis, verum etiam vt Deus dignetur acceptare suffragia, quæ pro illis funduntur. 47 *Refutatur prima.*

Secunda autem responsio, vt iacet, nisi aliquid aliud addatur, non placet: quia posita certitudine gratiæ concessæ, superfluum videtur petere, vt concedatur, neq; est necesse ostendere piam nostram volūtatem, & charitatem ad illas animas postulando concessa, sed applicando suffragia, & orando pro ipsis, vt aliquid à Deo de nouo obtineant; quapropter dicendū est, ideo ab Ecclesia postulari acceptationem suffragiorum, quia acceptatio pro illa anima, cui applicantur suffragia, non est infallibilis eo modo, quo applicantur, cum hoc dependeat à Diuino beneplacito, & secundum eius liberalitatem, & pijssimam misericordiam. ad ea verò, quæ adduntur *à Suarez* ad ostendendum, ab Ecclesia interdum peti ea, quæ certò scit, à Deo esse facienda ex illis precibus, & orationibus Ecclesiæ, quibus petit, vt animæ liberentur à pœnis inferni, ne absorbeantur à Tartaro, ne cadant in obscurū &c. ad has inquam, & similes preces nō est ita facile dare interpretationem, quæ omnino satisfaciat. plures coacervat expo- 48 *Refutatur secunda.*

posi-

positiones *Ioannes Medina cod. De orat. tract. 6. q. 6.* sed nulla ex illis placet, sicuti neq; aliquæ, quas dat *Bellarminus lib. 2. De Purg. cap. 5.* si dicas, infernū intelligi Purgatorium, quod etiam tali nomine solet appellari, quia est situatum in inferioribus terræ partibus, & ob hanc rationem limbus, infernus, vocatur, quatenus in eisdem imis partibus reperitur; vnde & in Symbolo dicitur, Christ⁹ descēdisse ad inferos; nihilominus contra videntur facere nonnullæ aliæ preces, quibus nequit accomodari prædicta explicatio. nam primo Ecclesia expressè orat, vt liberentur à morte æterna. secūdo, ne absorbeat eas Tartarus. tertio, ne cadant in obscurum. quarto, vt liberentur de ore leonis. verba autem ista significant infernū damnatorum, nam Tartarus est locus cæteris omnibus infimus, in quo sunt damnati, & leo est Diabolus: & ideo Ecclesia orat, ne Deus illas obliuiscatur in finem, idest per æternitatem, seu per sæcula omnium sæculorum. his autē, & similibus verbis non videtur adaptari posse expositio illa, vt intelligatur in his precibus sermonē esse de pœnis Purgatorij. alia autē interpretatio, quam ponit *Bellarmin⁹ in fine illius capitis*, & etiam admittit *Suarez sect. illa 5. num. 12.* videri possit alicui cæteris probabilior. aiunt enim, ab Ecclesia postulari, vt animæ illæ liberētur à gehenna, & à pœnis æternis, inquantum sibi repræsentat diem exitus earumdem animarū adhuc in corpore manentiū, & sub ancipiti euentu aut damnationis, aut salutis æternæ: & ideo sub hac repræsētatione petit, vt liberētur à pœnis æternis, ne absorbeātur à Tartaro, ne cadāt in obscurum, &c. ad hoc suadendum exemplum adducit Bellarminus. sicuti enim in celebritatibus festorum Incarnationis, Natiuitatis, Passionis, Resurrectionis, &c. Ecclesia ita orat, ac si nunc Christus deberet incarnari, nasci, pati, &c. quatenus sibi repræsētat mysteria illa, vt præsentia, quamuis nō intendat ad litteram orare, vt Verbum Diuinum incarnetur, nascatur, &c. & quemadmodum non censetur inconueniens post quamplures annos ab ipsa Ecclesia in officio Aduentus dici, *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem* sic neque censendum erit inconueniens. si eadem Ecclesia pro defunctis orando dicat, *libera eas de ore leonis, ne cadant in obscurum, &c.* quia in his precibus sibi repræsentat tempus ante exitum animæ è corpore, quando adhuc est periculum æternæ damnationis.

Probabilior interpretatio Ecclesia postulat, vt anima liberētur à gehenna, & pœnis æternis per anticipationē diei exitus earumdē animarum.

49 Solutio ista, quamuis ob talium virorum auctoritatem non sit contemnenda; tamē mihi nō satisfacit, quia licèt Ecclesia laudabiliter faciat sibi repræsentando mysterium aliquod sacrum iam præteritum, vt præsens; nihilominus non est eadem ratio de repræsentatione illius tēporis, quod antecedit exitum animæ è corpore: & disparitas est, quia in cōmemorādis sacris mysterijs, dum Ecclesia ea, vt præsentia, repræsentat, cōsequitur finem primo, & per se intentum ab ipsa Ecclesia, nempe excitare mediante illa repræsētatione mentes fidelium ad gratias Deo referēdas pro beneficijs receptis, ad peccatorū auersionē, ad amorē Dei, &c. at dū celebrat pro defunctis sacra officia, primarius finis est adiuuare animas defunctorum, quibus tamen nō proficit illa repræsentatio; perinde enim esset si absq; tali repræsentatione directè applicando suffragia peteret à Deo earum liberationē à pœnis Purgatorij, ac applicare suffragia, fingēdo vt præsēs tēpus ante mortē: & ideo cum ad hunc finem assequēdū, nihil, aut parum iuuet repræsentatio ista, proinde solutio non satisfacit.

Interpretatio posita Authori non satisfacit. Cur?

Repræsentatio temporis ante exitū animæ parum iuuat ad finē Ecclesiæ, & ad applicanda suffragia.

50 Neq; dicas, per illam repræsētationem excitari fideles ad timorē Diuini iudicij: nam licèt vi talis repræsentationis possint fideles talem timorem concipere, & hoc ab Ecclesia in his precibus intēdi; tamen in ordine ad adiuuandas animas defunctorū talis timor nequit esse primo, & per se intentus, & merè per accidēs se habere ad suffragia, seu preces, quæ ab Ecclesia pro defunctis offeruntur. secus autem est dicēdū de excitatione illa; quæ prouenit ex repræsētatione sacrorum mysteriorū: nam excitare mentes fidelium ad gratias Deo referēdas pro Diuinis mysterijs, est finis valdè proportionatus in repræsentatione prædictorum mysteriorum. & confirmatur id, quod diximus, impugnando interpretationem Suarij, Bellarmini, &c. ex oratione illa, quam recitat Ecclesia in die obit⁹ defuncti, sic enim inquit, *Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere, te supplices exoramus pro anima famuli tui, quam hodie de hoc sæculo migrare iussisti: vt non tradas eam in manus inimici, neque obliuiscaris in finem, &c.* in hac autē oratione Ecclesia expressè orat pro anima, quæ iam migrauit, & de qua factum fuit iudicium particulare, quādo discessit è corpore, & pro tali anima Ecclesia petit à Deo, *ne eam tradat in manus inimici; ne eam obliuiscatur in finem, &c.* proinde valdè durum esset explicare has, & similes preces in ordine ad tēpus, quod antecedit egressum animæ è corpore.

Confirmatur Impugnatio nostrarū, &c.

51 Expeditiùs, & verbis Ecclesiæ conformiùs mihi videtur dicendum, in precibus prædictis intentionem, & loquutionē esse

Oratio de Purgatorio, & eius pœnis intelligenda.

Franc. Bard. in Bullæ Cruc.

Duplex assertionis ratio.

esse de Purgatorio, & de eius pœnis, non autem de inferno damnatorum: & hoc dupliciter ostendi potest: primo, quia in sacris functionibus, quæ ab Ecclesia pro defunctis celebrãtur, nulla inuenitur oratio, neq; reperiũtur preces, aut versus, seu responsoria, in quibus Ecclesia Deũ oret, vt liberet animas defunctorũ à gehenna, aut sub verbis idem significantibus, nempe à morte æterna, à pœnis æternis &c. hoc autem manifestum fiet discurrendo Sacerdotale Romanũ, Pontificale, & Rituale Sacramentorũ tum in officio, tum in Missa. nunquam enim reperietur supplicatio, per quam Ecclesia petat liberationẽ animarum defunctorum ab inferno damnatorum: secundo suadetur explicando preces superiùs adductas, quæ videntur cõtradicere nostræ doctrinæ: & ad primam quæstionẽ de morte æterna, aio, eam non haberi, nisi in nono responsorio post nonam lectionem: at non dirigi ad defunctos, sed ad ministrum ipsum recitantem, sic enim dicitur, *libera me Domine de morte æterna in die illa tremenda, &c.* ad secundam dico, quod licèt per Antonomasiam infernus dicatur de gehenna, vbi damnati cruciantur; tamen sæpe sumitur pro toto illo loco, in quo Deus iustitiam vindicatiuam exercet, siue sit lymbus, siue Purgatoriũ, siue gehenna; similiter totus iste locus, qui est veluti quædam magna domus plures habens partes, quasi quædam cubicula, potest dici infernus, lacus profundus, tartarus, & quatenus est in infima mũdi parte, licèt si partes huius domus mutuo comparẽtur, tartarus, lacus profundus de loco damnatorum principaliter dicatur, nam tum respectiuè, tum absolutè, & simpliciter est cæteris omnib⁹ magis infim⁹, quãuis secundũ opinionem aliquorum, vt initio huius quartæ partis adnotauim⁹, loca illa pœnalia sint circa centrum, & nõ vn⁹ supra alium. sed quidquid sit de hoc, certũ est, hunc totum locum pœnarũ cõplectẽtem varia loca, veluti particularia, posse dici infernum, tartarũ, lacũ profundum, &c. licèt locus damnatorum tãtùm ex vsu sacrarum litterarum gehenna nominetur, nũquam enim inueniemus hoc nomen appropriatum alijs receptaculis, sicuti nomen, infernus. his autẽ positis, dico, in oratione illa ab Ecclesia postulari, vt animæ fidelium non absorbeantur à Tartaro, hoc est à pœnis, quæ in illo loco infimo inferuntur; & ne cadãt in obscurũ; est enim figurata loquutio sumens locum pro actione, quæ in ipso exercetur; & sensus est, ne cadãt in miseriam pœnarum, nempe, ne incidant in pœnas acerbiores: verbum enim, cadere, iuxta vsitatum modum loquẽdi sæpe vsurpatur pro incidere: & ita dicimus, aliquem cecidisse, id est incidisse in paupertatem in insaniam, &c.

Respondetur secundæ. Infernus sumitur pro toto illo loco, in quo De⁹ exercet iustitiam vindicatiuã.

Absorberi à Tartaro, & cadere in obscurũ, quo sẽsu intelligendum.

Instantia.

Si autem dicas, non posse animas in 52
Purgatorio detentas acrioribus pœnis multari, eis, quas initio purgationis patiũtur. respondemus, hoc non esse certum: quia contingere posset, iuxta dispositionem Diuinæ Prouidentiæ, & iustitiæ, vt certis quibusdam temporibus animæ illæ mitiùs, & quibusdam acriùs puniantur: idcirco non erit inconueniens, & rationi dissentaneum asserere, pœnas illas crescere vsque ad determinatam intensionem; quia posset euenire, vt animæ illæ, certis temporibus respondentibus tempori, in quo patratum fuit ab ipsis aliquod graue peccatum, vel in illis temporibus, in quibus actu à viatoribus in hac vita degentibus committũtur aliqua peccata ex occasione, quæ data fuit ab illis, qui nunc mortui sunt, dum viuebant, grauioribus pœnis affligantur: & sic non oportet, vt semper initio purgationis sint acerbiores pœnę, quàm sint in decursu totius tẽporis, in quo animæ manẽt in Purgatorio. opinionem hanc, quatenus affirmat, animas illas nunc mitiùs, nunc grauiùs torqueri, refert ex nonnullis Patribus *Philippus Gãmachaus in summa Theolog. tom. 3. disp. De Purg. cap. 5. post 4. concl.* eamque videtur approbare. proinde Ecclesia orat Deum, ne mittat animas illas in locũ obscurum horroribus plenum, sed vt in loco honestiore, & amœniore pœnitentiam agant, vt asserit idem *Gammachæus loc. cit.* & licèt animæ nequeãt naturaliter cruciari à tenebris, & fœditate locorum affici; tamen supernaturaliter à Deo id fieri posse, nemo dubitat: sicuti de facto dæmones, & animæ damnatorum puniuntur tum ab igne, tum à loco omnium teterrimo, in quo, tanquam in carcere, alligantur. ad tertiam do explicationẽ iuxta varias sentẽtias, nam aliqui putant, animas Purgatorij cruciari à dœmonib⁹, & sic sẽsus illarũ precũ erit, vt liberentur à dœmone cruciante, qui in Sacra Scriptura leo ob feritatẽ appellari solet, seu vt eripiãtur ab eius ore, nẽpe ab eius sæuitia, qua animas punit. & quãuis nos superiùs fuerimus in ea sẽtẽtia, quæ sustinet, animas Purgatorij à dœmonibus minimè torqueri, nihilominus quia cõtraria sentẽtia est pbabilis, idcirco Ecclesia nõ sine caussa orat, vt animæ illæ à dœmonib⁹ liberẽtur. ad quartã deniq; petitionẽ nõ ita facilis erit explicatio, nam verba illa, *ne obliuiscaris in finẽ*, importare videntur obliuionẽ eternam, quæ non est, nisi respectu damnatorum.

Respondetur. Non est improbabile, animas non semper, sed nunc mitiùs, nunc grauiùs puniri iuxta dispositionem Diuinæ iustitiæ.

Respondetur tertiæ.

53
Pro expositione autẽ aduertendum est,

di-

finem, & sempiternum semper significat durationē sine termine, vt alias ex alijs locis scriptur. & Lorin.

dictionē illam, *in finem*, relatam ad durationē non semper denotare æternitatē, nēpe durationē sine termino, sed posse significare longū tēpus per totam aliquam rerū seriē, & hoc pacto sumitur *in Psalmo 14. vbi dicitur, vsq; quo Domine obliuisceris me in finē?* sic notat ibidem *Ioan. Lorinus.* similis huic est dictio ista, *sempiternū*, quæ sumitur pro aliquo tēpore magno, cuius finis à nobis nō præuidetur, quāuis nō sēper duret, vt rectè animaduertit *Abulēsis in lib. 2. Reg. quæst. 9. ad. 2.* idque probat à pari. nam *Gen. 17.* circumcisio appellatur fœdus sēpiternū, & in *Leuit.* passim quāplures ceremoniæ legales instituebantur à Deo duraturæ in sempiternū, vt *in c. 6. 16. 24.* nēpe vsq; dum perseueratura erat lex vetus. sic explicat *Cornelius à Lapide in c. 24. ver. 8.* idem etiā habetur in libris Numerorū, Deuteronomij, &c. proinde dum Ecclesia petit à Deo, ne obliuiscatur animas defunctorū in finem, debet id intelligi de tēpore quodā perpetuo, nempe vsq; ad finē mūndi, seu pro tota ea duratione, qua duraturū est Purgatoriū. modus enim iste loquendi est cōsuetus inter homines, qui vocārem aliquā perpetuò duraturā, sumētes perpetuitatem nō pro æternitate sine termino, sed pro quadam duratione lōgissima vsq; ad finē alicuius seriei rerum. & sic solemus dicere, aliquos reditus esse perpetuos, hoc est duraturos vsq; ad finē sæculi, vel ad tēpus longissimū sine designatione finis. ad argumētū autē deductum ex his formulis loquēdi, nego, adaptari nō posse expositionē à nobis traditā verbis prædictis, idest precibus, quæ ab Ecclesia pro animab⁹ Purgatorij fundūtur, quapropter dico, in illis verbis peti berationē animarum à pœnis Purgatorij, & talis interpretatio erit facilis, & vera, nullum patiens incommodum.

54 *Corollarium ex discursu posito.*

Ex hoc autem discursu colligimus, quod, si Ecclesia petit à Deo, vt acceptet suffragia, quæ pro defunctis offeruntur, acceptatio non est infallibilis, sed ex Dei liberalitate, & misericordia, nullo supposito pacto, quo Deus se obligauerit, talia suffragia semper, & quoad totum valorem pro sali animain particulari acceptare. & hoc inferimus ex eo quod petendo non erit ipsa Ecclesia certa de suffragiorum acceptatione; quia vel adsunt omnes conditiones requisitæ ex parte vtriusq; nempe offerentis, & illius, pro quo offeruntur, vel non adsunt omnes conditiones: si conditiones desunt, temeraria, & præsumptuosa foret petitio: si verò omnes conditiones concurrant, superflua esset petitio, quia, certa, & infallibilis erit acceptatio: igitur cum fideles preces pro hac acceptatione fundant, signum est, acceptationem non esse certam, etiam positis requisitis.

SECTIO VI.

Expenduntur nonnullæ rationes aduersariorum.

SED obijcies primo contra cōclusionem principalē. acceptatio satisfactionis, quæ ab vno viuēte pro alio fit, est infallibilis, concurrentibus conditionibus requisitis ex parte vtriusq; nempe illius, qui offert, & alterius, pro quo offertur, ergo etiam pro defunctis. *Prima obiectio.*

55 *Responsio. Etiam si acceptatio satisfactionis viuentis pro alio viuente sit infallibilis, tamen est disparitatio pro defunctis. Prima disparitas.*

Respondeo, antecedens non admitti, ab omnibus, vt supra indicaui, eo tamen concesso, neganda est consequentia ob varias disparitates, quæ reperiuntur quoadhunc effectum inter viuos, & defūctos. & primo, licèt animæ defunctorum sint nobis per fidem, & charitatem coniūctæ, tamen maior vnio inuenitur inter ipsosmet viuentes, quàm sit inter viuentes, & mortuos. nam viuentes inter se faciunt vnam visibilem cōgregationem, eidemq; immediato capiti subduntur, communicant in eisdem Sacramentis, eisdemq; legibus reguntur &c. at cum defunctis non ita viuuntur, quia nequeunt defuncti cum viuentibus constituere vnam Ecclesiam visibilem, neque comparantur vt subditi ad Pontificem, in illos enim Pontifex nullam exercere potest iudiciariam potestatem; neque possunt eisdem legibus gubernari: proinde nequeūt à Pontifice directè ligari, aut solui, neq; demū ab eodem Pontifice possunt pasci, cum nō sint eius oues, tradita autē est à Christo potestas Pontificia solùm in oues iuxta illud *Io. 21. Pasce oues meas.* & ideo Leo Papa in epistola ad Rusticū Narbonensem Episcopum, quæ refertur *à Gratiano 24. q. 2. c. 1. sic inquit, de communione priuatis, & vita defunctis horū caussa Dei iudicio reseruanda est.* rursus *c. legatur ibidem. Gelasius Pontifex* expresè statuit, mortuos non absolui à Pontifice, & hoc, quia eius potestas directè nō extenditur, nisi ad eos, qui sunt super terram. & affert locum illum *Matth. 16. 18. quodcumq; solueris super terram, &c.* illud autē, *super terram*, refert *Gelasius* ad personas soluēdas: & quamuis aliqui illud referant ad soluentē, nempè ad Pōtificem, vt sensus sit, quod Pontifex, dum manet super terram, & viuit, potestatē habet soluēdi alios; tamen communior expositio est illa prior munita auctoritate Pōtificis, & etiā si admittam⁹ secūdā, id debet intelligi respectu eorū, qui Pōtifici subduntur, vt sūt viuētes, & nō defūcti. maneat igitur

Vuu 2 ex

ex dictis inter viuentes, & defunctos non esse vnionem illam, quæ reperitur inter ipsosmet viuentes vnam visibilem congregationem sub eodem capite immediato constituentes: sicuti enim populi eiusdem regni subduntur eidem Regi, tamen in diuersis ciuitatibus variæ esse possunt leges, & statuta, in quibus & incolæ vnius ciuitatis non communicant cum incolis alterius ciuitatis, & non habent idem caput immediatum. sic licèt viuentes, & defuncti sub Christo capite subdantur; tamē non habent idem caput immediatum, nempè Pontificem, neque eisdē legibus reguntur. & ideò esto demus, viuentes posse mutuo iuuare ad satisfaciendum pro pœnis debitis, eorumque satisfactiones pro altero oblatas de cōdigno, & infallibiliter à Deo acceptari; nihilominus non ita est dicendum de satisfactionibus, quæ pro defunctis offeruntur, & hoc quia non reperitur eadem proportio, & coniunctio ob diuersitatem status. secundò assignatur alia disparitas, quia in hac vita possumus offerre satisfactiones eiusdem generis, & rationis cum illis, quas pro seipsis debent alij viuentes offerre, vt liberentur à pœnis: & sic possumus offerre ieiunia, eleemosynas, preces, &c. quas alius viuens facere tenetur, per quas satisfaciendo, à pœnis in Purgatorio luendis se eximeret. defuncti verò cum nequeant per se ipsos satisfacere, sed solùm possint in Purgatorio satispati sustinendo pœnas alterius generis ab illis, quas nos in hac vita patimur, idcirco non est eadem paritas de viuentibus, & defunctis quoad infallibilitatem acceptationis: nam hæc fundatur in Diuina misericordia, ob quā Deus mouetur ad acceptandas satisfactiones pro mortuis: illa verò fūdatur in promissione Dei, per quam promisit illas acceptare, vt communior Theologorum opinio existimat cum magno fundamento in re. quod autem Deus non teneatur ex iustitia suffragia ista acceptare, probari potest à simili exemplo, quoniam sicuti in humanis videm⁹, quod si aliquis reus dānat⁹ sit à Iudice ad pœnam corporalem; non tenetur Iudex acceptare pœnam alterius rationis, vt liberet reum illum à pœna corporali, nēpe pœnā pecuniariā, & si eam acceptet, erit ex gratia; ita ex gratia Dei erit acceptare pœnas huius vitæ pro pœnis alteri⁹ vitæ, cū sint diuersæ rationis; neq; est locus scripturæ tam apertus, in quo habeamus pactū à Deo initum de acceptandis his suffragijs. ad eos autē, qui possent afferri, iam respondimus sectione præcedente. hæ, & aliæ disparitates dari possūt inter satisfactiones pro defunctis, & satisfactiones pro viuentibus.

Secunda disparitas.

Defuncti in Purgatorio nequeunt pro se ipsis satisfacere, sed tantum satispati.

Quod Deus nō teneatur acceptare suffragia pro defunctis, suadetur exemplo petito à rebus humanis.

Obijcies secundo. Opera satisfactoria facta pro defunctis non sunt minoris efficaciæ, quàm essent, si fierēt pro viuentibus. igitur si pro istis acceptantur à Deo secundum totum valorem, quem habēt, deberēt eodem modo acceptari pro defunctis: probatur antecedens, quia efficacia, & valor satisfactionis non desumitur ex dignitate illius personæ, pro qua offertur, sed ex dignitate operantis, & ex conditione, seu qualitate ipsius satisfactionis; & solùm ex parte personæ, pro qua offertur, requiritur, vt sit in statu gratiæ, & capax illius satisfactionis: neque diuersitas oriri potest ex parte Dei, qui non minùs amat iustos mortuos, quàm viuos, & non minùs est misericors, & liberalis respectù defunctorum, quàm viuorum; ergo sicuti pro viuis acceptat satisfactiones oblatas secundum totum valorem, ita etiam acceptabit eas pro mortuis. 56

Secunda obiectio.

Efficacia, & valor satisfactionis oblatæ pro viuentibus, & defunctis.

Respondeo negando antecedens, primo, quia satisfactiones ex opere operantis, de quibus in præsentia loquimur, vt sunt ieiunia, eleemosynæ, orationes, &c. maiorem habēt proportionem cum alijs similibus operationibus, quæ fieri deberent ab eo, pro quo offeruntur satisfactiones ab altero factæ, nimirum cum ieiunijs, eleemosynis, & orationibus, quæ ab isto fieri deberent, quàm habeant cum pœnis Purgatorij: & ideo ratione huius maioris proportionis operationes oblatæ à viuentibus sunt maioris efficaciæ. secundo, quia diuersitas status minuit coniunctionem, & sic vt diximus minor vnio est inter nos, & mortuos, quàm sit inter nos ipsos viuētes; proinde influxus communicationis, quæ fundatur in membrorum coniunctione erit efficacior inter viuentes. ad probationem antecedentis dico, valorem operis, licèt in actu primo, & quoad sibi intrinseca desumendus sit à persona offerente, & à natura ipsius operis, non autem à persona, pro qua offertur: tamen in actu secūdo, nempe quoad actualem applicationem, & communicationem, quæ præsertim fit secundùm liberam Dei voluntatem, & non secundùm iustitiam desumēdam esse etiam per respectum ad personam, pro qua offertur, ideoque respectu vnius personæ excellentiorem poterit habere effectum, quàm respectu alterius ob rationes superiùs assignatas, quia iuxta exigentiam status, & conditionis personæ, cui suffragia applicantur, Deus valorem eorumdem suffragiorum communicat, & distribuit. quapropter ad argumentum neganda est vltima consequentia, per quam inferebatur æqualitas quoad valorem suffragiorum in actu secundo comparando viuos cū defunctis. 57

Responsio. Satisfactiones viuentium pro viuentibus maiorem proportionem habent, quam viuentium pro mortuis.

Diuersitas status eadem minuit coniunctionem & communicationem.

TRA-

TRACTATVS III.

DE SVFFRAGIIS IN PARTICVLARI.

EGimus de natura, & valore suffragiorum, ea considerando secundum quadam capita vniuersalia: in sequentibus verò loquemur de ipsis suffragijs secundum rationes particulares: vt autem clariùs procedamus diuidimus suffragia in ea, quæ sunt ex opere operato, & ea, quæ dicuntur ex opere operātis. declarationē antē horū terminorū breuiter præmitto, & dico, suffragia ex opere operato ea esse, quorum præcipuus, & intrinsecus valor est independens à dignitate subiecti, videlicet illius, qui ea offert, & ex Christi institutione propter cuius merita habetur. dixi, valor præcipuus, & intrinsecus, quia minùs præcipuus, & extrinsecus attenditur per habitudinem ad operantem, nam si ille, qui satisfacit, & offert suffragium, est Deo gratior, & maiori affectu, & deuotione operatur, tunc suffragium præter illum valorem intrinsecum, quem ex se habet, sortitur alium quemdam valorem veluti extrinsecum, & accidentalem, per ordinem ad ipsum operantem, vt fiet manifestum ex dicendis: suffragia verò, quæ appellantur ex opere operantis ad differentiam primorum, sunt ea, quorum totus valor desumitur à dignitate operantis: & ideo maiorem, aut minorē inuoluēt efficaciam, & valorē iuxta maiorem, aut minorem dignitatem ipsius operantis tanquā mēsurā. Suffragia autē, quæ in considerationem venire possunt, an habeant effectum ex opere operato respectu illorum, pro quibus applicantur, sunt sacrificium Missæ, Indulgentiæ, & Sacramentum Eucharistiæ, de quibus distinctè est agēdum incipiendo ab illis, quæ animabus proficiunt ex opere operato.

CAPVT I.

De suffragio, quod in sacrificio Missæ consistit.

1 QVAE pertinent ad rationem sacrificij in genere, iure omittimus, sicuti ea, quæ faciunt ad ostendendum cōtra Hæreticos, Eucharistiam esse verum sacrificium; hæc enim omnia in præsenti tractatu potius sunt supponenda, quàm probanda, quia ad nostrum institutum non spectant, de his latè tractat *Bellarminus in controuer. lib. 5. De Eucharistia, qui est primus De sacrificio, & Suarez to. 3. in 3. p. d. 74. & sequentibus*, restringimus ergo sermonem ad sacrificium nouæ legis, quatenus per illud adiuuare possumus defunctos, qui in Purgatorio detinentur. cæterum, quia plura, & diuersa sunt consideranda circa hoc Diuinum sacrificium, idcirco in varios paragraphos decidenda secernimus.

SECTIO I.

De sacrificio Missæ quatenus est satisfactorium.

DIcendum est primò certum esse de fide, sacrificium Missæ esse satisfactorium pro animabus, ita definitur *in Concilio Tridentino sess. 22. cap. 2. illis verbis, quare non solùm pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus, sed pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, ritè iuxta Apostolorum traditionem offertur.* idem etiam habetur *in can. 3. eiusdem sessionis, sess. 25. initio*, & talis fuit perpetuus, & cōstans vniuersalis Ecclesiæ sensus: & ideo in Missa, dum fit oblatio, dicitur, *hanc immaculatam hostiam, quam offero tibi Deo meo, viuo, & vero pro peccatis, & offensionibus meis, & pro omnibus fidelibus viuis, atque defunctis, &c.* præterea, quando fit promotio ad Sacerdotium, datur potestas offerendi sacrificium pro viuis, & defunctis. confirmari etiam potest conclu- 2 *Missa sacrificium pro defunctis est de fide.*

fio

sio ex Patribus, & Doctoribus, quos laudat *Valentia tom. 4. disp. 6. q. 11. §. 24.*

3 *Idem dogma ratione probatur.* Probatur etiam ratione deducta ex institutione ipsius sacrificij, quod cum in actione consistat, quæ ex sua natura potest esse satisfactoria pro pœna peccatis debita, sequitur, posse defunctis applicari antecedens de se est manifestum, nam sacrificium essentialiter est oblatio, per quā Deo aliquid offertur in ipsius Dei honorem, & in signum Diuinæ eius excellentiæ, & nostræ subiectionis: vt explicant Authores de sacrificio agentes, vt *Bellarminus tom. 2. lib. 1. De sacrif. cap. 2. Vasquez in 3. p. tom. 3. disp. 220. Suarez to. 3. disp. 73. sect. 5. §. Dico primo, & alij*; consequentia verò probatur, quia omnis actio satisfactoria, vt talis, potest ab operante alijs applicari, & de sacrificio specialiter colligitur *ex S. Paulo ad Hebr. 5.* vbi loquens de Sacerdote sacrificante sic inquit, *omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis*, & paulò post subdiur, *Quoniam & ipse circumdatus est infirmitate, & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis.* neque refert, quod verba ista ad homines, qui faciunt populum, & sunt viuentes, pertinere videantur, quia ex Cōcilio, & ex vsu Ecclesiæ habemus, sacrificia applicari posse indifferenter tum pro viuis, tum pro defunctis. neque est maior ratio illorum, quàm istorum. & confirmatur, nam Christus Dominus satisfecit per sacrificium cruentum applicando satisfactionem suam pro omnibus hominibus, & etiam pro animabus iustorum, quæ detinebantur in Purgatorio, & in Lymbo: ergo etiam & nostri Sacerdotes possunt applicare sacrificium incruentum, in quo continetur idem Christus in satisfactionē tum viuorum, tum mortuorum, qui capaces sunt satisfactionis.

4 *Valor Missæ est ex opere operato.* Dicendum est secūdo, valorem, quem Missa habet, vt sacrificium, siue Sacerdos celebrans sibi ipsi illum applicet, siue alijs viuis, aut defunctis, esse ex opere operato, sic *ex S. Thoma in 4. d. 45. q. 2. a. 1. quæstiune. 3. Caietanus tom. 2. opusc. Tract. 3. q. 1. Suarez in 3. p. tom. 3. d. 79. sect. 1. Franciscus Toletus in instruct. Sacerd. l. 2. cap. 8. nu. 1.* & est communis sententia, quam *Suadetur variis argumentis.* varijs argumentis suadere possumus. & primo, quia sicuti sacrificium cruentum, quo Christus Dominus se ipsum in ara Crucis pro nobis obtulit, est ex ipso opere immediatè satisfactorium, & vt in nobis hunc effectum sortiatur, nihil aliud requirit, nisi vt nobis applicetur, & obicem non inueniat; ita etiam & sacrificium incruentum, per quod idem Christus in Missa offertur, ex ipsomet opere immediatè est satisfactorium, & nihil aliud præter applicationem, & negationem obicis expostulat, quod est esse satisfactoriū ex opere operato, & patet, quoniam alia suffragia, vt actu habeant effectum satisfactionis in eo, pro quo fiunt, ex parte offerētis præter intentionē, qua alicui applicantur, & negationē obicis in eo, pro quo fiunt, requirunt aliquā positiuam dispositionem in ipso operante, nempe statum gratiæ, & amicitiæ cum Deo, seu dignitatem ex parte ipsius offerentis, quam tamen non requirit sacrificium Missæ. nam etiam si Sacerdos sit in peccato mortali, non impeditur ex hoc ad obtinendum effectū in eo, cui applicatur, quod significare voluit *Concilium Tridentinum sess. illa 22. cap. 1.* dum loquens de ipso sacrificio inquit: *Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest.* si autem oblatio ad habendum suum effectum dependeret à dignitate offerētis, non diceretur à Cōcilio, *non inquinari malitia offerentiū*, ex quo patet discrimen inter suffragium, quod prodest ex opere operato, & suffragium, cuius fructus est ex opere operātis, nam istud, si fiat ab homine existente in statu peccati mortalis, non sortitur effectum, & dicitur manere inquinatum, non autem illud, quod est ex opere operato, cuius efficacia non dependet ab indignitate subiecti, à quo procedit. secundo suadetur ista sententia, quia ex vi suæ institutionis hoc sacrificium habuit vim quamdam salutarem in remissionem peccatorum, vt nobis exponit *Concilium loco citato*: at virius, quæ habetur ex institutione, est independēs à dignitate subiecti illam actionem exercentis, atque adeo est ex ipsomet opere operato. tertio probatur à pari, quia in noua lege Sacramenta omnia suos caussāt effectus ex opere operato, vt determinat *Tridentinum sess. 7. can. 8.* igitur cōueniens fuit instituti in ipsa lege noua aliquod sacrificium ita dignū, vt ex opere operato aliquem habuerit effectum; ex effectibus autem, qui immediatè caussari possunt ab Eucharistia, in quantum est sacrificium, est remissio pœnæ, vt latè probat *Suarez disp. 79. cit. sect. 6. & colligitur ex S. Thoma in 3. p. q. 79. a. 5.* quia congruum fuit, vt in Ecclesia tempore legis gratiæ sit aliqua sacra ceremonia, quæ immediatè, & per se ipsā habeat vim remittēdi pœnam temporalem pro peccatis debitam, & talis ceremonia est sacrificium Missæ. nam & si Sacramenta dignè recepta remittant pœnam, vt est Baptismus; tamē hoc habet consequenter facere,

Alia suffragia requirunt positiuam dispositionem in offerente, quā non requirit sacrificium Missæ.

Sacrificium Missæ ex sui institutione vim habet remittendi peccata.

Omnia Sacramenta nouæ legis caussant suos effectus ex opere operato. Congruū fuit esse aliquod tale sacrificium ad remittendas pœnas peccatorum.

Dispar ... quo Sacramenta remittunt pœnā, & quo sacrificium.

facere, inquantum pœna illa erat adnexa peccatis, quæ per Baptismum delentur, & non debetur peccatis commissis post Baptismum, sed ante Baptismum, qui cum sit noua generatio in vita spirituali, congruum fuit, ita illum instituere, vt vim haberet remittedi & omnia peccata, & totam pœnam illis peccatis debitam: at non fuit institutus ad remittēdam primo, & per se pœnam; hunc autem effectum sacrificio Missæ ex opere operato tribuimus. præterea Sacramentum Pœnitentiæ, licèt mutet pœnam æternam maiorem, aut minorem, & interdum totam pœnam temporalem iuxta perfectiorem, aut minùs perfectam pœnitentis dispositionem, non autem est per se ad directè remittendam pœnam, nisi quatenus remittit culpam: reliqua verò Sacramenta alios proprios habent effectus, & non sunt instituta ad condonandam pœnam ex opere operato; igitur conuenienter ad hunc effectum caussandum institutum fuit sacrificium Missæ. alias congruentias vide *apud Suarez sect. 6. citata, & apud Cardinalem Delugo disp. 19. De Sacramento Eucharistiæ à nu. 153.*

Obiectum. Sed obijcies. Effectus iste, quem, vt vidimus, ex opere operato caussat istud sacrificium, augetur ex dispositione Sacerdotis offerentis, & eorum, pro quibus offertur: ergo non fit ex opere operato, sed ex opere operantis.

5 *Diluitur.* Respōdeo iuxta varias sententias, quas examinat *Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 79. sect. 8. incipiens à versu, Quarto de cæteris priuatis.* aliqui enim agnoscunt duplicem fructū ex opere operato prouenientē ex hoc sacrificio, & aiunt, quod primus fructus respondet Sacerdoti sacrificanti in persona Christi; secundus verò eidem tāquam priuatæ personæ, & nō vt ministro publico offerenti, inter vtrumq; effectum plures enumerat differentias *Suarez loc. cit.* qui hanc sententiam tuetur: alij verò vnum dumtaxat asserunt, esse fructum, seu effectum ex opere operato prouenientem ex hoc sacrificio, nimirum illum, qui respondet Sacerdoti gerenti personam Christi: & hanc opinionem recipit ex *Vasquez, & alijs Cardinalis de Lugo De Sacramento Eucharistiæ disp. 19. sect. 11. num. 233.*

6 *Effectus caussat ex opere operato nō consistit in indiuisibili, nequè æqualis in omnibus.* Quæ nam autem ex his duabus opinionibus sit verior, non est huius loci determinare, sed quacumq; admissa, ad argumētum negari debet id, quod assumitur, videlicet effectum ex opere operato non admittere latitudinem, & non posse esse nunc maiorem, nunc minorem pro maiori, aut minori dispositione illius, in cuius vtilitatem cedit fructus ex opere operato, vt ostendimus *in 4. p.* agētes de effectu Sacramentorum nouæ legis.

Sed posset quis vlterius vrgere, ex hac responsione sequi, quod fideles eleemosynam tribuentes Sacerdotibus, vt pro se, vel alijs viuis, aut defunctis celebrent, deberent exquirere Sacerdotes sanctiores, vt plus satisfationis etiam ex opere operato ipsis accederet ex maiori deuotione, & dispositione ipsorum Sacerdotum celebrantium. hoc autem nō videtur in vsu: quod signum est, æqualem semper esse fructum, seu effectum ex opere operato, siue loquamur de primo, siue de secundo effectu, & non esse nunc maiorem, nunc minorem. 7

Respondeo, si sermo sit de effectu, qui respondet Sacerdoti, vt publico ministro offerenti in persona Christi, tunc aio, effectum ex opere operato prouenietem non fundari in sanctitate ministri, neque in eius maiore, aut minore dispositione, vt rectè probat *Suarez sect. cit. ver. Tertia differentia est, & Bartholomæus à S. Fausto lib. 1. De suffragijs quæst. 54.* & alij apud ipsum; sed maioritas, aut minoritas huius effectus attendenda est per ordinem ad dispositionem illius, pro quo offertur, nō vero per ordinem ad Sacerdotem sacrificantem: si verò loquamur de alio effectu ex opere operato respondente ipsi Sacerdoti, vt priuatæ personæ, tunc dico, talem effectum esse posse maiorem, aut minorem iuxta dispositionem ipsius Sacerdotis: at, dubium est, an detur talis effectus ex opere operato, & etiam est incertum, an Sacerdos possit, & debeat illum applicare illi, qui dedit eleemosynam, denique falsum est, esse contrarium consuetudini, vt, dantes eleemosynas pro Missis celebrandis non quærant interdum Sacerdotes sanctiores: nam, vt benè aduertit *de Lugo sect. cit. in fine* propter impetrationem propriam ipsius Sacerdotis, quandoque à fidelibus exquiri Sacerdotes sanctiores; nihilominus cum ipsi fideles attendant potiùs valorem sacrificij ex parte Christi, seu ex parte Sacerdotis, vt sacrificantis in persona Christi, quàm alius valor respondens Sacerdoti, vt personæ priuatæ, qui est valdè incertus, an detur, & an Sacerdos obligetur ad illum applicandum: idcirco non sunt admodum solliciti in electione Sacerdotum, sed contenti sūt, vt Sacra celebrentur à legitimo Sacerdote: & nihil aliud curant. 8

SE-

SECTIO II.

An remissio pœnæ proueniens ex hoc sacrificio sit maior in eo, qui est sanctior?

9 *Explicatur quæstio.* QVærimus in hoc paragrapho, an, quò maior fuerit gratia, & sanctitas habitualis in eo, pro quo ipsũ sacrificium offertur, effectus remissionis pœnæ maior esse debeat: videri enim posset alicui affirmatiuè esse respondendum, quia, vt supra adnotauimus, effectus iste erit perfectior, aut minùs perfectus iuxta dignitatem etiam illius, pro quo offertur: at maior gratia sanctificãs, certum est, quod reddat subiectum digniùs.

10 *Conclusio negatiua.* Respondeo, oppositum esse omnino admittẽdum, quod expressè docuit *Gaspar Hurtado De sacrificio Missæ disp. 3. diff. 111.* & hoc, quia nulla res esse potest expulsiua alteri⁹ rei, vel dispositio ad illã destruẽdã, nisi habeat aliquã repugnãtiã, seu contrarietatẽ cum re illa, quæ est expellẽda, at gratia sanctificans in quocũq; gradu reperiatur nullam repugnantiam, nullamq; habet incõpossibilitatem cum quocunq; reatu pœnæ temporalis. immo, vt de se patet, euenit, vt aliquis homo substantialiter sanctior habeat obligationem ad maiorem pœnam sustinendam, quàm habeat alius minùs sanctus: quia ille poterit esse reus pluriũ peccatorum venialium, aut grauiorum, quã iste. peccata autem venialia non sunt incompossibilia cum maiori sanctitate substantiali: si autem quæratur, quænam sit maior ista dignitas, ob quã ille, pro quo sacrificium offertur, redditur magis disposit⁹ ad participandum perfectiorem remissionis effectum, respõdeo *cum eodem Hurtado*: est deuotio, quam habet, aut habuit ille, cui sacrificium applicatur, nempe deuotio erga ipsum sacrificium per modũ cooperationis, scilicet vel ministrando Sacerdoti sacrificanti, vel adiuuando ad eius sustentationem, & alimentũ, vel alio modo curando, vt Missæ celebrentur, &c. & hoc etiam docuit *Suarez tom. 3. in. 3. p. disp. 77. sect. 3. versus finẽ.* huic deuotioni aliam addo pro defunctis, nimirum si dum viuebant, solliciti fuerint ad suffragia, mediantibus sacrificijs, alijs pijs operibus animas Purgatorij adiuuare; per hanc autem, aut similem deuotionem redditur subiectum dignius ad effectum huius sacrificij,

Gratia sanctificans in quocũq; gradu nullã habet incõpossibilitatem cũ reatu pœnæ tẽporalis.

Deuotio illi⁹, cui sacrificiũ applicatur, caussat maiorem remissionis effectũ.

SECTIO III.

An Missa magis viuentibus, quàm defunctis prosit?

DVbium proponit *Bartholomæus à S. Fausto lib. 1. De suffragijs quæst. 53.* & respõdet, magis prodesse viuẽtibus, quàm 11
defunctis, quia viuis prodest secũdum triplicem rationem, nempe vt propitiatorium, seu satisfactorium, vt impetratoriũ, & vt meritorium; defunctis verò solùm quãtùm habet esse satisfactorium. sed ego censeo, cum distinctione esse respondendum. nam, si loquamur de effectu satisfactionis, seu remissionis pœnæ, puto, indifferenter se habere ad vtrumque hominum genus quoad quantitatem pœnæ remissibilis: & ideo si talis Missa censetur æquiualẽs satisfactio pro pœna vt sex luenda in Purgatorio, æqualiter poterit se habere ad viuentem, & ad mortuum: at si sermo sit de alijs effectibus, videlicet quoad impetrationem auxiliorum ad superandas tentationes, ad perseuerantiam in gratia, ad bona temporalia acquirenda &c. tunc magis viuẽtibus, quàm mortuis prodesse poterit, & in hoc conuenio *cum Bartholomæo*, quod videtur etiam sentire *Toletus cap. 8. cit. nu. 2.* dum ait, defunctis Missam nõ prodesse, nisi ad remissionem pœnæ, nam quoad alios affectus sacrificium Missæ nequit se extendere ad defunctos, quia eorum non sunt capaces, nam sunt in tali statu, vt nõ indigeant auxilijs illis, aut bonis temporalibus, &c. haberi autem prædictos effectus mediante sacrificio, statuitur *in Tridẽtino sess. illa 22. cap. 2. & Can. 3.* dum declaratur, sacrificium istud non tantùm pro pœnis, & satisfactionibus, verum etiam pro alijs necessitatibus offerri posse, quod etiam confirmant Patres apud *Hurtadum disp. 3. cit. diff. 5.*

Triplex ratio sacrificij viuis: propitiãdi, seu satisfaciendi, impetrandi, merendi.

Quoad effectũ remissionis pœnæ æqualis Missa pro viuis, & pro defunctis.

SECTIO IV.

An Missa excedat in valore omne aliud suffragium, & an Missa de requie sit defunctis vtilior, quàm alia de Sancto?

AD primum, quod proponitur, respõdeo, sacrificium Missæ esse excellẽtissimum inter omnia suffragia, & magis defunctis ꝓdesse, quàm reliqua; est enim certiùs in ordine ad remissionem, cum principalis offerens sit ipse Christus modo speciali, quem declarat *Suarez disput. 77. sect. 1.*

Missæ suffragium omniũ excellentissimum.

Ad secundum dico. Si attendamus valorem, qui est ex opere operato, prouenit 12

ex

[...]qualiter [...] defun[...]ratione [...]is opera [...]uæcumq; [...]ssa.

ex ipso sacrificio essentialiter accepto, & æqualiter prodest defunctis, quæcunq; sit Missa, vt expressè docet *S. Thomas in 4. d. 45. quæst. 2. art. 3. quæstiunc. 1. ad 5. Rodriquez in q. q. regul. tom. 1. q. 44. a. 8. Bartholomæus Gauantus in rubr. Missal. tom. 1. par. 3. in resol dubit. pro defunctis* §. 1. *nu.* 1. *Toletus loc. cit. Carrill⁹ De Bulla defunctorum part. 2. cap. 12. nu. 25. & alij.* at si consideremus preces, quæ ab Ecclesia specialiter institutæ sunt in subsidinm ipsorum defunctorum, vtilior est Missa de requie, quàm sit alia. sic notat *Henriquez lib. 9. c. 17. nu. 4. Carrillus loc. cit.* attamen *S. Thomas, vt supra,* ait, maiorem illam vtilitatem compensari posse cum maiori deuotione ipsius offerentis, aut per intercessionem illius Sancti, cuius Missa celebratur, & cuius suffragium postulatur: sic etiam notat *Gauantus* § *cit. nu. 3. & sequentibus, & Marchin. De Sacramento Ordinis tract. 3. par. 2 cap. 25. num. 8. & 9.* & demum *Fr. Gesualdus de Bononijs Capucinus tract. 1. De sacrificio Missæ cap. 4. num. 47.* maior autem ista vtilitas prouenit ex eo quod preces illæ in Missa defunctorum sunt directè, & specialiter ordinatæ ad iuuãdas animas defunctorum, & pro eis Ecclesia specialiter orat.

[...]tione pro [...] Ecclesia [...]aliter [...]issa de re[...]ie.

13 *[Sa]cerdos, qui [te]netur de[ter]minatam [M]issã singulis diebus celebrare, non [po]test eam si[ne] caussa in[...]iam mutare.*

Aduerto tamen, ex hac doctrina non recte inferri, Sacerdotem, qui vel ratione stipendij, vel fundatione alicuius Cappellaniæ tenetur determinatam Missam singulis diebus celebrare, posse ad sui libitum mutationem hanc facere. hoc enim esset peccatum, vt monent Doctores, inter quos *Faguudez in p. præcepto Ecclesiæ lib. 3. cap 9. num. 6. & alij,* quos laudat, & sequitur *Diana par. 2. tract. 14. De celebr. Miss. resol. 31.* quia hoc pacto defraudaretur intentio illius, qui stipendium dedit, vel Cappellaniã fundauit, &c. dispositio autem ista est adimplenda iuxta voluntatem disponentis, etiam si per æquiualens illi satisfieri possit: sed solùm per illam declarare volui valorem, quem habent Missæ particulares secundum se spectatæ præscindendo ab omni obligatione, quæ reperiri potest in Sacerdote celebrante: verum non nego, mutationẽ prædictam ex rationabili caussa fieri posse, nõ obstãte explicita dispositione alterius. quæ nã autẽ sit caussa excusans, nõ est huius loci determinare. vide Authores citatos.

SECTIO V.

An vna Missa pro multis oblata tantùm valeat pro omnibus, quantum si pro vno offerretur.

14 De hac re fusè egit *Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 79. sect. 12.* & valdè prolixè *Corduba in quæstionario lib. 1. cap. 3. per totum, & alij apud ipsos,* quorum doctrina cum ob varietatem opinionum, & distinctionum magnam ingerat confusionem, vt patet legẽti; idcirco, vt breuiter, & clarè aperiam quid in hac re probabiliùs mihi videatur tenendum, tria considerãda propono. primò ipsosmet offerẽtes sacrificium. secundo eos, pro quibus sacrificium offertur in ordine ad remissionem pœnæ, & satisfactionẽ tum ex opere operato, tum ex opere operantis. tertio idem sacrificium, prout offertur ad impetrandum pro multis. his positis deuenio ad decisionem, & solutionem quæsiti.

Tria in hac quæstione cõsiderãda proponuntur.

15 *Cum plures offerũt idem sacrificiũ cũ Sacerdote omnes, & singuli tantumdem lucrantur.*

Dico igitur primo. Si spectemus ipsos offerentes, quando videlicet plures concurrunt cum Sacerdote ad idem sacrificium numero, tunc omnes, & singuli eumdem lucrantur fructũ, ac si vnus tantùm esset offerens: & in hoc sensu iudico, idem sacrificium oblatum pro multis tãtùm valere pro singulis, ac si pro vno solo oblatum fuisset: & ita docet *Suarez sect. cit. in p. conclusione,* & vt veram admittit sententiam eorum, quam primò loco retulerat. conclusio autem ista, quæ apud omnes certa esse debet, probatur, quia effectus sacrificij ex nullo capite diminui potest in ipsis offerẽtibus, vt patet, non ex parte rei oblatæ, quæ ex se est infinita, neq; ex parte oblationis, nam oblatio vnius nõ decrescit in bonitate intrinseca, quam habet per consortium aliarum oblationum, neque enim bona, & laudabilis est, siue sit sola, siue aliæ concurrant oblationes. quis enim dicat, quod dum aliquis in Ecclesia orat, eius oratio minuatur in bonitate, ac proinde fructus ipsi orationi correspondens minuatur, ex eo quod plures eodem tempore simul concurrant orantes? hoc enim asserere, esset magnum absurdum, & manifestè falsum: igitur sacrificium oblatum à pluribus eumdem caussabit effectum in ipsis offerentibus, quem caussaret, si vnus tantùm esset offerens, & in hac acceptatione affirmatiuè est respondendum quæsito.

Probatur ex eo quod neq; ex parte rei oblatæ, neq; ex parte oblationis diminui potest eius effectus.

16 *Valor satisfactionis ex opere operãtis applicatus pluribus minùs valet, quàm vni*

Dico secundo. *Valor satisfactionis ex opere operantis,* ille nimirum, qui prouenit à Sacerdote, quatenus varias in sacrificio fundit preces, minùs valet pro pluribus, quàm si pro vno, aut paucioribus applicetur. conclusio ista etiam est certa, quia talis valor est finitus, & limitatus *V. G.* est vt sex secundum maiorem, aut minorem deuotionem, aut affectum offerentis: & ideo, si pluribus applicetur, necessè est, vt distribuatur in tot partes, quot sunt personæ, pro quibus offertur, proinde si plures erunt personæ, oportet, vt singulis minor contingat portio.

17 De his autem duabus conclusionibus nulla esse potest difficultas, cæterum cõtrouersia est de valore, qui ex opere operato prouenit ab ipso sacrificio, vt oblato pro alijs, & in hac re parte affirmatiuam tuetur *Caietan⁹ in 3.p.quæst.79.a.5. Quodlibeto 1.quæst.18. Corduba loc. cit. quos sequitur Vasquez d. 231. cap.3. & alij apud ipsum cap. 2. eiusdem quæstionis. Gaspar Hurtado De sacrificio Missæ disp.3. diff.8. & apud ipsum Corduba, Petrus Nauarra, & alij.*

18 *Quantum est ex opere operato non tantum valet sacrificium pro pluribus, quã pro vno oblatum.*

Dico tamen tertio, Sacrificium, si spectetur secundum valorem satisfactionis, qui fundatur in ipsa institutione, & est ex opere operato, nempe ex meritis Christi, non tantùm valet pluribus, quantùm si pro vno solo offerretur, sic in terminis *Sotus lib. 9. De iust. quæst. 2. a. 2. concl. 3. & in 4. d. 13. quæst. 2. a. 1. vers. ad hæc opere pretium est, Valentia tom. 4. d 6. quæst. 11. p. 1. §. 25. Henriquez lib. 9 cap. 17. num. 5. Suarez tom. 3. in 3 p. d. 29 sect. 1. 2. concl. 2. Bonacina De Eucharistia disp. 4 quæst. vltima p. 4. num. 6. Petrus Anellus Persicus De offic. Sacerd. lib. 2. cap. 6. dub. 3. per totum. Bartholomæus a S. Fausto lib. 1 De suffrag. q. 57. Cardinalis de Lugo De Sacramento Eucharist disp. 19. sect. 12. num. 246. & quamplures alij apud ipsos*, probatur autem conclusio ex eo, quod valor satisfactionis immediatè non fundatur in ipsamet re oblata, sed in oblatione, in qua consistit sacrificium, oblationi autem finiti gradus satisfactionis respondent V. G. sex, octo &c. igitur non tantùm valet oblatio ista singulis, si pro multis offertur, quàm si pro vno tantùm offerretur, quia grad⁹ illi, si in plures diuidantur, oportet, vt vnicuique minor portio contingat.

19 *Obiectum.*

Dices, quamuis ex Christi institutione gradus satisfactionis, qui huic oblationi respondent sint finiti, stante ipsius oblationis finitate, tamen concessa est Sacerdoti offerenti potestas ab eodem Christo applicandi gradus illos siuè vni, siue pluribus personis, illos in singulis multiplicando, videlicet vnicuique dando octo gradus satisfactionis; ad eum ferè modum, quo idem numero agens V. G. idem ignis habens in se vim finitam calefaciendi vt sex potest æque in vno, ac in pluribus subiectis caussare effectum, seu gradum caloris vt sex; hoc enim neque arguit infinitam virtutem in caussa, neque excedit eius efficaciam, sic etiam, si ponamus, valorem huius sacrificij ex opere operato esse finitum, tamen poterit valor æqualis produci in singulis, pro quibus sacrificium ipsum offertur, dummodo non excedat quantitatem illam valoris, qui ex institutione est taxatus, ac proinde non minùs sacrificium istud specialiter applicatum prodesse poterit pluribus, quàm vni.

Respondeo negando, institutionem huius sacrificij factam fuisse illo modo, vt ponitur ab arguente, qui gratis fingitur, & varijs rationibus, quæ nostram sententiam probant, impugnari efficaciter potest, vt mox videbimus. *Diluitur.* paritas autem illa deducta ex agente non valet, quia est diuersa, nam multiplicatio effectuum, nempe diuersorum graduum vt sex oritur, quia diuersæ sunt actiones transeuntes, & tot quot sunt subiecta, in quibus producitur ab igne senarius gradus caloris: & ideo non est mirum, quod multiplicentur senarij gradus; at sacrificium, quod pro multis offertur, non consistit, nisi in vna tantùm actione, quæ cum sit finita, & limitata, limitatũ habet effectum, qui cum non debeat recipi in illis, quibus applicatur, idcirco non potest multiplicari, nisi multiplicetur sacrificium.

Esse autem hoc sacrificium institutum eõ modo, quo à nobis asseritur, videlicet vt non multiplicet effectus, etiam si multiplicentur personæ, pro quibus offertur, optimo probatur inditio à posteriori, quoniam malefaceret Sacerdos vni tantùm personæ sacrificium applicando, & priuando reliquos fructu huius sacrificij, cum singuli possent absque detrimento integrum percipere fructum, V. G. Petrus, cui ex suppositione applicatur Missa, eodem modo perciperet sex gradus valoris in satisfactionem, si pro pluribus eadem Missa applicatur, sicuti perciperet, si pro ipso tantùm applicaretur, ac proinde posset Sacerdos plura à pluribus stipendia accipere, & vnico Sacro pro omnibus satisfacere, cum nihil diminueretur ex valore vnicuique debito, hoc autem est contra vsum vniuersalis Ecclesiæ. 20 *Sacrificium Missæ institutum est, vt non multiplicet effectus, etiam si multiplicentur personæ, pro quibus offertur.* *Probatur efficaciter ex eo, quod alioqui posset Sacerdos pro vno sacrificio plura stipendia accipere.*

Ad hoc argumentum, quod est valdè efficax, varias excogitarunt solutiones aduersarij, vt ab illo se expedirent, vt videre est apud *Vasquez disp. cit. cap. 5. & 6.* quæ rectè impugnantur à *Cardinali de Lugo loco citato.* respondet igitur primo *Vasquez* negando id sequi, scilicet posse Sacerdotem recipere plura stipendia à pluribus, & vnico sacrificio pro illis satisfacere, quia tenetur applicare illi, qui stipendium elargitus est, totum valorem orationum, quæ ab ipso Sacerdote in Missa recitantur, & impetrationem Ecclesiæ, quæ cùm valorem habeant finitum, non æquè poterit valor iste tantùm pro multis, quantùm pro vno prodesse. 21 *Variæ solutiones excogitatæ ab aduersarijs ad propositum argumentum.* *Solutio P. Vasquez.*

Con-

22 *Vrgetur Lugo* Contra hanc solutionem vrget *Delugo* dicens, impetrationem hanc nomine Ecclesiæ per accidens se habere ad substantiam sacrificij: & ideo si ponatur Sacerdos excommunicatus celebrare, & applicare sacrificium eidem, à quo eleemosynam habuit, quamuis vt sic ab Ecclesia præcisus non oret nomine Ecclesiæ, tamen nemo est, qui illum obligabit obtenta absolutione ab excommunicatione iterũ celebrare pro eo, qui stipem dedit, aut facere restitutionem eleemosynæ acceptæ, praxis enim communis oppositũ docet: quod signum est, impetrationem illam nomine Ecclesiæ per accidens se habere ad sacrificium, ad quod præcisè tenebatur Sacerdos ille.

23 *Altera solutio P. Vasquez.* Respondet secundo idem *Vasquez*, cum hæc opinio, quæ asserit sacrificium oblatum pro pluribus, æq; valere, ac pro vno offerretur, sit incerta, idcirco non poterit Sacerdos, tali incertitudine posita, plura stipendia à multis accipere, & pro illis vnum dumtaxat sacrificium celebrare, quia, si vera erit contraria sententia, omnes illi, qui stipendium dederunt, defraudarentur.

Refutatur ratio prædicta. Verùm ista ratio non satisfacit, quia non est credibile fuisse à Christo Domino hoc pacto institutũ sacrificiũ istud, vt tantùm prosit multis, quãtùm vni, & hoc ab exordio Ecclesiæ fuisse incognitum.

24 *Refertur ratio Cardinalis de Lugo, & reijcitur.* Alio etiam argumento impugnat *Cardinalis de Lugo* responsionem *Vasquez*, videlicet non apparere, cur Sacerdos nõ satisfaciat suæ obligationi sequẽs opinionem aduersariorum, quam ipsimet aduersarij probabiliorem existimant, sed hoc argumentum non videtur sufficiens ad probandum intentum, quia aduersarij possent respondere, qui eleemosynam erogant, sub hac conditione illam elargiuntur, vt Sacerdos pro ipsis applicet Missam non applicatione, quæ sub dubio est, an sit sufficiens ad inducendum effectum intentum, sed applicatione, ex qua certo quantùm est ex parte ipsius effect⁹ sit obtinendus; hęc enim præsumitur esse voluntas, & intentio eorum omnium, qui dant stipendium, vt pro ipsis Missæ celebrentur; neque exemplum de ieiunio ex voto, quod ipse affert *Cardinalis de Lugo* mihi videtur fauere eius argumento; ait enim ipse, sicuti, qui promisit ieiunium, satisfaceret suæ obligationi ieiunando tali, vel tali modo, quamuis sub opinione sit positum, an illud sit ieiunium, si probabile est, esse ieiunium; sic qui accipiendo stipẽdium pro Sacro faciendo satisfacit, si applicatione probabili sacrificium offerat, hoc autem exemplũ non fauet, quia dispar est ratio, nam promissio applicãdi Missam accipiendo eleemosynam strictè obligat ex iustitia iusta rationabilem intentionem illius, qui dat stipendium, quæ intentio, vt dixi, præsumitur talis, vt velit sacrificium sibi ipsi tantùm specialiter esse applicandum, & non alteri: at promissio ieiunij Deo facta non obligat cum tãto rigore, neq; de iustitia, sed virtute religionis, & iuxta mentem ipsius promittẽtis, qui præsumitur nolle se obligare, nisi eo modo, quo probabiliter censetur esse forma ieiunij, & dum de opposito nõ cõstat, præsũptio erit pro ipso ꝑmittẽte, videlicet vt velit se obligare, quãto minùs potest intra limites ieiunij ecclesiastici.

Respondet tertio idem *Vasquez*, ideo non posse à Sacerdote plura stipendia à pluribus pro eodem Sacro sumi, quia stipendium datur, vt ipse Sacerdos se sustẽtet, proinde cum ab vno sufficientem receperit sustentationem, non poterit ab alio aliud stipendium accipere. *Tertia respõsio Vasquez.*

Sed ratio ista friuola est, & optimè à *Cardinali de Lugo* impugnatur, quia absq; vllo scrupulo si idem Sacerdos eodẽ die plures celebret Missas, vt euenit in die Natiuitatis Dominicæ, poterit stipẽdium recipere pro secunda, aut tertia Missa, licèt aliud stipendium sufficiens ad sustentationẽ habuerit ab alio pro prima Missa, maneat igitur ex dictis, efficax esse argumentum, quo probauimus à posteriori, Missam plus valere vni, quàm multis, pro quibus applicatur, aliter nulla esset ratio, cur non posset Sacerdos plura ista stipẽdia pro eodem Sacro recipere. 25 *Impugnatur.*

Remanent nonnulla pauca argumẽta, quibus aduersarij conãtur propriam suadere sententiam; at cum sint pauci momenti, facilè ab illis me expediam.

Obijcies igitur primo. Agens luminosum non minùs illuminat plura, quam pauca, & similiter sonus ita auditur à paucioribus, sicuti à pluribus, & substãtia spiritualis, vt Angel⁹, est totus in toto aliquo spatio, & totus in qualibet parte illius spatij; ergo à pari valor, qui ex opere operato prouenit ex hoc sacrificio, ita prodest singulis, sicuti pluribus. 26 *Argumẽtum ex agente luminoso.*

Respondeo negando consequentiam, est enim magna disparitas inter valorem caussatum ab hoc sacrificio, & inter ea, quæ in antecedẽte enumerãtur; & quoad prima tria, aio, effectus illos nõ minui ob pluralitatẽ subiectorũ, in quibus recipiũtur; quia licèt agens sit vnum, actiones tamen sunt realiter distinctæ, & tot quot sunt subiecta: at in re nostra actio est vna tantùm, proinde vnicus debet esse effect⁹, qui neq; caussatur, neq; recipitur in ijs, pro quibus sacrificiũ offertur, nisi per extrinsecã denominationẽ à condonatione 27 *Soluitur.*

Xxx 2 poe-

finitè grata, atque adeo, quantùm est ex se, est apta ad impetrandum quodcumq; beneficium à Deo, & pro quibuscunque personis, quia nunquā valor meritorum Christi exhauriri poterit; & sic quamuis Sacerdos sacrificans offerat pro multis ad impetrandum pro singulis, efficacia huius sacrificij nō diminuitur, & sic quoad impetrationem tantùm valet pro multis, quantum pro vno.

32 *Vt oblatum à Sacerdote in Missa limitationem recipit.*

Dico quarto. Hoc sacrificium, quatenus offertur à Sacerdote in persona Ecclesiæ, & fundatur in dignitate ipsius Sacerdotis offerētis, habet valorem finitum, quia vtraque sanctitas, & dignitas Ecclesiæ, & Sacerdotis est finita, & limitata, vt de se patet.

Quæsitum.

Quærere quis posset, quando nam haberi incipiat valor Missæ ex opere operato, an initio confessionis, vel introitus, an verò initio canonis, consecrationis &c. & vbi terminetur?

33 *Valor Missæ ex opere operato incipit, cum primo essentialiter est completū sacrificium, nec antea, nec postea.*

Respondeo, valorem Missæ ex opere operato incipere, dum primo sacrificium est essentialiter completum, proinde in instanti haberi; & ratio est manifesta, quia antea haberi nequit, cum sacrificium substantialiter, nempe secundum ea, quæ essentialiter importat adhuc non existat; idcirco effectus eius caussari non poterit à sacrificio adhuc non extante, neque incipere poterit post sacrificium essentialiter peractum, quoniam sacrificium, dum primo existit, & applicatur, non potest impediri, quin suum effectum causset, si ex parte recipientis obicem nō inueniat, & in hoc se habet sicuti Sacramenta, quæ statim ac applicantur, suos effectus caussant, nisi in recipiente obicem reperiant.

Est controuersum, in quo consistat essentia sacrificij.

Referuntur variæ opiniones.

Difficultas autem esse poterit in determinando quo tempore, seu in qua actione sacrificium censeatur essentialiter completum; hoc autem est valdè controuersum apud Authores, nam *Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 75. sect. 3. Vasquez ibidem to. 3. disp. 222. cap. 5. Aegidius Conin. q. 83. a. 1. dub. 5. concl. 6. & alij* asserentes, essentiam huius sacrificij sitam esse in consecratione panis, & vini; quidam verò putant, consistere in oblatione, quæ fit post consecrationem illis verbis, *offerimus præclaræ maiestati tuæ &c.* Authores huius sententiæ refert *Vasquez disput. cit. cap. 1. n. 2.* sed alij volunt, sacrificium essentialiter consistere in consecratione & consumptione; alij vero in sola consumptione, hos refert idem *Vasquez cap. 3.* denique alij putant, de essentia huius sacrificij, esse tres illas actiones, videlicet consecrationem, oblationem, & consumptionem, & hos Authores laudat *P. Gesualdus Cappuccinus par. 1. Theol. moral. tract. 1. De Missæ sacrificio cap. 2. nu. 18.* quibus ipse assentit. hæc breuiter dicta sint circa hanc controuersiam, quam nunc decidere nolumus, satis nobis est, valorem huius sacrificij ex opere operato non incipere in confessione, neque in introitu Missæ, neque in canone, sed in eo momento, in quo sacrificium essentialiter est completum: proinde si quis sit oblitus initio Missæ eam applicare alicui personæ determinatæ, sufficiet applicationem facere ante consecrationem, vel tempore consecrationis; antequam certum est, sacrificium essentialiter non esse incœptum, & tali applicatione facta, valor ille ex opere operato incipit prodesse personæ, pro qua sacrificium offertur.

Si quis oblitus sit non applicare Missam, potest eam applicare eo tempore ante consecrationem.

CAPVT II.

De indulgentijs, quæ pro defunctis applicantur?

ALiud suffragiū, quod ex opere operato animabus Purgatorij prodest, est indulgentia, de qua in hoc capite sumus acturi.

SECTIO I.

Vtrum Pontifex potestatem habeat concedendi indulgentias pro mortuis.

NEgant nonnulli Hæretici, & ducuntur ad hoc, vel quia nullum agnoscunt Purgatorium in alia vita, vel quia putant, suffragia viuentium non prodesse animabus Purgatorij, & loquendo de indulgentijs, eas applicari posse defunctis, inter Catholicos negauit *Hostiensis in summa lib. 5. tit. De Remiss. §. quibus prosunt, & §. vbi operatur, & Gabriel lect. 57. in Canonem Missæ,* sed statim se retractauit, vt patet ex additione ad illam eamdē sectionem. fundatur autem hæc sententia in verbis Christi Domini, quæ habentur *Matth. 16. quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* per illa enim verba, *super terram,* videtur limitari potestas Pontificis, ita vt non se extēdat, nisi ad eos, qui sūt super terram, quales sunt viuentes, & ideo non se extendere ad mortuos, qui non dicuntur esse super terram, & quia ad Pontificem spectat concessio indulgentiarum, sequitur, non posse de illis disponere, nisi inter viuentes.

1 *Hæretici negarunt, applicari posse indulgētias animabus defunctorum.*

Sed dicendum est, indulgentias applicari, & prodesse animabus Purgatorij. sic tenet vniuersa Ecclesia, & communiter *Theologi, S. Thomas in 4 d. 45. q. 2. a. 3. quæstiunc. 2. Bellarminus lib. 1. De indulg. c. 24. & Ca-*

2 *Secundum fidem prosunt animab. Purgatorij.*

& Canonistæ, Caietanus tom. 1. opusc. tract. 16. quæst. 5. & 6. Felinus tract. De indulg. nu. 30. Nauar. com. De Iubilæo Notab. 22. Gerson alphab. 33. lit. M. Suarez tom. 4. De Pœnit. disp. 53. sect. 1. nu. 3. de Lugo disp. 27. sect. 5.

3 *Probatur ex declarationibus Pontificijs.* Probari potest ex quibusdam declarationibus Põtificijs, nam id declarauit *Sixtus IV. relatus à Gabriele in addit. ad lectionem superius citatam.* præterea hoc ipsum declarauit *Leo X. in Decretali contra Lutherum Missa ad Caietanum*, quæ incipit, *Exurge Domine*, & hoc etiam declararunt, & declarant implicitè Pontifices, dum concedunt, indulgentias applicari posse pro defunctis; fundamentum autem huius veritatis, præter Ecclesię auctoritatem, & Põtificum declarationem, est, quia sicuti animæ defunctorum iuuari possunt suffragijs viuentium, vt de fide constat, & supra probauimus, nempe ieiunijs, precibus, eleemosynis &c. nulla est ratio, cur nequeant indulgẽtijs adiuuari, sicuti enim fideles priuati possunt applicare pia opera per modum satisfactionis in subsidium defunctorum, ita etiam Põtifex, vt caput, poterit ex thesauro Ecclesiæ pro eisdem defunctis applicare satisfactiones Christi, & Sanctorum medijs indulgentijs, & hæc omnia ratione illius vnionis, quæ est per charitatem, & quæ facit, vt inter nos, & defunctos fit bonorum spiritualium commutatio, & iste semper fuit constans traditio, & sensus totius Ecclesiæ catholicæ.

4 *Soluitur fundamentum contrarium Hæreticorum.* Ad fundamentum autem contrarium responsio patebit ex dicendis in sequente sectione, nunc verò breuiter dico, per illa verba *Matth. 16.* nihil aliud haberi, nisi quod Pontifex nequeat auctoritatiuè absoluere à pœnis, qui pro peccatis debentur, si absoluendus non sit viuens, nam in animas defunctorum nõ habet directam iurisdictionẽ, sed solùm ex thesauro Ecclesiæ, in quo sunt satisfactiones Christi, & Sanctorum, potest applicare illas pro animabus Purgatorij per modum suffragij, vt infra explicabimus. quapropter in illis verbis restrictio ad eos, qui sunt super terram, nempe ad viuentes, est quoad modũ adiuuandi, non autem quoad potestatem concedendi indulgentias, & alia suffragia.

5 *In forma concessionis debet declarari facultas applicandi indulgentias defunctis.* Dicendum est secundo, indulgentias non prodesse animabus Purgatorij, nisi in forma concessionis id declaretur. sic *S. Thomas ar. cit. quæstiuncula 2. S. Bonauentura, & Alensis apud Suarez eadem sectione num. 7.* ratio autem huius rei est, quia nemo potest ad sui libitum de indulgentijs disponere, nisi eo modo, quo à Summo Pontifice cõceduntur, sicuti enim indulgentiarum distributio ad ipsum Pontificẽ spectat, sic etiam & modus distributionis, & applicationis. quapropter nisi in forma concessionis exprimatur, indulgentiam aliquam applicari posse defunctis, frustra applicarentur.

Dices. Videtur satis, vt in concessione declaretur, indulgentiam dari generaliter pro omnibus fidelibus, sub quibus cõprehenduntur fideles defuncti, ergo non oportet, vt in specie de illis fiat mentio. 6

Respondeo, id non sufficere, quia iuxta communem Ecclesiæ consuetudinem, quando indulgentiæ extenduntur ad defunctos, explicitè in concessione apponitur, & hoc non absque ratione, nam sub nomine fidelium simpliciter, & absolutè sunt viatores, quales sunt viuentes; animæ autẽ in Purgatorio, licèt non sint omnino in termino; tamẽ nõ sunt omnino in via, cum iam habuerint sententiam diffinitiuam de ipsarum statu.

SECTIO II.

De modo, quo animabus Purgatorij indulgẽtiæ conceduntur.

Dvæ sunt formæ, seu modi, sub quibus indulgentiæ dari possunt, videlicet per modum absolutionis, & per modum suffragij, nunc autem inquirendum proponimus modum, sub quo defunctis conceduntur. *Proponuntur duo modi, sub quibus concedi potest indulgẽtia pro defunctis.*

Cæterum, vt id determinemus, oportet prius declarare terminos, per quos modi prædicti significantur.

Pro qua re aduertendum est, per modum absolutionis importari quamdam iudiciariam auctoritatem circa subditos; seu quod in idem recidit, importari sententiam latam à legitimo Iudice, vi cuius reus venit liberandus: at per modum suffragij non importari talem auctoritatem iudicialem, neq; prolationem sententiæ, sed subsidium quoddam, seu solutionem oblatam Iudici, vt Reus liberetur. his præmissis. 7

Dicendum est, non posse à Pontifice concedi pro animabus Purgatorij indulgentias per modum absolutionis, sed solũ per modum suffragij, sic docent ex antiquioribus *S. Bonauentura, Gabriel, Maior apud Suarez loco infra citando. Caietanus in opusc. tom. 1. tract. 16. q. 5. Corduba De indulgent. q. 15. Suarez De Pœnit. disp. 53. sec. 2. num. 4. Bellarminus De indulg. lib. 1. cap. 5. q. 1. & cap. 14. q. 2. Barthol. à S. Fausto lib. 2. De sacris indulgentijs q. 171. Philippus Gammach. in 3. p. S. Thomæ disp. 1. De indulg. cap. 4. Andreas Duualius in p. 2. tom. 1. tract. De indulg. quæst. vnica a. 11. Antonius* 8 *Pontifex nequit concedere indulgentias defunctis per modum absolutionis, sed per modũ suffragij.*

*nius Ragucius De indulg q.29.nu.34.Theophilus Raynaud' in suo tractatu, cuius titul' est, Error popularis De cõmunione promortuis num.32. de Lugo De Pœnit. disp. 27.sect. 5. & alij contra Michaelem Medinam De indulg. disp.7.c.34. & disp.8. cap.*4. qui cum velit, animas Purgatorij pertinere ad iurisdictionem Pontificis, consequẽter docet, percipere posse indulgentias per modum absolutionis.

9 At nostra conclusio, quæ communis est, probatur manifestè duobus positis principijs, quæ ex sacris Canonibus habẽtur, primò concedere indulgentias per modum absolutionis esse actum iurisdictionis: secundo animas Purgatorij non esse sub iurisdictione Pontificis; ex his autem euidenter nostra conclusio infertur, nam cum ad solum Pontificem pertineat concessio indulgentiarum, & dispositio thesauri Ecclesiæ, & ipse directam iurisdictionem non habeat in defunctos, si absolutio importat actum iurisdictionis, cõsequens est, vt nequeat animabus Purgatorij concedere indulgẽtias per modum absolutionis, probanda autem sunt illa duo, ex quibus tanquam ex principijs diximus, nostram conclusionem inferri. primum verò ostenditur ex *Alexandro III. in cap. quod autem De Pœnit. & Remiss.* vbi expressè statuit, neminem ligari, & absolui posse, nisi ab eo, qui non est ipsius Iudex, igitur ex sententia Pontificis habemus, ligare, & absoluere cum necessariò requirant legitimum Iudicem, & nequeant esse ab eo, qui non est Iudex, manifestè infertur, esse actus iurisdictionis, aliter nulla esset ratio, cur requirant fieri à Iudice.

Probatur cõclusio diuersis argumentis.

10 Secundum verò probatur ex epistola S. Leonis ad Rusticum Episcopum Narbonensem, & refertur à *Gratiano 24. q. 2. cap. 1.* & pariter ex epistola *ad Faustum cap. 2.* in his autem locis vterque Pontifex declarat, non posse ab Ecclesia ligari, & absolui, nisi viuentes, non autem mortuos, idemque asseritur *in cap. Ne quisquã ead. quæst.* at non ob aliam rationem negatur, ab Ecclesia ligari, aut absolui posse defunctos, quia non sunt subditi, & de foro Ecclesiæ; & ratio hoc ipsum suadet; nã ab Ecclesia nec possunt citari, & in iudicium vocari animæ defunctorũ, nec possũt ab eadem Ecclesia puniri, aut cogi ad obediendum &c. proinde in illas iurisdictionem non habet.

11 Et co. firmatur, quia Pontifex, vt caput totius Ecclesiæ non habet auctoritatem, nisi in oues, quas debet pascere media doctrina, sacramentis, legibus, &c. at Pontifex non potest pascere hoc modo, vt de se patet, quia non sunt in statu, in quo prædictarum rerum participare valeant, ideo non sunt oues Pontificis, neq; eius iurisdictioni subduntur; igitur à primo ad vltimum dicimus, non posse à Põtifice cõcedi animabus Purgatorij indulgentias per modum absolutionis, & de hoc nulla est controuersia, cum conclusio quoad hanc partem ferè ab omnibus recipiatur.

Difficultas autem nobis superest in alia parte eiusdem cõclusionis, scilicet in declarando quid sit indulgẽtia per modum suffragij. fuit opinio *Hostiensis, & Calderini in cap. nostro De Pœnit. & Remiss.* qui dixerunt, indulgentiam per modum suffragij non esse aliud, quam ipsum suffragium boni operis, quod imponitur in ipsa concessione indulgentiæ applicatum pro animabus Purgatorij. sed ista explicatio est omnino reijcienda; quia ex illa sequitur, indulgentias nihil defunctis prodesse, & aliam vtilitatem mortuis non afferre distinctam ab ea, quam dat opus bonum impositum, quod est contra communem Ecclesiæ sensum concedentis indulgentias applicãdas pro defunctis. præterea fundamentum, cui innituntur prædicti Authores, non est firmum, nam ex eo quod Ecclesia nequeat soluere, & ligare animas Purgatorij, asseruerunt, indulgentias pro mortuis nõ prodesse, nisi quoad opus iniunctum; hoc autem fundamẽtum valdè friuolum est, quia, etiam si Ecclesia non possit neque ligare, neque soluere animas defunctorum, non sequitur, non posse illis veras indulgentias applicare, quæ præter fructum boni operis iniuncti prosint ex opere operato, vt infra explicabimus, proinde confutanda est falsa interpretatio prædictorum Authorum, idcirco eam omitto, & aggredior ad examinandam explicationem *Cardinalis de Lugo,* qui varias adducit, & reijcit interpretationes *sect. cit. nu.* 58. ex eius autẽ discursu tria breuiter colligo ab ipso doceri, primo in Pontifice non esse potestatẽ concedendi immediatè indulgẽtiam pro defunctis, & hoc probat, quia Pontifici nõ fuit tradita potestas à Christo Domino distribuendi thesaurum, ex quo accipiuntur indulgentiæ, nisi inter oues: at defuncti non sunt oues Pontificis, quoniam, vt supra ostẽdimus, eas Summus Pastor Ecclesiæ visibilis pascere nequit; rursus probat ex eo quod nunquam visum fuit immediatè indulgẽtias defunctis cõcedi, sed semper medijs quibusdam pijs viuentium operationibus; secundo quod colligimus, est, dum Pontifex dat viuentibus facultatem applicandi indulgentiam pro defunctis, id non facit communicando potestatem, per quam viuentes immediatè distribuant indulgentias inter animas Purgatorij

Declaratur quid sit indulgẽtia per modum suffragij. 12

Reijcitur prima explicatio.

Proponitur & expositio Cardinalis de Lugo.

gatorij, nam si talis potestas non datur Pontifici, multo minus datur alijs fidelibus: præterea dum fideles in hac vita degentes transferunt indulgentiam in mortuos, id non agunt, quasi priùs fuerit facta propria ipsorum viuentium, nam si priùs propria fuit facta, statim sortita est suum effectum, ac proinde infructuosè trāsferretur in defunctos, cum nequeat duplicē habere effectum: tertio quod deduco, est propria eiusdem Doctoris expositio, vult enim ipse, posse à Pontifice eleuari opera viuentium, vt nō solùm sint satisfactoriæ ex opere operantis, quod habent, quatenus procedunt à tali persona affecta requisitis conditionibus ad satisfaciendum, verùm etiam vt sint satisfactoriæ ex opere operato, videlicet vltra cōdignitatem personæ, & hoc ex thesauro Ecclesiæ, quod fieri posse, probat, quia sicuti fit à Christo, tanquam à supremo dispensatore in receptione Sacramentorum eleuando actiones humanas ad gratiā conferēdam vltra condignitatem subiecti & sicuti fit à Confessario imponente satisfactionem in Sacramento Pœnitentiæ, eamque eleuando, vt ex opere operato habeat effectum; ita poterit etiam fieri à Vicario Christi: posita autē huius eleuationis possibilitate, ait, omnes difficultates solui, si dicamus, quod cum Pontifex concedit indulgentiam pro mortuis, eleuat totum opus bonum indiuisibiliter, vt vltra cōndignum ex opere operato maiorem habeat effectum, & sic non cogimur asserere à Pontifice immediatè dispensari thesaurum in defunctos, nec posse fideles viuentes sibi retinere fructum illius indulgentiæ, quia opus illud non habet ex opere operato caussare effectum perfectiorem, nisi quatenus ex intentione viuentis applicatur animabus Purgatorij, & nisi applicetur, non erit illud opus eleuatum à Pontifice, atque adeo remaneret cum solo valore ex opere operantis. hæc, & alia similia affert *Cardinalis de Lugo*, vt suam opinionem circa explicationem vocis confirmet.

13 *Expositio Cardinalis de Lugo difficultatem habet.* Verùm quamuis hæc videantur subtiliter excogitata, nihilominus in aliquibus ex illis difficultatem habeo, & primo non videtur sufficienter probatum, in Pontifice non esse potestatem immediatè distribuendi partem thesauri in subsidiū mortuorum; & dum hoc probatur ex potestate Vicario Christi concessa ad pascendas oues, respōdere possumus, claues thesauri datas fuisse ꝓ ouib⁹, tū ꝓ ijs, qui actu sunt oues, quales sunt viuētes; tum etiam pro illis, qui fuerunt oues, & coniunctionem charitatis retinent cum ijs, qui sunt in hac vita, & quia ex sacris litteris, Patribus, & Concilijs oppositum, imò vt certū habemus, posse à Pontifice distribui thesaurum in defunctos, non debemus, vt indubitatum, supponere, hāc distributionē immediatam à Pontifice fieri non posse, & in hoc fundare expositionem illius vocis: neque inferri poterit, potestatem ligandi, & soluendi, quæ residet in supremo Pastore, se extendere ad defunctos, quoniam applicatio thesauri vt sic, non importat iurisdictionem in illum, in cuius vtilitatem fit applicatio, sed solùm dicit potestatem dispoņēdi de ipso thesauro, siue applicatio fiat per modum absolutionis, siue solius suffragij.

Secundo difficultatem facit illa eleuatio, quam ponit *Cardinalis Delugo*, nam etiam si concedamus, opera pia viuētium modo illo eleuari posse, quatenus caussāt meliorem, & pleniorem satisfactionem ex opere operato; nihilominus per hoc non declaratur discrimen inter vtrumq; modum applicandi indulgētiam, & satisfactionem, quia vt rectè notat *Suar. disp. illa 53. sect. 3. nu. 8.* modus applicandi indulgētiam mediante operatione alterius poterit esse per modum absolutionis, & etiam per modum solius suffragij; & ideo discrimen vnius modi ab alio non innotescit per illam mediatam applicationē, quæ vtrique modo cōmunis esse potest; conuenire autem posse indulgentiæ per modum absolutionis, probat *Suar.* ex eo quod, si Pontifex concedat vni viuenti indulgentiam mediante operatione pia facienda ab alio viuente, non infertur, concessionem hanc non esse per modum absolutionis, sed solius suffragij, quia posita operatione illa Pontifex est, qui alteri satisfactionem applicat, & non ille, qui opus exequitur, quia concedit illam eadem potestate, eisdem verbis, & sub eadem relatione subditi, sicuti concedit indulgentiam alieni, & ab eodem postulat opus pium, cui est indulgentia adnexa, & valdè per accidens est, cōditionem requisitam, sub qua datur indulgentia, esse ponendam vel per ipsum, vel per alium, nam stante ratione subiectionis, indulgentia erit per modum absolutionis, siue immediatè, siue mediatè concedatur, nam Pōtifex in tali gratia elargienda intendit sēper operari ea potestate, quā habet, quæ est Superioris ad subditum. hanc autem indulgentiam applicari immediatè à Pōtifice, & non ab alio, cuius opus exigitur, suadetur, quia nemo potest immediatè applicare alteri indulgentiam, nisi habeat potestatem clauium, talis verò potestas à Papa nō communicatur, verisimile enim non est, dari talem potestatem cuilibet de populo indiscriminatim viris, feminis

rusticis

rusticis &c. & addit aliam confirmationẽ *Suarez n. 10. in fine* ex forma, sub qua cõcedi solent tales indulgẽtiæ, dicitur enim à Papa, *Concedimus talibus personis indulgentiam plenariam pro se, vel pro alijs tale opus exequentibus, & ei* per hæc, aut similia verba nullo modo colligitur communicatio potestatis clauium, ergo Pontifex sibi soli illam retinet, & virtute huius potestatis applicat immediatè indulgẽtiam posita conditione requisita.

15 *Admittitur expositio Suarezij & aliorũ.* Hæc, quæ ex doctrina *Suarez* attuli, monent me ad aliam explicationem assignandam, quæ est communis, & sequitur *ipse Suarez.* aio igitur, indulgentiam per modum solius suffragij non differre ab indulgẽtia per modũ absolutionis quoad effectum, sed solùm quoad modum communicationis, & penes rationem subiectionis, illa, quæ fit subdito, est per modũ absolutionis, quæ verò non fit subdito, est per modum tantùm suffragij; quatenus Pontifex ex thesauro Ecclesiæ offert Deo satisfactionem æquiualentem illi, quam tenetur defunctus præstare, & quia subsidium istud applicatur mortuo, in quem Pontifex non habet auctoritatem, idcirco indulgentia ista retinens commune nomen subsidij dicitur esse per modum suffragij, seu auxilij ad differentiam alterius indulgentiæ, quæ est iuridica, & fit ab habẽte directam potestatem iurisdictionis in eum, cui indulgentia applicatur.

16 *Confirmatur exemplo.* Totam rem hãc declarabimus exemplo, quod dari consueuit à Doctoribus, assignãdo duplicem modum, quo Rex, seu Princeps redimere potest captiuos. V.G. Rex Catholicus potest aliquem reum carceribus, aut triremibus damnatum liberare per potestatem directam, quatenus sunt eius subditi, & suis ditionibus inclusi detinentur, & tunc eos sic liberando diceretur eos liberare per modũ absolutionis, nempè per iuridicam absolutionẽ: alio autem modo eas liberaret. non per modum iuridicè absoluentis, sed solùm adiuuantis, inquantum offert compensationẽ æquiualentẽ alteri Regi, si captiui inuenirẽtur detenti in ditione extranea, videlicet alterius Regis, ita est à pari discurrendum in subiecta materia; nam Sũmus Pastor Ecclesiæ concedens indulgentias viuentibus eos à pœnis temporalibus debitis pro culpis liberat iuridica potestate; quia in illos habet directam iurisdictionem, & pertinẽt ad suum forum, & ideo dicitur indulgere eisdem per modum absolutionis: at defuncti detinentur in carceribus alterius fori; proinde Pontifex non habet in illos iurisdictionem directam, & ideo ex thesauro Ecclesiæ offert Deo pro animabus Purgatorij pretiũ æquiualẽs; & sic illas adiuuãdo, subsidium dicitur esse per modum suffragij, seu solius solutionis, non absolutionis.

Dices pro *Michaele Medina*, Ecclesia excommunicare solet mortuos, eosque ab excõmunicatione absoluere, vt patet *ex cap. sanè 24. quæst. 2. & cap. à nobis 2. De sententia excom.* ergo in illas directã habet iurisdictionem, atque adeo eisdem poterit largiri indulgentias per modum absolutionis. 17 *Instantia in contrarium.*

Respondeo negando antecedens, nam Ecclesia neque excommunicat, neque propriè absoluit mortuos, sed solùm declarat, ex hac vita aliquem defunctum decessisse excommunicatum, & cõtumacem: vel declarat, recessisse à contumacia; proinde concedit viuentibus, vt possint defunctum illum sepelire in loco sacro, aliasque pro illo sacras, & consuetas Ecclesiæ functiones facere; & in hoc sensu communiter declarantur canones citati, & hinc Ecclesia indirectè tantùm dicitur excommunicare, aut absoluere defũctos, quatenus vel prohibet viuentibus, ne faciant pro aliquo defuncto suffragia, vel id concedit. *vide Bellarminum De indulg. lib. 1. cap. 14. quæst. 2. Couar. in cap. Alma Mater. relect. 1. §. 11. n. 8. Bonacinam De censuris d. 1. q. 1. p. 4. n. 1. & alij apud ipsum.* *Diluitur.*

Quæres, an sit necessarium concedere indulgentias animabus Purgatorij mediãte aliqua operatione viuentis? *Quæsitum.*

Respondeo, negatiuam partem recipi *à Cardinali De lugo disp. 27. sect. 5. num. 62. ver. secundo hoc ipsum*, & fundatur in hoc, quia nunquam est auditum in Ecclesia, concessum fuisse, à Pontifice, indulgentiam dari pro defunctis, nisi concedendo viuentibus subditis, vt per pia opera illam pro mortuis lucrentur.

Sed partem affirmatiuam puto esse asserendã, quam tuetur *Suarez disp. 52 sect. 4. n. 5. & d. 53. sect. 3. n. 24.* & si Nauarro credamus, falsum est, in Ecclesia inauditam fuisse talem immediatam concessionem. nam *ipse Nauarrus De Iubilæo notab. 22. n. 33.* testatur, se vidisse quasdam indulgentias pro mortuis à Pontificibus concessas fuisse absque vllo viuentium opere. cæterum quicquid sit de hoc, aio, non esse in vsu talem concessionis modum, & hoc rationabiliter seruatum est; quia indulgẽtiæ cum soleant concedi sub onere, & conditione alicuius operis ex parte finis, ob quem indulgentia datur, requiritur pia aliqua caussa, & proportionata, sed quandoque euenit, vt caussa non sit sufficiens ad talem indulgentiã; idcirco oporteret tunc indulgentiam concedere sub aliquo onere, quemadmodum interdum contingit, caussam ad dispensandum in 18 *Responsio.*

aliquo voto esse insufficientem, idcirco iniungi aliquod onus, sub quo prius votū dissoluitur: quandoque verò indulgentia datur ad aliquid obtinendum beneficiū, vel ad aliquod malum vitandum, & tunc necessariū est imponere aliquod piū op⁹; nam finis iste est à Deo impetrandus, indulgentia autem sola non est impetratoria, sed solùm satisfactoria; proinde vt à Deo finem intentum obtineamus, oportet aliquas preces fundere, vel aliquod aliud opus facere, vt Deus excitetur ad præstādum, quod volumus, & sub aliquo ex his oneribus indulgentia conceditur, & quia, vt plurimum, indulgentiæ dari solent ob finem aliquem obtinendum; ideo concedi etiam solet sub conditione operis faciendi, & modus iste est tutior, & fructuosior: at tale opus non potest exigi immediatè ab animabus Purgatorij, quæ commercium nobiscum non habent; & ideo quamuis admittamus, posse illas pro nobis orare, vt multi existimant, quod est incertum; nihilominus non rectè inferretur, posse eisdem concedi à Pontifice indulgētiam sub conditione, vt orent pro nobis, seu pro aliqua necessitate communi, quæ in hac vita occurrat, quia conditio, seu onus istud, quod ab ipsis exigitur, non potest ei intimari, neq; Pontifex potest suam voluntatem illis aperire, neque est certum, à Deo id ipsis reuelari, demum addo, quod quamuis per concessionem indulgentiæ intendatur vtilitas ipsarum animarum; tamen caussa, ob quam indulgentia datur, respicit viuentes, aliter posset Pontifex suo arbitrio liberare animas illas absque alia caussa interueniente, quod est falsum, cum igitur caussa concessionis semper sit cum relatione ad viuentes, idcircò valdè conuenienter disponitur, vt mediantibus pijs operationibus, & precibus ipsorum viuentium indulgentiæ defunctis concedantur, licèt discrimen inter indulgentiam per modum absolutionis, & indulgentiam per modum solius suffragij, seu puræ solutionis non consistat in eo quod datur mediante alio, aut immediatè, sed in ratione subiectionis, & iurisdictionis, vt diximus, & in negatione talis subiectionis, & iurisdictionis in illo, cui conceditur.

SECTIO III.

De conditionibus requisitis ex parte offerentis, vt indulgentiæ valeant pro defunctis.

19 *Conditiones requisitæ ex parte offerentis declarantur.* Supponimus in hac sectione conditiones illas, quas Doctores communiter expostulant ex parte illius, qui pro se ipso indulgētias lucrari intēdit, videlicet esse hominem ratione vtentem, baptizatum, atque adeo Summo Pontifici quoad spiritualem iurisdictionem subditum, esse in statu gratiæ; & demū, vt ponat opus ad consequutionē indulgēnæ præscriptū: de necessitate autē harū conditionū latè discurrit *Suarez tom. 4. in 3. p. d. 52. & Card. De Lugo tract. De pœnit. d. 27. sect. 6.* nos autē in præsentia non intendimus examinare prædictarum omnium conditionum necessitatem in ordine ad beneficium ipsius operātis, quia hoc est alienum à re nostra, sed ad beneficium defunctorum; & ideo ex enumeratis conditionibus solùm de penultima est dubitatio, scilicet de statu gratiæ; inquirendum igitur nobis est, an, adhoc vt fidelis viuens, & baptizatus vtiliter applicet animabus Purgatorij fructū indulgentiæ, debeat esse in gratia, & amicitia Dei, ita vt si inueniatur in peccato mortali sit inutilis talis applicatio pro mortuis; addo etiam inuestigandam esse aliam conditionem, nempe an requiratur, vt operans exequatur opus iniūctum ex intentione lucrandi indulgētiam pro eisdem animabus, vel in genere, vel pro tali, aut tali defuncto in particulari, his positis.

20 *Vt indulgentia prosit defunctis debet positiuè illi applicari.* Dico primo. Adhoc vt cum effectu fructus indulgentiæ transmittatur ad defunctos, oportet, vt opus iniūctum fiat ex expressa intentione lucrandi indulgentiam pro mortuis, ita *Suarez disp. 53. sect. 4. nu. 3.* probatur, quia si opus non ponatur ex tali intentione, non fieret pro defunctis, atque adeo neque indulgentia applicaretur defunctis, talis enim applicatio necessariò inuoluit intentionem ponendi media requisita, vt indulgētia cum effectu prosit mortuis, & de hoc nulla esse potest difficultas, opus autem est ponendum eo modo, quo acquiritur à concedente indulgentiam; nam interdum præscribitur, vt satisfactio ipsiusmet operis applicetur, interdum verò solum postulatur, vt opus ponatur, licèt non præcipiatur, vt satisfactio operis defunctis applicetur, sed solùm conceditur facultas applicandi indulgentiam posito tali opere, vt benè notat *Suarez loco proximè citato*, & de hoc puncto, vt dixi, nequit esse controuersia.

21 *Dubium, an in offerēte requiratur gratia, vt indulgētia sit vtilis defunctis.* Difficultas autem est, an in lucrante indulgentiam pro animabus Purgatorij exigatur gratia sanctificans, eo momento temporis, quo cōpletur opus impositum; certum enim est, quod si opus exequendum secundum se totum, aut secūdum partem tempore antecedit ipsum indulgentiæ effectum, nō oportere, vt ipse ope-

operans sit in statu gratiæ toto eo tempore, vt diximus in tractatu de iubilæo, & animaduertit *Suarez sect. cit. num.* 5. controuersia igitur est pro illo instanti, in quo consummato opere debet acquiri indulgentia.

22 *Aliqui affirmant.* Prima opinio affirmat, esse necessariam gratiam in ipso operante. sic docet *Cardinalis in Clem. 2. De pœnit. & remiss. Angelus verb. indulg. num.* 21. *Caietanus in opusc. De indulg. quæst.* 2. *ad* 2. & vt tutiorem eam amplectitur *Bellarm. lib.* 1. *De indulg. cap.* 14. *quæst.* 5. ratio autem huius opinionis est, quia sicuti ad lucrandum sibi indulgentiam requiritur status gratiæ, sic ad lucrandum pro altero; nam peccatum non magis impedit ad acquirendum beneficium ipsimet operanti, quàm alteri.

Alij verò negant. Secunda opinio est contraria, & asserit, non requiri statum gratiæ in operante, ad hoc vt pro defunctis indulgentiam lucretur: & hanc sententiam sustinent *Suarez tom.* 4. *De pœnit. disp.* 52. *sect.* 7. *num.* 4. *& d.* 54. *sect.* 4. *num.* 6. *Reginaldus in praxi lib.* 7. *num.* 195. *AEgidius Conin. De indulg. d.* 12. *dub.* 7. *num.* 39. *Bartholomæus à S. Fausto De satr. indulg. in comuni. q.* 108. *Antonius Raguceus De indulg. quæsito* 22. *& alij apud Suarez.*

23 *Admittitur sententia ista negatiua vt probabilior, & suadetur.* Dico secundo, hanc secundam sententiam probabiliorem mihi videri, & ideo illam amplector, ratio autem fundamentalis, qua moueor, est, quia remissio pœnæ temporalis, quam defuncti consequuntur mediante indulgentia, non est per satisfactionem exhibitam ab ipso operante, qui indulgentiam defunctis applicat, sed est per satisfactionem Christi, & Sanctorum, quam Pontifex applicat ex Ecclesiæ thesauro, inde est vt indulgentia ex opere operato valorem suum sortiatur; idcirco non dependet in suo effectu à gratia operantis. ex hac autem ratione deduci poterit doctrina vniuersalis pro confirmanda nostra conclusione; nam quoties Deo offertur satisfactio, quæ ipsi Deo sit grata si aliæ conditiones sint appositæ tum ex parte offerentis, tum ex parte illius, cui fit applicatio, toties remittitur reatus pœnæ temporalis, quæ pro culpis erat debita: at satisfactio, quæ per indulgentiam offertur, est Deo gratissima, quia est satisfactio Christi, & Sanctorum, quæ in thesauro Ecclesiæ conseruabatur; ergo, si conditiones necessariæ non deficiunt, remittetur defunctis reatus pœnæ temporalis, quæ erat debita pro culpis.

24 *Satisfit contrariis argumentis.* Ad rationem in contrarium respondeo negando paritatem; quia gratia requiritur solùm ad tollendum obicem in eo, qui indulgentiam est lucraturus, & ideo necessariò requiritur in eo, cui applicatur, non autem in eo, qui ponit opus iniunctum & indulgentiam applicat, & ex hoc patet discrimen inter ipsum operantem, & alios non operans, vt de facto lucretur indulgentiam, debet esse ingratia, per quam tollitur impedimentum peccati: at respectu aliorum non ita, idcirco dicimus, gratiam requiri in suscipiente indulgentiam, non autem in applicante; & quando operans sibi ipsi eam applicat, requiritur in ipso gratia, non vt operans, sed vt recipiens; deinique dicimus, æque impedire fructum, & valorem indulgentiæ non magis ipsi operanti, quàm alteri, considerando vtrumque vt sunt formaliter recipientes.

SECTIO IV.

An summus Pontifex possit suo arbitrio vacuare Purgatorium, quoties sibi placuerit.

CVM summus pastor, & Christi vicarius omnimodam habeat potestatem tanquam fidelis administrator dispensandi thesaurum Ecclesiæ, in quo merita, & satisfactiones Christi, & Sanctorum conseruantur, & partem huius thesauri distribuere possit in animas defunctorum, quæ in Purgatorio detinentur, dubitatio insurgit, an valeat, tot satisfactiones, & plenissimas indulgentias eisdem animabus applicare, vt simul omnes liberet à pœnis, atque adeo totum euacuet purgatorium. 25

De hoc puncto multi Doctores agunt in materia de indulgentijs, & de potestate Pontificis.

Partem autem negatiuam tuentur *Philiarcus tom* 2. *lib.* 2. *cap.* 36. *& Hieronymus à sorbo in compendio priuilegiorum Verb. indulgentia vers: Notandum est similiter.* apud *Bartholomæum à S. Fausto lib.* 2. *q.* 181. & in eadem sententia videtur esse *S. Bonauentura in* 4. *d.* 20. *p.* 2. *q.* 5. *Caietanus in opusc. tract.* 16. *q.* 5. *ver. ex his omnibus, Henriquez lib.* 7. *c.* 4. *n.* 1. *& c.* 8. *nu.* 3. *Gamachaus disp. De indulg. cap.* 11. *ver. confirmatur nisi enim necessaria.* & alij plures apud ipsum. 26 *Affirmatur pars negatiua.*

Partem autem affirmatiuam docuit *Ioannes Angelus apud Maiorem in* 4. *d.* 20. *q.* 2. *Syluester verb. Papa* §. 16. *Michael Medina De indulg. d.* 7. 8. *Antonius Raguceus De indulg. quæst.* 30. *& alij.* *Pars affirmatiua.*

Sed quamuis hi Authores videantur inter se pugnare, nihilominus aut omnes, aut ferè omnes possunt congruenter conciliari per distinctionem; idcirco aio, in hac re posse à nobis considerari velut in abstracto, seu in actu primo potestatem Pontificis relatam ad animas Purgatorij vt sic, præscindendo à quibusdam extrinsecis circumstantijs, & facta tali præcisione posset quis inquirere, an in summo Pontifice sit sufficiens potestas ad exhauriendum totum Purgatorium: secun- 27 *Conciliantur Authores vtriusque sententiæ.*

do possumus considerare eamdem potestatē in ordine ad caussam piam, quæ requiritur necessario ad discretam, & prudentem dispēsationem thesauri Ecclesiæ per applicationem indulgentiarum.

28 *Pars affirmāt recipitur, attēdendo merita Christi, & potestatem Pōtificis.*

Dicendum est primo. Si quæsitum procedat iuxta priorem sensum verissima erit sententia affirmatiua, ita vt de ea, meo iudicio, à nullo Theologo catholico debeat negari; nam thesaurus Ecclesiæ, ex quo desumuntur indulgentiæ, cum contineat merita, & satisfactiones Christi Domini, est infinitus, & nunquam exhauriri potest, & habetur *in extrauag. vnigenitus. De pœnit. & remiss.* hunc autem thesaurum dispensandū inter fideles pro solutione totali, vel partiali pœnæ temporalis, quæ pro peccatis debetur, cōmisit Christus Petro, eiusque successoribus; proinde ob eius infinitatem excedit satisfactiones debitas ab animabus Purgatorij; igitur considerando potestatem Pontificis, & infinitatē huius thesauri abstrahendo ab extrinsecis circumstantijs, certissimum erit, posse Pontificem per applicationem thesauri liberare simul omnes animas Purgatorij à pœnis, quas patiūtur.

29 *At negatiua admittitur loquendo moraliter, & de facto.*

Dicendum est secundo. Si quæsitum intelligatur in posteriori sensu, nempe moraliter attendēdo circumstantias occurrentes more ordinario, non potest Pontifex, per se loquendo, liberare omnes animas è Purgatorio; & in hoc sensu vera est secūda opinio, quia spectato hoc rerum ordine impossibile est, talem se offerre caussam, quæ sit proportionata ad Purgatorium euacuandum: proinde caussa proportionata non apposita, nulla, & inualida erit applicatio indulgentiæ, vt vult ferè omnium Theologorum consensus, sicuti rectè probat *Bellarminus lib. 1. De indulg. cap. 12. ex S. Thoma, S. Bonauentura, Gabriele, & alijs in 4. dist. 20.* & expressè colligitur *ex Clem. VI. in extrauag. vnigenitus,* vbi cum asseratur, thesaurum Ecclesiæ commissum fuisse Petro, & successoribus, addit, dispensandum esse proprijs, & rationabilibus caussis. hanc conclusionem sic declaratā aio, esse iuxta mentem *Nauar. De indulg. notab. 31. n. 48. Corduba in quæst. lib. 5. quæst. 18. Duuallij tract. De indulg. quæst. vnica a. 12. concl 3. Martini Carillo in Bullam defunctorum par. 2. cap. 8 in fine, & aliorum apud ipsum.*

30 *In aliquo casu per acciōēs de facto poterit Pontifex Purgatorium euacuare.*

Dicēdum est tertio, In aliquo casu per accidens poterit Pontifex de facto, & de potentia ordinaria liberare omnes animas Purgatorij V. G. si paucæ animæ ibi inueniantur, & indulgētia sit plenissima, possent autem tunc tot fideles viuentes præstando opera iniuncta applicare indulgentiam illam defunctis, & compensare pœnam ab illis debitam, atque adeo omnes eas liberare à pœnis. hunc casum ponit *Nauar. loc. cit.* sustinens hanc sententiam, & pariter *Gāmacheus vt supra:* tunc enim dato casu, nullum videtur inconueniens asserere, posse à Pōtifice Purgatorium de facto exhauriri; quia ob paucitatem animarum indulgentia concessa nō expostularet caussam grauissimam, & extraordinariam, & hæc breuiter dicta sint de re hac, quæ ad scholasticam potiùs, quàm ad moralem theologiam pertinēt.

CAPVT III.

Vtrum Eucharistiæ perceptio ex opere operato vtiliter defunctis applicetur?

INitio huius tractatus inquirentes suffragia, quæ ex opere operato vtilia esse possunt animabus Purgatorij, diximus, 1
tria esse, quæ in considerationem veniūt, nimirum sacrificium Missæ, indulgentia, & Eucharistia: de primis duobus sufficiēter pertractatum est, remanet, vt de tertio agamus, non quatenus est sacrificium, sed inquantum est Sacramentum à viuentibus receptum, & ab eisdem applicatum pro mortuis, & quærimus, an ex vitalis applicationis aliquem effectū caussset ex opere operato in ipsis mortuis; in controuersiam autem solùm vocamus Eucharistiam, non autem reliqua Sacramenta, quia de illa est disceptatio apud Authores, non autem de alijs Sacramentis ob rationem, quam tradit. *S. Thomas,* vt infra videbimus. quæstionem autem maioris distinctionis gratia in plures diuidimus partes.

SECTIO I.

Proponitur, & examinatur sententia affirmatiua.

AVthorem, qui apertè doceat, Sāctissimæ Eucharistiæ perceptionem ex opere operato animabus Purgatorij prodesse, si pro illis applicetur, hactenus inuenire nequaquam potui: attamen ex quadam doctrina, seu modo loquendi, quo aliqui vsi sunt, occasionem nonnulli arripuerunt asserēdi, Doctores illos fuisse in hac sentētia; & ideo noster *Theophilus Raynaudus* in illo tractatu de hac re, qui inscribitur, *Error Popularis De communione pro mortuis,* adducens rationes, quibus hæc opinio suaderi potest, omnes fere in auctoritatē, & dicta quorūdā referre videtur. Ac primo quidē affertur referēs hanc opinionē *Nicolaus Cabasilus Tessalonicensis Antistes in expositione liturgiæ*

2 *Aliqui videntur docere, sumptionem Eucharistiæ ex opere operato defunctis prodesse si pro illis applicetur.*

Suadetur auctoritate quorumdam.

thurgia à cap. 42. vsq; ad 45. inclusiuè: quasi hoc ex instituto confirmans. expositio autè illa habetur in Bibliotheca veterū Patrum tom. 6. supponit enim Antistes duobus modis per hoc Diuinū mysterium fideles sanctificari: vno quidem modo per intercessionem mediante oblatione, seu sacrificio, quod sanctificat & offerentes, & eos, pro quibus offertur: alio autem modo per participationem, quatenus fit nobis verus cibus, & potus: primum autem modum communem esse viuis, & mortuis, docet *Nicolaus*; nam pro vtrisque sacrificium offerri cōsueuit: at secundum modum, nempe vt cibum, & potum solis viuentibus esse permissum, his autē suppositis subdit idem Nicolaus, *Quid igitur? propterea nec sanctificantur hac sanctificatione, quæ prouenit ex participatione, & deteriores sunt hac in parte conditione mortui, quam viuentes minimè*. per hanc autem responsionem, quæ est negatiua, colligimus mentem huius Episcopi, nempe existimasse communionem mortuis applicatam illis prodesse, sicuti eisdem prodest sacrificium: rursus confirmatur ex *Gersone par. 3. in epistola illa*, quæ inscribitur, *De pia memoria defunctorum*, in qua *Gerson* hortatur quendā suum amicum ad retinendam deuotam mortuorum memoriam, & circa finem illius epistolæ habet hæc verba, *Quotiescumque etiam ad perceptionem corporis Christi te praparas, & præceptum tecum habes, esto quasi memor fidelium defunctorum, & implora tanto ardentiùs misericordiam eius, quanto certiùs retines tu te pignus æternæ redemptionis*, hæc *Gerson*, qui cum hortetur ad implorandam Diuinam misericordiam pro mortuis tempore communionis, videtur putare, communionem esse illis vtilem. præterea citatur ab ipso *Raynaudo Scotus in penultimo quodlibeto*, vbi docens inter subsidia pro defunctis omnibus præstantius esse oblationem altaris, subdit: *siue* fit consecratio, siue perceptio Eucharistiæ. & sic indifferēter sumit sacrificium, & communionem esse vtilia mortuis. idē etiam videtur docere *S. Thomas in 4. dist. 45. q. 2. a. 3. quæstiuncula 1. ad tertium* ponens discrimē inter Eucharistiam ex vna parte, & Baptismum, & reliqua Sacramēta ex alia parte in hoc, quod est esse alteri à sumente proficuum, Eucharistiam vult alteri prodesse, non autem reliqua Sacramenta.

3 Præterea *Petrus Cluniacensis lib. 1. miracul. cap. 51.* referens apparitionem cuiusdam Bernardi Grossi iā defuncti expostulantis suffragia pro sui liberatione à pœnis Purgatorij, in fine autem eiusdem capitis *Petrus Cluniacensis* de illo defuncto sic loquitur, *sed neque Sacramentis, neque fratrum operum exercitijs se adiuuari petijsset, si ea sibi prodesse minimè agnouisset*. per hæc verba videtur *Cluniacensis* affirmare, mortuos adiuuari beneficio Sacramentorum, quod est intelligendum de Eucharistia.

Secundo confirmari potest prædicta sententia ex quibusdam reuelationibus, & praxi piorum hominum: legitur enim in vita *Beatæ Geltrudis lib. 3 cap. 15.* ab ipsamet Christum Dominum exoratum fuisse, vt tot animas eriperet è Purgatorio, quot particulæ, in quas hostia sacra sumēda ab ipsa Geltrude erat diuidenda, & legitur ab ipso Christo promissum fuisse vi illius cōmunionis plures se liberaturum animas, quas Beata Geltrudis expostulauit. 4 *Et ex quibusdam reuelationibus quæ referri solent.*

5 Vlteriùs in vita *Beatæ Ioannæ à Cruce cap. 7.* à Christo mandatum ei fuisse, vt Eucharistiam sumeret pro quadam anima Purgatorij. simile exemplum habemus apud *Blosium in monili c. 7.* vbi enarratur apparitio cuiusdam animæ petentis à quodam suo amico sacram cōmunionem, vt egrederetur à pœnis Purgatorij, quod cum ab illo amico peractum fuerit, anima illa fuit à pœnis liberata, & apparuit sole fulgentior &c.

6 Denique noster *P. Ludouicus à Ponte in vita P. Balthassaris Aluarez cap. 45. §. 2.* refert deuotionem, qua erat addictus in suffragijs applicandis pro animabus Purgatorij Ioannes Ximenes coadiutor temporalis nostræ Societatis, & inter alia suffragia sacram Eucharistiam pro illis sæpe sumebat: cum autem *Pater Ludouicus* fuerit vir doctrina, & pietate præclarus, & deuotionem illam de applicanda communione pro defunctis enarret tanquam aliquid laude dignum, videtur id approbare, atque adeo esse in hac sententia affirmatiua. *Probatur ratione.*

7 Tertio probatur eadem opinio ratione, nam certum est Eucharistiam, & sacrificium prodesse defunctis, ergo etiam vt Sacramentum, quod in perceptione cōsistit, par enim ratio videtur, quia cum sit signum vnionis inter fideles, etiam spectata, vt Sacramentum; consequens est, vt dicamus, etiam vt Sacramentum, seu vt receptibilem, esse vtilem defunctis.

Esse autem symbolum vnionis, vt Sacramentum, est communis opinio tum Patrum, tum aliorum, inde est, vt secundum veterē morem ad Episcopos Asianos Romam venientes ipsa Eucharistia mittebatur in signum pacis, & cōcordiæ, ne controuersiæ aliquæ quæ extabant inter illos Episcopos, & Summum Pontificem

cem circa diem Paschæ celebrandum, & circa ieiuniorum dies viderentur animorum dissentionem fouere, antiquitus autẽ fuisse consuetudinem prædictam mittendi in eum finem sacram Eucharistiam, testatur Irenæus in quadam epistola scribẽs ad Victorẽ Papam, & refertur *ab Eusebio Cæsariensi in Historia ecclesiastica cap. 24.* & idem affirmãt alij Patres, quos laudat *Raynaudus loco citato nu. 5. & expresiè* docet *S. Thomas* in eo loco sentẽtiarum à nobis allato, ponens discrimen inter ipsã Eucharistiam, & reliqua Sacramenta, & docens, ipsam Eucharistiam ex eo posse vtilem esse alijs, pro quibus sumitur, quia est signum ecclesiasticæ vnionis, ex quo infert ex opere operato eius efficaciã in alterum transire, quod non conuenit alijs Sacramentis, quæ non sunt instituta, & ordinata ad talem vnitatem significandam.

Hæc sunt argumenta, quæ pro hac sẽtentia affirmatiua fieri possunt, sed intentum efficaciter non probant, vt infra dicemus soluentes ea, quæ contra nostram sententiam adducuntur; nunc verò remanet, vt id, quod in hac re sit afferendum, in medium afferamus, quod in sequenti sectione præstamus.

SECTIO II.

Aperitur vera sententia de communione, quæ pro animabus Purgatorij efficitur.

8 *Sumptio Eucharistiæ nequit ex opere operato defunctis prodesse.*

Dicendum est, sacram Eucharistiam, si pro defunctis sumatur, nullum effectum in illis ex opere operato caussare posse. est communis sententia, quam docet *S. Thomas 3. p. q. 79. ar. 7.* cum ponit Eucharistiam vt Sacramentũ soli sumenti prodesse, & expresiè id docet *in cap. 6. S. Ioan. lect. 6. in fine,* vbi postquam efficaciam, & vim huius Sacramẽti declarauit in ratione immolationis, seu sacrificij, sub qua ratione certum est, alijs siue viuis, siue defunctis, pro quibus offertur, prodesse ex opere operato; nihilominus illud considerans, vt Sacramentum, seu in ratione cibi à nobis perceptibilis, contrarium cõcludit his verbis, *nec si laicus sumat hoc Sacramentum, prodest alijs, quantùm ex opere operato, inquantum cõsideratur vt perceptio, quamuis ex intentione operantis, & percipientis possit communicari omnibus, ad quos dirigit suam intentionem ex quo patet, quod laici sumẽtes Eucharistiã pro his, qui sunt in Purgatorio, errãt.* sic S. Thomas, & aduerte errore impressorum in exemplaribus Antuerpiæ excussis pro illa dictione, *nec,* initio periodi esse, *nam,* quod est manifestus error, vt patet ex ipsismet verbis, & ex alijs exemplaribus. eamdem sententiam negatiuam tuentur quamplures alij *Caietanus to. 2. opusc. tract. 3. q. 2. initio ver. sacrificium igitur. Corduba in quæstionario lib. 1. quæst. 3. initio. Suarez tom. 3. in 3. par. disp. 1. sect. 1. versus finem* ponens discrimen inter sacrificium, & Sacramentum, *& disp. 63. sec. 10. vers. atque hinc & vers. Dices disp. 79. sect. 1. in probatione 1. p. conclusionis & tom. 4. disp. 48. initio quinta partis. Valentia tom. 4. disp. 6. quæst. 11. p. 1. §. 24. ver. qui cum Vasquez tom. 3. in 3. par. quæst. 79. in notatione septimi articuli, Layman lib. 5. tract. 5. cap. 2. num. 5. in fine, Teophilus Raynaudus* in illo tractatu incipiendo *à num. 8.* vbi fusè hanc opinionem exagitat, & confirmat.

Probatur autem conclusio & ratione generali desumpta ex natura Sacramentorum, & postea ratione particulari ex effectibus Eucharistiæ.

9 *Ostenditur conclusio ratione generali ex natura Sacramentorum.*

Et primo suadetur conclusio ratione generali, quæ communis est omnibus Sacramentis; nempe habere rationem medicinæ, vt docent communiter Doctores, *& S. Thomas in 4. d. 1. q. 1. a. 2. per totum:* at medicina non prodest nisi ipsam sumẽti; igitur sub hac ratione nequeunt Sacramenta vtilia esse defunctis, qui eam minimè percipiunt.

10 *Rursus ratione particulari ex effectib. Eucharistiæ.*

Secundo probatur ratione propria ex effectibus, quos Eucharistia potest caussare. primus autem effectus est producere gratiam sanctificantem siue primam, siue secundam, videlicet augmentum gratiæ, sed nequit hoc Sacramentum esse caussa primæ gratiæ in defunctis, quia animæ Purgatorij recesserunt ab hac vita in gratia, & amicitia Dei, quam immutabiliter retinebunt, ergo Sacramentum Eucharistiæ receptum à viuentibus non poterit primam gratiam caussare in mortuis, cũ illam iam productam supponant.

Circa verò augmentum gratiæ idem dico, quia animæ illæ nõ sunt in statu merendi, gratia autem sanctificans non augetur, nisi per actus supernaturales meritorios. præterea neque possunt animæ illæ recipere auxilia præuenientia intuitu communionis factæ à viuẽtibus, quoniam auxilia ista, quæ, vt effectus Eucharistiæ, conceduntur ipsis viuentibus, dantur, vt homo præseruetur à peccatis, & cõseruetur in gratia recepta: at animæ Purgatorij sunt impeccabiles, & numquam possunt excidere à gratia sanctificante, & amicitia Dei, ideoque in ordine ad hunc effectum non indigent suffragijs viuentium, neque applicatione communionis. 11

Tertius effectus Eucharistiæ in ratione 12

Sacra-

Sacramenti est quædam vnio inter carnẽ Christi, & carnem illius, qui dignè communicat: at in quacumq; re ponatur vnio ista, non potest caussari in defunctis, nisi in viuentibus ipsam Eucharistiam realiter sumentibus.

13 Quartus effectus est adeptio gloriæ, cuius pignus est Eucharistia: at mortui beatitudinem infallibiter sunt consecuturi post satisfactionem completam, & independẽter à receptione Eucharistiæ exercita à viuentibus, vt est apud omnes indubitatum.

14 Quintus effectus est remissio peccatorum siue mortalium, siue venialium quoad culpam, sed effectus iste nequit in defunctis caussari ab Eucharistia recepta à viuente, nam loquendo de mortalibus, nullum tale peccatum reperiri potest nõ deletum quoad culpã in animabus Purgatorij, vt certum est, quoad venialia verò licèt in alia vita remitti valeant, tamen in instanti mortis, si anima non eliciat actum contritionis, aut perfectæ dilectionis in Deũ, remittũtur in Purgatorio per varios actus liberè eliciendos ab ipsa anima; quamuis per tales actus minimè mereat, cæterum hoc non fit ab Eucharistia, vt recepta à viuente, sed medijs actibus elicitis ab ipsa anima, ad quos actus eliciendos infallibiliter erit deueniẽdum medijs auxilijs actualibus à Deo collatis iuxta exigentiam illius status, & non intuitu communionis: & ratio est manifesta, nam ex vna parte certum habemus, animas non esse ibi in perpetuum detinendas, sed esse ad cœlum euehendas, & ex alia parte est certum, nõ posse cum macula veniali gloriam acquirere, quia nihil coinquinatum intrabit in illam; consequens igitur est, vt dicam⁹, debere has maculas deleri in Purgatorio, & ad hunc finem à Deo conferri auxilia specialia, vt eliciant tales actus, per quos peccata venialia remittãtur. infallibilitas ergo talis auxilij est ratione stat⁹, & independenter à communione, quæ fit à viuentibus.

15 Sextus effectus, de quo potest esse dubitatio, & quem intendunt Authores primæ opinionis, est satisfactio, & remissio pœnæ debitæ pro peccatis; posset enim quis dicere, quod si quis Eucharistiam dignè sumat pro defunctis, tunc ex opere operato satisfactio & remissio pœnę, quæ erat obtinẽda abipsomet, qui Eucharistiam recipit, vi applicationis trãsferatur in defunctos, sicuti discurrere solemus de indulgẽtia. sed contra est, nam remissio pœnæ temporalis non est primarius, & immediatus effectus ex opere operato huius Sacramẽti, vt rectè ostendit *S. Thomas 3. p. q. 79. a. 5. in corpore*, quem sequitur *Suarez tom. 3. d. 63. sec. x. ver. unde vlterius. Raynaudus trac. cit. Cardinalis De Lugo d. 12. De Eucharistia sec. 4. n. 98.* docens, esse communem, & rectè, quia nullibi habemus promissionem de hac remissione directè, & immediatè concedenda vi huius Sacramenti, neque talem remissionem colligimus ex proprio, & immediato effectu ipsius Eucharistiæ, qui est nutrire in vita gratiæ, augendo ipsam gratiam, quæ est spiritualis vita animæ: gratia autem, quantumuis intensa, non est deletiua reatus pœnæ, vt de se patet, quia cum sanctitate compossibilis est quælibet obligatio ad pœnam pro peccatis mortalibus preteritis, & deletis quoad culpam, & pro peccatis venialibus, quę ab hominibus, etiam sanctissimis, cõmittuntur; igitur ex proprio effectu Eucharistiæ nequimus deducere immediatam remissionem pœnæ debitæ.

Cæterum si loquamur secundario, seu mediatè, poterit vi Eucharistiæ, etiam in ratione Sacramenti haberi talis remissio, sed non poterit transferri in defunctos, neq; in alios viuentes ex opere operato, & patet sequenti discursu: duobus modis talis remissio vi Eucharistiæ fieri poterit iuxta diuersas Authorum sententias; aliqui enim asserunt, peccata venialia immediatè deleri per hoc Sacramentum absque actu contrario elicito ab eo, qui Eucharistiam sumit: & hanc opinionem tuetur *Vasquez tom. 4. in 3. p. q. 47. a. 3. dub. 2. à n. 6.* atq; adeo vi eiusdem Sacramenti condonabunt venialia ex opere operato nullo intercedente actu ex parte ipsius sumentis, eodẽ enim modo, quo remittitur culpa, remitti debet & pœna, vt notauit *idem Vasquez tom. 3. in 3. p. q. 79. a. 5 initio.* 16

At alij concedũt, vi huius Sacramenti ex opere operato immediatè remitti venialia quoad culpam, quod censeo, esse opinionem *S. Thomæ in 3. p. quæstione illa 19. a. 4. & sequitur Suarez tum in commento eiusdem articuli, tum. disp. 63. sec. 10. & alij apud ipsum.* nihilominꝰ neq; *S. Thomas a. 5. neq; Suarez eadem sec. ver. unde vlterius* admittunt, reatum pœnę deleri ex opere operato per hoc Sacramentum, sed solũ ex opere operantis, & iuxta valorẽ actus eliciti ab ipso sumente Eucharistiam, vtriusq; autem rei disparitatem assignant, quæ cum ad institutum nostrum nõ pertineat, idcirco eam examinandam omittimꝰ, quocumq; igitur modo ex dictis fiat remissio pœnæ, impossibile est, vt defuncti mediante communione pro ipsis applicata remissionem pœnę obtineant, si enim primus modus defendatur, non poterũt viuentes, dum communicant, transferre in mortuos remissionẽ illam, quæ ex opere operato intuitu perceptionis est illis 17

pro-

promissa: & ratio est, quia talis remissio cũ nõ obtineatur primo, & per se, seu immediatè, sed solùm secundario inquantum culpa deletur; idcirco vterque effectus, videlicet condonatio culpæ, & pœnæ in eodem subiecto resultare debent, proinde cum sumẽs Eucharistiam ex vi sumptionis facultatem non habet transferendi primarium effectum in mortuos, nimirũ remissionem culpæ, neque facultatem habebit transferendi secundarium, qualis est condonatio pœnæ, quæ illi culpæ erat debita; hi autem duo effectus sunt connexi, & inseparabiliter se habẽt, & oppositum assereretur gratis absque fundamento, cum neque ex scripturis, neque ex Concilijs, & Patribus, neque demum ex institutione huius Sacramenti id habeatur; & hoc sufficit, vt dicamus, non posse à viuentibus talem satisfactionem, & remissionem transferri in animas Purgatorij; si autem secundus modus magis placeat, scilicet mediatè, & vt loquitur *S. Thomas articulo illo quinto* concomitanter haberi vi Eucharistiæ remissionem pœnæ, nempe medijs actibus elicitis à sumente, manifestè deduceretur, non posse perceptionem Eucharistiæ ex opere operato caussare remissionem pœnæ in mortuis; quia viuentes dum per actus supernaturales elicitos consecuntur condonationem pœnæ, id haberetur ex opere operantis, non autem ex opere operato, vt volunt aduersarij, contra quos nos disputamus, nulla autem est promissio à Deo nobis facta, vt intuitu actuum, quos elicimus, detur gratia, aut aliud donũ ex opere operato extra Sacramenta, & ad summum extra sacramentalia; & etiam si dicamus, per actus à nobis elicitos mereri ex opere operato, non sequitur id, quod medijs talibus actibus conceditur esse transferibile in alios extra nos ipsos merẽtes, hoc enim esset fictum, & absque vllo fundamento assereretur.

Ex his patet, nullum effectum Eucharistiæ assignari posse, qui ex opere operato transferatur in defunctos ex vi communionis pro illis à viuentibus applicatæ.

18 *Ex opere operantis proficere potest defunctis.* Dicendum est secundo. Si Eucharistia à viuẽtibus dignè sumatur, poterit ex opere operantis proficua esse defunctis, si pro illis applicetur. ita *Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 63. sect. 10. in fine. Raynaudus tract. cit. n. 35. & alij.* conclusio ista est certa, quia sicuti reliqua opera bona facta pro mortuis, si concurrant conditiones requisitæ, prodesse possũt defunctis, ita etiam & receptio Sacramentorum, nam poterit, vt actus religionis, vtilis esse animabus Purgatorij, si pro illis dignè efficiatur, & in hoc nihil peculiare est concedendum receptioni Eucharistiæ, nisi quis dicat, in communione ob Christi Domini præsentiã fideles magis excitari ad orandum pro mortuis, hoc autem erit valdè per accidens ad rationem Sacramenti, nam maior ista excitatio, & feruẽtior oratio in exercitio aliarum virtutum inueniri poterit, neque oratio illa est communio, neque iuuat mortuos ex opere operato.

Dices cum *Ioanne Sanchez in select. disp. 21. nu. 12.* per communionem factam à viuẽtibus subleuari animas Purgatorij, inquantum censent, ipsos viuentes magis excitandos fore ad feruentiùs orandum pro ipsis animabus, proinde ex hoc non paruum solatium illis accrescit, aut solatium sumũt, quatenus repræsentatur per communionem viuentium passio Christi Domini. 19 *Instantia ex Ioanne Sanchez.*

Respondeo primo, quamuis daremus, ex communione viuentium defunctis in Purgatorio solatium accrescendum fore; tamen ex hoc non sequitur, communionem ipsis defunctis pro futuram ex opere operato. *Responsio prima.*

Respondeo secundo, esse valdè incertum, an tale solatium capiatur à defũctis, nam *Raynaudus tract. cit. num. 29.* putant, animas Purgatorij nullius consolationis esse capaces, quia earum volũtas magnis præoccupata cruciatibus nequit solatiũ admittere, & quamuis mihi hoc, quod asserit Raynaudus, non placeat, quia gratis videtur asseri, & nulla sufficiens ratio assignari potest, quare cruciatus sint tales, vt omne leuamen consolationis respuant; nihilominus neque etiam videtur incredibile, vt cẽsuit prædictus Author, ab Angelis reuelari animabus Purgatorij communionem fidelium viatorum, neque oportet, vt omnes cõmuniones factæ reuelentur, vt impugnando reuelationem hanc asseruit Raynaudus, sed satis erunt aliquæ, quæ fiunt pro ipsis defunctis; & non video, cur non possint sciri ab Angelis Custodibus per reuelationem factam à Deo, quam ipsi postea manifestent animabus, ita vt vnusquisque Angelus Custos reuelet communiones factas pro anima illius defuncti, quam in hac vita custodiuit: nõ placet, inquam, hæc Raynaudi opinio, sed admissa sententia opposita, nihil contra nos, quia non intendimus, cõmunionem factam pro mortuis esse omnino illis inutilem, cum proficua esse possit ex opere operantis, vt diximus, sicuti cætera opera bona pro eisdem facta, sed nos solùm intendimus ex opere operato nihil prodesse communionem defunctis applicatam, neque effectum aliquem peculiarem ex hoc Sacramento caussari in ipsis animabus, quin caussari valeat à receptio- 20 *Secunda.*

ceptione aliorum Sacramentorum, & ab exercitio aliorum actuum bonorum; imo cum vis satisfaciendi maximè reperiatur in opere, vt pœnali, vt infra videbimus, & quanto maior sit pœnalitas, maior sit vis satisfaciendi, sequitur, quod, cum sumptio huius Sacramenti perexiguam inuoluat pœnalitatem, perexiguam etiam includet vim satisfactoriam, & longè minorem ea, quæ inuenitur in Sacramento Pœnitentiæ, cuius actus sunt valdè pœnales, nempe actus doloris, expositio peccatorũ, &c. proinde rectè infert *Raynaudus num.* 38. præstantius esse inuitare fideles ad confessionem sacramentalem faciẽdam pro defunctis, quàm ad communionem.

SECTIO III.

Occurritur argumentis contrariæ opinionis initio adductis.

Remanet pro huius controuersiæ complemento, vt respondeamus ad argumenta, quæ in prima sectione allata à nobis fuere pro sentẽtia opposita.

21 *Solutio primi argumẽti in contrarium.* Ad primum autem argumentum deductum ex auctoritate *Nicol. Cabas.* duplicem affero responsionem. & primo dico, etiam si daremus *Cabas.* in ea sententia fuisse, eius tamen auctoritatem non esse talem, vt possit nos mouere ad sententiam illam recipiendam: nam Cabas. iste fuit schismaticus, & Ecclesiæ hostis, vt adnotatur *à Bellarmino de script. eccl. anno Domini* 1350. *& in explicatione liturgiæ ab ipso edita* expungenda essent, quæ habentur *in cap.* 29. *&* 30. vt asserit idem *Bellarminus*, & ponitur in adnotatione eorumdem capitum, idemq; composuit librum hæreticum de processione Spiritus Sancti cõtra S. Thomam: quapropter eius auctoritas nihil obstare posset, si illam sententiam, quam impugnamus, docuisset.

22 Secundo dico, neque ipsum in ea fuisse opinione, vt patet legẽti locum citatum: quia non asseruit, communionem factam à viuentibus prodesse defunctis ex opere operato, sed solùm docuit, Christum Dominum eo modo, quo ipse nouit, se communicare animabus Purgatorij, easque magis sanctificare, dum animæ illæ eliciũt actum fidei, dilectionis in Deum, desiderando mysterium, eius participationem &c. & addit etiam hoc modo sanctificari posse viuentes eliciendo prædictos actus, quando non habent opportunitatem accedendi corporaliter ad sumendam Eucharistiam, sicuti erant, qui in desertis montibus, & speluncis errabant, & ex defectu Sacerdotum non poterant sumere Eucharistiam, eos autem Christus inuisibiliter sanctificabat: & sic etiam se habere mortuos in Purgatorio affirmat. iste autem modus, quem ponit *Cabasil.* est longè diuersus ab eo, de quo est controuersia, vt de se patet, sed dico, hunc alium modum esse omnino abijciendum, tum quia ponit, Sacramenta vim habere sanctificandi etiam non percipientes. neque spiritualis illa communio Anachoretarum ex opere operato proficere poterat. & plusquam falsum est, animas Purgatorij nunc magis sanctificari, cum enim non reperiantur amplius in statu merendi, eorum gratia numquam erit augenda, vt omnes Theologi vnanimi consensu fatentur. & hæc sufficiant pro doctrina *Cabasil.*

Ad confirmationem verò ex Gersone respondeo, nihil aliud haberi, nisi quamdam suasionem, qua ipse hortatur fideles ad preces fundendas pro defunctis tẽpore communionis, & hoc, vt ego cẽseo, suadet, quia fideles solent feruentius orare, dum sacram Eucharistiam sumunt: at Author iste non asserit, communionem ex opere operato proficuã esse mortuis. 23 *Responsio ad confirmationem.*

Ad doctrinam Scoti dico, ab ipso affirmari oblationem altaris esse subsidium reliquis præstantius pro defunctis: & dum subdit, siue sit consecratio, siue preceptio Eucharistiæ, non dicit hoc, quasi velit, communicationẽ ipsam ex opere operato vtilem esse mortuis, sed loquitur de perceptione Eucharistiæ, quæ fit in sacrificio Missæ: & quia cõtrouersum est apud Theologos, an essentia sacrificij consistat in consecratione, an verò in cõsumptione, voluit Scotus, vt ego puto, eo in loco nõ decidere controuersiam hanc; & ideo sub disiunctione loquutus est; nam siue oblatio, seu sacrificium consistat in cõsecratione, siue in perceptione, semper erit verum, oblationem, seu sacrificium esse excellentius subsidium pro defunctis. 24 *Responsio ad argumenta Scoti.*

Veniamus nunc ad Angelicum Doctorem, de cuius mente, quamuis dubitare non possimus, vt manifestant loca superiùs à nobis adducta pro nostra sententia; tamen, quia verba, quæ ex libris sententiarum afferuntur, occasionem aliquam exhibent aduersarijs argumentandi contra nos auctoritate S. Doctoris; idcirco verba adducta sunt explicanda. & aio, optime ibidem poni discrimen inter Baptismum, & reliqua Sacramenta ex vna parte, & Eucharistiam ex altera in hoc, quod potest alteri prodesse. nam Eucharistia præter rationem Sacramenti habet rationem sacrificij, quam non habent alia Sacramenta: & ideo licèt Eu- 25 *Declaratur mens S. Thomæ.*

Franc. Bardi in Bull. Cruc. Zzz cha-

chariſtia formaliter, vt Sacramentũ, ſolis ſumentibus proſit; tamen alios adiuuare poterit, quatenus eſt ſacrificium præſtantiſſimum. & licèt S. Doctor aſſignans diſcrimen non recurrat explicitè ad rationem ſacrificij, ſed ad ſignum eccleſiaſticæ vnionis, ex qua infert, poſſe efficaciam Euchariſtiæ ex opere operato in alios trãſire; nihilominꝰ hoc nobis nõ cõtradicit in ijs, quæ diximus, quia Euchariſtia, quæ eſt ſignum vniens, iuuat defunctos.

26 *Suffragia viuentium proſũt defunctis ratione vnionis per charitatem.*

Pro qua re aduertendũ eſt, ex doctrina *S. Doctoris in corpore eiuſdem articuli*, ſuffragia, quæ fiunt à viuẽtibus in vtilitatem mortuorum, habere efficaciam ad illos iuuandos ſecundum habitudinem vnionis in charitate; nam charitas facit, vt ſint vnum corpus, atque adeo vt bona viuus membri communicentur alijs membris; idcirco opera illa, quæ præ cæteris ſpectãt ad cõmunicationem charitatis, ſunt efficaciora ad iuuãdos defunctos: & quia Euchariſtia cõtinet verè, & realiter Chriſtũ, in quo omnes fideles, qui ſũt in gratia, tũ viuẽtes, tũ mortui vniũtur tamquã mẽbra viua ſub vno capite; idcirco Euchariſtia à S. Thoma meritò nuncupatur Sacramẽtum eccleſiaſticæ vnionis, nempe illius vnionis, quæ inuenitur in membris Eccleſiæ: at non oportet, vt Euchariſtia ex opere operato habeat efficaciam iſtam tranſitiuam in animas Purgatorij ſub quacumque ratione, ſed ſatis erit, vt illam habeat ſub vna tantùm ratione, nempe ſub ratione ſacrificij; quamuis illam non habeat ſub ratione Sacramenti. reſpondens autem S. Thomas ad tertium argumentum ponit diſcrimen inter Sacramẽtum Euchariſtiæ, & reliqua, inquantum nullum aliud Sacramentum eſt fons, & origo charitatis, ſicuti Euchariſtia, quæ continet verè, & ſubſtantialiter ipſum Chriſtum, in quo fit prædicta vnio; idcirco inter Sacramenta ſolùm Euchariſtia habet efficaciam tranſmittendi ſuum effectum in alterum ex opere operato, atque adeo in mortuos, quamuis hoc non habeat, vt Sacramentum, ſed vt ſacrificium, quia, vt Sacramentum, eſt inſtitutum ad propriam ſanctificationem ipſius ſumentis, & præſertim cum detur per modum cibi, qui ſolùm comedenti prodeſſe poteſt, vt animaduertit *Suarez tom: illo tertio diſp. 63. verſus finem*: at, vt ſacrificium, non ſolùm eſt inſtitutum in vtilitatem ipſius offerentis, verum etiam aliorum, pro quibus offertur. & hæc ſatis ſint pro explicanda *S. Thomæ* mente.

Opera, quæ ſpectant ad communicationem magis defunctis proſunt, & ideo Euchariſtia in ratione vniendi alijs præſtat.

Hoc habet in ratione ſacrificij.

27 *Explicantur verba Petri Cluniacenſis.*

Ad verba, quæ referuntur *ex Petro Cluniacenſi*, reſpondeo, per Sacramenta, de quibus dicitur, anima illius defuncti ſubſidium recepiſſe, intelligi debere ſacrificium Miſſæ, vt patet ex alijs verbis, quæ ibidem referuntur; nam fit mentio de ſuffragijs conſiſtentibus in eleemoſynis, & in ſacrificio incruento, & nihil dicitur de communione extra ſacrificium, quatenus habet rationem Sacramenti.

28 *Inſtantia.*

Dices. Ibidem refertur, ab anima illius defuncti petita fuiſſe in ſubſidium Sacramenta, & pariter dicitur Sacramentis adiuta fuiſſe; per Sacramenta autem pluraliter ſignificata nequit intelligi ſacrificium, quod debuiſſet ſingulariter Sacramentũ, & nõ Sacramenta nuncupari.

Solutio.

Reſpondeo, in ſacrificio Miſſæ eſſe duplicem conſecrationem, nimirum panis, & vini, & in vtraque ſaluari rationem Sacramẽti; proinde poſſe ipſum, Sacramenta pluraliter nominari: & ita de facto loquitur *S. Ambroſius tom. 4. lib. 5. De Sacramentis c. 1.* quod incipit *Altaris Sacramẽta*, & addimus, figurã horũ Sacramentorum fuiſſe ſacrificium illud, quod obtulit Melchiſedech. eodem modo loquuntur alij Patres, quos laudat *Raynaudus in illo tractatu num. 50.* igitur ex eo quod Cluniacenſis dixit, animam illius defuncti adiutam fuiſſe Sacramentis, non cogimur aſſerere, ſubſidium fuiſſe per receptionem Euchariſtiæ, ſed per ſacrificium Miſſæ. & hæc pro ſolutione argumentorum, quæ ex Patribus deſumpta ſunt.

29 *Reſponſio ad argumenta deſumpta ex reuelationibus.*

Ad alia verò argumenta ex reuelationibus breuiter reſpondeo, reuelationes illas nobis non conſtare eſſe à Deo, & non à proprio ſpiritu, vt quamplures eſſe ſolent, quod rectè notauit *Sanctus Gregorius hom. 1. in Ezechielem poſt medium*, his verbis, *ſciendum quoque, quod aliquando Propheta Sancti, dum conſuluntur, ex magno vſu prophetandi quædam ex ſuo ſpiritu proferunt, & ſe hæc ex prophetia ſpiritu dicere ſuſpicantur*. hæc S. *Gregorius*. hoc ipſum etiã habetur *ex Theodoreto in lib. 2. Reg. cap. 7. & ex alijs*: ac præſertim *ex Abulenſi ibidẽ quæſt. 6. à Gaſpare Sanctio, & à Cornelio à lapide* exponentibus reſponſionem, quam dedit Nathan Propheta Dauidi petenti conſilium de ædificãdo templo, cui petitioni Propheta reſpondit, voluntatem illam ædificandi eſſe à Deo, cum tamen non fuerit, vt poſtea compertum eſt: igitur non debemus ſtatim aſſenſum præſtare his reuelationibus tamquam à Deo prouenĩetibus, & maximè cum oppoſitum & rationibꝰ, & Doctorum dictis habeamus, vt accidit in caſu noſtro; nam cõmunionem defunctis nõ prodeſſe ex opere operato, efficaciſſimis argumẽtis probatur, & auctoritate Doctorũ magni nominis confirmatur.

De-

30 Denique respondendum est ad rationem ab aduersarijs adductam ex paritate inter Sacrificium, & Eucharistiam, vt Sacramentum: nego igitur eamdem esse rationem; quia etiam si Eucharistia, & vt Sacrificium, & vt Sacramentum sit signum ecclesiasticę vnionis inter fideles; nihilominus est discrimen inter vtramq; rationem, vt colligi potest ex dictis, nam Eucharistia, vt Sacramẽtum, est per modum cibi, & eius efficacia solùm extenditur ad manducantem vniendo ipsum modo speciali cum Christo, vt Capite, & ideo Eucharistia, vt sacramentalis cibus, nequit habere effectum, nisi immanentem in ipso sumente; quia sicuti cibus non prodest, nisi per manducationem ipsi manducanti applicetur; ita & Eucharistia, cum per ipsam sumptionem applicetur, non prodest nisi ipsi sumenti, quia, vt cibus, ipsi tantùm applicatur; at in ratione Sacrificij, quod consistit in oblatione, se habet per modum actionis, & non passionis, & potest habere effectum trãseuntem in alios, atque adeo in mortuos: & sic non valet paritas.

31 Probationes autem illæ, quæ in confirmationem afferuntur ad ostendendum, Eucharistiam esse symbolum vnionis, nihil nobis officiunt: quia hoc à nobis non negatur, imo admittitur, sed negamus, quod Eucharistia, vt Sacramentum, ex opere operato defunctis prosit: ad auctoritatẽ verò S. Thomæ iam supra respõsum est, & ideo nihil aliud remanet circa rem hanc dicendum. si quis plura desiderat, legat tractatum illum *Raynaudi* fusè de communione pro mortuis disserentis.

Diluuntur probationes cõtrariæ, quæ procedunt ex natura Eucharistiæ.

alijs cōtemnitur, & contumelijs afficitur, vel dum ob cōtinuam cilicij gestationem nullam sensibiliter experitur molestiam; & sic in alijs similibus; tamen negare nemo potest, in his ex parte obiecti reperiri difficultatem; quæ tamen exercitio actuū contrariorum superata est.

5 *Opus bonum habet vim satisfaciēdi, quatenus involuit aliquid pœnalitatis.* Dico secundo. Opus honestum habet, vt sit satisfactorium, quatenus pœnale est. cōclusio ista cōformis est opinioni posteriùs relatæ. ea verò probatur primò ex modo loquēdi sacrarum litterarum, Conciliorum, & Patrum, qui satisfactiones, quas pro peccatis exhibere debemus, & ad quas nos hortātur, explicant per opera pœnalia. sic enim *Ioelis secundo* dicitur, *conuertimini ad me in ieiunio, fletu & planctu: Ionæ tertio, prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis: Matthæi cap. 11. in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent, &c.* rursus *Concilium Tridentinum* hoc ipsum indicat, nam *sess.14. cap. 8.* asserit, satisfactiones, per quas à peccato magnopere reuocamur, esse pœnales, & pariter addit, nullam viam in Ecclesia Dei securiorem esse ad mouendam imminentem à Domino pœnam, quàm sint operationes pœnales: demum admonet, quod dum nos patimur exhibendo satisfactionem pro culpis commissis, conformes efficimur Christo Domino, qui pro nostris peccatis pati voluit. hæc, & alia, quæ ponuntur à *Concilio*, & referuntur à *Cardinali de Lugo*, manifestè nobis ostendunt, opera, quibus Deo satisfacimus, debere esse pœnalia. & hoc etiam confirmari potest ex Patribus, nam *S. Augustin. ser. De pœnit.* & refertur *cap. non sufficit De pœnit. d. 1.* ait, *non sufficit mores in meliùs commutare, & à præteritis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium cooperātibus eleemosynis, & ieiunijs. S. Hieronym. in cap. 1. Ioelis* inquit, *qui peccator est, cilicio accingatur, & plangat, cubet, vel dormiat in sacco, vt præteritas delicias, per quas offenderat Deum, vitæ austeritate compenset: & sic multi alij Patres in tota dist. 1. De pœnitentia*, vbi operationes pœnales proponuntur, vt materia satisfactionis: atque adeo erunt materia proportionata pro suffragijs faciendis in vtilitatem defunctorum.

6 *Suadetur ratione.* Probatur autem conclusio ratione. satisfactio est actus iustitiæ punitiuæ, per quem iniuriam contra Deum illatam resarcimus: ergo debet fieri per operationes pœnales. patet antecedens; consequentia verò suadetur, quia cum culpæ commissæ respōdere oporteat pœna, seu vindicta, necessarium est, vt operatio, quæ pro pœna debita exhibetur, sit pœnalis, seu sit afflictiua; nam vindicta consistit in pœna.

7 *Obiectio.* Sed obijcies cum Vasquez. Ratio satisfactionis non desumitur ex sola mensura pœnæ, quæ in actu reperitur, sed aliundè, nempè ex affectu charitatis: ergo non satisfacimus Deo solùm per opera pœnalia; antecedens, in quo est difficultas, probatur, nam sicuti per operationes alias, quæ non sunt pœnales, possumus mereri augmentum gratiæ, & gloriæ, quod est quid maius, quàm sit remissio pœnæ: ita possumus mereri remissionem pœnæ, quæ est quid minus.

8 *Solutio.* Respondeo negando antecedens, & ad eius probationem nego similiter, eamdē esse rationem de merito ad gloriam, & de merito ad remissionē pœnę tēporalis: nam opera meritoria, vt meritoria, habent augere gratiam, & dare ius ad excellentiorē gradum gloriæ, non autem habent, vt talia sunt, vim tollendi impedimentum ad acquirendam citiùs gloriam illam maiorem, seu ad tollendum impedimentū ad obtinendam gloriam; hæc enim sunt rea diuersæ rationis: proinde ex vna ad aliam nō fit bona illatio; & ob eādem rationem nihil refert, maius esse mereri augmētum gratiæ, & gloriæ, quàm mereri remissionē pœnæ; quoniam, vt diximus, sunt diuersæ rationis, aliter concluderetur, per opera meritoria nos mereri etiam bona temporalia; cum hæc sint longè minora. neque dicas, non esse eamdem paritatem; quia remissio pœnæ est connexa cum adeptione gloriæ; non autem consecutio bonorū temporalium; & ideo maior erit ratio, vt pœnæ remissio sit cōnexa cū merito gloriæ, & nō sit cōnexa cū acquisitione temporalium: ne, inquam, hoc dicas, nam per opera meritoria non habemus ius ad celeriùs adipiscēdam gloriam, sed solùm ad gloriam habendam post debitam, & condignam satisfactionē pro culpis patratis; atque adeo nulla est connexio inter ipsa opera meritoria, & celeritatem adipiscēdi gloriā, quæ celeritas habetur per opera ipsa meritoria, quatenus pœnalia, & satisfactoria; & in hoc est paritas inter bona temporalia in ordine ad meritū, & opera meritoria in ordine ad prædictam celeritatem: & confirmatur responsio principalis à pari; nam actus externus nō auget valorem, & meritum actus interni, nisi actus ipse internus augeatur, vt cōmuniter docent Theologi, & nos probauimus in tractatu de merito: at actus externus auget valorem actus interni in ratione satisfactionis, & ideo non erit idem formaliter, operationem esse meritoriam, & esse satisfactoriam.

SE-

SECTIO II.

An operationes honestæ, si ex præcepto debeãtur, possint, vt satisfactoria, applicari defunctis.

9 *Aliqui censuerunt, operationes satisfactorias pro defunctis non debere esse aliundè debitas.*

CIrca rem hanc tres assignare possumus diuersas sententias, quarum prima est eorum, qui dicunt, satisfactionem pro peccatis debere esse per operationes non aliundè debitas; ac proinde à fortiori sequitur, neminẽ posse pro alijs satisfacere medijs operibus honestis, quæ ex præcepto debentur: non posse autem satisfieri per tales operationes, docet *Scotus in 4. d.15. q.1. Capreolus ibidem ar. 3. in responsione ad primum, Aureol. contra primam cõclusionem, & pariter Paludanus, Maior, Gabriel apud Suarez loco infra citãdo.* huic opinioni fauet *S. Thomas eadem distin. q.1. ar.2.*

10 *Alij existimarunt, satisfieri posse per opera iure humano debita, secus iure naturali, aut Diuino.*

Secunda verò sententia distinguit, aitq; per opera, quæ iure naturali, aut Diuino sunt præcepta, non posse nos satisfacere, secus per opera, quæ iure humano obligant, & debentur. sic *Syluester verb. satisfactio quæst.8.*

11 *Sententia eorum, qui indifferẽter loquuntur.*

Tertia autem opinio indiscriminatim asserit, per quæcumque opera pœnalia, quocumque iure debeantur, posse hominem pro se, & consequenter pro alijs satisfacere. *sic Caietanus tom.1. opusc. trac.6. quæst.1. Sotus in 4. d.19. q.2. a.1. versus finẽ. Suarez tom.4. De pœnit. disp.37. sect.4. nu.3. Nauar. in summa cap.26. n.23. & cap.1. De pœnit. d.6. nu. 40. Stephanus Bauny De Sacram. tract.4. quæst.9.* & alij, qui licèt non loquantur, nisi de satisfactione applicata ipsi satisfacienti, & non descẽdant ad hoc punctum, nimirum de satisfactione alijs applicata; nihilominus eadem videtur ratio, quia omnes illæ operationes possũt mortuis applicari, quæ sunt satisfactoriæ ex opere operãtis ipsimet, qui illas exercet: sed inuenio *Bartholomæum à S. Fausto lib.1. De suffrag. q.*20. qui explicitè examinat quæsitũ tum in ordine ad ipsummet operantem, tum ad alios, & hanc tertiam sententiam defendit.

12 *Recipitur hæc vltima opinio.*

Dicendum igitur est, verissimam esse hanc opinionem vltimo loco relatam, atque adeo alias reijciendas esse: & in hac sentẽtia esse S. *Thomam*, apertè colligitur *ex loco citato in 4. d.15. q.1. a.2. ad tertium.* quamuis citetur pro contraria opinione non rectè, quia ibi, vt patet legenti textũ, solùm docet, ex eo quod homo totũ, quod habet, Deo debeat, sequi, quod nõ possit ad æquiualẽtiã Deo satisfacere, quãuis possit sufficiẽter quoad obligationẽ. probatur autẽ ratione fundamentali, vna, eademque operatio, licèt aliundè debita, poterit esse meritoria vitæ æternæ, ergo etiam, & satisfactoria pro pœna debita peccatis cõmissis: antecedens est certum, quia ratio debiti nequaquã tollit ab operatione honestatem, & bonitatem moralem, neq; libertatem: proinde procedẽdo à charitate, seu ab homine existente in gratia, & amicitia Dei nihil deerit à ratione meriti: consequentia verò probatur, quia sicuti ratio debiti non potest auferre ius ad præmiũ; ita neque ius ad recompensandum pro reatu pœnæ: & ideo vnum, idemq; opus aliunde debitum non obstante ratione debiti erit efficax ad merẽdum, ita etiam ad satisfaciendum, & nullum discrimen inter hæc duo assignari poterit. & confirmatur: nam sicuti patienter sustinendo flagella temporalia à Deo in hac vita nobis inflicta satisfacere possumus pro peccatis, non obstante quod sint respectu nostri necessaria, & non libera; ita possumus per actus aliundè debitos etiam satisfacere pro culpis; hoc vltimum antecedens determinatur *à Concil. Trid. sess.14. c.9.* & asseritur *à S. Thoma in addit. ad 3. p. quæst. 55. a.2.* paritas autem, quæ est in consequentia, videtur certa, cum nulla appareat sufficiẽs disparitas. aliæ rationes pro hac sententia videri possunt apud *Suarez loco citato.*

Obijcies. Si quis ex voto tenetur aliquod bonum opus exhibere, *V.G.* ieiunare aliqua die, non satisfacit ieiunando diebus, in quibus est præceptum ieiunãdi ab Ecclesia institutum: ergo non poterit satisfacere pro peccatis exhibendo opera aliundè ex præcepto debita. 13 *Obiectio in contrarium.*

Respondeo negando paritatem: & diuersitas in vtroq; casu oritur ex eo quod obligatio proueniens à voto depẽdet totaliter à libertate, & intentione ipsius vouentis, qui potest se per votum obligare, vel pro die, in quo nullum est præceptum ieiunandi, vel quando est tale præceptum: at si tempore voti nihil determinauit, intelligitur voluisse se obligare ad ieiunandum eo die, in quo aliunde non est obligatio, quia vota solent fieri de operibus supererogationis; quemadmodum dicunt Theologi in simili loquentes de pœnitentijs à Cõfessario iniunctis: at obligatio satisfaciẽdi non dependet à libertate hominis, sed nascitur ex ipso peccato commisso, per quod Dei iustitia fuit læsa, proinde ex quadam iustitia peccator tenetur Deo satisfacere vel in hac, vel in alia vita; quæ quidem satisfactio sufficienter habebitur per exercitium actionum honestarum pœnalium, etiam si aliundè sint debitę; & cum eadẽ actio, licèt realiter sit vna numero quoad entitatem; tamen cũ sit multiplex ob diuersas, quas in- *Solutio.*

uoluit

noluit formalitates, ideo per illam sub formalitate pœnalitatis possumus Deo satisfacere, etiam si aliũde sit debita V.G. auditio Sacri die festiuo, quatenus est quædã actio tẽdens ad Deũ colendum, præcepta est ab Ecclesia; inquãtũ verò est actio moraliter laudabilis, & liberè fit ab homine iusto, est meritoria: demum, quatenus est aliquo modo laboriosa, est satisfactoria p culpis: & sic omnes istæ rationes fundari possunt in eadẽ realitate, in qua nullã habent incõpossibilitatem. secùs autẽ est de voto: nam vouẽs, ordinariè loquẽdo, promittit ponere entitatem, seu realitatẽ distinctam ab ea, quæ est aliundè debita, & non fertur in solã formalitatem inclusam in realitate, sed in ipsam entitatẽ: & fere eodẽ modo respondetur ad simile argumẽtũ desumptũ ex duplici credito, quod aliquis habet in aliũ V. G. si Titius sit creditor Sortis ex duplici capite, videlicet ratione venditionis in aureis centũ, & ratione mutui in totidẽ aureis, non poterit Sortes satisfacere ad æqualitatẽ soluendo solùm centũ aureos pro vtroq; debito; & hoc est peculiare in iustitia cõmutatiua, vt solutio fiat ex indebitis, aliter nõ fieret ex proprijs ipsius debitoris, sed creditoris, & sic nõ poneretur æqualitas. pinde cẽtũ cõparati ad vtrumq; debitum sunt quid minus: & nõ æquale vtriq; debito, at in satisfactione pro peccatis nõ requiritur necessariò, vt solutio fiat ex indebitis, sed solũ sufficit, vt quod offertur in recompẽsationẽ, sit quid pœnale, siue de reliquo pœnalitas sita sit in opere honesto debito, vel nõ debito: & sic ieiunãdo tẽpore quadragesimæ, quãuis ieiunium sit ex præcepto Ecclesiæ, vt in corpore maceremur; nihilominus per talia ieiunia etiã debita satisfacere possumus pro peccatis siue nostris siue alienis, atque adeo pro defunctis.

SECTIO III.

Deciduntur nonnulla circa suffragiorum valorem.

14 Loquimur in hac sectione de suffragijs, quorum valor dependet ab ipso operante, hoc est à dispositione illius, qui suffragia applicat pro defunctis; nam de valore eorum suffragiorum, qui est ex opere operato, superiùs sufficiẽter actum est. vt autem distinctiùs declaremus, quæ circa quæsitum nobis videntur discutienda, ea sub distinctis paragraphis elucidanda proponimus.

:†:

§. I.

Quodnam suffragium sit alia magis satisfactorium.

Recolenda sunt ea tria suffragiorum genera, ad quæ tamquam vniuersalia capita cætera omnia reducuntur, de quibus *trac. 2. huius quartæ par. cap. 1. sec. 2.* sermonem habuimus: diximus enim, illa tria, nempe ieiunium, orationem, & eleemosynã esse veluti capita vniuersalia nostræ satisfactionis, quam Deo pro peccatis offerimus: inuestigamus autem nũc, quod nam ex his tribus sit magis satisfactorium. 15

Fuit opinio *Syluestri verbo satisfactio nu. 8. Armillæ, & aliorum* putantium, opus eleemosynæ esse reliquis magis satisfactorium: at sententia aliorum est, ieiunium esse cæteris præferendum in ratione satisfactionis. sic docet *Barthol. à S. Fausto lib. 1. De suffrag. q. 5. & alij.* 16

Eleemosynis plus satisfieri censuerũt aliqui.
Alij ieiunio id concedunt.

Pro solutione aduertendum est, comparationem hanc esse spectandam secundum genus prædictarum operationum, non autem secundum rationes particulares, quoniam euenire poterit, vt vna operatio secundum genus suum sit magis satisfactoria; attamen secundum indiuiduas rationes sit minus, quatenus alia poterit hic, & nunc excedere: locutio igitur est de generibus. quo posito. 17

Dicendũ est, ieiunium esse cæteris magis satisfactoriũ, per ieiunium autẽ intelligo omnes carnis macerationes, videlicet omnes pœnas, quas homo, in hac vita patitur siue à Deo, siue ab alijs, siue demũ à seipso inflictas, aut patienter toleratas. probatur conclusio, nam, vt supra asseruimus, quanto magis opus est pœnale, eò magis est satisfactorium; igitur cum ea, quæ pertinẽt ad castigationem corporis, secundum genus sint magis afflictiua, & pœnalia, quàm sint ea, quæ spectant ad bona externa, & ad Dei cultum, vt orationes, oblationes, &c. idcirco hæc erunt minus satisfactoria, quam illa priora. 18

Sub nomine ieiunij veniũt omnes operationes, quæ corpus affligunt, & vt sic verum est, per ieiunium plus satisfieri.

Inter alia duo genera, nimirum inter eleemosynam, & orationem, non ita facilè potest dari certum iudicium; at pensatis omnibus, censeo, orationem esse magis satisfactoriam, quia est magis afflictiua corporis; nam ipsummet exercitium orãdi fatigat corpus, & mentem: & si enim quandoque habeat dulcedinem spiritus in hominibus mortificatis, & contemplationi deditis; tamen negari non potest, quin carnem affligat, sicuti reliqua exercitia mentalia iuxta illud, quod habetur *in Ecclesiaste cap. vlt. versic. 11. frequens meditatio carnis afflictio est:* at eleemosyna nullo 19

Oratio videtur magis satisfactoria, quàm eleemosyna.

nollo pacto carnem affligit; ideoque cum cæteris omnibus magis pœnalis sit oratio, erit pariter magis satisfactoria.

§. II

Quanam magis defunctis prosint suffragia eodem tempore simul multiplicata; an verò diuersis temporibus successiuè facta?

20 *Quæsitum exemplo declaratur.* Fingamus casum in hunc modum. Titius hæres, & filius Sortis volens quàm plura suffragia pro anima sui Patris Deo offerre, siue sint sacrificia, siue orationes, siue eleemosynæ, aut alia pia opera, dubitat, an meliùs sit eodē die curare, vt omnia suffragia, quæ in animo habet exhibere in satisfactionem Sortis, diuidantur in plures personas V. G. suffragia sint centum Missæ, & eodem die à diuersis Sacerdotibus celebrentur; an verò successiuè singulis diebus vna Missa offeratur per spatium centum dierum, seu singulis annis anniuersaria celebrētur, & idem dico de suffragijs cōsistentibus in alijs pijs operationibus.

21 *Vtilius erit, si statim celebrentur Missæ pro anima defuncti, quàm si singulis annis id fiat.* Dico primo. Si spectemus beneficium, quod per suffragia prædicta consecutura est anima illius defuncti, certum est, vtilius illi esse, statim ac ex hac vita homo decessit, eadem die celebrari centum illas Missas, quàm singulis annis eas dici, quia vt sic celeriùs liberabitur à pœnis Purgatorij.

22 *Celebratio Missarū successiua magis prestat ad Diuinum obsequium.* Dico secondo. Si attendamus obsequium, & honorem Dei, magis facit celebratio Missarum successiuè exhibita singulis annis, vel diebus. vtramq; conclusionem inuenies *apud Lauorium De Indulg. p. 2. c. 30. n. 138 & Barthol. à S. Fausto lib. 1. De suffrag. q. 60.* ratio autem huius secundæ cōclusionis est, quia illa successiua actio singulis annis, vel diebus exercita, magis extendit obsequium Dei eius memoriam apud fideles renouans: & ideo talia suffragia erunt vtilia animæ Sortis, quamuis inueniatur in gloria, quoniam de illis gaudium accidentale habebit, & prodesse possunt alijs animabus Purgatorij: & sic ob has rationes successiua ista exhibitio suffragiorum redundabit in maiorem Dei cultum.

†

§. III.

An sepultura sit vtilis defunctorum animabus.

23 *Actio sepeliendi corpus prodest animæ defuncti.* Dicendum est, actionem sepeliendi fidelem defunctum prodesse eius animæ, est communis sententia, de qua S. *Thomas in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 3. quæstiuncula 3. Bellarminus lib. 2. De Purgatorio cap. 19. Lauorius tom. 1. variarum lucubrationum titulo 2. cap. 14. num. 40. & sequent. Bartholomeus à S. Fausto lib. 1. De suffrag. quæst. 36. & alij.* probatur, quia, qui corpora mortuorum comitantur, dum ad sepeliēdum deferuntur, plures pro ipso defuncto Deum orant, vt affirmat S. *Gregorius in dialogo lib. 4. cap. 50.* his verbis, *quos grauia peccata non deprimunt, hoc prodest mortuis, si in Ecclesia sepeliantur, quod eorum proximi quoties ad eadem sacra loca conueniunt suorum, quorum sepulcra conspiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundunt.*

Magis prodest sepultura in Ecclesijs, in quib⁹ est maior populi concursus. Ex his autem verbis S. Gregorij deducimus, vtilius esse pro anima defuncti sepeliri in Ecclesijs, in quibus maior esse solet populi concursus, sicuti sunt Cathedrales, Collegiatæ, Ecclesiæ Regularium & similes, & habetur *ex cap. vbicumque temporum 13. quæst. 2.*

Præterea alia vtilitas est, & ponitur *in cap. non existimamus eadem quæstione*, videlicet commendari patrocinio illorum Sāctorum, quorum corpora reperiuntur in ea Ecclesia, in qua defunctus sepelitur, quod notarūt aliqui, & præsertim *Bellarminus loc. cit. Lauorius cap. citato num. 48.* sunt etiam aliæ vtilitates, quæ ex sepultura redundant in viuentes, quas ponunt citati Authores: eas autem omitto, quia sunt extra nostrum institutum. 24

§. IV.

An pœnitentia, quæ sacramentaliter imponitur à Confessario vtiliter defunctis applicetur.

Opinio negatiua defenditur à Ioanne Sanchez. Proponit dubium hoc *Ioannes Sanchez in selectis disp. 16.* & partem negatiuam tuetur, aitque, non rectè procedere Confessarios præscribentes sub pœnitentia nocturnum defunctorum, Psalmos, &c. pro animabus Purgatorij.

25 *Eius probatio.* Docitur ad hanc sententiam ex institutione Sacramēti Pœnitentiæ, cuius pars illa integra, nimirum satisfactio iniuncta à Confessario, est ordinata ad satisfaciendum pro pœnis, quæ debentur ipsi pœnitenti: & ideo contra eius rationem erit applicare pœnitentiam impositam à Cōfessario

fessario pro defunctis, perinde enim erit, ac nullam iniungere pœnitentiam: quapropter concludit, quod pœnitens licèt teneatur adimplere pœnitentiam impositam; tamen non erit obligãdus eam applicare pro animabus Purgatorij, vt præcepit Confessarius, nam pœniẽtia sub tali onere fuit irrationabilis. sic discurrit Author iste laudans pro se Vegam, apud quẽ casum propositum nõ inuenio, & *Pedrazzam cap.7. De la pænitent.y absolucion.* præterea illa applicatio pro animabus Purgatorij est actus pure internus, & nullo pacto sensibilis, proindè non erit proportionatus, vt assumatur tamquam pars Sacramenti visibilis: addit etiam *Ioan.Sanchez*, pœnitentiam sacramẽtalem imponi per modum præcepti humani, quod non solet in actum internum ferri; ergo applicatio illarum precum nequit iniungi, vt satisfactio sacramentalis.

26 Et si quis contra Authorem istum vrgeat probãdo, actum internum per accidens præcipi posse ab Ecclesia, quatenus interdum est forma actus externi sub aliqua ratione spectati, vt patet in multis; nam Ecclesia præcipiens confessionem sacramentalem tempore statuto, præcipit indirectè dolorem, qui est essentialiter requisitus ad actum illum externum sub ratione cõfessionis sacramentalis, & præcipiens orationem præcipit internam attentionem, &c. si, inquam, hoc pacto contra *Ioannem Sanchez* vrgeat, posset responderi in eius fauorem, actum illum internum applicationis mere per accidẽs se habere ad orationem illam vocalem, quia oratio ipsa cõstituitur in ratione religiosæ, & piæ deprecationis ab alio actu interno, videlicet ab intentione orandi Deum; igitur applicatio illa remanens, vt actus pure internus, nequit per accidens, seu indirectè cadere sub humanum præceptum. hæc omnia dici possunt pro sententia ista, pro qua nonnulla dicuntur à prædicto Authore.

27
Partẽ affirmantem alij tuentur.

At partem affirmatiuam tuentur alij, nempe posse imponi à Confessario pœnitentiam exequẽdam pro animabus Purgatorij. sic *Cardinalis De Lugo disp.21. De Pœnit. sec.4. nu. 62. & sequent. & apud ipsũ Aloysius Turrianus De pœnit. disp. 37. dub. 4. in selectis centuria 3. theologica dub. 1.* hãc opinionem varijs rationibus probat *ipse de Lugo*, quæ videri possunt *loco citato.*

28
Hæc opinio admittitur, & suadetur.

Dicendum est iuxta hanc secundam sententiam. probatur autem tali pacto, si Confessarius non posset pœnitentiam sacramentalem imponere cum onere eam applicandi pro defunctis, maximè, quia hoc esset contra integritatem huius Sacramenti, eiusque institutionem: at hoc est falsum, ergo & id vnde sequitur: huius argumenti sequela debet esse certa, quia Authores contrariæ opinionis in hoc fundantur, vt patet legenti *Ioannem Sanchez*; minor verò, in qua est difficultas, suadetur, quoniam ad integritatem Sacramenti pœnitẽtiæ sufficit, vt opus iniũctum à Confessario ponatur, & habeat effectum punitionis in ipsomet pœnitente, etiam si fructus relaxationis pœnæ non habeatur, & hoc efficaciter ostenditur in eo casu, quo pœnitens opus à Confessario iniũctum exequitur in statu peccati mortalis: tunc enim, vt asserit satis communis, & recepta sententia, pœnitens exequendo, pœnitentiam in tali statu adimplet præceptum impositum, suæque obligationi satisfacit, & non tenetur iterum repetere opus, dum redit ad statum gratiæ; cum igitur remaneat integritas huius Sacramenti absque fructu remissionis pœnæ, falsum consequenter erit asserere, cõtra integritatem, & institutionem huius Sacramenti esse imponere pro pœnitentia opus sub onere illud applicandi pro defunctis. & confirmatur, quia nulla apparet sufficiens ratio, qua dicamus, esse de essentia satisfactionis sacramentalis, vt eius fructus, qualis est relaxatio pœnæ, intransitiue se habeat, hoc est, sit ita personalis, vt nequeat in alium transferri.

Alia argumenta pro hac sententia affirmatiua videri possunt apud *Cardinalem de Lugo*. quod autem propositum est, sufficiens videtur ad conclusionem nostram suadendam, & confirmandam. ex his igitur patet solutio ad primam rationem adductam *à Ioanne Sanchez.*

Ad secundam verò aio, posse à Confessario imponi actum internum pro pœnitentia sacramentali, vt contra paucos oppositum sentientes probat *Suarez disp. 28. sect.6.* & praxis id ostendit, nam pœnitentibus grauiter ægrotis, & in extremis vitæ solent Confessarij, dum eos sacramẽtaliter volũt absoluere, imponere, vt corde inuocent nomen, Iesus, ne defatigentur, si ore id exequi deberent, deinde sicuti ipse Confessarius est legitimus Iudex ad iudicandum de peccatis internis; ita pariter erit legitimus Iudex ad imponendam pœnitentiam, quæ in actu mere interno consistit: & ratio fundamentalis est, quia hoc iudicium sacramentale est institutum in bonum spirituale animæ pœnitentis, proinde non est mirum, si Cõfessarij potestas extẽdatur ad actus etiam internos iudicandos, & puniendos: neque refert, Sacramentum, cuius est pars ipsa satisfactio, esse sensibile: ex hoc enim non sequitur, omnes eius partes debere esse 29

Confessarius potest pro satisfactione sacramentali iniugere actũ internum.

sensibiles: nam dolor secundum se non est sensibilis, nisi per accidens, quamuis sit pars essentialis ipsius Sacramenti; multo magis id dici poterit de satisfactione, quæ est solùm pars integralis.

30 Denique ad illud, quod addit *Ioannes Sanchez*, scilicet pœnitentiam sacramentalem imponi per modum præcepti humani, facilè respondetur, nam humanum præceptum potest esse tum in ordine ad forum externum, tum etiam ad forum internum, seu ad conscientiam: si de primo loquamur, concedimus, nō posse versari in actu pure interno, quia de illo Iudex, à quo emanat præceptum, non habet iurisdictionē, cum sit occultus, secus de alio iudicio, quod procedit à Iudice, qui potestatem habet circa delicta pure interna, vt est Confessarius respectu pœnitentis in Sacramento pœnitentiæ.

CAPVT II.

De conditionibus requisitis ex parte offerentis suffragia pro defunctis.

1 LOquuti sumus de qualitatibus spectantibus ad ipsamet suffragia, vt mortuis vtilia esse possint; at cum hoc solum non sufficiat, sed requirantur aliqua ex parte offerentis; idcirco de conditionibus, quæ sunt necessariæ in ipso offerente, est à nobis agendum, & de his sub duplici ratione, primo vniuersaliter, nempe in ordine ad applicanda quæcumque suffragia pro defunctis: secundo specialiter, inquantum pro eisdem applicatur indulgentia contenta in hac Bulla: incipiendo autem à primo, licèt ordo doctrinæ videatur postulare, vt omnes conditiones ex parte offerentis examinemus; nihilominus cum de quibusdam, pro vt ad rem nostram pertinet, neque sit controuersia, neque difficultas; idcirco eas innuemus, & tales sunt status viæ; nam offerens debet esse viator: rursus debet esse intentio applicandi suffragia in beneficium defunctorum; aliter nihil pro illis efficiet. præsuppositis igitur his conditionibus, alia nobis remanet examināda, nimirum an requiratur in ipso offerente status gratiæ, & de hac cōditione nonnulla occurrunt enodanda, quæ in sequentibus præstabimus.

2 Verum, quia modus applicandi suffragia pro defunctis multipliciter esse poterit, idcirco de necessitate ipsius gratiæ ex parte operantis diuerso modo erit iudicandum; & primo inquiremus, an gratia sanctificans debeat inueniri in ipsomet, qui proprio nomine operando applicat suffragia: secundo quid dicendum cum operatur per alium: tertio deniq; est resoluendum, an in ministris, qui nomine totius Ecclesiæ suffragia pro animabus Purgatorij offerunt, sit necessaria gratia.

SECTIO I.

Vtrum qui proprio nomine operatur, debeat esse in gratia, vt suffragia vtilia sint defunctis.

NON agimus de suffragijs, quæ ex opere operato prosunt defunctis, vt sunt indulgentiæ, & sacrificium Missæ: de his enim supra tractauimus, & statuimus, non requiri statum gratiæ in ipso operante: sed sermo est de suffragijs, quorum valor, & satisfactio est ex opere operantis. his præsuppositis.

Dicendum est in eo, qui proprio operatur nomine, & fructum sui operis animabus Purgatorij offert, necessariò requiri statum gratiæ, & Diuinæ amicitiæ: & ideo, si erit in peccato mortali, inutiliter pro defunctis operabitur. est communis Theologorum sententia, eamque non obscurè docet S. *Thomas in 4. dist. 45. quæst. 2. ar. 1. quæstiuncula 3. & clariùs in 3. p. quæst. 82. ar. 6. in fine corporis*, eamdemq; tuentur alij, quos citat, & sequitur *Suarez De pœnit. disp. 48. sect. 8. initio. Cardinalis de Lugo disp. 26. sec. 3. in prima conditione requisita, Lanorius De indulgent. par. 2. cap. 30. num. 99. Bartholomæus à S. Faustio lib. 1. De suffrag. quæst. 29. in septima conditione. Antonius Raguccius De statu animarum quæsito 39. num. 7. & alij*. probari solet hæc communis opinio ex verbis *S. Pauli 1. ad Corin. cap. 13.* dum inquit, *si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest, &c.* per hæc verba Apostolus nos instruens monet, sine charitate, & amicitia Dei opera nostra esse nullius valoris apud Deum: rursus hoc ipsum colligitur ex *Concilio Trident. sess. 14. cap. 8.* cum docet, satisfactionem nostram esse per Iesum Christum, in quo viuimus, in quo monemur, in quo satisfacimus facientes fructus dignos pœnitentiæ, &c. at viuimus in Christo per gratiam sanctificantem.

Probatur etiam conclusio ratione fundamentali in hunc modum. Homo manens in peccato mortali, & carens gratia non potest pro se ipso satisfacere, ergo neque pro defunctis; antecedens, vt certum supponitur, quia, dum homo habet reatum culpæ, non potest se eximere à reatu pœnæ, quæ cul-

3 Requiritur status gratiæ in offerente suffragia ex opere operātis.

Probatur conclusio ex S. Paulo.

4 Ratio fundamentalis pro conclusione.

culpam concomitatur, nam culpa reddit hominem dignum punitione, cõsequentia verò ita suadetur: multo plus requiritur ad satisfaciendum pro alijs, quàm pro se ipso, igitur qui non potest pro se ipso satisfacere, neq; etiam poterit pro alijs, atq; adeo neque pro defunctis, quia vt rectè animaduertit *Suarez disp. 48. De pœnit. sec. 8. a. 1.* loquendo de conditionibus ex parte offerentis requisitis, solutio pro alio debet supponere in eo, qui soluit, potestatem ad soluendum pro se ipso.

Sed cum hæc opinio, quam defendimus, apud omnes sit indubitata, non est, cur ad eam magis confirmandam tempus teramus, & ideo ad ea, quæ sunt magis controuersa, & difficiliora progrediendum est.

SECTIO II.

Vtrum qui nomine alterius operatur, debeat esse in statu gratiæ.

5 *Præmittitur distinctio.* PRO huius quæsiti decisione supponendum est, eum, qui iussu, aut rogatu alterius operationem piam pro defunctis exercet, posse dupliciter se habere in ordine ad eamdem operationem, videlicet vel vt simplicem, & merum exequutorem, & veluti instrumentum illius, qui imperauit, aut rogauit fieri opus, vel vt caussam proximam, & principalem V. G. Titius præcipiat famulo eleemosynam pauperibus ex pecunijs, quæ sunt sub dominio ipsius Titij; nam pecunia in hoc casu est sub dominio Titij, quia præcipit famulo, vt ex suis pecunijs eroget eleemosynam, vt merus exequutor, & instrumẽtum Titij, sed si Titius petat ab alio, vt ieiunet pro defunctis, vel vt pro eisdem oret, aut quid simile, tunc ille alius se habebit, vt caussa proxima, & principalis illius operationis, quia est sub suo dominio, & non sub dominio Titij. his præhabitis.

6 *In eo, qui iussu, aut rogatu alterius operatur pro defunctis, non tãquam simplex exequutor, sed vt caussa principalis, requiritur status gratiæ; secus vt merus exequutor.*

Dicendum est primo. Si casus primo modo contingat, status gratiæ requiritur in Titio, qui est caussa principalis illius piæ operationis, non autem in famulo. sic docet *Sotus in 4. dist. 45. quæst. 2. a. 1. conclusione 4. Suarez De pœnit. d. 52. sec. 7. n. 2. Antonius Raguccus tract. De statu animarum q. 39. n. 9. Bartholomæus à S. Faustolib. 1. De suffrag. q. 30. Bonac. De Sacram. dist. 6. q. 2. p. 2. n. 9. & alij.*

7 Prima autẽ pars probatur, quia Titius cum sit Dominus illius pecuniæ, quæ in eleemosinam erogatur, & in beneficium defunctorum commodo eiusdem pecuniæ se privet, ipsi tribuitur actio tamquã principali agenti; proinde in ipso requiri debet status gratiæ, nam ipse applicat, & mortuis donat satisfactionem prouenientem ex tali pio opere quã ppter vt erogatio eleemosynæ sit satisfactoria, oportet procedere à voluntate agentis principalis, in quo sit gratia dignificans operationem illam.

Secunda verò pars ex probatione primæ facilè ostenditur, nam famulus, cum non sit dominus illius pecuniæ, quæ in eleemosynam erogatur, non dicitur moralis caussa illius eleemosynæ, cum solùm cõcurrat, vt instrumentum Domini præcipientis, quamuis si ipse famulus offerat Deo pro mortuis actionem illam seruilẽ, poterit satisfacere pro illa, sicuti potest mereri, sed in hac oblatione, & applicatione nõ se habet, vt famulus, sed vt caussa principalis illius oblationis; habebit igitur erogatio eleemosynæ valorem, & vim satisfactoriam, pro vt procedit à voluntate Domini, atq; adeo status gratiæ, & amicitiæ Diuinæ in ipso Domino esse debet. 8

SECTIO III.

An gratia requiratur in principali operante tempore mandati, an verò tempore exequutionis.

IN duplici sensu quæsitum examinari potest, primo facta hypothesi, quod caussa principalis V. G. Titius tempore exequutionis adhuc viuat: secundo quod sit mortuus. his positis respondeo directè ad quæsitum, quod disiunctiuè proponitur.

Dico igitur primo. Ad hoc vt operans mereatur, & satisfaciat ratione illi⁹ bonæ, & honestæ volitionis, qua mandat fieri suffragium, requiritur gratia tempore mandati. conclusio est manifesta, quia volitio illa tunc existit, & ideo tunc vt in se ipsa sit meritoria, & satisfactoria postulat in eliciente ipsam volitionem omnes cõditiones, quæ sunt necessariæ ad meritum, inter quas est gratia sanctificans in ipso operante, & de hac conclusione nequit esse controuersia: difficultas autem cernitur, si casus proponatur inuerso ordine, nempe si ponatur in eo, qui mandat esse carentiam gratiæ tempore mandati, & tempore exequutionis supponatur esse in gratia, & adhuc viuere. 9 *In caussa principali mãdãte opus bonum requiritur stat⁹ gratiæ tempore mandati.*

Dico secundo, certum esse opus, quod fit, cedere in beneficiũ ipsius caussæ principalis, nempe Titij, si tempore exequutionis, quando est in gratia, habeat nouũ actũ voluntatis siue explicitè siue implicitè, quo approbet opus nomine suo faciendũ; sic enim sunt omnia requisita, ad hoc vt opus sit meritoriũ, & satisfactoriũ: & de hac conclusione nequit esse cõtrouersia. 10 *Si tempore exequutionis, habeat gratiã, & nouum eliciat actum, satisfaciet pro tali opere.*

uersia, dubitatio autē est, si Titius tēpore exequutionis nullū habeat actum circa opus ipsum faciendum; an hoc non obstante, opus sit meritorium, & satisfactorium pro ipso Titio.

11 Dico tertio. Opus illud, quod fit nomine Titij, nempe distributionem pecuniarum in eleemosynam, esse satisfactorium pro ipso Titio, licèt tempore exequutionis nullus nouus actus sit in Titio, videtur hoc esse contra *Suarez disp. 48. De pœnit. sec. 8. num. 12. & Cardinalem de Lugo disp. 24. De pœnit. sect. 2. num. 30.* sed hanc sententiam à fortiori defendere debent *Gabriel, & Marchinus locis infra citandis.*

Probatur autem cōclusio hac ratione.

12 *Opus factum ab exequutore cedit in vtilitatē caussæ principalis, etiam si nullus nouꝰ actus sit in ipsa caussa.*

opus illud externum fit ab exequutore, tamquam ab instrumento Titij, qui opus illud imperauit; igitur si eo tempore, quo opus exercetur, Titius reperitur in statu gratiæ, valor illius operis cederet in satisfactionem ipsius Titij, antecedens supponitur ex ipsomet quæsito: consequentia verò suadetur, quia nulla videtur assignabilis conditio, quæ desit, ad hoc vt ista erogatio eleemosynæ cedat in satisfactionem Titij, vt mox patebit soluendo præcipuum argumentum contrariæ opinionis.

13 *Ratio fundamentalis pro opposita sententia.*

Dices. Erogatio huius elemosynæ, quamuis sit ex pecunijs Titij, nihilominus non intelligitur procedere ab homine iusto, nam exequutio fit ex vi illius volitionis, quæ tempore mandati non erat Deo grata ex defectu gratiæ sanctificantis, & postquam Titius redijt in gratiam, nullam circa talem eleemosynam elicuit volitionem, per quam iudicaretur approbasse eleemosynam; idcirco erogatio eleemosynæ verè censetur non procedere ab homine iusto.

14 *Impugnatur.*

Sed contra vrgeo, licèt Titius post reditum ad gratiam, nullam elicuerit volitionem circa eleemosynam faciendam, nihil aliud ad summum conferri posset, nisi eleemosynam illam non esse meritoriam in ordine ad Titium ex carentia conditionis requisitæ ad meritum, videlicet vsus libertatis pro statu gratiæ: at non potest inferri, actionem illam non esse satisfactoriam, nam, vt opus sit satisfactorium respectu alicuius, non ex postulat libertatem in eo, cui applicatur satisfactio, sed in illo, qui satisfacit, vt rectè animaduertit *Suarez disp. 48. De pœnit. sec. 2. n. 12. & disp. 52. sec. 7. n. 7. & disp. 53. sec. 4. nu. 10. Bonacina De Sacram. disp. 6. quæst. 3. p. 6. n. 2. & quæst. 2. p. 3. nu. 11.* nam ille, in cuius beneficium applicatur suffragium, se habet passiuè, & non actiuè, & modo, quo se habent animæ, quæ in Purgatorio detinentur, & sufficit generalis illa voluntas, qua vnusquisque desiderat à pœnis Purgatorij liberari. dixi, ad summum nihil aliud inferri posse, nisi opus illud non esse meritorium respectu Titij, quia probabile est, esse etiam meritorium ob rationem in sequenti conclusione assignandam.

15 *Dubium est, an idem opus sit pro defunctis satisfactorium.*

Dico quarto. Valde dubiū est, an idem opus, sicuti est satisfactorium pro ipso Titio, sit etiam pro defunctis, vt initio disposuit ipse Titius: casus solet exagitari à quibusdam illum exemplificantibus in legatis, quæ fiunt à testatore tempore, quo manet in statu peccati, & postea redit ad gratiam ante obitum: quærunt autem hi Authores, an legata ista prosint testatori decedenti cum Diuina gratia; casum hunc exagitat *Marchinus De Sacram. Ord. trac. 3. cap. 34. num. 8. & 9.* & partem affirmatiuam concludit, pro qua citat *Gabrielem in 4. d. 8. q. 2. a. 2.* sed Gabriel oppositum docet, vt patet legenti tertiū corollarium post tertiam conclusionem. absolutè eam docet *Antonius Ragucius trac. De statu animarum q. 39. nu. 10.* partem verò negatiuam sustinent alij, *vt Nauarrus in manuali cap. 26. n. 36. Suarez De pœnit. disp. 48. sec. 8. n. 12.* & in ea videtur esse *Bonacina De Sacram. disp. 6. p. 2. nu. 9. & Bartholomæus à S. Faustio lib. 1. De suffrag. q. 30.* quatenus considerant opus, pro vt procedit à voluntate illa, quam habebat agens principale tempore mandati.

16 *Distinguitur duplex dispositio, sub qua reperiri potest agēs principale.*

Vt autem hanc cōtrouersiam dirimamus, aduertendum est, quod agens principale, E. G. Titius in casu nostro, qui præcepit fieri opus, aut in testamento aliqua fecit legata, in duplici statu potest inueniri. primo si rediēs in gratiam cogitat de dispositione ab ipso facta, quod possit, si vellet, eam reuocare, quam tamen non reuocat, & in isto casu puto, opus esse satisfactorium pro illis defunctis, pro quibus Titius opus ipsum applicare voluit tempore dispositionis. ducor ad hoc, quia cognitio illa coniuncta cum libertate ad irritandam dispositionem priùs factam, est quædam interpretatiua, seu virtualis approbatio, & ratihabitio operis faciendi; proinde opus, dum fit, cēsetur procedere ab ista approbatione, seu ratihabitione; atq; adeo nihil videtur deesse ad hoc, vt sit pro mortuis satisfactorium iuxta voluntatem Titij, & posita hac conditione, adhæreo sententiæ affirmanti: & hoc censeo verum, etiam si Titius præter actualem illam cognitionem non eliciat actum aliquem voluntatis positiuè approbatiuum prioris dispositionis, quia puto sufficere interpretatiuam approbationem modo explicato: secundo poterit Titius esse sub alia dispositione, nimirum nihil amplius cogitare de illa dis-

dispositione priùs facta pro defunctis, & tunc cesseo, opus, quod fit vi præcepti dati a Titio, non profuturum defunctis, quia non censetur procedere à caussa principali, nisi ratione illius prioris voluntatis, quam ipse Titius habuit tēpore, quo erat in statu peccati: & ideo opus procedens ab homine, qui Deo non fuerit gratus, nō erit satisfactorium pro mortuis; neque Marchinus contradicit huic nostræ sententiæ, nam licèt priùs videatur concludere oppositum contra *Suarez, & alios*; attamen respondēs *n.* 9. ad obiectionē expressè in fine ponit distinctionem hanc à nobis positam.

SECTIO. IV.

An suffragia, quæ fiunt à ministris improbis nomine Ecclesiæ, prosint defunctis.

17 Prosequitur sermo de suffragijs illis, quorum valor nō est ex opere operato, qualis est ille, qui habetur per sacrificium Missæ, & indulgentias, de quo supra egimus. quærimus ergo, an Sacerdotes, qui publicè recitant Diuina officia nomine totius Ecclesiæ pro mortuis, si inueniantur in statu peccati mortalis, officia illa Diuina sint satisfactoria pro mortuis.

18 Prima sententia es est, quam ponit *Suarez De Pœnit. disp.* 48 *sect.* 8. *nu.* 3. & 4. distinguit enim in oratione impetrationem, & satisfactionem, & quoad impetrationem asserit, per orationem factam à malis ministris nomine Ecclesiæ aliquod impetrari apud Deum, quia ad impetrādum non attenditur conditio illius, qui proximè orat, sed illius, qui est principalis orans, quæ est Ecclesia; attamen quoad vim satisfaciendi negat, orationes factas a malis ministris nomine Ecclesiæ esse satisfactorias, idque probat, quia opus intantum est satisfactorium, inquantum est pœnale; atque adeo quatenus est personale, & proprium illius personæ, quæ patitur per tale opus, sed oratio, quæ nomine Ecclesiæ fit à ministris relata ad ipsā Ecclesiam nequit habere rationem operis pœnalis, igitur etiam relata ad Ecclesiam non erit satisfactoria, cum autem possit esse pœnalis, prout est à persona, à qua procedit, & persona non sit Deo grata, non poterit esse satisfactoria ex opere operantis. procedit vlterius *ipse Suarez* ad dandum discrimen inter impetrationem, & satisfactionem; nam impetratio fundatur in petitione, seu oratione illa, inquantum est significatio voluntatis, & desiderij Ecclesiæ, quæ quatenus est vnū corpus mysticum potest orare, & petere per suos ministros: proinde cum oratio, seu locutio ministri sit quoddam signum, quo mediante Ecclesia repræsentat Deo sua desideria, idcirco locutio illa quamdam sortitur dignitatem, & efficaciam ad impetrandum: cæterum satisfactio cum fundari debeat in illa oratione, vt pœnali, & sub hac formalitate non ad Ecclesiam, sed ad ipsum operantem referatur; idcirco, si in ipso operante non reperiantur conditiones omnes requisitæ ad satisfaciendum, opus illud non poterit esse satisfactorium: & ideo ministris, qui sunt in statu peccati mortalis, cum desit gratia sanctificans, erit defectus præcipuæ cōditionis ad satisfaciendum; proinde oratio, quæ ab ipsis fit, non poterit esse satisfactoria. hæc à Suario colliguntur.

Prima sententia distinguit in oratione impetrationē et satisfactione, & affirmat quoad impetrationē.

Negat quoad satisfactionem.

19 Secunda sententia vult, orationes factas à malis ministris nomine Ecclesiæ esse satisfactorias pro defunctis, & ita sentiunt *S. Thomas in* 4. *d.* 45. *q.* 2. *a.* 1. *quæstiuncula.* 2. vbi quamuis doceat, orationes factas à malis ministris prodesse defunctis; tamen non exprimit, an prosint per modum impetrationis tantùm, an verò per modum satisfactionis. clarè hanc sententiam sequitur *Sotus eadem distin. q.* 2. *ar.* 1. *concl.* 4. *Nauarrus De oratione, & horis can. cap.* 19. *num.* 59. & *cap.* 20. *n.* 39. *Bonacina De Sacram. disp.* 6. *q.* 2. *p.* 2. *num.* 7. *Raguсius De statu animarum q.* 89. *nu.* 12. *Barbosam. à S. Fausto lib.* 1. *De suffrag. q.* 3. *Nuñus in addit. ad* 3. *p. q.* 20. *a.* 4. *in quæst. De satisfactione diff.* 5.

Alij putant, orationes istas esse satisfactorias pro mortuis.

20 Dicendum est cum hac secunda sententia, quam probo, quia valor operis, quod nomine alterius offertur, non est mensurandus per conditionem ipsius operātis; sed per conditionem illius, cuius nomine fit oblatio, V. G. si Rex mittat donum aliquod Pontifici offerendum, valor illius doni non attenditur in ordine ad dignitatem, aut indignitatem personæ, per quam mittitur donum, sed in ordine ad dignitatem mittentis, nempe Regis, cuius nomine donum illud offertur: & hac ratione diximus supra cum cōmuni Doctorum sententia, sacrificium Missæ, etiā si à malo Sacerdote offeratur, prodesse defunctis, quia in persona, & nomine Christi offertur; ita etiam mali ministri exequia mortuorum offerētes, proficua esse poterunt defunctis, quia nomine totius Ecclesiæ Deo offeruntur.

Hæc sententia est probabilior.

21 Ad fundamentum in contrarium respondet *Nuñus* duo asserēs, primo ly inquantum pœnale non reduplicare rationē formalem, sed conditionem requisitā: secundo ait, non esse necessarium, quod respectu illius sit pœnale, respectu cuius habet rationem satisfactionis idcirco op⁹ poterit esse pœnale respectu personę particula-

Satisfit rationi contrariæ.

ticularis, à qua ipsum opus fit, & esse satisfactorium, inquantum ab Ecclesia offertur. cæterum expeditiùs mihi videtur dicendum, opus illud non posse dici pœnale in ordine ad Ecclesiam; nam licèt Ecclesia, quatenus importat corp⁹ quoddam mysticum, verè, & physicè non patiatur, vt totum quoddam est, quia vt sic est vnum corpus fictum, & non reale; nihilominus satis erit, vt in suis partibus, seu membris patiatur; sicuti in corpore vero & reali, dum vna pars corporis patiatur, totū denominatur pati, sic in re hac erit discurrendum, quoniam, & si opus physicè spectatum, vt pœnale, sit op⁹ personale; tamen quatenus fit à persona particulari nomine Ecclesiæ vniuersalis, & exercetur ab illa persona particulari tāquam à ministro Ecclesiæ, censebitur moraliter opus illud fieri à toto corpore Ecclesiæ, inquantum fit ab eo, quod est membrum Ecclesiæ, & vt formaliter tale, quod etiam videtur docere Nuñus, dum quid simile respondet.

CAPVT III.

De conditionibus requisitis ex parte defunctorum, pro quibus suffragia offeruntur.

1 EX multis, quæ desiderantur ex parte illius, pro quo offeruntur suffragia, pauca in hoc capite remanent dicenda, quia sermo non est vniuersalis, nempe pro omnibus illis, pro quibus fiunt suffragia, sed solùm pro defunctis, qui reperiuntur in Purgatorio, atq; adeo in ipsis supponuntur aliquæ ex conditionibus, quæ desiderantur ex parte illius, in cuius beneficium suffragia offeruntur; supponitur autem in his animab⁹ status viatoris, sicuti sunt fideles in hac vita, tamen cum adhuc non sint totaliter in termino, censentur esse in via quoad multa, supponitur etiam gratia sanctificans, & præterea capacitas, adhoc vt pro eisdem offerri valeant suffragia, quoniam remanet in illis adhuc reatus pœnæ temporalis; idcirco suppositis his conditionibus, solùm superest nobis inquirendum, an requiratur character, seu Sacramentum Baptismi.

†

SECTIO I.

An suffragia particularia ex opere operantis prosint Catechumenis defunctis.

PRoponimus quæsitum exagitandum in Catechumenis, nimirum in illis, 2
qui mysteria fidei credunt, Baptismum desiderant, & petunt, & dum instruūtur, antequam tale recipiant Sacramentum, ex hac vita decedunt: de his autem multa determinauimus *in par. 1. huius operis tract. 2. c. 3. sec. 1. & in fine secundi paragraphi*. controuersiam autē illam, nempe an indulgentiarum per modum suffragij sint capaces, in hūc locum distulimus: aliqua etiam remissiuè diximus *p. 2. tract. 4. cap. 4. sect. 3. nu. 27.* quapropter ex conditionibus requisitis in animabus Purgatorij ad fructum suffragiorum percipiendum vna nobis superest enucleanda; videlicet an desideretur signaculum Baptismi: & hæc est ratio, quare proponimus quæsitum controuertēdum in Catechumenis, quoniam ipsis in Purgatorio detentis sola hæc conditio deesse videtur: & ideo quærimus, an sit adeo necessaria, vt absque illa animæ Catechumenorum sint incapaces suffragiorum; & quod dicemus de Catechumenis, idem erit intelligendum de alijs Iudæis, aut Gentilibus, qui derelinquentes infidelitatem fide Diuina credunt mysteria, quæ nos Catholici firmiter credimus, & nequeunt propriè appellari Catechumeni, quia adhuc non sunt in rebus fidei instructi; & hoc ob aliquod impedimentum, eadem enim est ratio de his, ac de Catechumenis, idcirco sub hoc nomine in præsentia omnes fideles non baptizatos, qui sunt in Purgatorio, comprehendimus. his positis exordium sumimus à certioribus; proinde priùs examinabimus, an suffragia particularia, scilicet ea, quæ fiunt à personis priuatis, & non nomine totius Ecclesiæ, & quorum valor dicitur esse solùm ex opere operantis, proficiant ad remissionem pœnarum Catechumenis in Purgatorio manentibus, si pro illis Deo offeruntur.

Dicendum est, opera pia, quæ fiunt pro 3
Catechumenis, & quorum valor proximè desumitur per ordinē ad dispositionem ipsius operantis, certum est Cathecumenis, qui in Purgatorio existunt, prodesse. ita docet *Suarez tom. 4. De pœnit. disp. 48. sect. 6. nu. 9. Vasquez tom. 3. in 3. p. disp. 227. cap. 4. in fine. Gaspar Hurtado De sacrificio Missæ disp. 2. diffic. 5. in fine. Cardinalis de Lugo disp. 26. De pœnit. sect. 2. nu. 18. Bartholomaeus a S. Fausto lib. 2. De Sacr. indulg. quæst. 80.* ratio autem pro conclusione

Suffragia prosunt animabus Catechumenorum ex opere operantis.

Probatur.

sione est, quia, adhoc vt Catechumenis defunctis vtiliter applicari valeant suffragia priuata, satis est, esse nobiscum coniunctos per fidem, & charitatem, & indigere fructu nostrorum suffragiorum, sicuti ritè animaduertit *Suarez loco cit.* ratione autem huius vnionis in lege veteri suffragia viuorum communicari poterant defunctis, vt colligitur *ex lib. 2. Machab. cap. 12.* confirmatur, quia nunc in lege Euägelica vnus Catechumenus potest velpro alio Catechumeno, vel pro baptizato defuncto suffragia offerre; ergo multò magis id facere poterit baptizatus pro defuncto Catechumeno, & nullum in hoc apparet impedimentum, aut ratio in contrarium. maneat igitur tamquam certum, suffragia particularia ex opere operãtis vtilia esse Catechumenis in Purgatorio detẽtis: & ideo de hoc neminem vidi dubitantem. dubitatio autem esset de suffragijs, quorum valor, & fructus est ex opere operato, inter quæ primum locum sacrificio incruento dabimus.

SECTIO II.

An sacrificium Missæ vtiliter offeratur pro defunctis Catechumenis.

4 *Prima est negatiua.* TRes inuenio sentẽtias circa præsens quæsitum. prima negat, Missam offerri posse pro Catechumenis defunctis. pro hac opinione *Antoni⁹ Ricciullus*, laudat *S. Antoninum, & Turrecrematam*, sed neuter de re hac sermonem habet: at eã expressè docet *Suarez disp. 48. De pœnit. sect. 6. nu. 9. & tom. 3. De sacrificio Missæ disp. 76. sect. 10. initio. Vasquez in 3. par. to. 3. disp. 227. cap. 3. de Lugo De Sacram. Euchar. disp. 19. sect. 10. & De pœnit. disp. 26. sect. 2. nu. 18. Gaspar Hurtado De sacrificio Missæ disp. 2. diffic. 5. in fine, Ioãnes Praepositus in 3. par. quæst. 83. a. 1. dub. 12. concl. 2. Layman lib. 5. tract. 5. cap. 2. nu. 8.*

5 *Alia affirmat.* Secũda opinio directè posita vult, pro Catechumenis mortuis applicari posse sacrificium Missæ. sic *Bartholom. à S. Fausto lib. 2. De sacr. indulg. q. 80.*

6 *Alii cum distinctione incedunt.* Tertia sententia ponitur *à Ioanne Baptista Scortia De sacrificio Missæ cap. 2. n. 5.* qui distinguit duo Catechumenorum genera, quorum alij sunt, qui audiunt Catechismum, sed Baptismum non petunt, & hi retinentes nomen commune appellantur Catechumeni; alij verò non solùm instruuntur, sed etiam desiderant, & petunt Baptismum, & vocantur Competẽtes: de hoc duplici Catechumenorum genere egimus *par. 1.*

His autem positis, vult Scortia, Catechumenis primi generis nõ prodesse hoc sacrificium per modum satisfactionis; prodesse tamen Catechumenis secundi generis. in eadem sententia loquendo de possibili est *Philippus Gammachaus in summa theologica tom. 3. disp. De indulgent. cap. 10. concl. 3.*

Dicendum est, longè probabiliorem esse primam opinionem negatiuã, quam probo primo *ex Concilio Bracarensi c. 1. n. 35.* cuius verba sunt hæc, *Item, placuit, vt Catechumenis sine redẽptione Baptismi defunctis simili modo, neque oblationis sanctæ commemoratio, neque psallendi impendatur officium, nam & hoc per ignorantiã vsurpatũ est.* verba autem ista Concilij magnum præstant robur nostræ cõclusioni, si enim sacrificium altaris esset pro Catechumenis satisfactorium, nulla foret ratio, ob quam Concilium prohiberet illud offerre pro ipsis Catechumenis. 7 *Defenditur prima opinio.*

Probatur secundo auctoritate, & primo loco adduco *S. Chrysostomum in morali digressione sermonis tertij in Epistol. ad Philippenses c. 1.* vbi expressè asserit, per sacrificium Missæ non adiuuari Catechumenos: rursus *S. Augustinus De anima, & eius origine lib. 1. cap. 9.* docet, sacrificium non offerri, nisi pro membris Christi: postea declarans, quæ sint membra Christi, inquit, *nemo fit membrum Christi, nisi aut baptismate in Christo, aut morte pro Christo.* 8 *Suadetur.*

Neque valet interpretatio, quam dat Scortia ad hunc locum S. Chrysostomi dicens, sermonem esse de Catechumenis, non autem de Competẽtibus: non valet, inquam, quia talis distinctio Catechumenorum nõ habet locum in verbis S. Chrisostomi, quia ipse vniuersaliter loquitur de illis omnibus, qui cum fide, & charitate ex hac vita migrarunt. patet, quia loquitur de illis, qui eleemosynis adiuuari possunt, hi autem sunt illi, qui in Purgatorio existunt, neq; enim possunt esse hi, qui sunt in inferno, hi enim sunt incapaces suffragiorum, neque esse possũt Beati, qui non indigent suffragijs igitur cum S. Chrisostomus dicat, posse eleemosynis adiuuari, necessariò loqui debet de Catechumenis in Purgatorio existẽtibus. deniq; eamdem etiam sententiam defendit *S. Thomas 3. p. q. 19. a. 7. ad secundum.* 9 *Reijciuntur contraria.*

Probatur tertio ratione, cui innituntur Authores huius nostræ sententiæ, quam rectè explicant *Suarez, & de Lugo locis citatis*, sic autem formo argumentum. sacrificium Missæ, vt satisfactorium, seu vt remissiuum pœnæ temporalis ex opere operato est institutum pro membris tantùm Ecclesiæ, quatenus mediante Sacramento Baptismi constituunt vnum corpus mysticum visibile; ergo non potest offerri 10 *Suadetur ratione.*

ferri

feri, vt satisfactorium, pro defunctis Catechumenis; consequentia est certa, quia Catechumeni nunquam fuerunt mẽbra Ecclesiæ, vt visibilis; fiunt enim tales mediante signaculo visibilis Sacramenti: difficultas autem residet in antecedẽte, quod sic probatur à paritate Sacramentorum, quæ sub signis visibilibus instituta pertinent ad Ecclesiam, vt visibilem, nam medijs talibus Sacramentis fideles regenerantur, & nutriuntur in Ecclesia; atque adeo Sacrameta sunt instituta pro ipsis fidelibus constantibus Ecclesiam, vt visibilem: ita à pari sacrificium visibile debuit institui pro eisdẽ fidelibus, vt membris constantibus eamdem Ecclesiam, vt visibilem.

11 *Instantia.* Dices, per hanc rationem nimium à nobis probari, sequeretur enim, sacrificium Missæ nõ prodesse defunctis baptizatis, quia, vt supradiximus, actu non sunt membra visibilia Ecclesiæ militantis.

Diluitur. Respondeo, satis esse, vt fideles baptizati, qui sunt in Purgatorio, fuerint membra visibilia Ecclesiæ, & post mortem retineant characterem Baptismi: & ideo speciali quadam ratione spectant ad Ecclesiam comparatiuè ad fideles non baptizatos.

12 *Obiectio.* Obijcies primo *cap. Apostolicam de presbytero non baptizato*; ibi enim refertur petitio facta ab Episcopo Cremonẽsi, per quam postulabat ab Innocentio III. Summo Pontifice, an debuissent offerri preces, & hostię pro quodam presbytero, qui ex hac vita decessit sine Baptismo, putans tamen se fuisse baptizatum. Pontifex autem respondens iussit, esse offerẽdas preces, & hostias pro illo; ergo iuxta hanc Põtificis intentionem debemus asserere, pro Catechumenis sacrificia esse offerenda, per hostias enim ibi sacrificia intelliguntur.

Solutio Vasquez. Respondet *Vasquez* ad hunc textum, ideo à Pontifice id iussum fuisse, quia dubium erat, an presbyter ille fuerit baptizatus.

13 *Refutatur.* Contra est, quia falsum est, fuisse tale dubium, vt patet ex ipsomet textu, & addo, à Pontifice non fuisse pro ratione assignatum dubium de Baptismo recepto, sed Patrum doctrinam; videlicèt potuisse presbyterum illum saluari absque actuali receptione Baptismi. omissa igitur hac responsione tradita à *Vasquez*, aio, sacrificia offerri potuisse pro illo presbytero

Ponitur vera solutio. tamquam impetratoria, & non vt satisfactoria, & consequenter potuisse à Pontifice præcipi oblationem hostiarum; posse autem pro Catechumenis sacrificium Missæ offerri, vt impetratorium, discutiemus sequẽte sectione. sic testatur *Alcuinus De Diuinis officijs cap. De celebrat. Miss. & Ioannes Stephanus Durandus De ritibus Eccles. lib. 2. cap. 1.*

Obijcies secundo. Ex multis textibus canonicis, & ex Patribus habemus, antiquitus fuisse Ecclesiæ morem celebrare Missam pro Catechumenis; ergo hoc sacrificium offerri poterit pro illis iam defunctis. 14 *Obiectio.*

Respõdeo, Missam Catechumenorum non fuisse Missam distinctam à Missa ordinaria fidelium baptizatorũ, sed partem illius; videlicet à principio vsque ad offertorium, peracto autem Euangelio Catechumeni foras mittebantur; nego igitur, in Ecclesia fuisse cõsuetudinem celebrãdi pro Catechumenis Missas includentes consecrationem, & eas pro defunctis Catechumenis offerendi. *Responsio.*

SECTIO III.

An sacrificium, vt impetratorium, prosit Catechumenis defunctis.

NEgat *Vasquez tom. 3. in 3. p. disp. 227. cap. 3.* siue Catechumenus sit mortus, siue viuat. sed partem affirmatiuam censeo esse recipiendam. conclusio est communis apud alios, & nõ solùm defenditur ab ijs, qui vim satisfactoriam agnoscunt in hoc sacrificio pro defunctis Catechumenis, verum etiam apud eos, qui talem vim non admittentes, tamen concedunt vim impetratoriam: & ita sustinet *Suarez tom. 3. in 3. p. sectione illa 10. superiùs citata, Præpositus in 3. par. q. 83. ar. 1. dub. 12. conclus. 5. Layman lib. 5. tract. 5. cap. 2. num. 8. & Cardinalis de Lugo De Sacram. Euchar. disp. 19. sect. 10. nu. 173.* 15 *Sententia negans. Amplectitur affirmans.*

Probatur conclusio varijs argumentis, & primo ex vsu Ecclesiæ, quæ pro Catechumenis consueuit in Missa orare, vt aliqui Patres, quos citat *Vasquez disp. citata cap. 2.* clarè testantur, & patet etiam ex libro, qui inscribitur *Ordo Romanus cap. 20.* cuius titulus est, *incipit ordo, vel denuntiatio scrutinij ad electos,* quem librum pro cõfirmatione nostræ sententiæ citat *Cardinalis de Lugo nu. 174.* in canone autẽ illius Missæ sunt preces, per quas Deus oratur pro his, qui erant baptizãdi; si igitur hoc sacrificium prodest ad impetrandum pro Catechumenis viuentibus, profuturum etiam erit eodem modo ad aliquid impetrandum pro Catechumenis defunctis: in hoc enim eadem est ratio de viuentibus, & mortuis. 16 *Probatur auctoritati.*

Ad has auctoritates varias interpretationes conatur dare *Vasquez cap. 3. eiusdẽ disputationis,* ait enim *n. 19.* quod licèt Ecclesia antiquitus consueuerit in Missarũ 17 *Responsio Vasquez.*

sol-

solemnijs pro Catechumenis orare; tamẽ non legimus consueuisse pro illis sacrificium offerre; sicuti nunc in die Parasceue orat pro illis, & nullum sacrificium offert, quia ea die non offertur sacrificium.

18 *Impugnatur.* Sed contra est, quia licèt Ecclesia in actu signato non offerat pro Catechumenis; tamen id facit in actu exercito, vt benè aduertit Cardinalis de Lugo, quoniam Ecclesia, dum vult aliquod à Deo obtinere, orat pro impetratione illius: & sic orãs offert Deo preces illas; ita, cum in sacrificio Missæ orat pro Catechumenis, offert in actu exercito sacrificium pro impetratione.

Alia responsio eiusdem Authoris. Respondet secundo Vasquez, si Ecclesia intendisset offerre sacrificium pro Catechumenis, non debuisset illos eijcere, ne præsentes fuissent illi sacrificio, quod pro ipsis offerebatur.

19 *Confutatur.* At hæc responsio facilè cõfutatur, nam cum populus astans sacrificio faciat vnũ cum sacerdote celebrante, per illum offert idem sacrificium: hoc autem conuenire nequit, nisi ijs, qui sunt Ecclesiæ membra mediante Baptismo; idcirco nõ erat decens esse præsentes eos, qui offerre non poterant. sed vlterius dicit Vasquez, *Refertur alia Vasquez responsio.* Catechumenos, qui eo tempore ad Sacramentũ Baptismi eligebantur, fuisse infantes, & non adultos, quia nulla fit mentio de adultis, sed tantum de infantibus, vbi egredi iubentur Catechumeni: at infantes per alios nõ offerebãt; ac proinde Ecclesia directè offerebat pro adultis baptizatis, qui infantes adducebant; indirectè verò aliqua redundabat vtilitas in ipsos infantes Catechumenos; sicuti etiam infidelibus hoc modo indirectè prodesse potest hoc sacrificium, directè autem paruulis prodesse non poterat, neq; ad remissionem pœnæ, quia non erant capaces satisfactionis, neq; quoad illuminationes, seu inspirationes dandas vi huius sacrificij, nam horum omnium incapaces erant. sic discurrit Vasquez.

20 *Reijcitur.* Contra est, quia in verbis illius orationis loquitur de ipsis baptizandis, ergo de ipsis, & non de eorum parentibus erat sermo, & quamuis infantes non sint capaces satisfactionis, illuminationum, inspirationum, &c. tamen poterat Ecclesia in Missa pro illis orare, vt Deus illos protegeret, vt de facto hanc protectionem petit in oratione post communionem.

21 *Instantia.* Dices cum eodem Vasquez, Ecclesiam voluisse sequi opinionem probabilem, quæ asserit, pro non baptizatis licitè, & vtiliter offerri hoc sacrificium: *Impugnatur* sed hoc maximè fauet nostræ sententiæ, quam ita probabilem existimauit Ecclesia, vt eam sequi voluerit. probatur *Franc. Bardi in Bull. Cruc.* autem cõclusio ratione, quia nulla apparet ratio, quare non possit sacrificium Missæ offerri ad impetrandum; possumus enim petere à Deo quamcumque rem honestam, & non solùm pro nobis, sed etiã pro alijs tum baptizatis, tum nõ baptizatis; imo pro rebus inanimatis; sicuti de facto sæpè offerimus sacrificia pro obtinendis rebus temporalibus; sic multo magis offerre possumus pro impetranda salute proximorum. *Ratio pro conclusione.*

Et si quæras, cur possumus offerre pro non baptizatis hoc sacrificium, vt impetratorium, & non vt satisfactorium. 22 *Quæsitum.*

Respondeo rationem fuisse à nobis superiùs tactam. dico igitur prouenire ex eo quod impetratio non respicit immediatè personam, pro qua intendimus, & impetrari desideramus, sed personam, à qua postulatur, & in casu nostro est misericordia, & Diuina liberalitas: at satisfactio immediatè respicit personam, quæ debet satisfacere; idcirco in eius dignitate, & indigentia fundatur. *Responsio.*

Obijcies Concilium illud Bracar. cuius supra meminimus *num. 35.* in quo absolutè prohibetur sacrificium offerri pro non baptizatis; si autem posset offerri, vt impetratorium, non prohibuisset Concilium absolutè oblationem, sed cum limitatione, scilicet, vt satisfactorium. 23 *Obiectio ex Concilio Bracarensi.*

Respondeo, in eo loco nõ solum à Cõcilio prohiberi sacrificium, sed permitti, offerri preces, & psalmos publicè recitatos, & tamen Vasquez asserit, posse in Missa pro Catechumenis orari, dummodo sacrificium pro illis non offeratur. respondeo igitur ad obiectionem, interdictam in eo textu fuisse oblationem & sacrificij, & precum; nõ quia Catechumeni sint incapaces ad participandum fructum sacrificij, & orationum: at Concilium voluit id prohibere in pœnam negligentiæ ad Baptismum recipiendum, & vt alij sint diligentiores ad illum recipiendum, antequam morte præuenti his priuentur suffragijs, vt notauit *Sixtus Senensis tom. 6. Bibliot. Annotat. 331.* *Explicatur Concilium.*

Obijci possunt secundo *Chrysostom. & Aug. locis superiùs à nobis adductis*, qui, vt nos ostendimus, negant, pro Catechumenis offerri posse sacrificium. 24 *Obiectio ex Patribus.*

Respondeo, Patres prædictos exponi posse, ipsos loqui de sacrificio, prout est expiatorium, & ex opere operato, non autem loqui de illo, quatenus est impetratorium. sic explicat *Suarez* hos Patres *tom. 3. disp. 79. sect. 10. initio, & Cardinalis de Lugo sec. cit. n. 181.* *Opinio Suarez.*

Bbbb SE-

SECTIO IV.

An preces, quæ nomine Ecclesiæ fiunt, vtiliter Catechumenis defunctis applicentur.

25 IN prima sectione huius capitis statuimus cum communi Doctorum sententia, suffragia priuata posse applicari in satisfactionem, & remissionem pœnæ temporalis pro Catechumenis, qui sunt in Purgatorio, nunc verò remanet inquirendum, an preces, quæ à ministris publicis nomine ipsius Ecclesiæ funduntur, possint, sicuti priuatæ preces fieri pro defunctis Catechumenis.

26 Circa præsens quæsitum vario modo loquuntur Authores; proinde negari non potest, rem esse dubiam, & nobis incertam, ad hanc autem dubitationem respondet *Suarez disp. 48. De pœnit. sec. 6. nu. 9.* id dependere ex intentione Ecclesiæ, & addit non repugnare, huiusmodi suffragia posse ab Ecclesia offerri pro Catechumenis mortuis, & loquendo de facto, inquit, regulariter non videri talem esse Ecclesiæ intentionem, quoniam, cum sit corpus mysticum visibile, orat tantùm pro membris suis, quæ sunt per Sacramentum visibile sibi coniuncta; & hoc confirmat ex prædicto Concilio Bracarensi, in quo non solùm oblationes, sed etiam officium psallendi prohibet, ne offeratur pro Catechumenis.

Opinio Suarez.

27 Ceterum *Vasquez tom. 3. disp. 227. cap. 3. num. 18* oppositum existimat; vult enim orationes publicas factas nomine Ecclesiæ pro Catechumenis esse illis vtiles, & ponit discrimen inter Sacramenta, & has orationes quoad Baptismi suppositionē; nā & si Christus Dominus instituerit Baptismum, vt ianuam Sacramentorum; tamen non instituit illum, vt ianuam orationis; & ideo voluit fructum orationis orantibus esse communem. sic *ex Vasquez*, cuius sententiæ adhæret *Prepositus dubio illo 12. concl. 4.*

Alia opinio Vasquez.

28 Dicendum igitur censeo absq; dubio, vtiliter, & licitè posse ab Ecclesia preces istas, quæ suo nomine publicè recitantur, offerri pro Catechumenis tum viuentibus, tum mortuis; & hoc confirmat praxis Ecclesiæ in die Parasceue conuenienter, & piè orantis pro ipsis Catechumenis, & quoad hoc adhæreo opinioni *P. Vasquez*, cui non contradicit *Suarez*, nam apertè fatetur, id fieri posse ab Ecclesia.

Laudabiliter ab Ecclesia pro Catechumenis preces offeruntur.

29 Dicendum est secundo. De facto, & ordinariè non solet Ecclesia orare pro Catechumenis defunctis; idcirco, dum in sancto sacrificio orat pro illis, qui ex hac vita recesserunt, ait, *memento Domine famulorum, famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei &c.* per signum fidei character Baptismi intelligitur: & sic hunc locum declarat *Florus magister in expositione Missæ*, & extat *tom. 6. Biblioth. Patrum, & in eodem tomo Remigius Episcopus Altissiodorensis in expositione De celebratione Missæ, & Alcuinus De Diuinis officijs cap. De celebrat. Missæ*: si igitur Ecclesia ordinariè vellet orare pro defunctis Catechumenis, sanè id faceret in sacrificio, cum orat pro defunctis fidelibus, & tamen non orat, nisi pro illis defunctis, qui cum signaculo Baptismi mortui sunt. ex quo colligimus, nō solere pro Catechumenis mortuis orare.

Quamuis id non sit essuetum.

SECTIO V.

An pro Catechumenis in Purgatorio detentis applicari valeant indulgentiæ, atque adeo hæ, quæ per Cruciatam conceduntur.

SVmmus Pontifex volens paternæ pietatis viscera non solùm in eos, qui inter mortales cōmorātur; verum etiam in defunctos, qui pœnis Purgatorij cruciantur, liberaliter aperire, concedit in paragrapho quinto huius Diplomatis, vt fideles, qui vel eunt ad bellum cōtra christianæ Religionis hostes, vel ad illud milites mittunt, aut eleemosynam à Cōmissario taxatam in subsidium Cruciatæ erogant, vt possint pro defunctis per modum suffragij applicare eam indulgentiam, quam lucrantur proficiscentes ad recuperationem Terræ Sāctæ, & quæ in anno iubilæi dari consueuit, atque adeo plenissima. verba Pontificis hæc sunt, *Item, eadem indulgentia suffragabitur per modum suffragij etiam animabus defunctorum, pro quibus in huiusmodi subsidium proficisci, vel milites mitti contigerit; aut pro quibus non euntes, nec mittentes de bonis suis iuxta taxam per Commissarium, personarum qualitate inspecta, faciendam pro Religionis defensione contulerit.* 30

Summus Pontifex concedit accipientibus Bullam, vt valeant pro defunctis indulgentiam applicare.

Vt autem decidamus, an Bulla hæc, quoad effectum huius indulgentiæ, prosit Catechumenis, qui in Purgatorio inueniuntur, oportet, vt decisionem colligamus ex determinatione vniuersalioris controuersiæ, videlicet, an Catechumeni defuncti sint capaces indulgentiæ per modum suffragij; restringo autem cōtrouersiam ad defunctos: nam quoad Catechumenos viuētes iam negatiuam sententiam statuimus *p. 1. trac. 2. c. 4 in fine. §. secūdi primæ sect.* & in hunc locū remisimus decisionem in ordine ad Catechumenos mortuos. de hac re duæ extāt opiniones. 31

Pri-

32 *Refertur opinio affirmās.*

Prima est affirmatiua, quam sequitur *Henriquez lib. 7. cap. 18. num. 5. Nauarrus De iubilæo Notab. 31. in fine*, vbi expressè de Catechumenis mortuis loquitur, & in Purgatorio existentibus: eamdem doctrinam vniuersaliter de eisdem abstrahendo à viuentibus, & defunctis tradit *Notab. 32. num. 10.* in eadem sententia est *Rutilius Benzonius De iubil. & lib. 5. cap. 15. dub. 28. asser. 6. & alij*, quos laudat, & sequitur *Pater Diana par. 5. trac. 12. resol. 9. Bartholomæus à S. Fausto lib. 2. De Sacr. indulg. quæst. 80. & alij.*

33 *Sententia negatiua.*

Secunda sententia negat, & hanc tuetur *Suarez De Pœnit. disp. 53. sec. 9. num. 8. & Ioannes Præpositus in 3. p. quæst. 14. De indulg. dub. 3 num. 28. & Conin. De Sacram. disp. 12. De indulg. dub. 7. initio*, vniuersaliter concludens tamquam conditionem necessariam, vt qui lucrari debet indulgentias, sit baptizatus. in ea est *Ricciullus De iure personarum lib. 3. cap. 6.* in quo ponens tres conclusiones, in prima, inquit, Catechumenos esse incapaces indulgentiæ per modum absolutionis, quia indulgentia sub tali forma, cum sit per modum potestatis iudiciariæ, solùm locum habet in subditis; in Catechumenos autē Ecclesia talem potestatem non habet, vt nos supra etiam asseruimus: in secunda cōclusione docet, indulgentiam per modū suffragij posse ab Ecclesia concedi Catechumenis, si in charitate defuncti sunt: in tertia denique conclusione ait, consuetudinem esse receptam, vt indulgentiæ etiam per modum suffragij cōcedantur, dumtaxat ijs fidelibus, qui cum Baptismo mortui sunt.

34 Hæ sunt opiniones, quas inuenire potui de re hac, quæ nobis est valdè occulta, & vtraque opinio probabiliter potest sustineri, vt patet discurrendo per varia fundamenta, quibus vtrinsque sententiæ Authores innituntur; ex vna enim parte non videtur ita pium excludere à beneficio indulgentiarum Catechumenos, qui absque culpa ex hac vita migrarūt sine Baptismo, & quem magno affectu recipere cupiebant. neque videtur ad hoc obstare, eos, dum viuebant, nō fuisse Ecclesiæ subiectos; quia subiectio ista non videtur adeo necessaria, vt ob eius defectum excludendi sint à participatione thesauri Sanctæ Ecclesiæ, nam fideles baptizati, qui in Purgatorio existunt, neque sunt subditi Pontifici, & Ecclesiæ militanti: esse autem necessarium, præcessisse saltem relationem talis subiectionis, videtur gratis assertum, si tempore, quo indulgentia lucrifieri debet, non est necessaria subiectio. addo, quod in multis Catechumeni viuentes sunt Ecclesiæ subiecti, vt probat *Nauarrus notab. illo 31.* demum id suaderi potest ex eo quod Catechumenos, certum est, esse capaces suffragij, vt supra ostendimus: proinde si reponantur in statu gratiæ, & charitatis, nihil illis deesse videtur, quin indulgentias per modum suffragij lucrentur.

Rationes pro affirmatiua.

35 *Fundamentū negatiuæ opinionis.*

Ex alia verò parte non videtur id esse concedendum, nam sicuti ipsi Catechumeni non sunt capaces fructus sacrificij ex opere operato, vt communior Theologorum, & Patrum sententia affirmat, & praxis Ecclesiæ ostendit, ita colligere possumus, ad hoc vt aliquis sit capax effectus ex opere operato, prærequiri receptionem realem Baptismi, atque adeo ante receptum Baptismum neminem capacem esse effectus ex opere operato, quamuis sit in statu gratiæ, & charitatis; si enim capax esset, nulla appareret sufficiens ratio, cur excluderetur à fructu sacrificij: & ideo deducere possumus, quod sicuti fructus sacrificij ex opere operato, etiam per modum suffragij, restrictus est ad solos defunctos baptizatos; ita etiam fructus clauium circa indulgentias per modum suffragij concessas. hæ, aut similes rationes, per quas vtraque opinio à suis Sectatoribus defenditur, reddunt valdè ancipitem huius controuersiæ resolutionem; attamen in re adeo nobis obscura

36 *Hæc secunda sententia, vt probabilior, defenditur.*

Dicendum est primò, probabiliorem videri hanc secundam opinionem, cuius fundamenta sunt solidiora: & ideo assero, indulgentias concessas, etiam per modū suffragij, non prodesse animabus Catechumenorū. ducor præcipuè ad hoc asserendum argumento desumpto ex paritate sacrificij, cuius valor ex opere operato, vt vult communis opinio, non extēditur ad Catechumenos siue viuos, siue mortuos: & ideo idem dicendum videtur de valore indulgentiarum, quia etiam est ex opere operato.

37 *Nequit Bulla defunctorū vtiliter sumi pro Catechumenis defunctis.*

Dicendum est secundo directè respondendo ad quæsitum principale, non posse Bullam defunctorum vtiliter sumi pro defunctis Catechumenis, vt ea mediante lucrentur indulgentias. conclusio ista sequitur necessariò ex veritate præcedentis conclusionis, & in ea fundatur.

38 *Soluūtur rationes pro prima opinione.*

Ad fundamenta autem prioris opinionis nō erit difficile respondere: & ad primum aio, quod licèt sit magis pium asserere, Catechumenos capaces esse fructus indulgentiarum; tamen contrarium videtur verius, & efficacioribus rationibus munitum. neq; mirum esse debet, si Catechumeni, qui desiderarūt Baptismum, & pro illis non stetit, eum recipere, priuentur beneficio indulgentiarum; quia thesaurus Ecclesiæ, ex quo Pontifex su-

mit indulgentias, videtur relictus solùm illis, qui sūt Christiani, & membra Christi Domini effecta mediante Baptismo.

39 Ad illud verò, quod dicitur, nō obstare defectum subiectionis præcessisse, respondeo maximè impedire hunc effectum, quia licèt fideles baptizati in Purgatorio manentes actu careant subiectione ad Pontificem, & non sint membra visibilia Ecclesiæ; nihilominus thesaurus in bonū ipsorum, siue sint viuentes, siue mortui, relictus fuit ob rationem assignatam; idcirco non est eadem paritas inter fideles baptizatos, & inter Catechumenos.

40 Ad vltimum dico, Catechumenos, quāuis sint capaces suffragij; non tamen esse cuiuscumq; suffragij, sed solum eorum, quorum valor est ex opere operantis, & non ex opere operato, vt probauimus supra; idcirco non sufficit, Catechumenos inueniri in statu gratiæ, nisi per Baptismū ingrediantur in Ecclesiam, & actu fiant eius membra visibilia. & hæc probabiliter dicta sint; nam oppositum probabilitate non caret.

SECTIO VI.

In cuius vtilitatem cedit satisfactio, si offeratur pro aliquo defuncto incapaci.

41 *Declaratur casus.* CAsus sæpè contingere potest, nam interdum à viuentibus offeruntur suffragia pro anima alicuius, quæ sit incapax satisfactionis, vel quia est damnata, vel quia est in Cœlis beata nullum habens debitum satisfaciendi; in hoc autem casu quæri posset, in cuius beneficium cadunt suffragia, quæ fiunt à fidelibus pro tali anima.

42 *Opinio Suarez.* Existimauit *P. Suarez tom. 4. De pœnit. disp. 48. sect. 8. num. 16. in fine*, suffragia illa reponi in thesauro Ecclesiæ. alij verò dicunt, applicari pro Dei arbitrio, & voluntate alijs animabus in Purgatorio existentibus, & indigentibus suffragio. sic refert Suarez ex quorumdam opinione: *at Bartholomæus à S. Fausto lib. 1. De suffrag. quæst. 34.* putat prodesse ipsimet offerenti, & addit, quod si ipse non indigeat, vel nullo modo per virtualem intentionem sibi ipsi applicet suffragia illa; tunc in hoc casu adhæret sententiæ Suarez, scilicet reponi in thesauro Ecclesiæ, ibique reseruari distribuenda postea à Summo Pōtifice, vel ab alijs Prælatis talē habentibus potestatem medijs indulgentijs.

43 *Sententia Lanorij.* Demum est opinio, quam ponit *Lanorius De indulgent. par. 2. cap. 30. nu. 140.* qui vult, prædicta suffragia cedere in vtilitatem eorum, quibus ipsemet offerens sinè expresè, siue tacite in genere, aut specie intendit suffragari, proinde subdit, satis esse, vt illa applicet in tali casu sibi coiūnctis, vel magis indigētibus; si verò nullo modo ea applicabit, tunc, inquit Lanorius, ea suffragia dispēsābuntur à Deo alijs indigentibus.

Ex his autem opinionibus colligo, quod dum fideles varia pro defunctis in particulari offerunt suffragia, si anima illius, pro quo offeruntur, sit incapax fructus suffragiorum modo, quo supra explicauimus, tunc ea cedunt in beneficium vel ipsius suffragantis, vel eorum, pro quibus saltem virtuali intentione ea vult applicare: si autem nulla habeatur virtualis intentio, latet nos in cuius vtilitatem redundat fructus suffragiorum; probabile enim est, reponi in thesauro, vt vult *Suarez*, erit tamen in hac re optimum consilium applicare suffragia ista sub conditione, vt fructus cedat in proprium commodum ipsius offerentis, vel alicui alteri personæ ex sibi coniūnctis, casu quo anima illa, pro qua fiunt, non sit capax satisfactionis. 44 *Si defunctus est incapax, suffragia cedunt in vtilitatem offerentis, vel alteri, pro quo applicantur.*

SECTIO VII.

An suffragia, quæ fiunt pro vno defuncto, prosint etiam alijs.

DIcendum est primo. Circa suffragia, quæ pro omnibus defunctis in communi applicantur, æqualiter omnes animæ percipiunt prædictorum suffragiorum fructum: & ideo quo plures sunt animæ, inter quas suffragia ipsa distribuuntur, eo minor erit fructus, quem vnaquæq; anima lucrabitur. sic *Ragucius quæst. illa 39. De statu animarum n. 4. & 6.* & ratio est manifesta, quia cum suffragia ista, quæ animabus defunctorum applicari solent, sint finiti valoris, idcirco quo plures erunt animæ, inter quas pro rata diuidendus est valor, eò minor erit pro singulis vtilitas. 45 *Suffragia, quæ pro defunctis in communi fiunt, æqualiter participantur.*

Dicendum est secundo. Suffragia, quæ offeruntur pro aliquo defuncto in particulari, directè, & de condigno nō prosunt alijs. sic *Suar. De pœnit. disp. 48. sect. 8. n. 23.* & id habetur ex *S. Thoma in 4. dist. 45. q. 2. a. 4. quæstiūcula 1.* & ex alijs antiquioribus Scholasticis, quos ibidem laudat Suarez, id enim defendit *Bellarm. nouissimè loco infra citando, & Cardinalis de Lugo disp. 26. De pœnit. sect. 2. num. 18. in fine*, & probatur, quia suffragia sub hac ratione cum dependeant ab intentione offerētis; 46 *Si applicātur pro aliquo in particulari directè, & de condigno non prosunt,*

idcirco

idcirco, si intentio offerentis est applicare satisfactionem talis suffragij pro defuncto determinato, & non pro alijs, nõ poterit suffragium quoad valorem in plures defunctos se extendere; vt sic enim esset contra intentionẽ offerentis.comparatio autem illa, per quam *Præpositiuus*, quem citat *S. Thomas*, comparat suffragium lucernæ, quæ si ab aliquo offeratur ex intẽtione, vt illuminet aliquẽ, nihilominus talis intentio particularis nõ prohibebit, quin alij præsentes illuminentur: cõparatio, inquam, ista nõ valet, nam falsum est, suffragium in hoc esse simile lucernæ illuminanti, cum potius id erit instar pecuniæ, quæ dum offertur pro liberatione vnius determinatæ personæ carceribus inclusę, non proderit alijs quoad fructum liberationis.

47 *De suffragijs plus valebit illo, cui applicantur, quàm alijs.*

Dicẽdum est tertio. Si de suffragijs loquamur in ordine ad directè impetrandum, seu ad merendum de congruo, plus valebunt pro illo defuncto, pro quo offeruntur, quàm pro alijs, ita *Suarez sectione illa nu.24.*& hoc, quia directa impetratio maximè dependet à voluntate, & intentione operãtis, nam impetratio se habet per modum petitionis, quæ tendit ad hoc, vt voluntas ipsius petẽtis adimpleatur; proinde si petens dirigit orationem ad impetrãdum pro aliquo defuncto determinato, plus valebit petitio pro tali defuncto, quàm pro reliquis, pro quibus nihil directè petitur.

48 *Omnes animæ Purgatorij aliqualem participant fructum de operibus, quæ pro alijs fiunt.*

Dicendum est quarto. Omnes animæ, quæ sunt in Purgatorio, aliquem sortiuntur fructum ex suffragijs, quæ pro particulari persona fiunt; fructus autem iste erit gaudium quoddam accidentale, seu solatium, per quod leuentur, remanẽte tamẽ pœna essentiali, quæ ipsis animabus debetur. sic docẽt *Suarez, de Lugo, Lenorius*, quibus addo *Bellarminum De indulg. lib. 1. cap. 14 quæst. vltima*. ratio autem est, quia charitas facit omnia cõmunia, & sic occationem habent lætandi de liberatione socij, quẽ amant, & quia sperare possunt eius patrociniũ in cœlo, quo aliquid pro eorum liberatione obtineant. ex hac autẽ conclusione rectè dici poterit, suffragia facta pro aliquo defuncto in particulari, indirectè omnibus alijs prodesse, etiam si offerentes nihil cogitent de alijs defunctis, pro quibus suffragia minimè offeruntur.

CAPVT IV.

Declarantur quæ in hac Bulla pro mortuis specialiter præscribuntur.

EX his omnibus, quæ in hac vltima parte à nobis sunt exagitata, breui comprehẽdere oportet vniuersalem doctrinam, & eam applicare ad explanationem, & intelligẽtiam huius Bullæ defunctorum, vt supra in prooemio huius quartæ partis promisimus: quapropter quid sit sentiendum de indulgentia, quam Pontifex per hanc Bullam in gratiam defunctorum concedit, & sub hoc onere in hoc capite aperiemus. 1

SECTIO I.

Declaratur indulgentia, quæ pro animabus Purgatorij vi huius Bullæ conceditur.

2 *Aperitur indulgẽtia, quæ in Bulla defunctis conceditur.*

IN Bulla plumbea latina ter fit mentio de mortuis: primo in paragrapho quinto, in quo cum plenaria conceditur indulgentia ijs, qui eunt, vel mittunt ad bellum contra infideles, sic dicitur, *Item, eadem indulgentia suffragabitur per modum suffragij, etiam animabus defunctorum, pro quibus in huiusmodi subsidium proficisci, vel milites mitti contigerit: aut pro quibus non euntes, nec mittentes de bonis suis iuxta taxam per Commissarium, personarum qualitate inspecta faciendam pro Religionis defensione contulerit.* secundo loquitur de defunctis in paragrapho decimoquarto, in quo tribuũtur visitãtibus Ecclesias &c. indulgentias stationum; & hęc sunt verba, *Item, qui dicto anno durante in singulis diebus stationum almæ Vrbis quinque Ecclesias, seu Altaria, & in illorum defectu quinquies vnum Altare visitauerint, preces que ad Deum pro vnione, & victoria prædictis fuderint, omnes, & singulas indulgentias stationum intra, & extra muros prædictæ Vrbis tam pro se, quàm per modum suffragij pro defunctis, pro quibus visitauerunt, consequantur*, tertio datur facultas bis applicandi indulgentiam plenariam pro mortuis sumendo eodem anno aliam Bullam, & in fine Bullæ magnæ in extẽsione facta *à Gregorio XIII. die 5. Martij 1572.* sic dicitur, *Ac vti etiam omnes Christi fideles non tantum semel, sed bis singulo quoque anno prædictis quatuor, & sex annis respectiue durantibus, seruatis forma, & tenore prædictis, quibus eodem anno idem summarium sumpse-*

sumpserunt tam pro se, quàm per modum suffragij pro animabus in Purgatorio detentis indulgentias, concessiones, gratias, & indulta prædicta consequi, eisque infra eumdem annum (vt præfertur) vti potiri, & gaudere, ac dictorum bonorum spiritualium participes fieri valeant in Domino misericorditer concedimus, & elargimur. in his autem tribus locis habemus concessionem indulgentiarum applicandarum pro defunctis, circa quas nonnulla sunt à nobis resoluenda per subsequentes conclusiones.

3 *Est plenaria.* Dicendum est primo. Indulgentia plenaria, quæ per hanc Bullam conceditur pro defunctis, explicitè datur *in §. 5.* implicitè *in §. 14.* quando visitantibus Ecclesias, &c. modo, quo superiùs *par. 2.* explicatum est, datur facultas applicandi pro defunctis indulgētias stationum, quæ Romæ intra, & extra muros inueniuntur: ex his autem indulgentijs stationum aliquæ sunt totales, & plenariæ, licèt aliquæ sint partiales.

4 *Potest bis eodem anno applicari.* Dicendum est secundo. Indulgētia plenaria pro mortuis, quæ conceditur independenter à stationibus, vt est ea, quæ habetur erogando eleemosynam, potest bis eodem anno pro defunctis applicari aliam eleemosynam soluendo, & aliam recipiendo Bullam mortuorum, vt patet *ex litteris extensionis Gregor. XIII.* quas supra retulimus.

5 *Explicatur varij modi applicādi hāc indulgentiam pro mortuis.* Dicendum est tertio. Modus applicandi indulgētiam plenariam pro animabus Purgatorij est multiplex: primo enim poterit applicari absque erogatione eleemosynæ, & sumptione Bullæ; & hoc pacto applicari potest ab euntibus ad Bellum contra infideles vi profectionis ad prælium: secundo virtute missionis, cum aliquis non proficiscens mittit milites ad bellum: tertio per erogationem eleemosynæ in subsidium ipsius Cruciatæ: quarto denique per visitationem Ecclesiarum, seu Altarium sumendo stationes Romanas.

SECTIO II.

De ijs, quæ sunt seruanda, vt pro mortuis vtiliter indulgentia applicetur.

6 *Debet eleemosyna taxata erogari.* GRatia indulgentiæ pro animabus Purgatorij non conceditur absque aliquo onere mox à nobis explicando.

Dico igitur primo. Si quis velit indulgētiam plenariam alicui defuncto applicare mediante hac Bulla, debet contribuere duos argenteos, quæ est taxa præscripta à Commissario, vt ab eodem in ipsamet Bulla mortuorum declaratur.

Dico secundo. Eleemosyna ista soluenda pro acceptione Bullæ defunctorum æqualis est pro omnibus; proinde nullum reperitur discrimen, siue eam sumens sit persona qualificata, siue nō. pbatur, quia Cōmissarius absq; vlla exceptione loquitur, & dum vult attenta qualitate personarum inæqualem taxam facere, id exprimit; sicuti de facto seruauit in taxanda eleemosyna pro Bulla viuorum, vt supra diximus. 7 *Eleemosyna erogandæ est æqualis omnibus.*

Dico tertio. Bulla ista mortuorum, vt suum sortiatur effectum, debet recipi ab eo, qui dat stipem, & non sufficit eam tantùm soluere, nisi Bulla acceptetur. sic notauit *Aegidius Trullench in expos. Bull. lib. 4. dub. 11. nu. 4.* & in fructu huius Bullæ; atque adeo Bulla ista mortuorum debet conseruari, & in receptione, & conseruatione huius paruæ Bullæ debemus discurrere, sicuti in Bulla viuorum, quia in paragrapho decimoseptimo mandatur, vt totum Bullæ originalis Summarium recipiatur, & retineatur; hæc autem parua Bulla est pars illius Summarij: proinde debet recipi, & retineri, sicut dicitur de toto Diplomate. 8 *Est cum effectu recipiēda Bulla, & non est satis soluere eleemosynam.*

Dico quarto. Bulla ista pro vno tātùm defuncto applicari potest, & nō pro duobus, aut pluribus, sic *Trullench loc. cit.* & probatur ex ipso textu, vbi de vna tātùm persona singulari est sermo; est etiam alia efficax ratio, quia si vna, eademque Bulla pro pluribus defunctis posset applicari, impediretur subsidium pro bello contra infideles, si enim quis intentionem haberet indulgentiam huius Bullæ applicare V. G. pro tribus defunctis, vnam pro illis sumendo bullam, diminueretur subsidium illud, quod reportaret Cruciata, si pro vnoquoque distinctam sumeret Bullam plures soluendo stipes. 9 *Vna Bulla pro vno tantùm & nō pro pluribus potest applicari.*

Dico quinto. Semel facta applicatione pro vno defuncto, non potest eadem Bulla alteri defuncto applicari; quia eo momento, quo fit applicatio, statim Deus indulget remittendo totam illam pœnam temporalem, quæ vigore Bullæ relaxari potest: proinde cum Bulla integrū suum effectum sortita sit, nequit alteri prodesse. 10 *Eadem Bulla pro vno applicata nequit alteri applicari.*

Dico sexto. Lōgè meliꝰ, & laudabiliꝰ est, vt fidelis morti ꝓximus, dum iudicat moraliter se esse in gratia, & amicitia Dei, per suum testamentum, aut per aliam dispositionem mandet hæredibus, vt pro ipso iam defuncto Bullam hanc accipiant, quàm absque tali mandato, aut dispo- 11 *Securius, & vtilius est, vt quis morti proximus mandet hæredibus, vt pro ipso Bullam post mortem sumant.*

dispositione post mortem testatoris illius hæredes Bullam accipiant. sic notant *Rodriquez in Bullam defunctorum §. unico nu.6. Trullench dubio illo 12.num.6.* & ratio huius rei est, quia testator, dum in vita mandat, & legat eleemosynam pro receptione huius Bullæ, meretur etiã ex opere operantis pro illa bona voluntate; & præterea, si vera esset opinio, quæ requirit statum gratiæ non solum in illo, qui est caussa principalis mandans pro se ipso sumi Bullam, verum etiam in eo, qui Bullam nomine illius recipit; si vera, inquam, esset hæc sententia, posset contingere, vt hæres, cum exequitur dispositionem testatoris, reperiatur in malo statu, atque adeo inutiliter pro defuncto sumeret Bullam; at si testator iussit hæredi, eique imposuit Bullæ sumptionem, tunc hæres erit merè exequutor eo modo, quo est seruus, qui iussu Domini distribuit eius pecuniam in pauperes: in his autem exequutoribus non attenditur dispositio, qua inueniuntur, ad hoc vt opus vtiliter exequutioni mandetur pro eo, qui opus illud tamquam caussa principalis iussit.

Dico septimo. Præter conditiones istas, requiruntur aliæ; de quibus superiùs sufficienter tractatum est, & modo eas supponimus. quemadmodum etiam de hac speciali indulgentia exagitari possunt ea, quæ perpẽdimus circa modum, quo indulgentia prosit defunctis, videlicet, an ex condigno, an verò ex Dei liberalitate, an infallibiliter, &c. quæ etiam nunc supponuntur. Quapropter finem imponimus huic vltimæ Parti; & toti huic Operi, omnia submittendo, quæ in progressu huius explicationis dicta sunt, determinationi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ; eaque dicta sint ad gloriam, & honorem Diuinæ Maiestatis, & Beatissimæ semper Virginis Mariæ. Amen. 12 *Requiruntur nonnullæ aliæ conditiones.*

FINIS.

INDEX

RERVM PRAECIPVARVM QVAE IN HOC OPERE TRACTANTVR REFERTISSIMVS.

Prior munerus paginam, secundus numerum paginæ marginalem denotat: vbi vnus tantum, marginalis est; & ad proximè designatum paginæ refertur.

b oiui-

Concessio.

Conditio.

Confessarius.

Confessio.

Confidentia.

Con-

Exequiæ.

Habere.

Habitus.

Hæresis.

Hæres.

Hæreticus.

Histriones.

Horæ canonicæ.

Horologium.

Ieiunans.

Ieiunium.

Ignorantia.

Ignorans.

Immunitas.

Impediens.

Impedimentum.

Impetratio.

In-

Li-

Pau-

dictio

Schisma-

f Quan-

FINIS.

ADMONITIO AD LECTOREM

CVm in prima huius operis editione, Amice lector, aliqua contigerint, vt in plerisque humanis negotijs solet, errata, & quidem non pauca reperientur, multa, si ex operis magnitudine æstimentur; partim deficientibus alibi, alibi abundantibus vel non bene cohærentibus inter se vocibus, aut syllabis, pro tua te humanitate rogo, sicubi offenderis; hanc quam apponimus supremam manum, animaduersionemque consulas, & iuxta eam, quidquid deprehenderis corrigas, & illud semper lyrici tatis succurrat.

Verum opere in tanto fas est obrepere somnum.

ERRATA, QVÆ IN HANC EDITIONEM INCVRRERVNT
sic corrigenda.

	Errata	Corrige.
f. 10. n. 1.	Proprietas.	proprietas.
f. 14. n. 14.	in marg. Plurib.	Pluribus.
f. 15. n. 37.	fore.	esset
f. 16. n. 34	Vigenarium.	vicenarium. & infra itidem
f. 19 n. 15.	extenditur.	extendantur.
	censetur.	censeatur.
f. 21. n. 23.	exagitauit.	exagitauerit.
f. 22. n. 2.	Iust. mor.	Inst. mor.
f. 23. n. 9.	Sequitur.	sequi.
f. 24. n. 14.	ipsis.	ipsius.
f. 25. n. 22.	Commorantibus.	Commorantes.
col. 2.	applica am	scimus applicatam.
.23.	vtiliter, valide.	dele Alterum:
f. 26. n. 30. col. 2.	ibique.	si ibi.
	Acceptans.	acceptet.
f. 27. n. 33.	quo.	in quo est.
f. n. 34.	strifte.	Stricte.
f. 28. n. 36.	Adhæret.	adhæreat.
f. 29. n 45.	vnum.	vno.
f. 30. n 52.	esse	sit.
f. 31. n. 43. 55	exter.	externus.
f. 35. n 9.	tunc.	nunc.
n. 12.	Catechumenis.	Catechumenis:
n. 12. col. 2.	solutiones.	absolutiones.
n. 3.	&	at.
n. 23.	Proceds.	procedere.
f. 44. n 71.	testibus.	textibus.
f. 49 n 2.	a reseruatis.	reseruata.
f. 30. n. 13.	in marg. sit mentio.	fit mentio.
f. 51. n. 15. col. 2.	d beri.	debere.
	a Ci m	a Ciem.
f. 53. n. 37.	Pontificis.	Pontifices.
f. 54. n. 27.	conuenire.	concessione.
n. 28.	eamdem.	eadem.
	Intelligentur	intelligi.
	comprehendi.	comprehensos.
f. 55. n. 32.	manifeste.	manifeste.
n. 33.	intra.	inter.
n 38.	renouandum.	reuocandum.
f. 57. n 45	facultates.	facultas.
f. 59. n. 53.	effi iam.	efficaciam.
f. 67. n 106	carentie.	carentem.
f. 73. n 27.	prasse.	presse.
f. 78. n. 156.	hypotesi.	hypothesi.
f. 81. n. 19.	Computationis.	promulgationis.
	promulgandus.	computandus.
	inuenitur.	inuenitur.
n. 20.	fit.	si
f. 82. n 22.	cruciate.	cruciatæ.
f. 83. n 27. col 2.	sumere.	sumi.
n. 29.	esset.	esse
f. 84. n. 43.	promulgata.	promulgatam.
f. 86. n 80	votum.	voti.
f. 87. n. 45.	in marg. vsus.	vsum.
	Differens.	differat.
f. 88. n. 53.	ea nihilominus.	& nihilominus:
	Bartholomæus	Bartholomæum.
col. 2.	consequutio Indulgentia.	adde positis operibus.
f. 90. n. 65.	dare.	dari.
f. 92. n. 72.	vniuersalibus.	vniuersitatibus.
f. 97. n 98.	consumata.	consummata.
f. 99. n. 105.	dele.	etiam si apponantur clausulæ irritantes.
n 107	in marg. spirat.	adde non.
f. 102. n. 126.	alique.	aliquæ
f. 103. 121. col. 2.	ex illo.	illo.

	Errata	Corrige
f. 106. n. 147.	existimantes.	& existimant.
f. 115. n. 28.	dubitatio.	dubitatur. esse. est.
f. 117. n. 7.	Dominij.	Domini.
f. 121. n. 7.	fundent.	fundant.
f. 123.	in tit. sect. oedinarij	ordinarij.
f. 124.	in tit Cap. veniunt	veniant.
	fundent.	fundant.
f. 132.	in tit. § 10. extenditur.	extendatur.
f. 133. n. 50.	satisfacit.	satisfaciunt.
	assistant.	assistunt.
n. 52.	immo.	imo.
n 55.	suaderi.	suadere.
f. 126. n 68.	non autem.	dele autem.
f. 141. n. 6.	altorum.	altarum
f. 143. n. 16.	concedat.	concedere.
f. 145. n. 5.	templarijs.	templarijs.
f. 153. n. 3.	valent.	velint.
	opere.	opera.
f. 154. n. 17.	Patronum.	Patronorum.
f. 158. n 39.	necessariam.	necessarium.
n. 42.	conseruare.	conseruare.
f. 166. n. 30	comestio.	abstinentia.
	contextum.	contentum.
	quæ.	quas.
n. 35.	earum.	ea.
f. 170. n 54	non potest haberi.	dele non.
f. 177. n 28.	gaudent	gaudeant.
n. 34.	neminem.	non.
f. 178. n 37. col. 2.	vnum obolum	vnus obolus
	quod ex determinata	dele quod.
in tit sect	ieiunans.	ieiunant.
f. 179 n. 41.	exclusa.	exclusis.
n. 43.	habens.	si quis habeat.
f. 180. n. 42.	Gragario.	Gregorio.
f. 185. n. 83.	aut Iubileo	dele sequẽtes tres lineas vsque ad aut Iubilæo.
f. 187. n 3.	longeuam.	longæuã
	habentes.	habentem.
f. 188. n. 6.	eademque.	eamdemque.
n 8.	enumeratæ	enumerata
f. 189. n. 11.	Adgelus.	Angelus.
	Sylaester.	Syluester.
f. 190. n 14.	pingnedinem	pinguedinem
f. 191. n. 24.	Ieiunis.	Ieiunijs.
f. 92. n. 28.	Solet.	Solent.
f. 144. n 6.	Hac nõ intendant.	hoc non intendant.
f. 194 n 88.	dices	dices.
f. 155 n. 15.	Difficultar.	difficultas.
	peccare.	peccant.
f. 196. n. 22.	interpretare.	interpretari
f. 197.	in proœm. participationum.	participationes.
	prædictarum.	prædicta.
n. 2.	vt pat. 1.	dele vt.
f. 198. n. 3.	quarantena.	quarantenam
	carantena.	quarantena.
f. 200. n. 17.	est.	sit.
n. 21.	camestio	concessia.
f. 201. n. 25.	& annexum.	est annexum.
f. 202. n. 27.	in vno voto vt sit.	adde non se extendere ad aliud.
n. 33.	Indulgentiæ.	Indulgentia.
f. 207. n. 6.	explicatio.	applicatio.
f. 208. n. 9.	conferri.	conferre.
f. 209 n. 16.	rez.	Suarez.
n. 17.	eam expresse.	dele eam.
f. 215. n. 10.	ad implere.	adimplere.

f. 223

	Errata	Corrige.
f. 227. n. 2.	comparabitur.	comparetur.
f. 228. n. 11.	Phraneticus.	Phreneticus.
f. 229. n. 19.	eisdem argumentis.	eadem argumenta.
n. 23	applicatio.	applicatione.
f. 230. n. 23.	indulgentiam.	indulgentia.
n. 26.	auctoritati.	auctoritate.
f. 248. n. 105.	argomentum.	argumentum.
f. 249. n. 107.	seculare.	sacularem.
n. 122.	interni.	interno.
f. 250. n. 116.	approbationibus.	approbationis.
f. 251. n. 119.	subscribitur.	subscribit.
n. 121.	in Bulla.	vt Bulla.
f. 254. n. 133.	Sacerdos.	si Sacerdos.
f. 255. n. 135.	habet.	habeat.
f. 267. n. 24.	aquiri.	acquiri.
f. 265. n. 31.	voluit.	noluit.
n. 32.	instituens.	cum instituat.
f. 276. n. 9.	obyciat.	obyciat.
f. 277. n. 13.	quia.	qua.
f. 279. n. 24	quarum.	qua.
	omnis.	omnibus.
f. 282. n. 39.	dari.	dare.
f. 286. n. 65.	quod sistendo.	sistendo.
f. 292. n. 91.	quod dum quis.	dum quis.
f. 296. n. 111.	loquentes.	loquentibus.
f. 298. n. 124.	inefficax	inefficax.
f. 302. n. 11.	in marg. externa.	interna.
f. 307. n. 34.	hac sententia.	hanc sententiam.
n. 35.	intelliguntur.	intelligantur.
f. 309. n. 51.	esse	est.
f. 310. n. 54.	constet de tali.	constet euidentia morali de tali.
f. 311. n. 56.	patratur.	patrat.
n. 57.	primo quod,	dele quod
f. 316. n. 3.	posse.	possit.
f. 318. n. 13.	offerri.	offerre.
f. 328. n. 25.	col. 2. quod habita.	dele quod.
n. 20.	communicari.	communicare.
	excommunicatio.	communicatio.
f. 334. n. 21.	debere.	debeat.
n. 22	excommunicationis.	communicationis.
f. 336. n. 7.	ineffabiliter.	infallibiliter.
f. 337. n. 17.	id.	is.
f. 340. n. 18.	relaxari posse.	adde ab Episcopo.
f. 34 . n. 20.	publico.	publica.
f. 342. n. 31.	col. 2 reuersus.	recursus.
f. 345. n. 44.	impositas.	impositam.
f. 346.	in procem. expeditionis.	expeditionis.
f. 350. n. 20.	poterant.	poterunt.
n. 25.	ab illis.	ab alys.
f. 354. n. 39.	verba.	per verba.
n. 41.	sicuti facultas.	sicuti si facultas.
f. 357. n. 63.	a maiori ad maius.	a minore ad maius.
f. 362. n. 91.	illam.	illa.
n. 93	commutare.	commutari.
f. 364. n. 110.	esse.	est.
f. 363. n. 99.	nobis non aduersari.	tamen non aduersatur.
f. 377. n. 36.	pro.	per.
f. 380. n. 55.	iurat.	iuret.
f. 381. n. 60.	peregrinandi.	peregrinari.
	censetur.	censeatur.
f. 382. n. 60.	ac per nos acquiritur Deo	dele quia iteratur tantum (vt creditori. dele tantum.
f. 383. n. 7.	eamque.	eaque.
n. 72.	Dele hanc lineam iteratam	an vero si hoc non (obstante per Bullam commutabile.
f. 385. n. 81.	ait tamen.	attamen.
f. 386. n. 93.	vt.	at.
f. 392. n. 123.	præmittit.	remittit.
f. 397. n. 162.	preseruatum.	reseruatum.
f. 399. n. 171.	arctoris.	arctioris.
n. 172.	est intelligenda.	ato intelligendam.
f. 406. n. 31.	erit.	erat.
f. 409. n. 46.	S. Iacobi.	S. Ioannis.
f. 413.	in procem. sibi.	ipsi.

	Errata	Corrige
n. 2.	inferremus.	inseremus.
f. 420. n. 15.	caussatiuam.	caussatiua.
n. 18.	quis adepturus.	quemuis adepturum.
f. 443. n. 26.	ordine.	in ordine.
f. 446. n. 43.	reseruari.	incurri.
f. 460. n. 4.	col. 2. asserentes.	asserens.
f. 464. n. 6.	nobilis.	notabilis.
n. 14.	&.	vt.
f. 471. n. 14.	col. 2. videtur.	videatur.
f. 472. n. 2.	decem.	quinque.
f. 473. n. 9.	quadraginta.	septuaginta.
col. 2.	quadraginta.	quinquaginta.
f. 478. n. 10.	ens.	eas.
f. 479. n. 2.	delictum.	debitum.
f. 482. n. 19.	posse.	possit.
n. 20.	se extendi.	se extendere.
n. 21.	lusum est.	luserit.
f. 483. n. 27.	applicare.	applicando.
f. 484. n. 33.	& ab hoc.	si ob hoc.
	existimari.	æstimari a
f. 485. n. 34.	vel requiritur.	dele requiritur.
f. 486. n. 3.	sunt.	sint.
f. 487. n. 8.	consurget.	consurgat.
n. 9.	nam quia.	tum quia.
f. 488. n. 12.	ponitur.	punitur.
f. 489. n. 16.	ex eo pracise.	adde ante ita Beneficiarius.
f. 489. n. 18.	propria.	propriam.
	dies affixa.	diei affixa.
f. 490. n. 26.	quia.	quin.
f. 496. n. 21.	nisi	si.
f. 500. n. 7.	fecisse.	fuisse.
f. 503. n. 13.	cum.	non.
n. 14.	claritate.	charitate.
f. 504. n. 17.	communis consensus.	communem consensum.
f. 505. n. 24.	Iustitia.	tristitia. bis
f. 509. n. 5.	purgationes.	peregrinationes.
f. 510. n. 12.	noluit.	voluit.
n. 15.	sacrificandum.	satisfaciendum.
f. 512. n. 10.	applicationis.	impetrationis.
f. 512. n. 13.	praces.	preces.
f. 514. n. 14.	adiunamur.	adiunamus.
f. 518. n. 35.	moriis.	mortuis.
n. 37.	sepponatur.	supponatur.
f. 521. n. 50.	intendi.	intendatur.
f. 522. n. 52.	habere.	haberet.
f. 524. n. 35.	iuuare.	iuuari.
f. 527. n. 8.	personam.	persona.
	alius.	al ium.
	valor.	valorem.
	respondens.	respondentem.
f. 529. n. 15.	neque.	æque.
f. 533. n. 23.	asserentes.	asserens.
f. 534. n. 3.	primari.	primali.
	iste.	ista.
f. 535. n. 9.	nisi ab eo.	dele nisi.
n. 10.	quia non sunt.	nisi quia non sunt.
f. 537. n. 14.	clausuum.	clausum.
f. 538. n. 20.	acquiritur.	requiritur.
n. 21.	oportere.	oporteat.
f. 541. n. 2.	praceptum.	perceptam.
f. 541. n. 4.	quot particula.	quot essent particula.
n. 7.	mittebatur.	mitteretur.
f. 542. n. 7.	efficacia.	efficaciam.
n. 10.	supponant.	supponat.
f. 543. n. 16.	condonabunt.	condonabuntur.
f. 544. n. 17.	habet.	habeat.
f. 556. n. 13.	conferri.	inferri.
f. 557. n. 20.	exequia.	exequias.
	proficua.	proficus.
f. 561. n. 17.	col. 2. Parasceue.	parasceue.
n. 23.	satisfactorium.	satisfactoriam.
f. 562. n. 30.	plenissima.	plenissimam.
n. 2.	indulgentias.	indulgentia.